8
4 M
31

C. 45. 6.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTVARIVM
SIVE
SERMONES DE SANCTIS
PER ANNUM,
AVTHORE ADM. R. P. F.
LEONARDO MATTHÆI
DE UTINO
Sacroſ. Theologiæ, nec non Iuris utriuſque Doctore
Sacri Ordinis Prædicatorum.

Digitized by Google

Digitized by Google

CARMELITANI SCALZI
TVA
DUE MARIA DELLA SCALA

SANCTVARIVM

HOC EST

SERMONES PANEGYRICI

IN SOLEMNITATES IESU CHRISTI SALVATORIS,

Pentecoſtes, SS. Trinitatis, Venerabilis Sacramenti,
Nec non in præcipuas Feſtivitates
B. V. MARIAE, ALIORVMQVE SANCTORVM,
ANNVO RITV CELEBRARI SOLITAS:

Copioſis argumentis, & authoritatibus, tum Bibliorum, tum ſanctorum Patrum, vel maximè multimodâ doctrinâ Thomiſticâ ſolidè concinnati,

AVTHORE ADM. R. P. F.

LEONARDO MATTHAEI DE VTINO

Sacroſ. Theol. ac Iuris utriuſque Doctore, Ord. Prædicatorum:

Anno reparatæ ſalutis 1480 Vincentiæ primitùs typo ſubjecti; tandem in collegiali conventu ſanctiſſimi Roſarii Venetiarum præfatæ Religionis, eliminatis mendis, pro commodiori Concionatorum uſu recenti prælo aptati, prolixo rerum memorabilium Indice coronidi appoſito.

QVOS

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO D. D.

GREGORIO BARBADICO

S. R. E. CARDINALI

EPISCOPO PATAVINO

ObseqVIosa VeneratIone DeDICat regVLarIs obserVantIa plæ VIrgInIs RosarIanæ De VenetIIs.

VENETIIS, M. DC. XCII.
Ex Typographia Petri Antonii Brigonci.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISS. ET REVERENDISS.

PRINCEPS,

Domine Domine Mecœnas Colendiſſime.

CARMELITANI SCALZI
DI S. MARIA DELLA SCALA

ARca Sanctuarii, arcanorum Magiſtra, hoc Opus TUÆ committit Pietati, EMINENTISSIME PRINCEPS. Deo illa annuente *Tabernaculo* credita, Superum planè docet conſilio hoc quoque Sanctuarium TUO ſolo Sinu recondi. Quid enim Tabernaculi *byſſus*, quid *hyacinthus*, quid *purpura*, *coccuſque bis tinctus* admonuit, ni impervios TUÆ EMINENTIÆ gradus, ac animi dotes, quæ TE, Pietatis Cardinem, ac Religionis Templum inſtituunt? Porrò, ſi Patrum aſſertis in byſſo mentis innocentia ſignatur; TE Solum apprimè portendit, QUI candido affulges virtutum omnium nitore, ut hinc Hyacinthum præſeferas, in quo terrenorum abdicatio; inde Purpuram, in qua Paſtor Sacerdotii Regalis; inde verò Coccum bis tinctum, *Exod.* 26. 1.

&ùm, in quo Cor geminà Charitate refertum innuitur. Nullum adeò Opus iſtud expoſcit, quàm altæ TUÆ Protectionis effugium, ac omne latum dubio procùl ejiciet Pietas TUA hoc Sanctuario dempto, cui Tabernaculum Purpura TUA conſtituit, ac in Figuralis faciem inſpirat *ſpira-*
Gen. *culum vitæ*. Hùc mirabundum excitat Orbem ſumma TUÆ Mentis In-
2. 7. 2. Pet. tegritas, quà Forma factus Gregis ex animo, *curam omnem ſubinferens*,
1. 5. *in fide virtutem miniſtras, in virtute ſcientiam*, ut Paſtoralis ſolicitudinis
Rom. normam, aureà olim ætate in *primitias ſpiritus* habentibus effloreſcentem,
8. 23. noſtrà verò tempeſtate proſtratam, opere ſuſcitàris, & verbo. Quarè
Apoc. meritò TIBI datum *cooperiri Byſſino ſplendenti, & candido: Byſſinum enim*
19. 8. *iuſtificationes ſunt Sanctorum*. Hùc mentem attrahit illa TUI Ingenii Excellentia, quà erectus in virtutis culmine Animus, terrenorum cupiditate
Pſal. abdicatà, ſolo Cæleſtium ſapore depaſcitur, Davidici memor oraculi: *Di-*
61. 11. Luc. *vitiæ ſi affluant, nolite cor apponere*: nec *pulverem* ipſum, leviſſimas ſcilicet car-
9. 5. nis & ſanguinis illecebras *excutere* indiguit; ut merito ad tam heroicæ virtutis faſtigium, jam Cælo propinquum, ſuum Dominus per Ezechielem vatici-
Ezech. nium direxerit: *Calceavi* TE *hyacintho*. Hùc rapit obſequium TUA O-
16. 10. vium Dilectio tenerrima, quà in Paſtorum Principis imaginem actus, ne Purpuram humero, ſed corde referres, cruentas amoris hoſpitaris animo Ideas, Ovium ſaluti opere conſulturus, vel ſanguine; CUI neu mollis, ſed
Cant. mentis martyrio Divinum arridet oraculum: *Comæ* TUÆ *ſicut purpura Re-*
7. 5. *gis, iuncta canalibus*. Hùc demùm citat præcordia coccus ille bis tinctus,
1. Cor. TUÆ nimirum Charitatis ardor ingeminus, quo *omnibus omnia factus*,
9. 22. Ezech. mente in Deum elevaris, manu declinans ad proximum, *in ſimilitudinem*
1. 14. *Fulguris coruſcantis*. Quapropter jure TIBI Domino *irriguum ſuperius* ce-
Jud. dente, & *irriguum inferius*, Sponſæ vales gliſcenti animo accinere: *Ordina-*
1. 15. Cant. *vit in me Charitatem*. Sed enim, cùm jam TE in Tabernaculum redivi-
2. 4. vum coaptaverit ratio, quid ſupereſt, ni in hiſce elucubrationibus Ar-
Exo. 25. cam quoque Sanctuarii recudere? Equidem illa *auro, aureiſque circulis* dives,
11. 12. hìc manna condebat, illìc virgam portentorum opificem, ibi verò legem tuebatur in tabulis. Tria nimirum hæc Thomiſtica aſſerta velut in cortice concludebant, quorum huius Operis Author eà cultor fidelitate interſeruit, ut anceps ingenium vix Thomiſticam à Leonardina doctrinam dijudicet. Utrumque tamen ſenſerit aptiùs, hanc in illam abjiſſe, ac amictum Sole clientem in Magiſtri Sanctiſſimi migrare fulgetra. Nunc itaque nonne manna Thomiſtica veritas, omni planè dulcedine redolens: dum, ceu ipſe
Picus Thomas ingeniorum omnium *compendium* admittitur, omnium illa doctri-
Miran. narum erumpit epilogus? Manna prorſus, cuius ſuavitate cujuſvis ſcien-
Eccli. tiæ ardor abundè redimitur, ut iſti prædictio reſpondeat: *Nonne ardorem re-*
18. 16. *frigerabit ros?* An non virga directionis reſolutio Thomiſtica: dum, qui
Innoc. eam coluit, nunquam à veritatis tramite (ſupremo reſonante *Oraculo*) de-
VI. viaſſe deprehenditur? eo planè favore, ut in divi Thomæ vaticinium re-
Apoc. dierit: *Datus eſt ei calamus, ſimilis virgæ*. An non demùm Teſtimonii tabulæ
11. 1. rationes Thomiſticæ, dum in ipſis ſtetère Conciliorum Oracula, ac Oraculorum ſuffragia? Id eo evenit conſilio, ut animadverteret Orbis ex Vati-

ca-

Digitized by Google

cani conſenſu ſemper eſſe de veritate ſuſpectum, eius dogmata refellentem, qui *ſine ullo prorſus errore* conſcripſit, ac tot adjecit miracula, *quot edidit Articulos*. Cedatur itaque Tabernaculo Arca Sanctuarii: Doctrina Thomiſtica, concionibus hiſce concluſa, TUÆ EMINENTIÆ credatur. Interea, dum in TUÆ Pietatis ſinum hoc Sanctuarium evolat, ſub TUÆ Gloriæ Paludamentum, VIGILANTISSIME PASTOR, excipere non dedigneris. TIBI enim fas erat offerri: ut in manna Divinæ dulcedinis Oves TUÆ *paſcuis uberrimis*, ſuper mel & favum dulcioribus, alerentur: in virga Sanctorum exemplis, *diverſo colore reſperſa*, varios virtutum fœtus conciperent: in *tabulis* verò, legem ferentibus, non declinantes *ad dexteram aut ſiniſtram*, Terram lacte & melle manantem obtingerent. Fave itaque, ac dum obſervantiæ noſtræ vota *Aſcenſum* audent *Purpureum*; faxit Humaniſſima EMINENTIÆ TUÆ Ingenuitas, ut in aureo TUÆ Charitatis Reclinatorio conquieſcat, & vivat.

Clem. VIII. Ioann. XXII.

Ezech. 34. 14. Gen. 30. 39. Deut. 5. 22. 32. Cant. 3. 10.

Eminentiæ Tuæ Reverendiſſimæ

Humillimum, addictiſſimum, devinctiſſimum
Collegium ſanctiſs. Roſarii Venetiarum
Sacri Ordinis Prædicatorum.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

INdustria (amice Lector) quâ opus Quadragesimale admodùm Reverendi & eruditi Patris Magistri *Fr. Leonardi Matthæi de Vtino* correctione, typoque recenti Venetiis anno præterito divulgatum est, zelum provocavit Correctoris, ad restaurandum pariformiter Sanctuarium Authoris ejusdem, quod ante annos bis centum & duodecim Vincentiæ prælo gothico primitùs excusum, intra bibliothecarum vetustos codices diù delitescens, moderno ævo mortalium memoriæ indecenti oblivione
Matth. 5. hærebat fermè sepultum. Indecens quippe *sub modio lucerna* locus, utpote à *Leone* vigilante, *Nardoque* odoriferâ accensa, non ut succumbat, non ut Lectoris usu careat, non ut in
Ibid. Concionatorum suggestis obmutescat, minùs ut extinguatur, lumen deperdat, & pereat; verùm ut sacrarum Ædium *candelabris* apposita fulgeat, *domesticis omnibus luceat*, omnes illuminet. Nec mirare Sermones præsentes me nuncupare lucem: quandoquidem fulgorem suum nacti ab Authore illuminatissimo, qui tanquam *Sapiens*, *omnium antiquorum*
Eccli. 39. *exquirens*, & callens *sapientiam*, non formâ quidem, nec stylo Rhetorico, sed eâ spiritus fermocinatur doctrinâ, quæ, affirmante coruscо Lumine Claravallense *Bernardo*, non curiositatem acuit, sed charitatem accendit. Liquet hoc ipsum ex gestis, symbolisque Patriarcharum, & oraculis Prophetarum legis veteris, ex eruditione Philosophorum, & commentis Poetarum Gentilium, ex lege Evangelica, Apostolica, Canoni-
Lib. 1. cont. Iulia. c. 4. ca, eorumque sacrorum Doctorum, quos præfulgidum Lumen Ecclesiæ *Augustinus* Lumina Civitatis Dei meritò appellat; quorum copiosis Authoritatibus præsens volumen evadens lumen, Christi Salvatoris, Deiparæ, Angelorum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum glorioſa merita per Sermones quinque ultra sexaginta clarè ostentat. Liquet præcipuè ex eminentia Excelsi illius, quem Cæli prædicant, atque Præclari, quem Stellæ indicant, *Thoma*, inquam, Doctoris Angelici, cuius infusam magis quàm acquisitam doctrinam Author crebrò allegans, dum loca citat, legentem erudit; dum citationes intermittit, eruditum reddit admirabundum: tandem quippè Angelicam doctrinam, è variis voluminibus, tractatibus, quæstionibus, articulis, paragraphis, in confirmationem suorum assertorum adductam, eâ concinnitate connectit, ut memoriâ Panegyristæ totaliter hausta, non minùs in præsenti Sanctuario, quàm in præmemorato Quadragesimali, Leonardina potiùs videatur, quàm Thomistica. Hinc lumen oritur, ad augendam fidem, ad roborandam spem, ad inflammandam charitatem: lumen oritur, ad enarranda & amplificanda Sanctorum merita: lumen oritur, ad præbenda & amplectenda sana consilia: lumen oritur, ad regendum spiri-
Ps. 118. tualiter, & politicè: *lumen* denique oritur *semitis*, *lucerna pedibus*, ad progredien-
Eccli. 24. dum in vita activa, & contemplativa *per semitas æquitatis*, usque ad *Lumen indeficiens*,
Prov. 4. *absque offendiculo*. Idcircò, ne fulgorem eius participandi, vel minimum obsistat impedimentum, annectitur coronidi, in Ecclesiastis commodiorem usum, prolixus rerum memorabilium elenchus: immutatur insuper Sermonum ordo ille, quem vetustum observat originale, facto hìc initio cum Sermone in Iesum Circumcisum, dispositis reliquis, tam de Salvatore, quàm de Sanctis, juxta ordinem festorum calendarii, quem eorundem series primæ paginæ præfixa demonstrat.

Caligo præterea, quæ opus posthumum frequentissimis erroribus obduxerat, pro viribus sublata est, quando Correctoris industria ad fontes Authorum (quorum nonnulli bibliothecæ nostræ communi defecerant) indefessè recurrens, mendosas sententias genuino restituit sensui, citationes falsas reddidit veridicas, nonnulla abjecit quæ lumen offuscant, alia adjecit quæ illud clarificant; experimento probans, quòd cujusvis lucubratoris penna pœna, atramentum aratrum, calamus calamitas, liber labor, libri liberi dolore geniti, prælum prælium. Miles, quacunque præliandi arte ac Marte præditus, è præliorum conflictu absque verbere aut vulnere evadit nunquàm; sic prælum nævis, atque codices, quocunque prævio sudore, algore, præstantiâ exantlati, æmularum linguarum gladiis, taxationumque telis configuntur creberrimè, nec sapien-

Digitized by Google

pientiſſimorum Scriptorum prævalet, ad ſubterfugiendum, Authoritas. Vnde celeberrimus *Hieronymus ad Nepotianum*. Coegiſti me, Nepotiane chariſſime, lapidato jam Virginitatis libello, quem ſanctæ Euſtochio Romæ ſcripſeram, poſt annos decem rursùs Bethlehem ora reſerare, & confodiendum me linguis omnium prodere: aut enim nihil ſcribendum fuit, ne hominum judicium ſubiremus, quod tu facere prohibuiſti: aut ſcribentes noſſe, cunctorum adversùm nos tela eſſe detorquenda; quos obſecro, ut quieſcant, & deſinant maledicere: non enim ut adverſariis, ſed ut amicis ſcripſi. Attamen, quod prælum noviſſimum concernit, ſatisfecit vigilantia Typographi Veneti, qui ductum & nutum ſequens Correctoris, paragraphos majores conſpicuè diviſit à minoribus: Bibliorum textum, Canonum, Authorumque citationes, nec non Poetarum Verſus expreſſit charactere à reliquo differenti: brevium ſententiarum fines tali clauſit ſigno) atque inter frequentiſſimas lituras, & additiones mirâ circunſpectione perpaucos defectus ſibi aſcribendos committens, ſub laborioſo prælo victor, Leonardum exanimem effecit redivivum, eiuſdemque volumen lumen. Confer opus redivivum cum originali emortuo, perpende illic contenta; & encomiorum veritas patebit. *Vale*. *Tom. 1 epiſt. 2.*

Si Correctoris lateat te nomen utrumque;
Continet hoc triplex: *Amplè labor ſocius.*

PRO.

PROLOGVS AUTHORIS.

DIvinorum interpres myſteriorum, quæ Spiritu ſancto ſuggerente nactus eſt, haud privatæ oblectationi modò deputabit, verùm, ſi ſapit, Eccleſiæ Ieſu Chriſti eruditioni expromenda dijudicabit, quemadmodum Apoſtolus ait: *Vnicuique datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem*, ſcilicet Eccleſiæ. Rectè ſanè. Quin exuberantiſſimo Divinitatis fonte potatus, tam vehementi perfruitur gaudio, ut ſibi exuri videatur, ni, quod ſpiritus fervore conceperit, ceteris plenâ fide eructaverit, implens illud Pſalmi: *Memoriam abundantiæ ſuavitatis tuæ eructabunt, & juſtitiâ tuâ exultabunt*. At verò, quoniam quiſque mortalium pro maximo ſuæ intelligentiæ captu parum æternæ dulcedinis ſuxiſſe videtur, ne quid Eccleſiæ, quod aut illius incremento, aut profectui, aut gratiæ opitularetur, deeſſet; Sponſus Ejuſdem miniſtros non paucos ad æterna diſpertienda Sacramenta deſtinavit, è quibus Apoſtolorum Principes proteſtantur: *Idoneos nos fecit miniſtros novi Teſtamenti, diſpenſatores multiformis gratiæ Dei*.

1. Cor. 12. Pſ. 144. 2. Cor. 3. 1. Pet. 4. Epheſ. 4. 1. Cor. 12.

Profectò *unicuique data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti. Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti*. Quis enim illum Prophetarum ordinem ſatis pro dignitate, ac ſanctitate admiretur, quorum omnium unum opus fuiſſe dignoſcitur & ſtudium, ut peſſundato execrabili deorum cultu, uni ſummo Deo omnem cæremoniarum, ac ſacrificiorum ritum dicarent, ut Salvatoris adventum, noſtræque fidei tempora prædicarent? quantâ curâ Deus illos Patres noſtros gubernaverit, ut, quod à nobis in hoc vitæ curſu maximè agi velit, diligentiſſimè compararent? Hinc ſummæ diſpoſitionis ordo patet, hinc immenſæ poteſtatis virtus, hinc humanæ correptionis utilitas. Quippe nullam ætatem, nullum ſexum, nullam mortalium conditionem neglexerunt, cui non & humanitùs & divinitùs vivendi mandata conquiſierint, ut nihil oporteat aut Xenophontis œconomicon, aut alterius cujuſpiam monimenta exigere. Etſi præterea ex Prophetis nonnullos majores, nonnullos minores nuncupemus, cavendum fermè eſt, ne alio ſpiritu, aut alio lumine locutos, atque illuſtratos cogitemus: ſiquidem *unus atque idem* exiſtit *Spiritus, dividens ſingulis prout vult*, cuique penes modum fidei pro ſua voluntate diſpertiens; ut planè intelligamus, illorum prædicatione prophanos hominum mores diſſipari, penitùs ſubrui, & everti.

Quanta porrò Spiritus ſancti virtus ac fortitudo eſt, quo Inſpiratore, atque Duce Apoſtoli, territis atque invitis hoſtibus, Evangelium divulgaverunt? Quantâ ſermonis poteſtate Stephanus Iudæis reſtitit, ſævienteſque mirabili ac Divinâ conſtantiâ ſuperavit? Quàm prorsùs dulce ac præclarum, Apoſtolorum prædicationem & vitæ laborem cognoſcere? ut nihil jam mirari oporteat, Pythagoram, aut Democritum, aut Platonem accumulandæ doctrinæ causâ orbem terrarum peragraſſe. Nec cujuſquam Philoſophi vita tantum ſplendorem enarrat, ut vel minima ex parte Apoſtolis conferendus ſit; qui tanto animo, tantoque conſilio difficillimam peregrinationem ſuſcipientes, quicquid in mundo magnum & præclarum erat, ſtudioſiſſimè inveſtigaverunt. Quos præterea Stoicos, quos Academicos diſcere cupiemus, quos Oratores audire? Mihi ſanè teſtem habeo conſcientiam, nullum unquàm Demoſthenem, nullum è noſtris Ciceronem ſuaviùs auditum, nullum ita Zenonem acutiùs de vitæ diſciplina pertractaſſe, ac Apoſtolos, qui divitias maximè, atque omnem ſeculi pompam, & cupiditatem abjicere docuerunt; eâ fide & doctrinâ, gravitate & ſanctitate, poteſtate & eloquentiâ, ſpiritu & vitâ, verborum fiduciâ & authoritate Gentium Philoſophos confutantes, ut non minùs factis, quàm ſermonibus ce-

le-

lebrarentur. Nimirum nec *caro*, *nec ſanguis* eis revelaverat, ſed æterni Dei Spiritus; quo Illuminatore atque Inflammatore, ex retibus parváque naviculâ ad totius Eccleſiæ claves, ex tenui ſuſtentandæ vitæ lucro ad Chriſtianarum animarum congregandum fœnus, tandem ex humili abjectoque piſcatoris officio ad excellentiſſimum in toto orbe Principatum evecti ſunt. Quid plura? Tantum beatorum hominum majeſtas ſe ſpectantibus impreſſit, ut inter populos, niſi repugnaſſent, dii colerentur, honorarentur, adorarentur; poſt quos hoc uno vitio deprehenſum eſt, humanum genus falſarum opinionum credulitate contabeſcere, quo in graves injurias, & intolerandas contumelias veri Creatoris Dei omnipotentis incideret, ut undique ſubeundæ vanitati & errori locus ac poteſtas eſſet; nec non veritati, ſapientiæ, juſtitiæ perpetuum exilium indictum videretur. Eouſque inſuper proruerat humana temeritas, ut nec de ſemetipſis nihil cogitare, nec de Deo indignè ſentire, mortales putarent indignum. Quis enim neſciat, quot erroribus laboravit humana veſania, ut penè oblita fuerit, quod eſſet humanarum mentium bonum, quis noſtræ vitæ modus, quæ tandem noſtrorum laborum merces conſtituta; ſi non unum Creator omnium rerum providiſſet, ut è cælo Prædicatores veritatis, præſtantiſſimæ religionis Viros demitteret uſque in nos, qui modò Iudæos, Gentileſque unâ correctione caſtigarent, modò reliquos peccatores neceſſariâ animadverſione corriperent, modò ceteros homines variis documentis inſtruerent? At ne plura commemorem; nihil eſt ab illis prætermiſſum, quod ad erudiendam fidem, ad inſtituendam vitam, ad intelligenda myſteria, ad prædicandam cæleſtium donorum gratiam, ad revelandam Divinæ voluntatis diſpenſationem, ad excitandam humanæ ſpei confidentiam, ad componendam Eccleſiæ pacem, ad inſtauranda fidelium Sacramenta pertineret. Denique omnem mundi ſapientiam profligandam ſanxerunt, quando Divinæ prædicationis ſacrique Evangelii miniſtros, à Spiritu ſancto delectos, ſe cognoverunt, non in una regione duntaxat verbum diſſeminaturos, ſed per omnes mundi oras in humanæ ſalutis ordinem fideliſſimè ac prudentiſſimè conſtitutos per doctrinam ex ipſo cælo ad eos & nos perlatam; uſquedum cæleſtibus alis conſcendentes, eò pervenerunt, unde cæleſtium atque ineffabilium Sacramentorum cognitionem ſuſceperunt. *Matth.* 16.

Itaque horum religionem & officium profeſſus ego *Frater Leonardus de Vtino*, inter ſacræ Theologiæ Doctores minimus, ſanctiſſimorum ac fortiſſimorum Virorum exemplo, præclaros Nobiles Vtinenſes (cùm apud eos plurimis ſermonibus hactenùs exegiſſem) conſtantiores feci, ne quid in virtute acerbum & intolerandum exiſtimarent; prout quondam Plato, civitatem inſtituens, viris fortibus mortuorum monimenta ſubjecit. Quia verò illis egregium ac ſingulare viſum eſt, Martyrum atque Sanctorum novi Teſtamenti pulcherrimum exemplar agnoſcere, ne ignaviæ atque ingratitudinis me arguerent, me cupidiùs ad eorum acta conſcribenda contuli; quanquàm exiſtimaverim modeſtiùs facturum, ſi levi ac vulgato ſermone diſcurram, quàm obſcuris aut involutis verbis tantas res tenuiores faciam. At ſi quiſpiam ad huius ſapientiæ limen ſe ingredi poſſe cauſabitur, quod in ea ruſticum quoddam & inultum ineſſe videatur (quaſi idem ſit, inanis eloquentiæ garrulum, & fœcundæ atque utilis doctrinæ benè peritum cenſeri;) ſolis humilibus advertat veri luminis cæleſtiſque cognitionis gratiam præſtari, quibus nihil ſecularis Philoſophiæ obſtat, nihil mundana eloquentia detinet, nihil garrulitas popularis impedit. Humilitas enim ſpem pariet, ſpes diligentiam, diligentia profectum, profectus incrementum; & eò quidem uſque, ut planè cupidiſſimi veritatis amatores videantur è propinquo tantæ lucis adventum excipere, ſuorumque laborum feliciſſimum fructum adipiſci, qui eſt *Ieſus Chriſtus*, in ſecula ſeculorum. Amen.

INDEX SERMONUM.

DE Circunciſione Domini, Sermo I. pag. 1.
De Epiphania Domini, Sermo II. 7.
De Reſurrectione Domini, Sermo III. 13.
De Aſcenſione Domini, Sermo IV. 21.
In feſto Pentecoſtes, Sermo V. 25.
De Sanctiſſima Trinitate, Sermo VI. 38.
In feſto Corporis Chriſti, Sermo VII. 47.
De Nativitate Domini, Sermo VIII. 70.
De S. Stephano Protomart. Sermo IX. 76.
De S. Ioanne Apoſtolo, & Evangeliſta, Sermo X. 82.
De ſanctis Innocentibus, Sermo XI. 87.
De S. Antonio Abbate, Sermo XII. 91.
De S. Agnete Virgine, & Martyre, Sermo XIII. 97.
De S. Vincentio Martyre, Sermo XIV. 103.
De converſione S. Pauli Apoſtoli, Sermo XV. 108.
De purificatione B. Virginis, Sermo XVI. 113.
De S. Blaſio Epiſcopo, & Martyre, Sermo XVII. 119.
De S. Agatha Virgine, & Martyre, Sermo XVIII. 125.
De cathedra S. Petri Apoſt. Sermo XIX. 129.
De S. Matthia Apoſtolo, Sermo XX. 134.
De S. Thoma Aquinate, Doctore Eccleſiæ, Sermo XXI. 138.
De S. Gregorio Papa, Doctore Eccleſiæ, Sermo XXII. 146.
De S. Benedicto Abbate, Ser. XXIII. 150.
De Annunciatione dominica, Sermo XXIV. 154.
De S. Ambroſio Epiſcopo, Doctore Eccleſiæ, Sermo XXV. 165.
De S. Georgio Martyre, Sermo XXVI. 172.
De S. Marco Evang. Sermo XXVII. 176.
De S. Petro Martyre, Sermo XXVIII. 190.
De SS. Philippo, & Iacobo Apoſtolis, Sermo XXIX. 203.
De inventione S. Crucis, Sermo XXX. 208.
De Corona Domini, Sermo XXXI. 214.
De victoria S. Michaelis Archangeli, Sermo XXXII. 220.
De S. Barnaba Apoſt. Sermo XXXIII. 225.
De nativitate S. Ioannis Baptiſtæ, Sermo XXXIV. 230.
De S. Petro Apoſtolo, Sermo XXXV. 239.
De viſitatione B. Virg. Sermo XXXVI. 245.
De S. Margarita Virgine, & Martyre, Sermo XXXVII. 254.
De S. Maria Magd. Sermo XXXVIII. 260.
De S. Iacobo Apoſt. Sermo XXXIX. 272.
De S. Dominico Confeſſore, P. N. Sermo XL. 276.
De S. Laurentio Mart. Sermo XLI. 297.
De Aſſumptione B. Virg. Sermo XLII. 305.
De S. Bernando Abbate, Sermo XLIII. 319.
De S. Bartholomæo Apoſt. Ser. XLIV. 330.
De S. Auguſtino Epiſcopo, Doctore Eccleſiæ, Sermo XLV. 338.
De decollatione S. Ioannis Baptiſtæ, Sermo XLVI. 346.
De nativitate B. Virg. Sermo XLVII. 353.
De S. Matthæo Apoſtolo, & Evangeliſta, Sermo XLVIII. 362.
De SS. Angelis, Sermo XLIX. 367.
De S. Hieronymo Confeſſore, Doctore Eccleſiæ, Sermo L. 376.
De S. Franciſco Confeſſ. Sermo LI. 383.
De S. Luca Evang. Sermo LII. 401.
De S. Vrſula Virgine & Mart. Sermo LIII. 408.
De SS. Simone, & Iuda Apoſtolis, Sermo LIV. 414.
De omnibus Sanctis I. Sermo LV. 419.
De omnibus Sanctis II. Sermo LVI. 430.
In commemoratione omnium fidelium Defunctorum, Sermo LVII. 440.
De S. Leonardo Confeſſore, Sermo LVIII. 452.
De S. Martino Epiſcopo, & Confeſſore, Sermo LIX. 461.
De S. Catharina Virgine, & Martyre, Sermo LX. 466.
De S. Andrea Apoſtolo, Sermo LXI. 475.
De S. Nicolao Epiſcopo, & Confeſſore, Sermo LXII. 482.
De S. Lucia Virgine, & Mart. Sermo LXIII. 487.
De S. Thoma Apoſt. Sermo LXIV. 492.
In dedicatione Eccleſiæ, Sermo LXV. 496.

SER-

SERMO PRIMVS
IN FESTO
CIRCVNCISIONIS DOMINI.

Conſummati ſunt dies. Luc. 2. Cap.

CHriſtus Salvator mũdi proteſtatur, dicens Matthæi 5. cap. *Nolite putare, quoniam veni ſolvere legem, aut Prophetas: non veni ſolvere, ſed adimplere.* Quod exponens *Chryſoſtomus Homil. 16. in Matth.* dicit: Legem implevit. Primò quidem, nihil tranſgrediendo legalium. Secundò. Iuſtificando per fidem, quod lex per litteram facere non valebat. Super quo moveo talem quæſtionem.

Vtrum converſatio Chriſti recta debuerit eſſe ſecundùm legis præcepta?

AD iſtam quæſtionem reſpondent quatuor Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt *Sanctus Gregor. Hom. 16. in Ezech.* dicens: Adimplere venerat Chriſtus legem, qui legis iuſtitiæ gratiam addidit; ut quod illa jubebat in minimis, ipſe perfici adjuvaret in ſummis. Et quod illa coercebat ab opere, ipſe reſecaret à corde. Intellecta ergo lex, quæ in latitudine jacuit, in altitudine ſurrexit. *Hæc ille.*

Secundus eſt *S. Auguſt. in quæſt. novi Teſtam. p. 2. q. 13.* requirens: Si alicui in poteſtate conſtituto ſucceſsor datur, nunquid deſtructus dicetur? Deſtructa planè eſſet lex, ſi tempore, quo viguit, accuſaretur. Et non dixit Chriſtus adimpleſſe legem, aut Prophetas, ſed adimplere. Adimplere autem non aliud ſignificat, quàm plenè addere. Quid eſt autem addere Prophetis, niſi cultum Dei ſub Trinitatis nomine ordinare? Quamvis enim Prophetæ in Dei nomine docuerunt, & corripuerunt populum, hoc tamen myſterium in abſcondito erat. Legem autem hoc eſt adimpleſſe, manentibus præteritis nova addere, ut puta: Audiſtis, inquit, quia dictum eſt antiquis: Oculum pro oculo: dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo: ſed ſi quis percuſſerit te ad unam maxillam, præbe illi & ſiniſtram. Hoc fuit implere. Non enim deſtruxit illam, ſed potiora addidit; non ut peccare videretur, qui vindicat, ſed ut melior ſit, qui non retribuit. *Hæc Aug.*

Tertius eſt *S. Petrus Dam. ſer. 18. de inv. S. Crucis:* Chriſtus per Crucis Sacramentum præcepta veteris inſtrumenti Evangelicæ gratiæ copulavit: & ut ita loquar, duo Teſtamenta velut unius doctrinæ corpus effecit. Et quidem primæ datæ ſunt tabulæ, ſed protinus ſunt, populo prævaricante, effractæ. Secundò verò dantur tabulæ, ſed perpetuò permanſuræ. Planè priores tabulæ priſcæ legis tenuere figuram, quæ à ſui cultus obſequio erat poſtmodùm defectura. Poſtmodùm verò dantur tabulæ, ſed non franguntur: quia novi Teſtamenti gratia, quæ per Crucis eſt ſolidata myſterium, nullum novit habere defectum. *Hæc ille.*

Quartus eſt *Sanctus Thomas 3. parte, quæſt. 40. art. 4.* dicens: Chriſtus in omnibus ſecundùm legis præcepta converſatus eſt, in cuius ſignum etiam voluit circuncidi. Circunciſio enim eſt quędam proteſtatio legis implendæ, ſecundùm illud Gal. 5. *Teſtificor omni homini*

Digitized by Google

circuncidenti ſe: quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ. Voluit autem Chriſtus ſecundùm legem converſari. Primò quidem, ut veterem legem approbaret: ſcilicet eſſe datam à Deo, quã ipſe in ſe obſervavit. Secundò. Vt ipſe in ſeipſo eam obſervando conſummaret, & terminaret, oſtendens, quòd ad ipſum erat ordinata. Tertiò. Vt Iudæis occaſionem calumniandi ſubtraheret, ne dicerent: Ideo te non recipimus, quia diſſimilis es Patribus. Quartò. Vt homines à ſervitute legis liberaret, ſecundùm illud Gal. 4. *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret. Hæc D. Thom.* Et quia hodie incepit hæc liberatio à ſervitute legis per circunciſionem Ieſu Chriſti, & ſalvatio per impoſitionem Nominis eius, ideo dicitur: Conſummati ſunt dies, ſcilicet legis ſervilis,

Conſummati ſunt dies.

Reconciliationis.
Reſtaurationis.
Renovationis.

PRIMO. *Conſummati ſunt dies reconciliationis.* Nam humana natura in Adam ita fuit corrupta, quòd omnes ab ipſo propagati corruptionem traxerunt: quia ſi maſſa fuerit corrupta, tunc quicquid inde trahitur, erit vitiatum. Quamvis autem Deus animam puram corpori infundat, tamen ex vaſe, id eſt, corpore corrumpitur, & vitiatur. Propterea Deus à principio remedia inſtituit contra peccatum originale, quibus remediis homo Deo reconciliaretur, quæ quidem fuerunt quatuor.

Primum fuit oblatio. Et iſtud remedium incepit ab Abel, & duravit uſque ad diluvium. Gen. 4 cap. *Reſpexit Deus ad Abel, & ad munera eius.*

Secundum fuit ſacrificium. Et iſtud incepit à Noe, & duravit uſque ad Abraham. Gen. 8. cap. *Aedificavit Noe altare Domino, & de mundis animalibus, & volucribus obtulit holocauſta.*

Tertium fuit decimatio. Et iſtud incepit ab Abraham, & Melchiſedech. Gen. 14. cap. *Dedit ei decimas ex omnibus.*

Quartum fuit circunciſio Gen. 17. cap. *Circuncidetur in vobis omne maſculinum.*

Hi modi reconciliandi hodie conſummati ſunt in Chriſto, dum eos in ſe ſuſcepit. Adam quidam ſatisfacere debebat, & pœnam portare, ſed non poterat; ideo Chriſtus pœnam portavit, & ſic ſatisfecit. Pſal. *Quæ non rapui, tunc exolvebam.* Hodie namque ſe ipſum obtulit oblationem, & hoſtiam Deo, offerens decimum ordinem, ſcilicet hominum, ſubiiciens ſe legi circunciſionis propter quatuor.

Primò. Vt legem impleret. Rom. 15. cap. *Dico enim Ieſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe circunciſionis, ad confirmandas promiſſiones Patrum.*

Secundò. Vt verum corpus ſe habere oſtenderet.

Tertiò. Vt Incarnationis myſterium diabolo occultaret, ne ipſum agnoſceret verum Deum, quem circuncidi videbat tanquam peccatorem.

Quartò. Vt humilitatem, & obedientiam commendaret, quibus Deo reconciliamur.

SECVNDO. *Conſummati ſunt dies reſtaurationis.* Nam homo erat excluſus à cælo, incluſus in limbo, concluſus in exilio, recluſus in diſpendio. Et quia non poterat ſe ab his liberare, conveniens erat, ut Chriſtus hodie Sanguinem ſuum effunderet in reſtaurationem naturæ humanæ. Facit enim ſicut bonus mercator, qui quando aliquid emit, non ſtatim facit plenam ſolutionem, ſed primò dat arrham in ſignum rei emptæ. Sic Chriſtus tanquam mercator, volens emere naturam humanam pretio ſui Sanguinis, hodiè effundit Sanguinem ſuum in arrham pretii, in die Paraſceves ſuper banchum Crucis, perſolvendo integraliter, &c.

Primò. Homo erat excluſus à cælo, nec poterat redire propter multa impedientia: nam porta cæli erat clauſa. Gen. 3. cap. *Collocavit Deus ante Paradiſum Cherubim.* Item obligatio ad pœnam æternam; ideo dicitur ibidem: Et *flammeam*. Item ſevera Iuſtitia; ideo dicitur ibidem: *Gladium*. Chriſtus ergo effundit Sanguinem ſuum hodiè, ut portam cæli aperiat, ut ignem gehennę extinguat, ut divinæ iuſtitiæ ſatisfaciat. *Hieronymus*. Sanguis Chriſti clavis eſt Paradiſi.

Secundò. Homo erat incluſus in limbo obſerratis portis; unde non poterat inde exire. Chriſtus hodie effundens Sanguinem ſuum, lætificavit ſanctos Patres, qui ibi detinebantur aſtricti: ſplendor quidam apud eos apparuit. Iſa. 9. cap. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.*

Tertiò. Homo erat recluſus in exilio, detentus à diabolo in ſervitute, oppreſſus multis tribulationibus. Chriſtus hodie effundens

San-

Sanguinem ſuum, confringit potentiam diaboli. Dum caro circunciditur, peccator creditur: ſed Sanguis innoxius dum effunditur, homo reſtauratur, & ſic diabolus decipitur. Etiam homo in tribulationibus ſuis conſolatur, dum pro eo pretium Sanguinis Chriſti perſolvitur: vita enim hominis eſt in ſanguine. Levi. 17.cap. *Anima carnis in ſanguine eſt*. Sed vita eſt à Deo; ideo ſanguis debet offeri Deo. Sanguis autem animalium non juſtificabat hominem à peccato; propterea oportuit, ut Sanguis Chriſti hominem juſtificaret.

Quartò. Homo erat concluſus in diſpendio: quia immundus, durus, fugitivus, & cæcus. Chriſtus autem hodie fudit Sanguinem ſuum in lavacrum noſtræ purificationis. Apo. 1. cap. *Dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo*. Ecce reſtauratio.

TERTIO. *Conſummati ſunt dies renovationis*. Nam hodie impoſitum eſt Nomen Puero nato, de quo Iſa. 62. cap. dicit: *Vocabitur tibi Nomen novum, quod os Domini nominavit*. Hoc autem Nomen exprimitur in Evangelio hodierno. *Vocatum eſt Nomen eius Ieſus*, ſcilicet ſecundùm rationem ſpiritualis, & univerſalis ſalvationis, & ſecundùm hoc dicitur novum. Hoc enim Nomen eſt verbum: quia *in principio erat Verbum*. Eſt etiam pronomen: quia ponitur pro nominibus omnium electorum. Apo. 14. cap. *Habentes Nomen eius ſcriptum in frontibus ſuis*. Eſt etiam participium: quia partem capit nominis, ſcilicet naturam hominis, non culpam: quia partem capit Verbi, ſcil. perſonam, & occultans gloriam. Eſt etiam adverbium: quia hominem aſſumptum facit ſtare iuxta Verbum divinum in eodem ſuppoſito. Eſt etiam interjectio: quia interponit ſe, ut fidelem mediatorem inter Deum, & hominem. Eſt etiam coniunctio: quia coniungit ſummum infimo, Deum limo, Verbum homini, virginitatem Matri, lapſum miſeriæ gloriæ ſummi Dei. Propter iſta hoc Nomen eſt novum.

Licèt autem hoc Nomen *Ieſus* impoſitum fuerit aliis, qui fuerunt ante hunc Puerum natum, tamen aliâ ratione. Vnde *Sanctus Thom. 3. parte q. 37. art. 2. in rubrica* dicit: Nomina ſingularium hominum ſemper imponuntur ab aliqua proprietate eius, cui nomen imponitur, & hoc quatuor modis. Vel à tempore, ſicut imponuntur nomina aliquorum Sanctorũ his, qui in eorum feſtis naſcuntur. Vel à cognatione, ſicut cùm filio imponitur nomen Patris, vel alicuius de cognatione eius: ſicut propinqui beati Ioannis Baptiſtæ voluerunt eum vocari nomine patris ſui Zachariam, non autem Ioannem: quia nullus erat in cognatione eius, qui vocaretur hoc nomine, ut dicitur *Luc.* 1. Vel ab eventu, ſicut Ioſeph vocavit primogenitum ſuum Manaſſen, dicens: *Obliviſci fecit me Deus omnium laborum meorum*, Gen. 41. Vel etiam ex aliqua qualitate eius, cui nomen imponitur, ſicut *Gen.* 25. dicitur, quòd, quia primò egreſſus de utero matris ruffus erat, & totus in morem pellis hiſpidus, vocatum eſt nomen eius Eſau, quod interpretatur rubeus. Nomina autem, quæ imponuntur divinitùs aliquibus, ſemper ſignificant aliquod gratuitum donum, eis divinitùs datum. Sicut Gen. 17. dictum eſt Abrahæ: *Appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium conſtitui te*. Et Matth. 15. dictum eſt Petro: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Quia ergo Chriſto hoc munus gratiæ collatum erat, ut per ipſum omnes ſalvarentur; ideo convenienter vocatum eſt Nomen eius Ieſus, id eſt Salvator. *Hæc S. Thom.*

Circa hoc Nomen videnda ſunt quatuor. Nempe à quo iſtud Nomen *Ieſus* fuit ei impoſitum. Quare fuit ei impoſitum. Ad quid fuit ei impoſitum. Quare fuit vocatus Chriſtus. In his ſtat omne myſterium huius Nominis.

Primò. Iſtud Nomen *Ieſus* fuit impoſitum Puero hodie circunciſo à multis, ſcilicet à Patre. Vnde in apocryphis 4. Eſdræ cap. 7. dicitur: *Revelabitur filius meus Ieſus cum his, qui cum eo ſunt, & iucundabuntur, & morietur filius meus Chriſtus, & convertetur ſeculum*, &c. A Propheta Habacuc 3. cap. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo*. Ab Angelo Lucæ p. cap. *Vocabis Nomen eius Ieſum*. A Matre Luc. 2. cap. *Vocatum eſt Nomen eius Ieſus*, &c.

Triplicem Ieſum in Scriptura legimus: ſcilicet Ieſum Nave, & iſte ſalvavit ab exilio deſerti, & diviſit terram promiſſionis, *Joſue* 10. *cap. & ſeq.* Similiter Ieſum filium Joſedec, & iſte ſalvavit: quia ædificavit templum, ubi egit ſummum Sacerdotem, *Aggæi* 1. *cap.* Item Ieſum filium Sirach, qui fuit Doctor, & Propheta.

Sed noſter *Ieſus* hodie circunciſus diviſit terram viventium, ſcilicet beatitudinem æternam. Reædificavit templum virtutis, & gra-

tiæ, ruinoſam reparando naturam humanam: qui fuit Propheta, vir potens opere, & ſermone, docens in doctrina Dei, ſicut poteſtatem habens. Et illi quidem non fuerunt veri Ieſus, ſed præmiſſi ſunt tanquam baculus Eliſei ad mortuum, unde vacui fuerunt à vera ſalute: nam baculus ſuperpoſitus fuit mortuo, & non erat vox, neque ſenſus. Deſcendit hic noſter *Ieſus*, qui ſalvum fecit populum ſuum à peccatis eorum: quia vox, & ſenſus,& vita redierunt. Nam vir iſte Propheta, potens opere, & ſermone, de excelſo monte cælorum deſcendens, quaſi alter Eliſeus de monte Carmelo, viſitare dignatus eſt hominem, inclinare dignatus eſt jacenti, contrahi, & coæquari parvulo, cæco impartiri lumen oculorum ſuorum, & os mutum oris proprii oſculo ſolvere, debileſque manus robore, & contactu ſuarum ſolidare, & flatum, qui exiverat, ſuâ reſpiratione intromittere, tribuens cordi ſentire fideliter, proferre laudem utiliter, & manu operari efficaciter. Puer autem oſcitavit ſepties: quia quinque ſenſus exteriores, & duos interiores inſpirationi Ieſu reddidit conformes, dicens: *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum*. Septies in die reddendo ſibi laudem. Verè itaque eſt *Ieſus*.

Secundò. Iſtud Nomen *Ieſus* fuit hodie impoſitum huic Puero: quia eſt præmium humanæ retributionis in ſtatu gloriæ. Hoc enim figurant ipſæ litteræ, ex quibus componitur hoc Nomen *Ieſus*: ſcilicet, I, H, S, & titulus ſuperpoſitus, quæ faciunt *Ieſus*. Nam I, ſignificat perſonam Deitatis. H, ſignificat inſpirationem ſanctitatis. S, verò ſignificat inclinationem Maieſtatis. Titulus autem ſignificat redemptionem captivitatis.

1. I, ſignificat perſonam Divinitatis: quia hæc littera I, eſt media vocalium. Sic Filius Dei eſt media Perſonarũ in Trinitate. Hæc littera I, eſt minima in forma, & maxima in facto. Sic Filius Dei minimus in forma humanitatis, & maximus in facto redemptionis. Hæc littera I, in metro eſt aliquando ſimplex vocalis, ut in hoc verbo: ibo; aliquando ſimplex conſonans, ut: Ieruſalem; aliquando duplex conſonans, ut maior, quia mediat inter duas vocales; aliquando eſt ſyllaba, ut: ibo; aliquando eſt dictio, ut in hoc imperativo: I, quod eſt, vade. Eodem modo hæc littera I, eſt caput huius Nominis *Ieſus*: quia Puer hodie circunciſus eſt Caput omnium electorum. Epheſ. 1. cap. *Dedit eum Caput ſuper omnem Eccleſiam*, ſcilicet Electorum. Item eſt media inter quinque vocales: quia eſt medius in Gentium vocatione, quæ per quinque civitates deſignantur. Iſa. 19. cap. *In die illa erunt quinque civitates in terra Aegypti, loquentes linguà Chanaan. Civitas ſolis vocabitur una*. Quaſi diceret: In die Chriſti erunt quinque civitates in mundo, ſcilicet Antiochena, Conſtantinopolitana, Alexandrina, Ieroſolymitana, & Romana (quæ vocatur civitas ſolis propter ſummum Pontificem) loquentes linguâ zeli chriſtianitatis. Hæc littera I, eſt ſyllaba in ſono prædicantis. Lucæ 4. cap. *Aliis civitatibus oportet me Evangelizare regnum Dei: quia Ideo miſſus ſum*. Dictio eſt in verbo imperantis. Matth. 8. cap. *Imperavit ventis, & mari*. Eſt vocalis per ſe ſonum faciens in gratia prædeſtinationis. Eſt ſimplex conſonans in gratia juſtificationis. Eſt duplex conſonans in ſchola fruitionis, ſcilicet animæ, & corporis. Eſt duplex conſonans in gratia mediationis, ſcilicet inter Deum, & hominem. Paulus. *Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus*. Eſt duplex conſonans in vinculo unionis. Matth. 18. cap. *Ubi ſunt duo, vel tres congregati in Nomine meo, ibi ſum In medio eorum, &c.*

2. H, ſignificat inſpirationem ſanctitatis. Eſt enim in metro, ac ſi non ſit. Sic & inſpiratio Spiritus ſancti eſt ad conceptionem Pueri circunciſi hodie, ac ſi non ſit: quia non eſt Pater Chriſti. Similiter H, eſt littera octava in alphabeto. Sic Chriſtus natus noviſſimè, Nativitatis ſuæ myſterium octavâ die Circunciſionis, quâ Ieſus vocatus eſt, conſecravit. Fidem pariter ſuæ Reſurrectionis quinque Vulnerum ſuorum oſtenſione octava die ſolidavit. Summam virtutem in octava beatitudine monſtravit. Et ſicut H, non computatur inter litteras, cùm ſit aſpiratio; ſic Chriſtus non computatur inter homines naturaliter genitos, cùm de inſpiratione Spiritus ſancti voluerit concipi. Vnde ſponſa, ſcilicet beata Virgo Cant. 6. cap. dicit: *Dilectus meus mihi*, ſcilicet de Spiritu ſancto, ſatrando,& fœcundando uterũ meum. *Et ego illi*, ſcilicet concipiendo illum de ſubſtantia carnis meæ, miniſtrando ſanguinem puriſſimum. *Qui paſcitur inter lilia*, ſcilicet caſtitatis, & integritatis corporis mei. *Donec aſpiret dies*, id eſt, per inſpirationem Spiritus ſancti formetur Chriſtus, qui eſt verus dies, & lux novi Teſtamenti. *Et inclinentur umbræ*, ſcilicet veteris Teſtamenti, ad ipſum adoran-

randum tanquam veritatem.

3. *S*, ſignificat inclinationem Maieſtatis: quia Puer hodie circunciſus rigorem iuſtitiæ inclinavit in dulcorem miſericordiæ. Hæc littera S, ſi capitalis ponatur, paulatim ſe humiliat, & quaſi ſe inclinat in hac forma: ſ. Si autem finalis ponatur, tota contrahitur, breviatur, minuitur in hac forma: s. Sic & Verbum altiſſimum abbreviatur in noſtra natura, & contrahitur totum in amore noſtro. Iere. 31. cap. *In charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miſerans.*

4. Titulus ſuprapoſitus ſignificat redemptionem captivorum per completivum amoris ſignum, cùm in Cruce clamans dixit: *Conſummatum eſt*. Propterea Ioan. 17. cap. ait: *Opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam.*

Tertiò. Iſtud Nomen *Ieſus* fuit hodie impoſitum huic Puero propter multiplicem huius Nominis effectum; ideo Cant. p. cap. dicitur: *Oleum effuſum Nomen tuum*; propter variam ſuavitatem eius.

1. Eſt enim pœnitentibus in refugiũ. Quis enim peccator non timeat Nomen divinæ potentiæ? Quis audeat ſuſtinere Dominum ultionum? Sed ecce *Ieſus* dulce refugium, in quo exinanitur Maieſtas, & duſceſcit pietas. Ipſe eſt ſpes unica ad veniam. Matth. p. cap. *Vocabis Nomen eius Ieſum: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum*. Et 1. Ioan. 2. cap. *Scribo vobis filioli: quoniam remittuntur vobis peccata propter Nomen eius*, &c.

2. Ægrotantibus in remedium. Mar. 16. cap. *In Nomine meo ſuper agros manus imponent, & ſi mortiferum quid bibent, non eis nocebit*. Super quo *Ber. ſer. 15. in Cant.* ait: Habes, ò anima mea, reconditum electuarium in vaſculo Nominis huius, quod eſt *Ieſus*, ſalutiferum certè, quod nulli unquã tuæ peſti inveniatur inefficax. Habes, anima mea, in Nomine *Ieſu*, unde actus tuos pravos corrigas, vel minus perfectos diligenter impleas. Habes unde ſenſus tuos, aut ne corrumpantur, ſerves; aut ſi corrumpantur, ſanes. Exemplum de cæco, quem illuminavit Dionyſius adhuc infidelis præſente Paulo ad Nomen *Ieſu*. *Matul. lib. 2. c. 10.*

3. Pugnantibus in præſidium. Rex enim non permittit perire civitatem, vel ſervum, invocantem nomen eius; ſic facit Puer hodie circunciſus. Pſal. *Protegam eum: quoniam cognovit Nomen meum*. Et Proverb. 18. cap. *Turris fortiſſima Nomen Domini: ad ipſum recurrit iuſtus, & exaltabitur*. Exemplum de beata Agatha, quæ invocans Nomen *Ieſu* feras immaniſſimas manſuefecit.

4. Patientibus in ſolatium. Nam Chriſtus patientes conſolatur, dicens Matth. 5. c. *Beati eſtis, cùm maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum adverſùs vos, mentientes, propter Nomen meum*, &c. Et Act. 5. cap. *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilii: quoniam digni habiti ſunt pro Nomine Ieſu contumeliam pati*.

5. Proficientibus in auxilium. Vnde Pſal. *Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ propter Nomen ſuum*. Et *Bern. loco cit.* Siquidem cum Nomine *Ieſu* hominem mihi propono mitem, humilem corde, ſobrium, benignum, caſtum, miſericordem, & omni denique honeſtate, & ſanctitate conſpicuum. Ideo ſemper in ſinu mihi ſit *Ieſus*, ſemper in manu, quo mei omnes ſenſus in ipſum dirigantur, & actus. Et Pſal. *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt: & in Nomine tuo exultabunt tota die*.

6. Deficientibus in ſubſidium, quod figuratum eſt Act. 3. cap. ubi ait Petrus illi claudo. *In Nomine Ieſu Chriſti ſurge, & ambula.* Si quis enim ſedet per pigritiam, ſanat illum *Ieſus* excitando torporem. Si quis deficit per impotentiam, ſanat illum *Ieſus* tribuendo vigorẽ. Vnde *Ber. loco cit.* Cum *Ieſum* nomino, hominem mihi propono, qui & ſuo me ſanet exemplo, & roboret adiutorio. Excitat enim torporem meum *Ieſus*, Deus, & homo, &c.

7. Confitentibus in honorem. Vnde Ioan. p. cap. dicitur. *Dedit eis poteſtatẽ filios Dei fieri, his, qui credunt in Nomine eius*. Non enim eſt modicus honor in ſortem filiorum Dei computari. *Si filii & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*, Rom. 8. cap.

8. Prædicantibus in teſtimonium. Vnde Mar. 16. cap. dicitur: *In Nomine meo dæmonia eiicient: linguis loquentur novis*. Et Pſal. *Deus docuiſti me à iuventute mea; & uſque nunc pronunciabo mirabilia tua*.

9. Memorantibus in ſuſpirium. Nihil enim ita excitat animæ deſiderium, ſicut hoc Nomen *Ieſus*. Vnde Bernardus:

Ieſu dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia,
Sed ſuper mel, & omnia
Eius dulcis præſentia.
Nil canitur ſuavius,
Auditur nil iucundius,

Nil

Nil cogitatur dulcius,
Quàm Ieſus Dei filius.

Exemplum de beato Ignatio, in cuius pectore ſcriptum erat, &c.

10. Poſtulantibus in ſuffragium. Ioan. 16. cap. *Si quid petieritis Patrem in Nomine meo, dabit vobis.* Et hoc, ſi petantur ſalutaria, & proficua ad ſalutem æternam, aliter non, &c.

11. Eſurientibus in fructum. Eſt enim non ſolùm lux animæ, ſed etiam cibus. An non toties confortaris, quoties *Ieſu* recordaris? Aridus eſt omnis cibus, niſi hoc oleo condiatur. Quid enim ita mentem cogitantis impinguat? Quid ita excitatos reparat ſenſus, virtutes roborat, vegetat mores, & caſtas fovet affectiones?

Tua Ieſu dilectio
Grata mentis refectio,
Replens ſine faſtidio,
Dans famen deſiderio,

ut ait Bernardus.

12. Pervenientibus in præmium. Vnde Pſal. *Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt Nomen tuum.* Et Apoc. 14. cap. *Vidi ſupra montem Sion Agnum ſtantem: & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes Nomen eius*, &c.

Quartò. Vocatus eſt Chriſtus. Nam hoc Nomen fuit præfiguratum ſingulariter in ſacerdotio, in regno, in prophetia, in prælio. Dicitur enim Chriſtus ab unctione, & hi quatuor ungebantur: ſcilicet Sacerdos, Rex, Propheta, Pugil. Puer noſter hodie circunciſus fuit, Propheta prædicando, Pugil patiendo, Sacerdos moriendo, Rex reſurgendo. Ideo Pſal. dicit: *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.*

Conferamus rem Nomini. Hoc enim Nomen non ſcribitur litteris latinis, ſed græcis: ſcilicet x, p, c, cum apice ſuper poſito (quod apud latinos nihil ſonat) propter excellentiã dignitatis huius Nominis: quia iſta unctio manat à pectore Dei Patris. Nam hæc littera X, gerit figuram crucis. P, indicat conflictum paſſionis. C, innuit triumphum coronationis. Apex ſuperpoſitus demonſtrat titulum ſupraſcriptionis; & ſic completur unctio, ut ſic cum Samaritana dicere poſſimus: *Scio, quia Meſſias venit, qui dicitur Chriſtus.* Hæc nanque littera x, fuit inventa Romæ tempore Octaviani Auguſti, cuius tempore natus eſt Chriſtus in mundum, ad ſignificandum, quòd ille iam noverat, qui eſſet Auctor univerſalis ſalutis, qui & Romæ erigeret vexillum ſanctæ Crucis, & ibi inſtitueret unctionem ſanctę Sedis. Hæc littera x, ſemper eſt duplex conſonans: quia regnum, & ſacerdotium ſimul in Chriſto ſignificat, & Deum, & hominem in una perſona unit. Hæc littera p, ſignificat paſſionis cõflictum in ſanctis martyribus cum Romanis Imperatoribus. Hæc littera c, diminuta, quia ſemicirculus, ſignificat dignitatem Pontificum; ſed imperfectam in hac vita, donec corona gratiæ vitæ præſentis terminetur in coronam gloriæ æternæ. Tandem titulus ſuperpoſitus deſignat pacem, datam Eccleſiæ per Conſtantinum, ad multiplicandam Religionem Ieſu Chriſti, per quem renovatæ, & fundatæ ſunt Eccleſiæ in honorem Nominis *Ieſu Chriſti*, juxta illud Pſal. *Afferte Domino gloriam Nomini eius: adorate Dominum in atrio ſancto eius.* Ad quam nos perducat Ieſus Chriſtus Salvator mundi. Amen.

SER-

Digitized by Google

SERMO SECVNDVS
IN FESTO
EPIPHANIAE DOMINI.

Vidimus ſtellam eius. Matth. 2. Cap.

ISaias Propheta 45. capite dicit: *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael, Salvator.* Super quo moveo iſtam quæſtionem.

Vtrum Ieſu Chriſti Nativitas, in ſalutem humani generis ordinata, debuerit omnibus hominibus rationabiliter eſſe manifeſta?

AAd iſtam quæſtionem reſpondent duo Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt beatus Petrus Apoſt. Act. 10. cap. dicens: *Dedit eum manifeſtum fieri, non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo.* Pertinet autem ad divinæ ſapientiæ ordinem, ut Dei dona, & ſecreta ſapientiæ eius non æqualiter ad omnes, ſed immediatè ad quoſdam perveniant, & per eos ad alios deriventur. Vnde hoc etiam debuit circa Ieſu Chriſti Nativitatem obſervari, ut non omnibus Chriſtus manifeſtaretur, ſed quibuſdam, per quos poſſet ad alios pervenire.

Secundus eſt *Sanctus Thom. 3. par. q. 36. articulo* 1. dicens: Nativitas Chriſti non debuit omnibus communiter eſſe manifeſta. Primò quidem: quia per hoc impedita fuiſſet humana redemptio, quæ per Crucem eius peracta eſt: quia ut dicitur 1. Cor. 2. *Si Cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Secundò. Quia hoc diminuiſſet meritum fidei, per quam venerat homines iuſtificare, ſecundùm illud Rom. 3. *Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti.* Si enim manifeſtis indiciis Chriſto naſcente eius Nativitas omnibus appareret, iam tolleretur ratio fidei, quæ eſt argumentum non apparentium, ut dicitur *Hebr.* 11. Tertiò, Quia per hoc veniſſet in dubium veritas humanitatis ipſius. Vnde *Auguſtinus* dicit *in epiſtola ad Volusianum:* Si nullas ex parvulo in juventutem mutaret ætates, nullos cibos, nullos caperet ſomnos; nonne opinionem confirmaret erroris, nec hominem verum ullo modo ſuſcepiſſe crederetur, & dum omnia mirabiliter facit, auferret quod miſericorditer fecit? Vnde de gratia Dei Salvatoris erudiendi erant omnes homines ad ſalutem, non in principio nativitatis eius, ſed poſtea tempore procedente, poſtquam operatus eſt ſalutem in medio terræ. Vnde poſt Paſſionem, & Reſurrectionem dixit Diſcipulis Matth. ultimo: *Euntes docete omnes gentes. Hæc S. Thomas.*

Sciendum, quòd Nativitas Chriſti quatuor generibus hominum fuit manifeſtata.

Primò. Mariæ, & Ioſeph, qui inſtruendi erant de Chriſti Nativitate, antequam naſceretur: quia ad eos pertinebat reverentiam habere Prolis conceptæ in utero, & obſequi naſcituræ. Sed quia eorum teſtimonio propter hoc, quod erat domeſticum, fuiſſet habitum ſuſpectum circa magnificentiam Chriſti; ideo oportuit, ut aliis manifeſtaretur extraneis, quorum teſtimonium ſuſpectum eſſe non poſſet. Propterea Ioſeph certificatus eſt ab Angelo Matth. 1. cap. *Ioſeph, noli timere, accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.*

Secundò, Manifeſtata eſt paſtoribus ipſo die Nativitatis Chriſti. Vt enim dicitur Luc. 2. *Erant paſtores in eadem regione vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. Et ut diſceſſerunt ab eis Angeli in cælum, loquebantur ad invicem: Tranſeamus uſque Bethlehem, & videamus hoc Verbum, quod factum eſt, quod fecit Dominus, & oſtendit nobis, & venerunt feſtinantes.*

Tertiò, Magi pervenerunt ad Chriſtum decimo tertio die Nativitatis eius, quo dies feſtum Epiphaniæ celebratur, ut eſt hodiè. Si enim revoluto anno, aut etiam duobus annis perveniſſent, non inveniſſent eum in Bethlehem; cùm ſcriptum ſit *Luc.* 2. quòd poſtquam perfecerunt omnia ſecundùm legem

Do-

Domini, ſcilicet Puerum Ieſum offerentes in templum, *Reverſi ſunt in Galilæam in ſuam civitatem Nazareth*.

Quartò. Manifeſtata eſt juſtis in templo quadrageſimo die à Nativitate, ut habetur *Luc.* 2. ſcilicet Simeoni, & Annæ Prophetis, qui etiam de illo prophetaverunt; ideo iſti omnes dicunt:

Vidimus ſtellam.

Corporalis repræſentationis.
Spiritualis revelationis.
Perſonalis Incarnationis.
Supernaturalis fruitionis.

PRIMO. *Nos Magi vidimus ſtellam corporalis repræſentationis*. Vnde *Sanctus Thomas* 3. *par. q.* 36. *artic.* 5. Sicut manifeſtatio ſyllogiſtica fit per ea, quæ ſunt magis nota ei, cui eſt aliquid manifeſtandum; ita manifeſtatio, quæ fit per ſigna, debet fieri per ea, quæ ſunt familiaria illis, quibus manifeſtatur. Manifeſtum eſt autem, quòd viris iuſtis eſt familiare, & conſuetum interiori Spiritus ſancti edoceri inſtinctu, abſque ſignorum ſenſibilium demonſtratione, ſcilicet per ſpiritum prophetiæ. Alii verò corporalibus rebus dediti per ſenſibilia ad intelligibilia deducuntur. Iudæi tamen conſueti erant, divina reſponſa per Angelos accipere, per quos etiam legem acceperãt, ſecundùm illud Act. 7. *Accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum*. Gentiles verò, & maximè Aſtrologi conſueti ſunt ſtellarum curſus inſpicere; & ideo iuſtis, ſcilicet Simeoni, & Annæ manifeſtata eſt Chriſti Nativitas per interiorem inſtinctum Spiritus ſancti, ſecundùm illud Luc. 2. *Reſponſum accepit Simeon à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi priùs videret Chriſtum Domini*. Paſtoribus autem, & Magis, tanquam rebus corporalibus deditis, manifeſtata eſt Chriſti Nativitas per apparitiones viſibiles. Et quia Nativitas non erat purè terrena, ſed quodammodo cæleſtis; ideo per ſigna cæleſtia utriſque Nativitas Chriſti manifeſtatur. Vt enim *Auguſtin.* dicit *in ſerm. de Epiphania*: Cælos Angeli habitant, & ſidera ornant. Vtriſque ergo cæli enarrant gloriam Dei. Rationabiliter autem paſtoribus tanquam Iudæis, apud quos frequenter factæ ſunt apparitiones Angelorum, revelata eſt Nativitas Chriſti per Angelos. Magis autem, aſſuetis in conſideratione cæleſtium corporum, manifeſtata eſt per ſignum ſtellæ: quia ut *Chryſoſtomus* dicit: Per conſueta eos Dominus vocare voluit, eis condeſcendens. Secunda ratio eſt: quia, ut *Gregor.* dicit: Iudæis tanquam ratione utentibus rationale animal, id eſt, Angelus prædicare debuit. Gentiles verò, qui uti ratione neſciebant, ad cognoſcendum Dominum, non per vocem, ſed per ſigna perducuntur. Et ſicut Dominum jam loquentem annunciaverunt Gentilibus prædicatores loquentes; ita eum nondum loquentem elementa muta prædicaverunt. Tertia ratio eſt: quia, ut *Auguſt.* dicit *in ſermone Epiphaniæ*: Abrahæ innumerabilis erat promiſſa ſucceſſio, non carnis ſemine, ſed fidei fœcunditate generanda; & ideo ſtellarum multitudini eſt comparata, ut cæleſtis progenies ſperaretur. Et ideo Gentiles, in ſideribus deſignati, ortu novi ſideris excitantur, ut perveniant ad Chriſtum, per quem efficiuntur ſemen Abrahæ. Quarta ratio eſt: quia, ſicut dicitur *in lib. quæſt. novi, & veteris Teſt.* Magi illi ſequebantur traditionem Balaam, qui dixit Numeri 24. *Orietur ſtella ex Iacob*. Vnde videntes ſtellam extrà ordinem mundi, hanc eſſe intellexerunt, quam Balaam futuram indicem Regis Iudæorum prophetaverat. *Hæc S. Tho.* Et ſic patet ratio, quare Chriſtus voluit manifeſtare ſuam Nativitatem Magis per ſtellam. Circa quam videnda ſunt quatuor: nempe eiuſdem materia, forma, efficientia, & finis.

Quantùm ad materiam huius ſtellæ, ſciendum, quòd hæc ſtella, quæ Magis apparuit, non fuit una de cæleſtibus ſtellis ab initio creatis. Vnde *Auguſtinus lib.* 1. *contra Fauſtum* dicit: Non ex illis erat ſtellis, quæ ab initio creaturæ itinerum ſuorum ordinem ſub Creatoris lege cuſtodiunt, ſed novo Virginis partu novum ſidus apparuit. Et *Sanctus Tho.* 3. *par. q.* 36. *artic.* 7. dicit: Sicut *Chryſoſtomus* dicit *ſuper Matth.* quòd illa ſtella, quæ Magis apparuit, non fuerit una cæleſtium ſtellarum, multipliciter manifeſtum eſt. 1. Quia nulla alia ſtellarum hac viâ incedit; hæc enim ſtella ferebatur à Septentrione in Meridiem: ita enim jacet Iudæa ad Perſidem, unde Magi venerunt. 2. Apparet hoc ex tempore. Non ſolùm enim apparebat in nocte, ſed etiam in media die, quod non eſt virtutis ſtellæ, ſed nec etiam lunæ. 3. Quia quandoque apparebat, & quandoque occultabatur. Cùm enim intraverunt Ieroſolymam, occultavit ſeipſam. Deinde ubi Herodem reliquerunt, monſtravit

ſeip-

ſeipſam. 4. Quia non habebat continuum motum, ſed cùm oportebat ire Magos, ibat; quando autem oportebat eos ſtare, ſtabat; ſicut & de columna nubis erat in deſerto. 5. Quia non ſurſum manens partum Virginis demonſtrabat, ſed deorſum deſcendens hoc faciebat. Dicitur enim Matth. 2. quòd *ſtella, quam viderant Magi in Oriente, antecedebat eos, uſque dum veniens ſtaret ſupra, ubi erat Puer*. Ex quo patet, quòd verbum Magorum dicentium: *Vidimus ſtellam eius in Oriente*, non eſt ſic intelligendum, quaſi ipſis in Oriente poſitis ſtella apparuerit exiſtens in terra Iuda; ſed quia viderunt eam in Oriente exiſtentem, & præceſſit eos uſque in Iudæam, quamvis hoc à quibuſdam ſub dubio relinquatur. Non autem potuiſſet diſtinctè domum demonſtrare, niſi eſſet terræ vicina. Et ſicut ipſe *Chryſoſtomus* dicit: Hoc non videtur proprium eſſe ſtellæ, ſed virtutis cuiuſdam rationalis. Vnde videtur, hæc ſtella virtutis inviſibilis fuiſſe in talem apparentiam transformata. Vnde quidam dicunt, quòd ſicut Spiritus ſanctus deſcendit ſuper Dominum baptizatum in ſpecie columbæ, ita apparuit Magis in ſpecie ſtellæ. Alii verò dicunt, quòd Angelus, qui apparuit paſtoribus in ſpecie humana, apparuit Magis in ſpecie ſtellæ. Probabiliùs tamen videtur, quòd fuerit ſtella de novo creata non in cælo, ſed in aere vicino terræ, quæ ſecundùm Dei voluntatem movebatur. Vnde *Leo Papa* dicit *in ſermone Epiphaniæ*: Tribus Magis in regione Orientis ſtella novæ claritatis apparuit, quæ illuſtrior ceteris, pulchriorque ſideribus, in ſe intuentium oculos animoſque converteret, ut confeſtim adverteretur, non eſſe otioſum, quod tam inſolitum videbatur. *Hucuſque Sanctus Thomas*.

Quantum ad formam *S. Tho. eadem q. art. 5. ad 4.* dicit: Sicut *Cryſoſtomus* refert, in quibuſdam ſcripturis apocryphis legitur, quòd quædam gens in extremo Orientis juxta Oceanũ, quandam ſcripturam habebat ex nomine Seth, & de hac ſtella, & muneribus huiuſmodi offerendis; quæ gens diligenter obſervabat huius ſtellæ exortum, poſitis exploratoribus duodecim, qui certis temporibus de nocte aſcendebant in montem, in quo poſtmodum viderunt eam, habentem in ſe quaſi Parvuli formam, & ſuper ſe ſimilitudinem crucis. *Hæc S. Thomas*.

Quantum ad efficientiam iſtius ſtellæ, ſciendum, quòd, ut *Sanctus Thom. 3. par. q. 36. artic. 5. ad 3.* dicit: Stella, quæ Chriſti Nativitatem manifeſtavit, omnem occaſionem erroris ſubtraxit. Vt enim *Auguſtinus* dicit *contra Fauſtum*: Nulli Aſtrologi ita conſtituerunt naſcentium hominum fata ſub ſtellis, ut aliquam ſtellarum, homine aliquo nato, circuitus ſui ordinem reliquiſſe, & ad eum, qui natus eſt, perrexiſſe aſſererent, ſicut accidit circa ſtellam, quæ demonſtravit Nativitatem Chriſti. Et ideo per hoc non confirmatur error eorum, qui ſortem naſcentium hominum aſtrorum ordini colligari arbitrantur; nõ autẽ credunt aſtrorum ordinem ad hominis nativitatem poſſe mutari. Similiter etiam ut *Chryſoſtomus* dicit: Non eſt hoc Aſtronomiæ opus, à ſtellis ſcire eos, qui naſcuntur, ſed ab hora nativitatis futura prædicere. Magi autem tempus Nativitatis non cognoverunt, ut hinc ſumentes initium, à ſtellarum motu futura cognoſcerent, ſed potiùs econverſo. Et ſicut *Auguſtinus* dicit *in ſerm. Epiphania*: Magi ab Angelis aliqua monitione revelationis audierunt, quòd ſtella Chriſtum natum ſignificaret; & probabile videtur, quòd à bonis, quando in Chriſto adorando ſalus eorum iam quærebatur. *Hæc S. Thom.* Et ſic ſtella illa nihil in Chriſto effecit, ſed Magorum corda perdocuit tanquam veritatis index, quod ad illuminationem fidei eorum pertinebat, &c.

Quantum ad finem *Sanctus Thom. 3. par. q. 36. artic. 8.* dicit: Magi ſunt primitiæ Gentium in Chriſtum credentium, in quibus apparuit ſicut in quodam præſagio fides, & devotio Gentiũ, venientium à remotis ad Chriſtum. Et ideo ſicut devotio, & fides Gentium eſt abſque errore per inſpirationem Spiritus ſancti; ita etiam credendum eſt, Magos à Spiritu ſancto inſpiratos, ſapienter Chriſto reverentiam exhibuiſſe. Et ſicut *Chryſoſtomus ſuper Matth.* dicit: Si Magi Regem terrenum quærentes veniſſent, fuiſſent confuſi: quia tanti itineris laborem ſine cauſa ſuſcepiſſent; unde nec adoraſſent, nec munera obtuliſſent. Nunc autem quia cæleſtem Regem quærebant, etſi nihil regalis excellentiæ in eo viderunt, tamen ſolius ſtellæ teſtimonio contenti eum adoraverunt. Vident enim hominem, & agnoſcunt Deum, & offerunt munera dignitati Chriſti congruentia. Aurum quidem, quaſi Regi magno. Thus, quod in Dei ſacrificio ponitur, immolatur ut Deo. Myrrha, quâ mortuorum corpora condiuntur, præbetur tanquam pro

ſalute omniſi morituro. Et ut *Gregorius* dicit: Inſtruimur, ut nato Regi aurum, per quod ſignificatur ſapientia, offeramus in conſpectu eius lumine ſapientiæ ſplendentes. Thus autē, per quod exprimitur orationis devotio, offerimus Deo, ſi per orationum ſtudia Deo redolere valeamus. Myrrham, quæ ſignificat mortificationem carnis, offerimus, ſi carnis vitia per abſtinentiam mortificemus. Et ſicut *Auguſtinus* dicit *in ſermone Epiphaniæ*: Cum multi Reges Iudæorum nati fuiſſent, atque defuncti, nullum eorum Magi adorandum quæſierunt. Non itaque Regi Iudæorum, quales illic eſſe ſolebant, hunc tam magnum honorem longinqui, alienigenæ, & ab eodem regno prorſus extranei, à ſe deberi arbitrabantur; ſed talem natum eſſe didicerunt, in quo adorando ſe ſalutem, quæ ſecundùm Deum eſt, conſecuturos minimè dubitaverunt. *Hæc S. Thom.*

SECVNDO, *Nos Magi vidimus ſtellam ſpiritualis revelationis, id eſt, fidei in cordibus noſtris de Divinitate, & humanitate iſtius Pueri.* Sciendum, quòd diabolus volens ſeducere mentes iſtorum Magorum, ne crederent, quòd ſit verus Deus, & Meſſias promiſſus in lege, adducit decem rationes valde apparentes, quibus reſpondent Magi, ut patebit.

Prima ratio eſt. Iſte Puer generandus annunciatur fœminæ; ergo eſt homo, & non Deus. Patet conſequentia: quia Iſaac, Samſon, Ioannes Baptiſta annunciantur matribus, & patribus eorum, qui tamen non fuerunt, niſi homines.

Reſpōdent Magi, & dicunt; Verum eſt, quòd iſte Puer annunciatur fœminæ, ſed Virgini. Vnde Iſa. 7. cap. dicit: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Id eſt, nobiſcum Deus. Et Ezech. 44. cap. *Vidi portam in domo Domini clauſam.* Et Dan. 2. cap. *Lapis abſciſſus eſt de monte ſine manibus.* Et Malach. 3. cap. *Statim veniet ad templum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Teſtamenti, quem vos vultis.* Conveniens enim fuit, ut Virgini per Angelum annunciaretur conceptio Salvatoris, ut redderet mentem eius attentam ad tantæ rei conſiderationem; quòd quidem fecit, eam ſalutando quadam nova, & inſolita ſalutatione. Vnde *Origenes hom. 6. in Luc.* dicit, quòd ſi ſciviſſet ad alium quempiam ſimilem factum eſſe ſermonem (utpote quæ habebat legis ſcientiam) nunquam eam quaſi peregrina talis ſalutatio terruiſſet. In qua quidem ſalutatione præmiſit idoneitatem eius ad conceptum in eo, quod dixit: *Gratia plena.* Expreſſit conceptum in eo, quod dixit: *Dominus tecum.* Et prænunciavit honorē conſequentem, cùm dixit: *Benedicta tu in mulieribus.*

Secunda ratio eſt. Iſte puer concipitur in utero fœminæ; ergo eſt homo, & non Deus. Patet conſequentia: quia Deus, cùm ſit infinitus, omnia implet, juxta illud propheticum: *Cælum, & terram ego impleo.* Ergo non poteſt claudi fœminæ utero.

Reſpondent Magi, & dicunt; Concipitur convenienter in utero fœminæ; quia, ut *Auguſtinus* dicit *lib. 23. contra Fauſtum* (qui hac obiectione utebatur;) Non planè, inquit, catholica fides, quæ Chriſtum Dei Filium natum ſecundùm carnem credit ex Virgine, ullo modo eundem Dei Filium ſic in utero mulieris includit, quaſi extra non ſit, quaſi cæli, & terræ adminiſtrationem deſeruerit, quaſi à Patre receſſerit. Sed vos Manichæi corde illo, quo nihil poteſtis niſi corporalia phantaſmata cogitare, iſta omnino non capitis. Vt enim dicitur *in epiſtola ad Voluſianum*; Hominum iſte ſenſus eſt, nihil niſi corpora valētium cogitare, quorum nullum poteſt ubique eſſe totum: quoniam per innumerabiles partes aliud alibi habeat neceſſe eſt. Longè alia eſt natura animæ, quā corporis; quātò magis Dei, qui Creator eſt animæ, & corporis, & novit ubique totus eſſe, & nullo contineri loco. Novit venire, non recedendo ubi erat; novit abire, non deſerendo quò venerat. Vnde non eſt facta mutatio in Deo, ſed in homine aſſumpto; ſicut patet de ſole in nube, ubi nulla eſt mutatio ex parte ſolis, ſed ex parte aeris lumen deferentis, &c.

Tertia ratio eſt. Iſte puer naſcitur, & parturitur ex fœmina; ergo eſt homo, & non Deus. Patet conſequentia; quia ſicut mors hominum ſubſecuta eſt ex peccato primorum parentum, ſecundùm illud Gen. 2. *Quacunque die comederitis ex eo, morte moriemini*; ita etiam dolor partus, ſecundùm illud Gen. 3. *In dolore paries filios.* Sed hoc non convenit Deo.

Reſpondent Magi & dicunt; Iſte puer ſine dolore Matris naſcitur: quia dolor partus conſequitur in muliere commixtionem virilem. Vnde Gen. 3. poſtquam dictum eſt; *In dolore paries*, ſubditur: *Sub viri poteſtate eris.* Et ſicut dicit *Auguſtinus in ſermone de Aſſumptione Beatæ Virginis:* Ab hac ſententia excipitur

tur Virgo Mater Dei, quæ, quia ſine peccati colluvione, & ſine virilis admixtionis detrimento Chriſtum ſuſcepit, ſine dolore genuit, & ſine integritatis violatione, pudore virginitatis integra permanſit. Fuit enim ibi maxima jucunditas: quia homo Deus natus eſt in mundo, ſecundùm illud Iſa. 35. *Germinans germinabit ſicut lilium: & exultabit latabunda, & laudans.*

Quarta ratio eſt. Iſte puer naſcitur in Bethlehem civitate parva; ergo eſt homo, & non Deus. Patet conſequentia: quia Iſa. 2. dicitur: *De Sion exibit lex, & Verbum Domini de Ieruſalem.* Si iſte puer eſſet Deus; ergo in Ieruſalem debuiſſet naſci.

Reſpondent Magi, & dicunt: Ideo Doctores legis, cùm eos interrogaviſſemus de loco Nativitatis eius, dixerunt, quòd in Bethlehem naſci debebat: quia factus eſt ex ſemine David ſecundùm carnem, cui fuerat facta repromiſſio ſpecialis de Chriſto, ſecundùm illud 2. Reg. 23. *Dixit vir, cui conſtitutum eſt de Chriſto Dei Iacob.* Et ideo in Bethlehem, de qua natus fuit David, naſci voluit, ut ex ipſo loco Nativitatis promiſſio facta impleta oſtenderetur. Etiam Michææ 5. dicitur: *Tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui erit Dominator in Iſrael; & egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis.* Vbi tranſlatio Chaldaica habet: Ex te egredietur Meſſias.

Quinta ratio eſt. Iſte puer naſcitur plorando; ergo eſt homo, & non Deus. Patet conſequentia. Sap. 7. cap. *Similem vocem omnibus emiſit plorans.*

Reſpondent Magi, & dicunt; Iſte ploratus congruit fini Incarnationis; quia ad hoc Filius Dei carne aſſumpta venit in mundum, ut pro peccato humani generis ſatisfaceret. Vnus autem pro peccatis alterius ſatisfacit, dum pœnã peccato alterius debitam in ſeipsũ ſuſcipit. Ploratus autem eſt pœna peccati, quod eſt in mundum per Adam introductum; unde conveniens fuit quantùm ad finem Incarnationis, quòd huiuſmodi pœnalitates in noſtra carne ſuſciperet vice noſtra, ſecundùm illud Iſaiæ 53. *Verè languores noſtros ipſe tulit.*

Sexta ratio eſt. Iſte puer involvitur pannis; ergo eſt homo, & non Deus. Patet conſeq. Luc. 2. cap. *Invenietis infantem pannis involutum.*

Reſpondent Magi, & dicunt illud *Maximi in ſermone de Nativitate Domini*: Si tibi ſenſuum tuorum fragilitate minus dignum videtur, Filium Dei de fœmina natum credere, Virginem cogita peperiſſe. Si tibi panni, quibus involutus eſt, fortaſſe vileſcunt, Angelos collaudantes, multitudinem cæleſtis exercitus admirare. Et Iſa. 60. dicitur; *Surge illuminare Ieruſalem; quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt.*

Septima ratio eſt. Iſte puer naſcitur inter animalia; ergo eſt homo, & non Deus. Patet conſequentia; quia dicitur: *In medio duorum animalium cognoſceris?*

Reſpondent Magi, & dicunt: Iſa. 1. cap. dixit; *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui.* Per hoc aſtruitur fides Incarnationis in Iudæis, deſignatis per bovem, ut patet in paſtoribus; & in Gentilibus deſignatis per aſinum, ut patet in nobis Magis. Vnde hunc credimus veram animam, & veram carnem habuiſſe, & non phãtaſticam. Per bovem enim deſignatur maturitas diſcretionis, quæ fuit perfectiſſima in anima Chriſti; per aſinum deſignatur auſteritas oneris, quæ fuit in corpore eius.

Octava ratio eſt. Iſte puer naſcitur in diverſorio, & in præſepio; ergo eſt homo, & non Deus. Patet conſeq. Luc. 2. *Reclinavit eum in præſepio: quia non erat ei locus in diverſorio.*

Reſpondent Magi, & dicunt illud *Maximi in ſermone de Nativitate Domini*: Si præſepe, in quo infans jacuit, deſpicis; erige pauliſper oculos, & novam in cælo ſtellam proteſtante mundo Nativitatem Dominicam contuere. Si credis vilia; crede mirifica. Si de his, quæ humilitatis ſunt diſputas, quæ alta ſunt, & cæleſtia, venerare. Et Iſa. 60. dicit: *Et ambulabunt gentes in lumine tuo: & Reges in ſplendore ortus tui.*

Nona ratio eſt. Iſte puer vocatur nomine humano, quia Ieſus; ergo eſt homo, & non Deus. Patet conſequentia; quia Iud. 13. cap. dicitur; *Cur quaris Nomen meum, quod eſt mirabile?*

Reſpondent Magi, & dicunt illud Iſa. 52. cap. *Propter hoc ſciet populus meus Nomen meum in die illa: quia ego ipſe, qui loquebar, ecce adſum.* Multa etiam dicta ſunt de hoc Nomine Ieſus in ſermone de Circunciſione.

Decima ratio eſt. Vos Magi offertis myrrham huic Puero; ergo eſt homo, & non Deus. Patet conſequentia; quia myrrha præſervat à corruptione.

Reſpondent Magi, & dicunt: Prophetæ

prænunciaverunt hunc Puerum eſſe Deum, & hominem ex noſtris muneribus. Nam David in Pſal. dicit: *Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent: Reges Arabum, & Saba dona adducent, & adorabunt eum.* Et Iſa. 60. cap. dicit: *Omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes*, &c.

TERTIO. *Nos Magi vidimus ſtellam perſonalis Incarnationis.* Sicut enim *Chryſoſtomus hom. 2. in Matth.* dicit: Ab Oriente venerunt Magi: quia unde dies naſcitur, inde initium fidei proceſſit: quia fides lumen eſt animarum, vel quia omnes, qui ad Chriſtum veniunt, ab ipſo, & per ipſum veniunt. Vnde dicitur Zach. 6. *Ecce vir oriens Nomen eius.* Dicuntur autem ab Oriente ad litteram veniſſe: vel quia de ultimis Orientis partibus venerunt ſecundùm quoſdam, vel quia de aliquibus vicinis partibus Iudææ venerunt, quæ tamen ſunt regioni Iudæorum ad Orientem. Cùm autem Chriſto nato ſtella apparuit, eâ viſâ ſtatim Magi iter arripientes, longiſſimum iter in tredecim diebus peregerunt: partim quidem adducti divina virtute, partim autem dromedariorum velocitate, ſecundùm illud Iſa. 60. cap. *Inundatio camelorum operiet te: dromedarii Madian*, &c. Viſâ autem hâc ſtellâ pervenientes Ieruſalem quæſierunt ſtellam incarnatam, ſcilicet Ieſum Chriſtum, qui dicit Apoc. ultimo cap. *Ego ſum radix, & genus David, ſtella ſplendida, & matutina.*

Ab hac ſtella procedunt quatuor radii, ut dicit Paulus 1. Cor. 1. cap. *Factus eſt nobis Chriſtus à Deo ſapientia, & iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio.* A ſapientia procedit radius illuſtrans, à iuſtitia radius informans, à ſanctificatione radius purgans, à redemptione radius liberans.

Perquirentes autem hanc ſtellam, ſcilicet Chriſtum, Herodes Rex turbatus eſt. Et valdè convenienter, propter tria.

Primò quidem: quia per hoc manifeſtatur cæleſtis Chriſti dignitas. Vnde *Greg. in hom.* Cæli Rege nato Rex terræ turbatus eſt; quia nimirum terrena altitudo confunditur, cùm celſitudo cæleſtis aperitur.

Secundò. Quia per hoc figuratur iudiciaria Chriſti poteſtas. Vnde *Auguſtinus in ſermone de Epiphania*: Quid erit tribunal iudicantis, quando ſuperbos Reges cuna terrebat infantis?

Tertiò. Quia per hoc figuratur deiectio regni diaboli: quia, ut dicit *Leo Papa in ſermone Epiphaniæ*: Non tantum Herodes in ſemetipſo turbabatur, quantum diabolus in Herode. Herodes enim terrenum hominem æſtimabat, ſed diabolus Deum, & uterque regni ſui ſucceſſorem timebat; diabolus cæleſtem, ſed Herodes terrenum; ſuperfluè tamen: quia Chriſtus non venerat regnum in terra habere, ut *Leo Papa* dicit Herodi loquens: Non capit Chriſtum regia tua. Nec mundi Dominus poteſtatis tuæ ſceptri eſt cõtẽtus anguſtiis.) Etiã & omnis Ieroſolyma turbabatur, quæ tamen magis gaudere debuerat. Et hoc eſt, quia ut *Chryſoſtomus* dicit: De adventu iuſti non poterant gaudere iniqui, aut volentes favere Herodi, quem timebant; populus enim plus iuſtò favet eis, quos crudeles ſuſtinet.

Et propter hanc turbationem (ut dicit *Auguſtinus in quodam ſermone Innocentium*; quid timebat, ne Puer, cui ſidera famulantur, ſpeciem ſuam paulò ſupra ætatem, vel infra transformaret) non ſtatim recedentibus Magis, ſed poſt bienniũ interfecit pueros; vel quia interim accuſatus ivit Romam; vel aliquorum peticulorum terroribus agitatus à cura interficiendi Puerum interim deſtitit; vel quia credidit, Magos fallacis ſtellæ viſione deceptos, poſtquam non invenerunt, quem quæſiverunt, erubuiſſe ad ſe redire.

Licèt autem pueri ſint interfecti ab Herode, tamen non ceſſit in eorum detrimentum, ſed in eorum profectum. Dicit enim *Auguſtinus in ſermone quodam de Epiphania*: Abſit, ut de illorum præmio, qui pro eo interficiuntur, ad liberandos homines Chriſtus veniens nihil egerit, qui pendens in ligno pro eis, à quibus interficiebatur, oravit. Et ut *Sanctus Thom. ſecunda ſecundæ q. 124. art. 1. ad 1.* dicit: Quidam dixerunt, quòd in Innocentibus acceleratus eſt miraculosè uſus liberi arbitrii, ita quòd etiam voluntariè martyrium paſſi ſunt. Sed quia hoc per auctoritatem Scripturæ non comprobatur, melius dicendum eſt, quòd martyrii gloriam, quam in aliis propria voluntas meretur, illi parvuli occiſi per Dei gratiam ſunt aſſecuti: nam effuſio ſanguinis propter Chriſtum vicem gerit baptiſmi. Vnde ſicut pueris baptizatis per gratiam baptiſmalem meritum Chriſti operatur ad gloriam obtinendam; ita in occiſis propter Chriſtum meritum martyrii Chriſti operatur ad palmam martyrii conſequendam. Vnde *Auguſtinus in quodam ſermone de Epiphania*, quaſi eos alloquens, dicit: Ille de vera corona dubitabit in paſſione pro Chriſto, qui etiam parvulis ba-

baptiſmum prodeſſe non æſtimat Chriſti. Non habebatis ætatem, quâ in paſſurum Chriſtum erederitis, ſed habebatis carnem, in qua pro Chriſto paſſuro paſſionem ſuſtineretis. *Hactenus S. Thom.*

QVARTO. *Nos Magi vidimus ſtellam ſupernaturalis fruitionis.* Nam Angelo duce redierunt per aliam viam. Et reverſi in regionem ſuam, edocti ſunt per frequentes apparitiones Angelorum. Tandem baptizati à B. Thoma Apoſtolo ſecundùm fidem Chriſti vixerunt, donec beato fine in pace quieverunt, quorum animæ in cælo intuitivè, & beatificè vident ſtellam Divinitatis. Amen.

SERMO TERTIVS
IN FESTO
RESVRRECTIONIS DOMINI.

Viderunt iuvenem ſedentem in dextris. Marc. ult. cap.

ACtor. 10. cap. dicitur; *Hunc Deus ſuſcitavit tertia die, & dedit eum manifeſtum fieri, non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo.* Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtrum Chriſtus reſurgens virtuosè, reſurrexerit etiam gloriosè?

AD iſtam quæſtionem reſpondent duo Doctores novi Teſtamenti. Primus eſt Paulus Phil. 3. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ,* &c.

Secundus eſt *Sanctus Thom. tertia parte q. 54. art. 3.* dicens: Corpus Chriſti in Reſurrectione fuit glorioſum, & hoc apparet triplici ratione. Primò quidem: quia Reſurrectio Chriſti fuit exemplar, & cauſa noſtræ reſurrectionis, ut habetur 1. *Cor.* 15. Sancti autē in reſurrectione habebunt corpora glorioſa, ſicut dicitur ibidem: *Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria.* Vnde cùm cauſa ſit potior cauſato, & exemplar exemplato; multò magis corpus Chriſti fuit glorioſum in Reſurrectione. Qui enim eſt cauſa ſalutis aliorū, etiā ipſe debet ſalutē conſequi, ſicut legitur de Rahab meretrice, *Joſue 6. cap.* Et de obſtetricibus Iudæorum in Ægypto, *Exo. 1. cap.* Secundò. Quia per humilitatem Paſſionis meruit gloriam Reſurrectionis. Vnde & ipſe dicebat Io. 12. cap. *Nunc anima mea turbata eſt;* quod pertinet ad Paſſionem. Et poſtea ſubdidit: *Pater clarifica Filium tuum.* In quo petiit gloriam Reſurrectionis. Vnde oportet humilem exaltari. Iob 11. *Cùm te conſumptū putaveris, ut Lucifer orieris.* Vt patet de Ioſeph, qui venditus, & humiliatus in compedibus, ſubitò factus eſt Rex Ægypti, & fratrum liberator, &c. Tertiò. Quia à principio ſuæ conceptionis Anima Chriſti fuit glorioſa per fruitionē Divinitatis perfectam. Eſt autem diſpenſativè factum, ut ab Anima gloria non redundaret in corpus, ſcilicet ad hoc, quòd myſterium noſtræ redemptionis ſua Paſſione impleret. Et ideo peracto hoc myſterio Paſſionis, & mortis Chriſti, Anima Chriſti ſtatim in corpus in Reſurrectione reſumptum ſuam gloriam derivavit, & ita factum eſt corpus illud glorioſum. *Hac S. Thom.*

Sciendum, quòd Reſurrectio Chriſti fuit glorioſa quantùm ad quatuor.

Primò. Quia Chriſtus immortalis reſurrexit. Cùm enim reſurrectio ſit reparatio â morte in vitam, perfecta reſurrectio eſt, quando aliquis eripitur non ſolùm à morte, ſed etiā à neceſſitate, & poſſibilitate moriendi; & ſic Chriſtus reſurgendo pervenit ad vitam penitus immortalem, ſecundùm illud Rom. 6. *Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.*

Secundò. Quia Chriſtus Reſurrectionem ſuam cauſavit. Io: 10. cap. *Nemo tollit animam meam: ſed ego pono eam, & iterum ſumo eam.* Naturalis ordo rerum divinitùs inſcitutus hoc habet, ut quælibet cauſa primò operetur in id, quod eſt ſibi propinquum, & per id operetur in alia magis remota. Sicut ignis primò ca-

le-

Digitized by Google

lefacit aerem propinquum, per quem calefacit corpora diſtincta. Et ipſe Deus illuminat primò ſubſtantias ſibi propinquas, per quas illuminat magis remotas, ut *Dionyſius* dicit 13. *cap. celeſtis Hierarchiæ*. Et ideo Verbum Dei priùs attribuit vitam immortalẽ corpori ſibi naturaliter unito, & per ipſum operatur reſurrectionem in omnibus aliis.

Tertiò. Quia Reſurrectio Chriſti eſt exemplar reſurrectionis ſolùm iuſtorum. Primordialis enim cauſa reſurrectionis humanæ eſt divina iuſtitia, ex qua Chriſtus habet poteſtatem iudicium facere, quia filius hominis eſt; & ideo virtus effectiva Reſurrectionis eius ſe extendit non ſolùm ad bonos, ſed etiam ad malos, qui ſunt eius iudicio ſubiecti. Sicut autem Reſurrectio Chriſti, ex eo quòd corpus illud eſt perſonaliter Verbo unitum, eſt prima tempore, ita etiam eſt prima dignitate, & perfectione, ut *Glo. dicit* 1. *Cor.* 15. Semper autem id, quod eſt perfectiſſimum, eſt exemplar, quod imitantur minus perfecta ſecundùm ſuum modum; & ideo Reſurrectio Chriſti eſt cauſa exemplaris reſurrectionis illorum, quos oportet illi Reſurrectioni conformari, quæ conformitas eſt ſolùm iuſtorum, qui ſunt conformes filiationi Chriſti, ut dicitur *Rom.* 8. *cap.*

Quartò. Quia Reſurrectio Chriſti eſt cauſa reſurrectionis animarum. Nam Reſurrectio Chriſti agit in virtute Divinitatis, quæ quidem ſe extendit non ſolùm ad reſurrectionem corporum, ſed etiam ad reſurrectionem animarum. A Deo enim eſt, & quòd anima vivit per gratiã, & quòd corpus vivit per animã; & ideo Reſurrectio Chriſti habet inſtrumentaliter virtutem effectivam non ſolùm reſpectu reſurrectionis corporum, ſed etiam reſpectu reſurrectionis animarum. Similiter autem habet rationem exemplaritatis reſpectu reſurrectionis animarum: quia Chriſto reſurgenti debemus etiam ſecundùm animam conformari, ut ſicut ſecundùm Apoſtolum Ro. 6. cap. *Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in novitate vitæ ambulemus*. Et ſicut ipſe *reſurgens ex mortuis iam non moritur*; ita & nos exiſtimemus mortuos nos eſſe peccato, ut in æternum vivamus cum illo. Et Rom. 4. dicitur: *Reſurrexit propter iuſtificationem noſtram*. Quod quidem apparuit hodie in devota, & ſyncera fideliũ communione, in quo viderũt juvenem, id eſt, Chriſtum; ſedentem, id eſt, reſurgere; in dextris, id eſt, ad gloriam.

Iuvenem ſedentem in dextris viderunt

Virtutes:	Sancti.	Diſcipuli.
Angeli.	Mortui.	Iudæi.
Patriarchæ.	Gentiles.	Luminaria.
Prophetæ.	Mulieres.	Mixta.

PRIMO. *Iuvenem ſedentem in dextris viderunt virtutes*. Virtutes fuerunt quatuor, euntes ad Deum Patrem, & petentes ab eo, ut Chriſtus reſurgeret à mortuis tertia die. Cumque foret diſceptatio, quæ illarum prior accederet, dixerunt illud Pſal. *Iuſtitia ante eum ambulabit, & ponet in via greſſus ſuos*.

Primò acceſſit *Iuſtitia* dicens: Ad commendationem divinæ iuſtitiæ pertinet exaltare illos, qui ſe propter Deum humiliant. 1. Petri 5. cap. *Humiliamini ſub potenti manu Dei: ut vos exaltet in tempore viſitationis*. Sed Chriſtus propter charitatem, & obedientiam Dei ſe humiliavit uſque ad mortem Crucis, ut dicitur *Phil.* 2. *cap.* Ergo oportet, quòd exaltetur à Deo, uſque ad glorioſam Reſurrectionem. Super quo adduco teſtimonia veteris, & novi Teſtamẽti. Pſal. dicit ex perſona Chriſti: *Tu cognoviſti ſeſſionem meam*, id eſt, humilitatẽ Paſſionis meæ; & *Reſurrectionem meã*, id eſt, glorificationem in Reſurrectione, ſicut *Glo.* exponit. Lucas 1. cap. dicit: *Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles*.

Secundò acceſſit *Fides* dicens. *Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor*. Duo enim prædicavi circa perſonam Chriſti, ſcilicet Divinitatem, & humanitatem eius: non enim ſufficit alterum ſine altero credere. Ad hoc, quod confirmaretur fides de humanitate ipſius, oportuit moram eſſe inter mortem, & Reſurrectionem eius. Si enim ſubitò poſt mortem reſurrexiſſet, videri poſſet, quòd eius mors vera non fuiſſet, & per conſequens nec Reſurrectio vera. Ad fidem autem Divinitatis oportuit, quòd citò reſurgeret, & eius Reſurrectio non differetur uſque ad finem mundi. Super quo adduco teſtimonia veteris, & novi Teſtamenti. Pſal. dicit ex perſona Chriſti: *Quæ utilitas in Sanguine meo, dum deſcendero in corruptionem?* Id eſt: quæ utilitas in effuſione Sanguinis mei, dum deſcendero quaſi per quoſdam gradus malorum in corruptionem? Quaſi dicat: Nulla. Si enim ſtatim non reſurgo, corruptumque fuerit corpus meum, nemini annunciabo, nullum lucrabor,

ut

ut *Glo.* exponit. Et 1. Cor. 15. cap. dicitur. *Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra: inanis eſt fides veſtra.*

Tertiò acceſſit domina *Spes*, dicens: *Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea: inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Dum enim videmus Chriſtum reſurgere, qui eſt Caput noſtrum, ſperamus etiam nos reſurrecturos. Super quo adduco teſtimonia veteris, & novi Teſtamenti. Pſal. dicit ex perſona Chriſti: *Refloruit caro mea: & ex voluntate mea confitebor ei.* Et 1. Cor. 15. cap. dicitur: *Si Chriſtus reſurrexit, quomodò quidam in vobis dicunt: quoniam reſurrectio mortuorum non eſt?*

Quartò acceſſit domina *Charitas* dicens: *Propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos, miſit Deus Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati.* Quam oſtendit, dum animam ſuam pro nobis poſuit. Sed iſta perfectio charitatis non compleretur, niſi nos efficeret participes æternæ hæreditatis; quod quidem fieri nequiret, niſi primus à mortuis reſurgeret. Super quo adduco teſtimonia veteris, & novi Teſtamenti. Pſal. dicit ex perſona Chriſti: *Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum: factus ſum ſicut homo ſine adiutorio inter mortuos liber.* Et Lucæ ult. cap. dicitur: *Oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis die tertia.* Tunc Deus Pater ait Filio exiſtenti in ſepulcro: *Exurge gloria mea: exurge pſalterium, & cithara.* Reſpondit Filius: *Exurgam diluculo.* Sicque factum eſt.

SECVNDO. *Iuvenem ſedentem in dextris viderunt Angeli.* Sicut enim dicit Apoſtolus Rom. 13. cap. *Quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt.* Eſt autẽ hic ordo divinitùs inſtitutus, ut ea, quæ ſuper homines ſunt, hominibus per Angelos revelẽtur, ut patet per *Dio. 4. cap. cæleſtis Hierar.* Chriſtus autem reſurgens nõ rediit ad vitã communiter omnibus notam, ſed ad vitam quandã immortalem, & Deo conformem, ſecundùm illud Rom. 6. cap. *Quod enim vivit, vivit Deo.* Et ideo ipſa Chriſti Reſurrectio non debuit immediatè ab omnibus videri, ſed eis ab Angelis nunciari. Vnde *Hilarius* dicit *ſuper Matth.* quòd ideo Angelus prius Reſurrectionis eſt index, ut quodam famulatu paternę voluntatis Reſurrectio nunciaretur. Quia igitur per Reſurrectionem Chriſti ruina angelica erat reparanda ex hominibus (Matth. 22. cap. *Erunt homines ſicut Angeli Dei in cælo*) ideo Angeli hominibus nunciaverunt. Fuerunt autem præcipuè quatuor Angeli.

Primus extra ſepulcrum. Matth. 28. cap. *Angelus Domini deſcendit de cælo.* Cuius deſcenſus fuit virtuoſus: quia ecce terremotus factus eſt magnus. Pſal. *Terra tremuit, dum reſurgeret in iudicium Deus.* Fuit glorioſus: quia fuit aſpectus eius ſicut fulgur, veſtimenta eius ſicut nix. Fuit terribilis: quia præ timore eius exterriti ſunt cuſtodes. Fuit affabilis: quia dixit: Nolite timere: ſcio enim quia Ieſum crucifixum quæritis.

Secundus Angelus fuit intra ſepulcrum. Mar. 16. cap. *Et introeuntes in monumentum, viderunt iuvenem ſedentem in dextris, coopertum ſtolâ candidâ, & obſtupuerunt.*

Tertius, & quartus Angelus fuerunt intra ſepulcrum. Ioan. 20. cap. *Inclinavit ſe, & proſpexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis ſedentes: unum ad caput, & unum ad pedes, ubi poſitum fuerat corpus Ieſu.* Qui omnes teſtati ſunt Chriſtum reſurrexiſſe, &c.

TERTIO. *Iuvenem ſedentem in dextris viderunt Patriarchæ*, quibus hoc factum Reſurrectionis revelatum eſt, quamvis non ita clarè intelligerent ante, ſicut poſt factum.

Adam in ſtatu innocentiæ, cui dormienti coſta detrahitur, ut coniunx efficiatur. Ita & Chriſto in Cruce morienti Sanguis ex eius latere effunditur, ut Eccleſia conſtruatur. Dormit Adam, ut fiat Eva. Moritur Chriſtus, ut fiat Eccleſia. Dormienti Adæ fit Eva de latere. Mortuo Chriſto lanceâ percutitur latus, ut profluant Sacramenta, quibus formetur Eccleſia. Vnde meritò Apoſtolus primũ Adam dicit formam fuiſſe futuri: quoniam ſicut dormitio Adæ figurabat mortẽ Chriſti; ita expergefactio ipſius figurabat Reſurrectionem Chriſti. Pſal. *Ego dormivi, & ſoporatus ſum, & exurrexi: quia Dominus ſuſcepit me.*

Noe denudatus in tabernaculo ſuo dormiens propter ebrietatem, ſignificat Chriſtum infinita charitate calefactum, dormientem in ligno Crucis, denudatum omnino veſtibus, quas milites inter ſe diviſerunt. Et ſicut Cham deriſit Patrem ſuum; ita Iudæi prætereuntes blaſphemabãt Chriſtum Deum ſuum. Sed Noe expergefactus cognitâ nequitiâ Chã maledixit Chanaan filio eius; ita Chriſtus expergefactus à ſomno mortis per Reſurrectionem, imprecatus eſt maledictionem filiis Iudæo-

dæorum, & non illis, qui eum crucifixerunt, pro quibus oravit in Cruce dicens: *Pater ignoſce illis*, &c.

Abraham, cui promiſerat Deus: *In Iſaac vocabitur tibi ſemen*. Et tamen mandatum à Deo acceperat, ut filium ſuum Iſaac immolaret. Credidit Abraham Deo. Credidit enim Iſaac poſt immolationem reſurrecturum, & filios progeniturum, in quo immolatio, & Reſurrectio Chriſti præfigurabatur.

Iacob benedicens Iuda ait: *Catulus leonis Iuda: ad prædam aſcendiſti fili mi. Requieſcens accubuiſti ut leo: quis ſuſcitabit eum?* Gen. 49. cap. Dicunt naturales, quòd leo parit catulos mortuos, & die tertia rugiens ſuper eos, accipiunt ſpiritum vitæ. Sic etiam eſt de Chriſto.

Samſon in civitatem Gaza ingrediens, ab inimicis comprehendi non potuit, ſed ſurgens media nocte, portas civitatis cum ſeris abſtulit, & in cacumine montis portavit. Sic milites cuſtodientes ſepulcrum Chriſti, eum tenere non potuerunt, quin de ſepulcro reſurgens egrederetur ſalvis ſigillis Pilati, quibus erat ſignatum.

Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, tertia autem die priſtinæ vitæ redditus eſt. Sic Filius hominis tribus diebus, & tribus noctibus fuit in corde terræ, & tertia die reſurrexit.

QVARTO. *Iuvenem ſedentem in dextris viderunt Prophetæ*: quoniam in manibus Prophetarum aſſimilatus eſt Chriſtus.

Iſaias 11. cap. dicit: *In die illa radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum: ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulcrum eius gloriosum.*

Oſee 13. cap. dicit: *Ipſe filius non ſapiens. Nunc enim non ſtabit in contritione filiorum. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua, ò mors: morſus tuus ero inferne.* Et cap. 6. *Vivificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos.*

Michæas 7. cap. dicit: *Ne lateris inimica mea ſuper me, quia cecidi: conſurgam, cùm ſedero in tenebris. Dominus lux mea eſt. Educet me in lucem, videbo iuſtitiam eius.*

Amos 9. cap. dicit: *In die illa ſuſcitabo tabernaculum David, quod cecidit: & aperturas murorum eius readificabo; & ea, quæ corruerant, inſtaurabo.*

Sophonias 3. cap. dicit: *Expecta me in die reſurrectionis meæ in futurum; quia iudicium meum, ut congregem gentes, & colligam regna. Tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in Nomine Domini, & ſerviant ei humero uno.*

Habachuc 2. cap. dicit: *Lapis de pariete clamabit: & lignum, quod inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit: quia replebitur terra, ut cognoſcant gloriam Domini.* David in Pſal. ait. *Exurrexi, & adhuc ſum tecum.*

QVINTO. *Iuvenem ſedentem in dextris viderunt ſancti Patres in limbo detenti.* Nam Paſſio Chriſti fuit quædam cauſa univerſalis humanæ ſalutis tam vivorum, quàm mortuorum. Cauſa autem univerſalis applicatur ad ſingulares effectus per aliquod ſpeciale. Vnde ſicut virtus Paſſionis Chriſti applicatur viventibus per Sacramenta configurantia nos Paſſioni Chriſti; ita etiam applicata eſt mortuis per deſcenſum Chriſti ad inferos. Vnde Apoſtolus dicit Eph. 4. cap. *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia deſcendit primùm in inferiores partes terræ?* Glo. id eſt, ad inferos. Nam per deſcenſum ſuum ad inferos eduxit quatuor ordines Sanctorum, ſecundùm illud Coloſſ. 2. cap. *Expolians principatus, & poteſtates, traduxit illos confidenter.*

Primò. Viſitavit ſanctos Patres in limbo. Per hoc enim ſancti Patres detinebantur in inferno, quod eis ad vitam gloriæ propter peccatum primi parentis aditus non patebat. Et ſic Chriſtus deſcendens ad inferos, ſanctos Patres ab inferis liberavit; & hoc ipſum confirmant ſeipſos confortantes, & conſolantes ſpiritualiter.

David ait: *Confiteantur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum. Quia contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit. Et eduxit eos de tenebris, & umbrà mortis; & vincula eorum diſrupit.*

Salomon ait Eccli. 24. cap. *Penetrabo inferiores partes terræ: & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino.*

Iſaias 24. c. ait: *Congregabuntur in congregatione unius faſcis in locum, & claudentur in carcerem, & poſt multos dies viſitabuntur.*

Oſee ait 11. cap. *Ego quaſi nutritus Ephraim portabam eos in brachiis meis, & neſcierunt, quòd curarem eos. In funiculis Adam trahem eos, in vinculis charitatis.*

Zacharias ait 9. cap. *Tu quoque in Sanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos de lacu, in quo non eſt aqua.*

Cùmque ſic colloquerentur, ecce Angeli con-

concomitantes Chriſtum dixerunt : Tollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Dęmones autem, qui intro erant, ſtupefacti ad hanc vocem quæſierunt : Quis eſt iſte Rex gloriæ ? Reſpondit *David* : Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio ; Dominus virtutum, ipſe eſt Rex gloriæ. Statim vectes inferni confracti ſunt ; id eſt, inpedimenta, quibus ſancti Patres de inferno exire prohibebantur reatu culpæ primi parentis, Chriſtus deſcendens ad inferos, virtute ſuæ Paſſionis, & mortis confregit, non ſtatim educendo eos, ſed eos in inferno luce gloriæ illuſtrando.

Secundò. Viſitavit juſtos ſimplices. Nam latro quidem loco in infernum cum Chriſto deſcendit, ut cum Chriſto eſſet : quia dictum eſt ei : *Hodie mecum eris in Paradiſo*. Sed præmio in Paradiſo fuit, non quidem corporeo, ſed ſpirituali, in quo eſſe dicuntur quicunque divinâ gloriâ perfruuntur: quia ibi Divinitate Chriſti fruebatur, ſicut & alii Sancti. Vnde *Auguſt. in ſerm. 2. de Reſurrect.* dicit, quòd, quando Chriſtus ad inferna deſcendit, portam inferni, & vectes ferreos confregit, & omnes iuſtos, qui originali peccato tenebantur aſtricti, abſolvit.

Tertiò. Viſitavit omnes purgandos, qui purgationem ſuam perfecerant. Vnde *Gregorius 13. lib. moral. cap. 20.* ait : Dum Conditor, ac Redemptor noſter clauſtra inferni penetrans electorum exinde animas eduxit, nos illò ire non patitur, unde jam alios deſcendendo liberavit.

Quartò. Viſitavit Angelos, qui hos iuſtos cuſtodiebant, conſolabantur, & aſſociabant, quos omnes eduxit, juxta illud Act. 2. cap. *Deus Chriſtum ſuſcitavit ſolutis doloribus inferni*, ſcilicet gloriam præbendo maximè ex glorioſa Reſurrectione Chriſti.

SEXTO. *Invenem ſedentem in dextris viderunt mortui*. Vnde dicitur Matth. 27. *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt : & exeuntes de monumentis poſt Reſurrectionem eius venerunt in ſanctam civitatem, & apparuerunt multis.* Vnde *Sanctus Thom. tertia parte q. 53. artic. 3. ad 2.* dicit : De illis, qui reſurrexerunt cum Chriſto, eſt duplex opinio. Quidam aſſerunt, quòd redierunt ad vitam, tanquam non iterum morituri : quoniam magis illis eſſet tormentũ, ſi iterum morerentur, quàm ſi non reſurgerent. Et ſecundùm hoc intelligendum eſt, ſicut *Hieronymus* dicit *ſuper Matth.* quòd non ante reſurrexerunt, quàm reſurgeret Dominus. Vnde & *Evangeliſta* dicit, quòd exeuntes de monumento poſt Reſurrectionem eius venerunt in civitatẽ ſanctã, & apparuerunt multis. Sed *Auguſtinus in epiſt. ad Evodium* hanc opinionem cõmemorans dicit : Scio quibuſdam videri morte Domini Chriſti jam talem reſurrectionem præſtitam iuſtis, qualis nobis in fine promittitur. Qui ſi non iterum repoſitis corporibus dormierunt, videndum eſt, quomodo intelligatur Chriſtus primogenitus à mortuis, ſi eum tot in illam reſurrectionẽ præceſſerunt. Quòd ſi reſpondetur, hoc dictum eſſe per anticipationem, ut monumenta illo terræmotu aperta intelligantur, cùm Chriſtus in Cruce penderet, reſurrexiſſe autem iuſtorum corpora non tunc, ſed cùm ille prior ſurrexiſſet. Sed adhuc reſtat, quòd moveat, quomodo Petrus, non de David, ſed de Chriſto aſſeruit fuiſſe prædictũ, carnẽ eius non vidiſſe corruptionem, per hoc, quod apud eos erat monumentũ David, & ſic illos non convincebat, ſi corpus David ibi jam non erat ; quia etſi ante in recenti ſua mortẽ reſurrexiſſet, nec caro eius vidiſſet corruptionem, poſſet monumentum illud manere. Durum autem videtur, ut David in illa reſurrectione juſtorum non fuerit, ſi eis jam vita æterna donata fuit, cuius Chriſtus ex ſemine commendatur. Periclitatur etiam illud ad *Hebræos*, quod de juſtis antiquis dicitur : Ne ſine nobis perficerentur, ſi jam in illa reſurrectionis incorruptione conſtituti ſunt, quæ nobis perficiendis in fine promittitur. Sic ergo *Auguſt.* ſentire videtur, quòd reſurrexerint iterum morituri. Ad quod etiam videtur pertinere, quod *Hieron.* dicit *ſuper Matth.* quòd ſicut Lazarus reſurrexit, ſic & multa corpora Sanctorum reſurrexerunt, ut Dominũ oſtẽderent reſurgentem, quamvis hoc in ſermone de Aſſumptione ſub dubio relinquat. Rationes tamen *Auguſtini* multò efficaciores videntur. *Hæc S. Thomas*.

SEPTIMO. *Invenem ſedentem in dextris viderunt Gentiles*, quantùm ad quatuor differentias.

1. Iob 19. cap. dicit : *Scio*, ſcilicet per certitudinem fidei, *quòd Redemptor meus*, id eſt Chriſtus, *vivit*, à mortuis reſurgens. Et ideo *in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo*.

2. Sibylla Erythræa, ut allegat B. *Auguſtinus lib. 18. de ci. Dei cap. 23.* dicit : Et morte morietur tribus diebus ſomno ſuſcepto. Et

Digitized by Google

tunc ab inferis regreſſus ad lucem lævam veniet, primus reſurrectionis principio revocatis oſtenſo.

3. Cuſtodes. Matth. 28. cap. *Quidam de cuſtodibus venerunt in civitatem, & nunciaverunt Principibus Sacerdotum, quæ facta fuerant. Et congregati cum ſenioribus, conſilio accepto, pecuniam copioſam dederunt militibus, dicentes: Dicite, quia Diſcipuli eius venerunt nocte, & furati ſunt eum nobis dormientibus.* Super quo dicit *Auguſt.* O mali, ò peſſimi coſtodes! Aut vigilabatis, & cuſtodire debuiſtis, aut dormiebatis. Si dormiebatis; unde ſcire potuiſtis, quis illum tulerit de ſepulcro? Si vigilabatis; cur auferri permiſiſtis?

4. Centurio, qui ait: *Verè filius Dei erat homo iſte.* In hoc enim magis certificatus eſt de Reſurrectione Chriſti: quoniam in monumento exciſo in petra conditus eſt, ne, ſi ex multis lapidibus ædificatum fuiſſet, tumuli fundamentis ſuffoſſis ſublatus furto diceretur. Vnde & ſaxum magnum, quod appoſitum fuit, oſtendit, nō abſque auxilio plurimorum ſepulcrum potuiſſe reſerari. Etiam quia reſurrexit, & exivit de ſepulcro, ſalvis, & intactis ſigillis Pilati Præſidis.

OCTAVO. *Iuvenem ſedentem in dextris viderunt mulieres.* Licèt enim mulieri non permittatur publicè in Eccleſia docere, ſecundùm illud 1. Cor. 14. cap. *Mulieres in Eccleſiis taceant.* Et 1. Timot. 2. *Docere mulieri non permitto.* Tamen permittitur ei privatim domeſtica alios admonitione inſtruere. Et ideo ſicut *Amb.* dicit *ſuper cap. vlt. Luce*: Ad eos fœmina mittitur, qui domeſtici ſunt. Non autem mittitur ad hoc, quòd Reſurrectionis teſtimonium ferat ad populum. Inter mulieres autem eſt quadruplex differentia.

1. Apparuit Ieſus poſt Reſurrectionem Beatæ Virgini. Vnde *Amb. lib. 3. de Virginitate* dicit: Vidit Maria Reſurrectionem Domini; & prima vidit, & credidit. Et Sedulius in aurora dicit:

Semper Virgo manent huius ſe viſibus aſtans
Luce palam Dominus prius obtulit.

2. Apparuit mulieribus euntibus ad monumentum; ut mulier, quæ primò initium mortis ad hominem detulit, prima etiam vitam reſurgentis Chriſti in gloria nunciaret. Vnde *Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 51.* dicit: Fœmina, quæ quondam fuit mortis miniſtra, venerandum Reſurrectionis myſterium prima percipit, & nunciat. Adeptum eſt igitur fœmineum genus, & ignominiæ abſolutionem, & maledictionis repudium.) Simul etiam per hoc oſtenditur, quòd, quantùm ad ſtatum gloriæ pertinet, nullum detrimentum patietur ſexus fœmineus, ſed ſi maiori charitate ſervebunt, majori etiam gloria ex viſione divina potientur; eò quòd mulieres, quæ Dominum arctiùs amaverunt, in tantum ut ab eius ſepulcro Diſcipulis etiam recedentibus non recederent, primò viderunt Dominum in gloria reſurgentem.

3. Apparuit mulieribus redeuntibus à monumento, quando dixit eis: *Avete. Tunc acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius*, Matth. ultimo cap.

4. Apparuit Mariæ Magdalenæ, quando dixit ei Ioan. 20. cap. *Noli me tangere; nondum enim aſcendi ad Patrem meum.* Per hoc enim, ut *Auguſt. tract. 121. in Ioan.* dicit: In illa fœmina figuratur Eccleſia de Gentibus, quæ in Chriſtum non credidit, niſi cùm aſcendiſſet ad Patrem. Aut ſic in ſe credi voluit Ieſus, hoc eſt, ſic ſe ſpiritualiter tangi, quòd ipſe, & Pater unum ſint. Eius quippe intimis ſenſibus quodammodo aſcēdit ad Patrem, qui ſic in eo profecerit, ut Patri agnoſcat æqualem. Hæc autem carnaliter adhuc in eum credebat, quem ſicut hominem flebat.) Vel ſicut *Chryſoſtomus hom. 85. in Ioan.* dicit: Volebat hæc mulier adhuc cum Chriſto converſari, ſicut & ante Paſſionem, & præ gaudio nihil magnum cogitabat, quamvis caro Chriſti multò melior fuerit facta reſurgendo. Et ideo dixit: *Nondum enim aſcendi ad Patrem meum*: q. d. Non æſtimes me jam terrenam vitam agere. Quòd enim in terris me vides, hoc eſt, quia nondum aſcendi ad Patrem meum, ſed in promptu eſt, quòd aſcendam.

NONO. *Iuvenem ſedentem in dextris viderunt Diſcipuli*, quibus apparuit quadrupliciter.

1. Simoni Petro. Luc. 24. cap. *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* Sed quando, aut ubi, neſcitur, niſi quando redibat à monumento cum Ioanne. Potuit enim eſſe, quòd Petrus à Ioanne alicubi divertit, ubi Dominus ſibi apparuit. Vel fortè quando monumentum ſolus intravit, ſicut dicitur in *hiſtoria ſcholaſtica*. Vel fortè in cavea, ſive ſpelunca; quia quando Chriſtum negavit, fugit in caveam, quæ dicitur galli cantus, ut dicitur ibidem.

2. Apparuit duobus Diſcipulis euntibus in Emmaus in ſpecie peregrini, *Luc. ult. cap.* Nam Reſurrectio Chriſti fuit manifeſtanda ho-

Digitized by Google

hominibus per modum, quo eis divina revelantur. Innoteſcunt autem divina hominibus, ſecundùm quod diverſimodè ſunt affecti. Nam illi, qui habent mentem bene diſpoſitam ſecundùm veritatem, divina percipiunt. Illi autem, qui habent mentem non bene diſpoſitam, divina percipiunt cum quadam confuſione dubietatis, vel erroris. *Animalis* enim *homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei*, ut dicitur 1. Cor. 2. cap. Et ideo Chriſtus quibuſdam ad credendum diſpoſitis poſt Reſurrectionem apparuit in propria effigie. Illis autem in alia effigie apparuit, qui jam videbantur circa fidem tepeſcere. Vnde dicebant: *Nos ſperabamus, quòd ipſe redempturus eſſet Iſrael.* Vnde *Greg. hom. 23. in Evang.* dicit, quòd talē ſe eis exhibuit in corpore, qualis apud illos erat in mente: quia enim adhuc in eorum cordibus peregrinus erat à fide, ire ſe longius finxit, ſcilicet ac ſi eſſet peregrinus. Nam oculi eorum tenebantur uſque ad ſacramentum panis, ut unitate Corporis eius participata, removeret impedimentum inimici, ut Chriſtus poſſet agnoſci.

3. Apparuit Diſcipulis in cœnaculo, ubi non erat Thomas. Vnde certificavit eos de quatuor.

Primò. De veritate Corporis; circa quod tria oſtēdit. 1. Quòd eſſet verum Corpus, & ſolidum, non corpus phantaſticum, vel rarum, ſicut eſt aer; & hoc oſtendit per hoc, quòd Corpus ſuum palpabile præbuit. Vnde ipſe dicit Luc. ultimo: *Palpate, & videte: quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* 2. Oſtendit, quòd eſſet Corpus humanum, oſtendendo eis veram effigiem, quam oculis intuerentur. 3. Oſtendit eis, quòd eſſet idem numero Corpus, quod prius habuerat, oſtendendo eis Vulnerum cicatrices. Luc. ultimo cap. *Videte manus meas, & pedes meos; quia ego ipſe ſum.*

Secundò. Certificavit eos de veritate Animæ iterato Corpori unitæ: hoc oſtendit per opera triplicis vitæ. 1. Per opus vitæ nutritivæ, in hoc, quòd cum Diſcipulis manducavit, & bibit, ut legitur *Luc. ultimo*. 2. Per opera vitæ ſenſitivæ in hoc, quòd Diſcipulis ad interrogata reſpondebat, & præſentes ſalutabat dicens: *Pax vobis*. In quo oſtendebat, ſe & videre, & audire. 3. Per opera vitæ intellectivæ, in hoc, quòd cum eis loquebatur, & de Scripturis differebat. Luc. ult. *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via, & aperiret nobis Scripturas.*

Tertiò. Certificavit eos de veritate Divinitatis ſuæ. 1. Per teſtificationem, dicens: *Ego ſum*; quod eſt Nomen Dei. Io. 8. cap. *Antequam Abraham fieret, ego ſum.* 2. Per occultarum cogitationum manifeſtationem, dicens: *Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra?* 3. Per miraculi probationem in piſcibus capiendis, dicens: *Mittite in dexteram navigii rete, & invenietis.* 4. Per hoc, quod eis videntibus aſcendit in cælum: quia ut dicitur Ioann. 3. *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis, qui eſt in cælo.*

Quartò. Certificavit eos de gloria ſuæ Reſurrectionis per hoc, quod ad eos ianuis clauſis intravit. Secundùm enim, quod *Greg.* dicit *in homil. 26. in Evang.* Palpandam carnem Dominus præbuit, quam clauſis ianuis introduxit, ut eſſe poſt Reſurrectionem oſtenderet Corpus ſuum, & eiuſdem naturæ, & alterius gloriæ.)

Similiter etiam ad proprietatē gloriæ pertinebat, quòd ſubitò ab oculis Diſcipulorum evanuit, ut dicitur *Luc. ult.* Quia per hoc oſtendebatur, quòd in eius poteſtate erat videri, & non videri, quod pertinet ad conditionem corporis glorioſi. Et ſicut *Aug. dial. 65. ad Oroſium* dicit: Clarificata carne Dominus reſurrexit, ſed noluit in ea claritate Diſcipulis ſuis apparere, quia non poſſent oculi talem claritatem proſpicere. Si enim antequam moreretur pro nobis, & reſurgeret, quādo transfiguratus eſt in monte, Diſcipuli ſui eum videre non potuerunt; quantò magis clarificata carne Domini eum videre nequiviſſent?

Eſt etiam conſiderandum, quòd poſt Reſurrectionem Dominus hoc præcipuè volebat oſtendere, quòd idem ipſe eſſet, qui mortuus fuerat, quod multum poterat impedire, ſi eis ſui Corporis claritatem oſtenderet. Nam immutatio, quæ fit ſecundùm aſpectum, maximè oſtendit diverſitatem eius, quod videtur. Sed ante Paſſionem, ne infirmitatem Paſſionis eius Diſcipuli deſpicerent, maximè intendebat Chriſtus eis gloriam maieſtatis ſuæ oſtendere, quam maximè demonſtrat claritas Corporis. Et ideo ante Paſſionem, ſuam gloriam præmonſtravit Diſcipulis per claritatem, poſt Reſurrectionem autem per alia indicia.

4. Apparuit Diſcipulis, cum quibus erat etiam Thomas, ut dicitur *Io. 20. cap.* Cui Dominus dixit: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte*

in latus meum. Nam illa apertura Vulnerum, quamvis ſit cum quadam ſolutione continuitatis, totum tamen hoc reputatur, & recompenſatur per majorem decorem gloriæ, ut Corpus non ſit minus integrum, ſed magis perfectum. Thomas autem non ſolùm vidit, ſed Vulnera tetigit: quia, ut dicit *Leo Papa*: Suffecit ſibi ad fidem propriam vidiſſe, quod viderat; ſed nobis operatus eſt, ut tangeret, quem videbat.

DECIMO. *Iuvenem ſedentem in dextris viderunt Iudæi*, inter quos eſt quadruplex differentia.

Primò. Apparuit univerſis Diſcipulis, & fratribus, de quibus Paulus meminit dicens: *Deinde apparuit pluſquam quingentis fratribus ſimul*. Et iſtis cum multa poteſtate oſtenſionē ſui fecit, præbens ſe eis viventem poſt Paſſionem in ſignis multis, ut dicit *Euſebius*.

Secundò. Apparuit Iacobo Alphæi. Nam, ut dicit *Ioſephus, & Hieron. lib. de viris illuſtribus*: Iacobus in Paraſceve mortuo Domino votum vovit, ſe non comeſturum, donec videret Dominum à mortuis ſurrexiſſe. In ipſa autem die Reſurrectionis, cùm uſque ad illam diem Iacobus nihil guſtaſſet, eidem Dominus apparuit, ac eis, qui cum eo erant, dixit: Ponite menſam, & panem. Deinde Dominus panem accipiens benedixit, & dedit Iacobo iuſto, dicens: Surge, frater mi, comede: quia Filius hominis à mortuis reſurrexit. Vnde 1. Cor. 15. dicitur: *Deinde viſus eſt Iacobo*.

Tertiò. Apparuit Ioſeph, ſicut legitur in Evangelio Nicodemi. Nam cùm audiſſent Iudæi, quòd Ioſeph Corpus Chriſti à Pilato petiviſſet, & ipſum in monumento ſuo poſuiſſet, indignati adversùs eum, ipſum ceperunt, & in quodam cubiculo diligenter clauſo, & ſigillato recluſerunt, poſt ſabbatum cum occidere volentes. Et ecce Ieſus in ipſa nocte Reſurrectionis, ſuſpenſâ domo à quatuor angulis, ad eum intravit, & faciem eius exterſit, & oſculum dedit, & inde ſalvis ſigillis eum educens, in domum ſuam in Arimathæam adduxit.

Quartò. Apparuit Paulo, ſicut ipſe dicit 1. Cor. 15. *Chriſtus reſurrexit tertia die. Noviſſimè omnium tanquam abortivo viſus eſt & mihi. Ego enim non ſum dignus*, &c.

VNDECIMO. *Iuvenem ſedentem in dextris viderunt luminaria*. Vnde *Maximus hom. 2. de præſ. feſto* dicit: In Reſurrectione Chriſti elementa omnia gloriantur. Nam & ſolem ipſum arbitror in hac die ſolito clariorem. Neceſſe eſt enim, ut ſol in eius Reſurrectione gaudeat, in cuius Paſſione condoluit.

Auguſtinus homil. 3. de Reſurrect. Surrexit Salvator, cunctis Divinitatis ſuæ manifeſtus indiciis. Nam ſecutæ ſunt eum ſtellæ poſt uterum, gloria poſt ſepulcrum. Redit in lucem creatura cum Domino. Lumen enim ex lumine ſuſcipere meruiſti, quod, cùm Chriſtus oculos clauderet, perdidiſti. Projiciant Superi tenebras, quas Salvator inferis denegavit. Congaudeant hìc elementa, quæ planxerunt: quia Chriſtus de ſua majeſtate nil perdidit, & hominem, quem fecerat, liberavit.

Hilarius Arelat. ſerm. 1. Exulta cælum, & lætare terra. Dies iſta ampliùs ex ſepulcro radiavit, quàm de ſole refulſit. Ovet infernus, quia reſolutus eſt: gaudeat, quia viſitatus eſt: exultet, quia ignaram lucem poſt ſecula longa vidit, & in profundæ noctis caligine reſpiravit. O pulcra lux, quæ de candido cæli faſtigio promicaſti, & inter fluenta purpurea ſedentes in tenebris, & umbra mortis ſubita claritate viſitaſti, vel veſtiſti! Confeſtim enim æterna nox inferorum Chriſto deſcendente reſplenduit, &c.

Ioan. Chryſoſtomus homil. 5. Fratres, quàm pretioſa, & grata hodie Eccleſia nobis inclaruit: & totius anni diebus alacrior dies hodierna refulſit: non de uſitatis ſolis curriculis illuminata præclariùs, ſed de lumine Agni reſurgentis illuſtrata ſublimiùs. Hodie enim Sol juſtitiæ Chriſtus aſcendit evangelizatis Sanctorum animis, ab inferis elevans ſecum corpora Sanctorum, tanquàm choros ſiderum ſpiritualium. Enituit Ieruſalem, in qua viſi ſunt reſurgentes: enitescit Eccleſia, in qua refulgent renaſcentes. Et illi teſtes, & iſti teſtes. Solis reſurgentis illi teſtes, Solis in aqua, & Spiritu S. baptizantis iſti teſtes. Ideo pulſemus citharam David, canentis: *Hæc eſt dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea*.

DVODECIMO. *Iuvenem ſedentem in dextris viderunt mixta*. Vnde *Auguſtinus* diverſis in locis, præcipuè *de verb. Apoſtol. ſerm.* qui incipit: *Omnium Chriſtianorum ſpes*, ait: Cùm non apparet ſemen ignis, adhibes lapillum, & modicum ferri, & excutis de viſceribus lapilli, quantum opus eſt ignis. Videmus hyemis adventu arbores ſpoliari po-

pomis, nudari foliis; ſed eas rursùs verno tempore ſpeciem exprimere Reſurrectionis. Certè herba, quæ vixit, & moritur, rursùs reviviſcit ex ſemine. Cùm mortuum fuerit triticum, terræ mandatum fœcundum reſurgit.)

Quid de phœnicē ave Arabiæ dicemus? Hæc enim Chriſtum reſurrexiſſe prædicat, & nos poſt mortem ſuſcitandos annunciat per eundem Ieſum Chriſtum, qui reſurgens à mortuis vivit cum Deo Patre, & Spiritu Sancto per æterna ſecula. Amen.

SERMO QVARTVS
IN FESTO
ASCENSIONIS DOMINI.

Videntibus illis Ieſus elevatus eſt. Actor. 1. cap.

IOan. 20. cap. dixit Ieſus: *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum: Deum meum, & Deum veſtrum.* Super quo moveo talem quæſtionem.

Vtrum Aſcenſio Chriſti in cælum, quà cum Patre in æternum regnaturus naturam humanam attraxit, fuerit nobis utilior, quàm ſua præſentia corporalis, quam à nobis ſubtraxit?

APparet alicui, quòd non, & propter ipſum, & propter nos. 1. Propter ipſum: quia ad hoc venerat, ut ſe verum Dei Filium declararet. Ioan. 17. cap. *Pater, manifeſtavi Nomen tuū hominibus, quos dediſti mihi.* Sed hoc fuiſſet magis manifeſtatum, ſi ſemper fuiſſet converſatus cum hominibus, tum rationibus, tum exemplis, tum miraculis; ergo, &c. 2. Propter nos: quia Filius Dei naturam humanam aſſumpſit ad noſtram ſalutem: ſed magis fuiſſet ſalutare omnibus, quòd ſemper converſaretur nobiſcum in terris: nam multi Iudæi, & Pagani converſi fuiſſent ad fidem, & multi peccatores à peccatis abſtinuiſſent deſiderantes videre Ieſum; unde ipſe dicit Luc. 17. cap. *Venient dies, quando deſiderabitis videre unum diem Filii hominis, & non videbitis.* Gentiles etiam dicebant Ioan. 12. cap. *Volumus Ieſum videre.* Ergo, &c.

Ad iſtam quæſtionem reſpondent duo Doctores. Primus eſt David in Pſal. dicens: *Notas mihi feciſti vias vitæ: adimplebis me lætitiā cum vultu tuo: delectationes in dextera tua uſque in finem.* Super quo dicit *Glo.* Delectatio, & lætitia erit mihi in confeſſu tuo, humanis obtutibus ſubtracto.

Secundus eſt *Sanctus Tho. 3. parte q. 57. artic.* 1. dicens: Locus debet eſſe proportionatus locato. Chriſtus autem poſt Reſurrectionem ſuam vitam immortalem, & incorruptibilem inchoavit. Locus autem, in quo nos habitamus, eſt locus generationis, & corruptionis, ſed locus cæleſtis eſt locus incorruptionis; & ideo non fuit conveniens, quòd Chriſtus poſt Reſurrectionē remaneret in terris, ſed conveniens fuit, quòd aſcenderet in cælum. *Hæc S. Thom.*

Sciendum, quòd Chriſtus aſcendit quadrupliciter. Primò, Operante ſua Divinitate. Nam Chriſtus ex virtute Divinitatis in cælum aſcendit, tanquam ex cauſa, non autem ex virtute humanæ naturæ; ideò Chriſtus aſcendit in cælum, non ſecundùm quod homo, ſed ſecundùm quod Deus. Vnde *Auguſtinus* dicit *in ſermone 3. de Aſcenſione*: De noſtro fuit, quòd Chriſtus pependit in Cruce, de ſuo autem, quòd aſcendit.

Secundò. Cooperante ſuæ Animæ dignitate. Cauſa Aſcenſionis Chriſti in cælum fuit ex parte Animæ glorificatæ, ex cujus redundantia glorificatur Corpus, ut *Auguſt.* dicit *ad Dioſcorum Epiſt. 56.* Erit enim tanta obedientia corporis glorioſi ad animam beatam, ut (ſicut *Auguſt.* dicit 22. *de civitate Dei cap. ult.*) ubi volet ſpiritus, ibi erit protinus corpus; nec volet aliquid ſpiritus, quod nec ſpiritum poſſit decere, nec corpus. Decet autem corpus glorioſum, & immortale eſſe in loco cæleſti;

&

& ideo ex virtute Animæ volentis Corpus Chriſti aſcendit in cælum. Sicut autem corpus efficitur glorioſum ex redundantia animæ, ita (ut *Aug.* dicit *tract.* 23. *ſuper Ioan.*) participatione Dei fit anima beata; unde prima origo Aſcenſionis in cælum eſt virtus divina. Sic ergo Chriſtus aſcendit in cælum propria virtute. 1. quidem virtute divina. 2. Virtute Animæ glorificatæ moventis Corpus, prout vult.

Tertiò. Procurante ſua humilitate. Nam Chriſtus in ſua Paſſione humiliavit ſe infra ſuam dignitatẽ quantùm ad locum: quia Corpus eius poſitum fuit in ſepulcro, Anima in inferno; ideo meruit, ut ſibi amplius aliquid ſuperadderetur, quaſi merces juſtæ voluntatis, & hoc quantùm ad Aſcenſionem in cælum. Vnde dicitur Eph. 4. cap. *Deſcendit primùm in inferiores partes terræ: qui autem deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cælos.*

Quartò. Promerente ſua claritate. Nam quantò aliqua corpora perfectiùs participant bonitatem divinam, tantò ſunt ſuperiora corporali ordine, qui eſt ordo localis. Vnde videmus, quòd corpora, quæ ſunt magis formalia, ſunt naturaliter ſuperiora, ut patet per *Philoſophum* 4. *Phyſicor.* Plus autem participat de divina bonitate corpus per gloriam, quàm quodcunque corpus naturale per formam ſuæ naturæ. Et inter cetera corpora glorioſa manifeſtum eſt, quòd Corpus Chriſti majori refulget gloriâ; unde convenientiſſimum eſt ſibi, quòd ſit ſuper omnia corpora conſtitutum in alto; & ideo ſuper illud Eph. 4. *Aſcendens in altum*, dicit *Glo.* loco, & dignitate. *Et iterum:* Aſcendit ſuper omnes cælos, ut adimpleret omnia, quæ ſunt oſtenſa Diſcipulis. Propterea dicitur: Videntibus illis elevatus eſt.

Ieſus elevatus eſt videntibus

Angelis.	Apoſtolis. Iuſtis.
Patriarchis.	Peccatoribus.
Prophetis.	Purgatis.

PRIMO. *Ieſus elevatus eſt videntibus Angelis.* Nam ſicut dicit Apoſtolus Rom. 13. cap. *Quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt:* Eſt autem hic ordo divinitus inſtitutus, ut ea, quæ ſuper homines ſunt, hominibus per Angelos revelẽtur, ut patet per *Dion.* 4. *cap. cæle. Hierar.* Aſcenſio autem Chriſti, quantùm ad terminũ à quo, non tranſcendebat hominum communem notitiam, ſed ſolùm quantùm ad terminum ad quem; & ideo manifeſtata eſt Angelis primò, quorum teſtimonio defertur in alios; in quibus Angelis circa Dominicam Aſcenſionem fuerunt quatuor.

Primò. Revelatio. Nam ſecundùm *Dion.* lex divinæ bonitatis eſt, ut illuminationes ſuas influat Angelis ſuperioribus, ſuperiores mediis, medii inferioribus, inferiores nobis. Iſta lex hodie eſt ſervata. Nam ipſe Chriſtus ſuam Aſcenſionem ſuperioribus Angelis revelavit, quando ipſis interrogantibus: *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* reſpondit: *Ego, qui loquor juſtitiam, & propugnator ſum ad ſalvandum*, Iſa. 63. cap. Superiores Angeli mediis revelaverunt. Pſal. *Dies diei eructat Verbum.* Id eſt, ſuperior Hierarchia revelat myſterium Aſcenſionis mediæ Hierarchiæ, cùm dixit: *Exultavit ut gigas ad currendam viam: à ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius uſque ad ſummum eius.* Medii revelaverunt inferioribus, quando eis interrogãtibus: *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* reſponderunt: *Dominus fortis, & potens in prælio: Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.* Inferiores nobis revelaverunt: quia, ut dicitur Actor. 1. cap. *Ecce duo viri*, id eſt, duo Angeli in forma viri, *aſtiterunt in veſtibus albis, & dixerunt* Diſcipulis: *Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum? Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum.*

Secundò. Admiratio. Mirabantur enim, quòd terra aſcenderet ſuper cælum, cùm olim dictum eſſet Proverb. 25. *Cælum ſurſum, & terra deorſum.* Mirabantur, quòd homo aſcendebat ſuper Angelum. Pſal. *Aſcendit ſuper Cherubim, & volavit.* Mirabantur, quòd homo aſcendebat uſque ad Deum. Daniel. 7. *Vſque ad antiquum dierum pervenit.* Mirabantur, quòd homo crucifixus aſcendebat cum tanta poteſtate. Iſa. 63. cap. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? Iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine virtutis ſuæ.*

Tertiò. Deductio. Aſſociabant enim, & deducebant Chriſtum in cælum tanquam Regem ad ſolium Majeſtatis. Iſa. 9. cap. *Super ſolium David, & ſuper regnum eius ſedebit.* Tanquam victorioſum Pugilem ad bravium victoriæ triumphalis. Apo. 3. *Ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno eius.* Tanquam Pontificem ad templum paternæ pietatis.

He-

Hebr. 4. *Habentes Pontificem magnum, qui penetravit cælos, Ieſum.* Tanquam Iudicem ad ſedem judiciariæ poteſtatis. Matth. 25. *Cùm venerit Filius hominis in Maieſtate ſua, tunc ſedebit in ſede Maieſtatis ſuæ.*

Quartò. Iubilatio. Pſal. *Aſcendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ.* Omnes Angeli ſine intermiſſione continuatis vocibus pſallebant, dicentes: *Pſallite Deo noſtro: pſallite Regi noſtro: quoniam Rex omnis terræ Deus*, &c.

SECVNDO. *Ieſus elevatus eſt videntibus Patriarchis.* Nam propter peccatum Adæ janua regni cæleſtis erat clauſa ſic, quòd nemo, quamvis ſanctus, poterat per illam ingredi. Quamvis autem Chriſtus ſua Paſſione meruerit nobis introitum regni cæleſtis, & impedimentum removerit, tamen per ſuam Aſcenſionem nos quaſi in poſſeſſionem regni cæleſtis introduxit, & hoc Patriarchæ præviderunt.

Adam in translatione eius in Paradiſum poſt ſui creationem, ut patet Gen. 2. cap.

Abraham in egreſſione, cùm dictum eſt ei Gen. 12. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui: & veni in terram, quam monſtravero tibi, & faciam te creſcere*, &c.

Iſaac in ſeminatione. Vt enim dicitur Gen. 26. *Seminavit in terra illa, & habuit in ipſo anno centuplum.*

Iacob in habitatione. Gen. 35. cap. *Aſcende in montem Bethel*, id eſt, domum Dei, *& habita ibi*, &c.

Moyſes in auxiliatione. Deut. 33. cap. *Aſcenſor cæli auxiliator tuus.*

Ioſue in expugnatione. Ioſue 8. *Aſcendit cum ſenioribus in fronte exercitus.*

TERTIO. *Ieſus elevatus eſt videntibus Prophetis.* His enim propheticè revelata eſt Chriſti Aſcenſio, quantæ fuerit ſublimitatis. Non enim fuit translatus ſicut Enoch, nec ſubvectus igneo curru ſicut Elias, nec raptus ſicut Paulus, ſed fuit aſſumptus, id eſt, à ſe ipſo ſumptus, quam quidem ſublimitatem, & virtutem Aſcenſionis viderunt Prophetæ.

David in Pſal. dicit: *Elevata eſt magnificentia tua ſuper cælos, Deus.*

Salomon Proverb. 21. dicit: *Qui ſequitur iuſtitiam, & miſericordiam, inveniet vitam, iuſtitiam, & gloriam. Civitatem fortium aſcendit ſapiens.*

Iſaias 19. cap. dicit: *Aſcendet Dominus ſuper nubem levem.*

Baruch 3. cap. dicit: *Quis aſcendit in cælum, & accepit ſapientiam, & deduxit eam de nubibus? Qui ſcit univerſa, novit eam, & adinveniet eam prudentia ſua.*

Michæas 2. cap. *Aſcendit, pandens iter ante eos.*

Daniel 7. cap. *Aſpiciebam in viſione noctis, & ecce cum nubibus cæli quaſi Filius hominis veniebat, & uſque ad antiquum dierum pervenit, & in conſpectu eius obtulerunt eum: & dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ſervient ei.*

Ezechiel 1. cap. *Vidi, & ecce nubes magna, & ſplendor in circuitu eius: & de medio eius quaſi ſpecies electri: hæc viſio ſimilitudinis gloriæ Domini.*

Habacuc 3. cap. *Super excelſa deducet me Victor, in pſalmis canentem.*

QVARTO. *Ieſus elevatus eſt videntibus Apoſtolis.* Nam Chriſtus, ut confirmaret totum opus humanæ redemptionis, antequam aſcenderet, venit ad Diſcipulos ſuos ad cœnaculum, ubi fecit quatuor.

Primò. Comedit cum eis. Marci 16. cap. *Recumbentibus undecim Diſcipulis, apparuit illis Ieſus.*

Secundò. Eos increpavit. Ideo dicitur: *Et exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis: quia iis, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt.*

Tertiò. Præcepit eis, ne diſcederent inde. Actor. 1. cap. *Conveſcens, præcepit eis, ab Ieroſolymis, ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris.*

Quartò. Præcepit eis, quòd poſt Spiritum ſanctum miſſum prædicarent. Marc. 16. cap. *Et dixit eis: Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ*, &c. Quibus peractis, cum honorabili comitiva centum viginti hominum ivit versùs montem Oliveti, ubi fecit etiam quatuor.

1. Reprehendit curioſos. Actor. 1. cap. *Igitur qui convenerant, interrogabant eum dicentes: Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael?* &c.

2. Promiſit eis Spiritum ſanctum, dicens: *Accipietis virtutem Spiritus ſancti ſupervenientis in vos, & eritis mihi teſtes*, &c.

3. Benedixit eis, donans eis ſuam pacem, per quam benedictionem fuerunt confirmati Diſcipuli in magno robore.

4. Apparuit nubes miræ claritatis ſub pedi-

dibus Chriſti aſcendentis, non quòd nubes illa præbuerit adminiculum Chriſto aſcendẽti per modum vehiculi, ſed apparuit in ſignum Divinitatis, ſecundùm quod gloria Dei Iſrael apparebat ſuper tabernaculum in nube. *Tunc videntibus Apoſtolis, nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.*

QVINTO. *Ieſus elevatus eſt videntibus Iuſtis.* Quamvis enim præſentia corporalis Chriſti fuerit ſubtracta fidelibus per Aſcenſionem, præſentia tamen Divinitatis ipſius ſemper adeſt fidelibus, ſecundùm quod ipſe dicit Matth. ultimo: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi.* Qui enim aſcendit in cælos, non deſerit adoptatos, ut *Leo Papa* dicit. Conveniens enim, & utilis fuit juſtis Chriſti Aſcenſio.

Primò quidem propter fidei augmentum, quæ eſt de non viſis. Vnde ipſe Dominus dicit Ioan. 16. quòd *Spiritus ſanctus adveniens arguet mundum de iuſtitia*, ſcilicet eorum, qui credunt, ut *Auguſt. tract. 95. ſuper Ioannem* dicit: Ipſa quippe fidelium comparatio infidelium eſt vituperatio. Vnde ſubdit: *Quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me: Beati enim qui non vident, & credunt.* Erit itaque veſtra juſtitia, de qua mundus arguetur: quoniam in me, quem non videbitis, creditis.

Secundò. Ad ſpei ſublevationem. Vnde ipſe dicit Ioan. 14. *Si abiero, & præparavero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipſum: ut, ubi ego ſum, & vos ſitis.* Per hoc enim, quòd Chriſtus humanam naturam aſſumptam in cælo collocavit, dedit nobis ſpem illuc perveniendi: quia *ubi fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ*, ut dicitur Matth. 24.

Tertiò. Ad erigendum charitatis affectum in cæleſtia. Vnde dicit Apoſtolus Col. 3. *Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Vt enim dicitur Matth. 6. *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Et quia Spiritus ſanctus eſt amor nos in cæleſtia rapiens; ideo Dominus dixit Diſcipulis Ioan. 16. *Expedit vobis, ut ego vadam: ſi enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* Quod exponens *Auguſt. tract. 94. ſuper Ioannem* dicit: Non poteſtis capere ſpiritum quandiu ſecundùm carnem noſſe perſiſtitis Chriſtum.) Chriſto autem diſcedente corporaliter, non ſolùm Spiritus ſanctus, ſed etiam Pater, & Filius illis affuit ſpiritualiter.

Quartò. Vt in cælorum ſede quaſi Deus, & Dominus conſtitutus, exinde divina dona hominibus mitteret, ſecundùm illud Eph. 4. cap. *Aſcendit ſuper omnes cælos, ut adimpleret omnia*, ſcilicet donis ſuis, ut *Glo.* dicit.

SEXTO. *Ieſus elevatus eſt videntibus peccatoribus.* Nam in mundo erat quadruplex defectus.

Primus habitationis gloriæ; ideo dicitur Gen. 1. cap. *In principio creavit Deus cælum, & terrã.* Terram dedit homini, cælum reſervavit ſibi. Chriſtus ergo aſcendit, ut cæleſtem januam peccatoribus aperiret, & ſic abſtulit defectum habitationis gloriæ. Hebr. 9. cap. *Per proprium Sanguinem introivit ſemel in ſancta, æternâ redemptione inventâ.*

Secundus erat ignorantiæ: quia homo non cognoſcebat Deum; ideo dicitur Gen. 1. *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Chriſtus ergo aſcendit, ut homo Deum cognoſceret, dum eum jam nõ æſtimamus ſicut hominem terrenum, ſed ſicut Deum cæleſtem, ſicut Apoſtolus dicit 2. Cor. 5. *Et ſi cognovimus ſecundùm carnem Chriſtum*, id eſt mortalem, per quod putavimus eum tantùm hominem, ut *Glo.* exponit. *Sed nunc iam non novimus.*

Tertius erat gratiæ, & miſericordiæ; ideo dicitur Gen. 1. cap. *Terra autem erat inanis, & vacua.* Id eſt gratiâ, & miſericordiâ. Pſ. *Domine in cælo miſericordia tua.* Chriſtus ergo aſcendit ad interpellandum pro peccatoribus, ſicut Pontifex in veteri Teſtamento intrabat ſanctuariũ, ut aſſiſteret Deo pro populo. 1. Ioan. 2. *Advocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Ipſa enim repræſentatio ſui ex natura humana, quam in cælum intulit, eſt quædam interpellatio pro nobis: ut ex quo Deus humanam naturam ſic exaltavit in Chriſto, ita etiam eorum miſereatur, pro quibus Filius Dei humanam naturam aſſumpſit. Hebræos 9. cap. *Introivit in ipſum cælum, ut appareat vultui Dei pro nobis.*

Quartus erat defectus perſeverantiæ: quia homines erant fragiles ad perſeverandum in bono, & tolerandum malum. Chriſtus ergo aſcendit, ut per miſſionem Spiritus ſancti corda debilia roboraret. Pſal. *Verbo Domini cæli firmati ſunt: & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.*

SEPTIMO. *Ieſus elevatus eſt videntibus purgatis.* Nam quia ipſe eſt Caput noſtrum,

trum, oportet illuc ſequi membra, quo Caput præceſſit. Vnde dicitur Ioan. 14. *Vt, ubi ego ſum, & vos ſitis*. In cuius ſignum animas Sanctorum, quas de inferno eduxerat, in cælum duxit, ſecundùm illud Pſal. *Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem*. Quia eos, qui fuerant captivati à diabolo, ſecum duxit in cælum, quaſi in locum peregrinum humanæ naturæ, bona captione captivos, utpotè per victoriam acquiſitos. Similiter animas eorum, qui in purgatorio detinebantur, & perfeceranr ſuam purgationem, inde abſtraxit, & in cælum ſecum deduxit. Ideo Chriſtus dicit illud Gen. 32. cap. *Nunc cum duabus turmis regredior*. Et Col. 2. cap. *Expolians principatus, & poteſtates*, ſcilicet infernales, auferendo Iſaac, & Iacob, & ceteros juſtos, *traduxit eos*. Id eſt, longè ab hoc regno tenebrarum ad cælum deduxit, ut *Glo. ibidem* exponit. Et *Auguſt. in epiſtola ad Evodium* dicit: Chriſtum fuiſſe apud inferos, & in eorum doloribus conſtitutis hoc beneficium liberationis præſtitiſſe, non dubito. Vbi *Auguſt.* non vult, quòd omnes illi, qui in purgatorio erant, fuerint à purgatorio liberati, ſed quòd aliquibus eorum fuerit hoc beneficium collatum, ſcilicet illis, qui jam ſufficienter purgati erant. Vel etiam qui, dum adhuc viverent, meruerunt per fidem, & dilectionem, & devotionem ad mortem Chriſti, ut eo deſcendente ad ipſos, liberarentur à temporali pœna purgatorii. Chriſtus ergo aſſociatus per ſanctos Patres, & per purgatos, audiens Patrem dicentem illud Gen. 32. cap. *Revertere in terram Nativitatis tuæ*, reſpondit illud Cantic. 7. cap. *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius*. Vnde hodie videntibus illis elevatus eſt, & illi ſimul cum Angelis pariter elevati ſunt, ſed non ad æqualem gloriam cum Chriſto, qui ſedet ad dexteram Patris, in quantum æternaliter manet incorruptibilis ſecundùm humanã naturam in excellẽtiori poſſeſſione divinorũ bonorũ præ ceteris creaturis. Vnde Heb. 1. c. dicitur: *Ad quem aliquando dixit Angelorum: Sede à dextris meis?* Id eſt, in potioribus bonis meis, vel mihi ſecundùm Divinitatem æqualis, quaſi dicat: Ad nullum. Cui etiam data eſt judiciaria poteſtas. Vnde *Auguſt. in ſermone de Symbolo lib. 2. cap. 7.* Ipſam dexteram intelligite poteſtatem, quam accepit ille homo ſuſceptus à Deo, ut veniat judicaturus, qui priùs venerat judicandus.) Qui etiam reſuſcitabit nos, & conſedere ſecum faciet in cæleſtibus; quod nobis præſtare dignetur Ieſus Chriſtus Dominus noſter. Amen.

SERMO QVINTVS
IN FESTO
PENTECOSTES.

Spiritus Sanctus docebit vos omnia. Ioann. 16. cap.

BEatus Bernardus *in ſer. 2. huius diei* dicit: Spiritus Paracletus dat pignus ſalutis, robur vitæ, ſcientiæ lumen. Pignus ſalutis, ut ipſe Spiritus reddat teſtimonium ſpiritui noſtro, quòd filii Dei ſumus. Robur vitæ, ut quod per naturam eſt nobis impoſſibile, per gratiam eius non ſolùm poſſibile, ſed etiam facile fiat. Lumen ſcientiæ, ut quicquid boni in nobis invenimus, illi tribuamus, à quo omne bonum eſt. In tribus iſtis Spiritus ſanctus docebit nos omnia, quæ pertinent ad ſalutem.) Super quo verbo moveo talem quæſtionem.

Vtrum dona Spiritus ſancti ſint tantæ virtutis, quòd ſine ipſis homini nulla ſit ſpes ſalutis?

AD iſtam quæſtionem reſpondent duo Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt *B. Amb. lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 20.* dicens: Civitas Dei illa Ieruſalem cæleſtis, nõ meatu alicuius fluvii terreſtri s abluitur, ſed ille ex vitæ fonte procedens Spi-

ritus sanctus, cuius nos brevi satiamur haustu, illis cælestibus spiritibus redundantius videtur affluere, pleno septem virtutũ spiritualium fervens meatu.)

Secundus est *Sanctus Thomas prima secundæ q. 68. artic. 2. in responsione*, dicens: Dona Spiritus sancti sunt quædam hominis perfectiones, quibus homo disponitur ad hoc, quòd bene sequatur instinctum divinum. Vnde in his, in quibus non sufficit instinctus rationis, est necessarius Spiritus sancti instinctus, & sic est necessariũ donum, sicut dicitur Isa. 50. cap. *Dominus aperuit mihi aurem: ego autem non contradico: retrorsum non abii*. Et *Philosophus* dicit *in libro de bo. for. cap.* 18. quòd his, qui movẽtur per instinctum divinum, non expedit consiliari secundùm rationem humanã, sed quòd sequantur interiorem instinctum: quia moventur à meliori principio, quàm sit ratio humana. Sed inter dona Spiritus sancti summũ videtur esse sapientia, infimum autem timor, utrumque autem horum est necessariũ ad salutem: quia de sapientia dicitur Sap. 7. *Neminem diligit Deus, nisi qui cum sapientia inhabitat*. Et de timore dicitur Eccli. 1. *Qui sine timore est, non poterit iustificari*. Et Rom. 8. cap. dicitur: *Qui spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt; quòd si filii, & hæredes*. Et *in Psal.* dicitur: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*. Quia scilicet in hæreditatem illius terræ beatorũ nullus potest pervenire, nisi moveatur, & deducatur à Spiritu sancto; & ideo ad illum finem consequẽdum, necessarium est homini habere donum Spiritus sancti. Vnde *Greg.* dicit 2. *libro moral. cap.* 36. quòd Spiritus sanctus dat sapientiam contra stultitiam, intellectum contra hebetudinem, consilium contra præcipitationem, fortitudinem contra timorem, scientiam contra ignorantiam, pietatem contra duritiam, humilitatem contra superbiam. His donis Spiritus sanctus nos tutos ab huiusmodi defectibus reddit. *Hæc Sanctus Thomas*. Propterea dicunt verba proposita:

Spiritus sanctus docebit vos omnia.

Angelos.	Patriarchas:	Cõtẽplativos.
Cælos.	Prophetas.	Activos.
Elementa.	Apostolos.	Mechanicos.
Insensibilia.	Electos.	Peccatores.
Bruta.	Beatos.	Pœnitentes.

PRIMO. *Spiritus sanctus docebit vos Angelos* omnia ad vos pertinentia, quæ quidem sunt quatuor.

Primò. Dignitas creationis. Illud enim, quod præcipuè Deus intendit in rebus creatis, est bonum, quod consistit in assimilatione ad Deum: perfecta autem assimilatio effectus ad causam attenditur, quando effectus imitatur causam secundùm illud, per quod causa producit effectum, sicut calidum facit calidum; Deus autem producit creaturã per intellectum, & voluntatem. Vnde ad perfectionem universi requiritur, quòd sint aliquæ creaturæ intellectuales, & spirituales, secũdùm illud Psal. *Qui facit Angelos spiritus*. Et *Dion. 4. cap. de div. no.* dicit, quòd primæ creaturæ sicut incorporales, ita & immateriales intelliguntur: & quia imago Dei est in ipsa natura Angeli impressa; ideo per essentiam suam Angelus Deum cognoscit. Principium autem creationis Angelorum fuit Spiritus sanctus, secundùm illud Psal. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur*.

Secundò. Sublimitas cognitionis. Nam Angeli mysteria gratiæ à principio cognoverunt: quia inter omnia mysteria gratiæ excellentius est mysterium Incarnationis Christi, & hoc quidem Angeli cognoverunt à principio. Dicit enim *August. 5. super Gen. ad litteram*, quòd sic fuit hoc mysterium absconditum à seculis in Deo, ut tamen innotescerent Principatibus, & Potestatibus in cælestibus. Et 1. Timot. 3. cap. dicitur: *Magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis*. Et hoc quidem in principio suæ creationis cognoverunt Angeli in generali per revelationem Spiritus sancti, secundùm illud 1. Corint. 2. cap. *Quæ sunt Dei, nemo novit, nisi Spiritus Dei, nobis autem revelavit per Spiritum suum*.

Tertiò. Gratia confirmationis. Nam Angeli habuerunt gratiam, & charitatem, antequam essent beati, per quæ beatitudinem meruerunt

runt; unde converſione naturali non meruerunt beatitudinem, ſed converſione charitatis, quæ eſt per gratiam. Dicit enim *Auguſt.* 12. *de civ. Dei cap.* 9. Bonam voluntatem quis fecit in Angelis, niſi ille, qui eos cum bona voluntate, id eſt, cum amore caſto, quo illi adhærent, creavit, ſimul in eis condens naturã, & largiens gratiam?) Hanc autem gratiam, & charitatem ſeminavit in eis Spiritus ſanctus.

Quartò. Firmitas dilectionis. Nam in quantùm Angeli cognoverunt Deum beatificantẽ eos ſupernaturali beatitudine, ſic dilexerunt eum dilectione charitatis. Sicut enim virtuoſus civis ſe exponit mortis periculo pro totius Reipublicæ conſervatione; ſic Angeli civitatem cæleſtem defenderunt ab inimicis, ſecundùm illud Apoc. 12. cap. *Factum eſt prælium magnum in cælo. Michael, & Angeli eius præliabantur cum dracone*, &c. Et ut dicit *Auguſt. de civit. Dei*: Civitatem cæleſtem fecit amor Dei uſque ad contemptum ſui. Hæc omnia Spiritus ſanctus docuit Angelos.

SECVNDO. *Spiritus ſanctus docebit vos cælos* quatuor, quæ in vobis ſunt.

Primò. Quòd ipſe Spiritus ſanctus fuit principium veſtræ creationis. Nam bonitas Dei eſt ratio volendi, quòd alia ſint: cùm per ſuam voluntatem res in eſſe produxerit. Amor igitur, quo ſuam bonitatem amat, eſt cauſa creationis rerum. Vnde & quidam Philoſophi antiqui amorem deorum cauſam omnium rerum eſſe poſuerunt, ut patet per *Metaph.* Et *Dion.* dicit 4. *cap. de divinis no.* quòd Divinus amor non permiſit ipſum ſine germine eſſe. Sed Spiritus ſanctus procedit per modum amoris, quo Deus amat ſeipſum; ideo Spiritus ſanctus eſt principium creationis rerum, & ita etiam cælorum, ſecundùm illud Pſal. *Qui fecit cælum, & terram: mare, & omnia, quæ in eis ſunt.*

Secundò. Quòd ipſe Spiritus ſanctus fuit principium veſtræ formationis. Nam, ut dicit *Dion.* 4. *cap. de divinis no.* Sicut ſol radios ſuos emittit ad corporum illuminationem; ita Divina bonitas radios ſuos, id eſt, participationes ſui diffundit ad rerum creationem. Ideo *Auguſt.* dicit, quòd in quantùm Deus bonus eſt, ſumus. Ornatus autem rerum pertinet ad diſpoſitionem earum; quia eas varia pulchritudine decoravit. Vnde dicitur Eccli. 42. cap. *Magnalia ſapientiæ ſuæ decoravit.* Et Boethius dicit:

Mundum mente gerens pulchrum pulcherrimus ipſe,

Hic autem ornatus à Spiritu ſancto fuit. Iob 26. *Spiritus Domini ornavit cælos.* Rectè enim Spiritus cælos ornaſſe dicitur: quia tribuit eis ſtabilitatem. Proverb. 3. *Stabilivit cælos prudentiâ.* Et etiam tribuit eis indeficientem claritatem. Eccli. 24. *Ego feci in cælis, ut oriretur lumen indeficiens.*

Tertiò. Quòd ille Spiritus ſanctus fuit principium veſtræ illuminationis. Nam lux eſt ornamentum cælorum, cùm ſit qualitas primi corporis, ſcilicet cæli, in qua communicãt inferiora corpora cum ſuperioribus; ideo dicitur Gen. 1. cap. *Vidit Deus lucem, quòd eſſet bona.* Spiritus ſanctus, ut efficeret homines cæleſtes, hodie viſibiliter apparuit in ſpecie lucis. Ioan. 3. cap. *Lux venit in mundum.*

Quartò. Quòd ipſe Spiritus ſanctus fuit principium veſtræ diſtinctionis. Nam cælum à Philoſophis diſtinguitur in quatuor plagas: ſcilicet Orientalem, Occidentalem, Meridionalem, Aquilonarem. Hodie autem Spiritus ſanctus veniens à cælo, ab his quatuor plagis venit. Vnde dicitur Ezech. 37. cap. *A quatuor ventis veni Spiritus: & inſuffla ſuper interfectos iſtos, & reviviſcant.* Nam à plaga Orientali hodie venit Spiritus ſanctus, ubi eſt fons luminis: quia datur exercẽtibus in Divinorum cognitione. A plaga Meridionali etiam venit, ubi eſt ardor luminis: quia datur ſe erigentibus in ſupernorum dilectione. A plaga Aquilonari venit: quia datur ſe affligentibus in peccatorum confeſſione. A plaga Occidentali venit: quia datur ſe gerentibus in bonorum ſatisfactione.

Etiam luminaria cæli ſunt creata, ut ſint in ſigna, tempora, dies, & annos. Sic Spiritus ſanctus viſibiliter miſsus eſt quinquageſimo die à Paſcha, & hoc rationabiliter: quia à Spiritu ſancto eſt legis perfectio. Quemadmodum lex vetus data eſt in monte Sina, ſic lex nova à Spiritu ſancto in monte Sion. Et ſicut lex vetus data eſt in ſublimi montis loco; ſic lex nova data eſt à Spiritu ſancto in cœnaculo. Etiam quantùm ad tempus horæ Spiritus ſanctus viſibiliter apparuit horâ tertiâ: quia eſt tertia in Trinitate Perſona, & quia poſt tempus legis naturæ, & legis ſcriptæ in tertio tempore, ſcilicet legis gratiæ debuit apparere; ideo dicitur: *Dum hora cunctis tertia*, &c.

TERTIO. *Spiritus ſanctus docebit vos elementa* quoad quatuor, in quibus tanquam in ſignis viſibiliter apparuit.

Primò enim Spiritus ſanctus hodie apparuit

ruit in igne propter ſeptemplicem eius gratiã. Nam Spiritus ſanctus ad modum ignis alta humiliat per donum timoris, emollit dura per donum pietatis, illuminat obſcura per donum ſcientiæ, reſtringit fluida per donum conſilii, conſolidat mollia per donum fortitudinis, clarificat metalla tollendo rubiginem per donum intellectus, ſurſum tendit per donum ſapientiæ. Ideo dicitur Threnorum 1. cap. *De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudivit me.* Et ſancta Mater Eccleſia cantat: *Advenit ignis Divinus, non conburens, ſed illuminans; non conſumens, ſed lucens.*

Secundò. Spiritus ſanctus hodie apparuit in ſpecie ſoni commoventis aerem, qui ſonus fuit repentinus: quia neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia. Fuit cæleſtis: quia cæleſtes efficit. Fuit vehemens: quia mentem ab omni carnali timore, & amore vehit, & abſtrahit. Fuit replens: quia repleti ſunt omnes Spiritu ſancto. Ideo dicitur 3. Reg. 19. cap. *Poſt ignem ſibilus auræ tenuis, & ibi Dominus.*

Tertiò. Spiritus ſanctus apparuit viſibiliter in ſpecie nubis, & hoc ſuper Chriſtum in Trãsfiguratione. Nubes enim à terra elevatur, refrigerium præſtat, & pluviam generat. Sic Spiritus ſanctus, quos replet, à terra elevat per contemptum terrenorum. Ezech. 8. cap. *Elevavit me Spiritus inter cælum, & terrã.* Et Ezech. 1. cap. *Quocunque ibat ſpiritus, illuc & rota pariter elevabantur, ſequentes eum; Spiritus enim vitæ erat in rotis.* Et *Gregorius*. Guſtato Spiritu, deſipit omnis caro. Inſuper refrigerium præſtat contra incentiva vitiorum. Vnde & Beatæ Mariæ dixit Angelus: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Id eſt, te ab omni æſtu vitiorum refrigerabit, imo præſervabit. Nam & Spiritus ſanctus vocatur aqua, quæ habet vim refrigerativam, Ioann. 7. cap. *Flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ; hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Item generat pluviam lacrymarum. Pſal. *Flavit Spiritus eius, & fluent aquæ*, ſcilicet lacrymarum. Cùm enim quis lacrymatur peccata ſua, ſignum eſt, quòd cor illius obduratum reſolvit Spiritus ſanctus, ut patet in Magdalena.

Quartò. Spiritus ſanctus viſibiliter apparuit in ſpecie flatus, ſicut dicitur Ioan. 20. cap. *Inſufflavit, & dixit; Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Nam quia flatus eſt calidus; ideo Spiritus ſanctus ſuo calore inflammat per ardentem charitatem. Lucæ 12. cap. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur?* Quia verò flatus eſt lenis; ideo Spiritus ſanctus facit nos lenes demulcendo; unde & vocatur unctio, quæ mollificat. 1. Ioan. 2. *Vnctio eius docet nos de omnibus.* Ideo etiam nomine roris invocatur, prout cantat Eccleſia: *Sui roris intima aſperſione fœcundet.* Quia verò flatus eſt neceſſarius ad reſpirandum, quo ſubtracto homo moreretur; ſic de Spiritu ſancto intelligendum eſt. Pſal. *Auferes Spiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur.* Ioan. 6. *Spiritus eſt, qui vivificat.* Et Ezech. 37. cap. *Dabo vobis Spiritum, & vivetis.* Et in ſymbolo dicitur: *Et in Spiritum ſanctum Dominum, & vivificantem.*

QVARTO. *Spiritus ſanctus docebit vos inſenſibilia*, in quibus, & per quæ, tanquam per inſtrumenta ſuæ virtutis mirabilia operatus eſt in rationali creatura.

Hic enim eſt ille Spiritus, qui in forma ignis apparuit Moyſi in rubo, quando rubus ardebat, & non comburebatur, *Exodi* 3.

Hic eſt ille digitus, quem profeſſi ſunt magi dicentes: *Digitus Dei eſt hic*, Exo. 8. cap.

Hic eſt ille ignis, in quo comburenda ſunt reſidua Agni Paſchalis, *Exo.* 12. cap.

Hic eſt ille funis coccineus in feneſtra Rahab meretricis, *Ioſue* 2. *cap.*

Hic eſt illud oleum de cornu ſumptum, quo David unctus eſt in Regem, 1. *Reg.* 16. *cap.*

Hic eſt illa manus Domini, quæ facta eſt ſuper Eliam, quando currebat ante Achab, 3. *Reg.* 18. *cap.*

Hic eſt ille digitus, de quo Chriſtus ait: *Si in digito Dei eiicio dæmonia*, Lucæ 11. capite.

Hic eſt illa virtus, quæ exibat à Chriſto, quando mulier tetigit fimbriam veſtimenti eius, *Matth. 9. cap.*

Hic eſt ille Spiritus, qui hodie ſuper Apoſtolos apparuit in linguis igneis, ut ipſi verba ignea proferrent, & legem igneam prædicarent, ſcilicet legem amoris. Vnde *Bernard.* ait: Venit Spiritus ſanctus in linguis igneis, ut linguis omnium gentium verba ignea loquerentur, & legem igneam linguæ igneæ prædicarent.

QVINTO. *Spiritus ſanctus docebit vos bruta*, per quæ oſtenſa ſunt magna myſteria Dei.

Hic

Hic enim eſt ille Spiritus, qui tribuit virtutẽ ſerpenti æneo, quem cùm aſpicerent filii Iſrael, ſanabantur à morſibus ignitorum ſerpentum, *Numeri 21. cap.*

Hic eſt ille Spiritus, qui aperuit os aſinæ, cui inſidiebat Balaam, ut loqueretur ei, & aperirentur oculi eius, ut videret Angelum Domini, *Numeri 22. cap.*

Hic eſt ille Spiritus, qui apparuit ſuper Chriſtum baptizatum. Luc. 3. cap. *Deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicut columba, in ipſum.* Nam ſicut Noe, dum eſſet in arca, emiſit columbam, quæ ramum virentis olivæ ore ſuo detulit in ſignum pacis; ſic Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ ſuper Chriſtum baptizatũ viſibiliter apparuit, ad ſignificandum fœcunditatem ſpiritualem, quæ eſt in baptiſmo: quia columba eſt animal fœcundiſſimum.

Hoc Spiritu Petrus raptus in ecſtaſi vidit animalia ſibi in diſco miſſa, Act. 10. cap.

SEXTO. *Spiritus ſanctus docebit vos Patriarchas*, quibus revelavit, nullatenus fieri poſſe cæleſtis regni cives, niſi per Spiritum ſanctum ſanctificantem vos ab omni macula.

Hic enim eſt ille Spiritus, quo *Adam* inſpiratus evigilans ab ecſtaſi prophetavit dicens: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Per quod intellexit, hominum poſteritatem cohæredem fieri cæleſtis patriæ. Eph. 5. cap. *Sacramentum hoc dico magnum in Chriſto, & in Eccleſia.* Id eſt, in cœtu fidelium.

Hic eſt ille Spiritus, quo inſpiratus *Abel* obtulit oblationem acceptam Deo, quando reſpexit Deus ad Abel, & ad munera eius, mittens ignem, qui conſumeret hoſtiam eius.

Hic eſt ille Spiritus, quo dictante *Noe* fabricavit arcam, in qua ſalvatum eſt genus humanum, *Sap. 14. cap.*

Hic eſt ille Spiritus, quo inſpirante, *credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam*, ut patet Gen. 15. cap.

Hic eſt ille Spiritus, quo ſuadente, *Rebecca* uxor Iſaac mandavit Iacob filio ſuo, ut ſurriperet benedictionem Eſau, *Gen. 27. cap.*

Hic eſt ille Spiritus, quo docente, intellexit *Iacob* viſionem ſcalæ, cui innixus erat Dominus dicens: *Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam*, Gen. 28. cap.

Hic eſt ille Spiritus, quo ſuggerente, *Ioſeph* expoſuit ſomnium Pharaonis de vaccis pinguibus, & magris, & de ſeptem ſpicis, *Gen. 41. cap.*

Hic eſt ille Spiritus, qui præcedebat *Moyſen*, & filios Iſrael in columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem, *Exo. 13. cap.*

Hic eſt ille Spiritus, qui tanquam digitus Dei ſcripſit in tabulis lapideis legem Dei, de quo dixit Moyſes Numeri 11. cap. *Quis det, ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum ſuum?* Vnde & Dominus de hoc Spiritu abſtulit à Moyſe, ut daret ſenioribus populi, quando ad mandatum Domini, & concilium Iethro elegit ſeptuaginta viros ad iudicandas minores cauſas totius populi Iſrael, ut habetur *Numeri ibid.*

Hic eſt ille Spiritus, qui induxit *Caleb* in terram promiſſionis, de quo dicitur Numeri 14. cap. *Servum meum Caleb, qui plenus alio Spiritu ſecutus eſt me, inducam in terram hanc, quam circuivit, & ſemen eius poſſidebit eam.*

Hic eſt ille Spiritus, qui inſtituit *Ioſue* ducem populi Dei poſt Moyſen. Vnde dicitur Deut. 34. cap. *Ioſue filius Nun repletus eſt Spiritu ſapientiæ: quia Moyſes poſuit ſuper eum manus ſuas.*

Hic eſt ille Spiritus, qui confortavit *Gedeonem*, de quo dicitur Iudi. 6. cap. Spiritus Domini replevit Gedeon, dicens: *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſrael de manu Madian.*

Hic eſt ille Spiritus, qui irruit ſuper *Iephte*, de quo dicitur Iudi. 11. cap. *Factus eſt ſuper Iephte Spiritus Domini, tranſivitque ad filios Ammon, ut pugnaret contra eos, quos tradidit Dominus in manus eius.*

Hic eſt ille Spiritus, qui dedit *Samſoni* fortitudinem in ſeptem capillis, de quo dicitur Iudi. 13. cap. *Crevit Samſon, & benedixit ei Dominus, coepitque Spiritus Domini eſſe cum eo.*

Hic eſt ille Spiritus, qui docuit *Mariam* ſororem Aaron canticum, quod cecinit Deo poſt habitam victoriam, dicens: *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus eſt*, &c. Exo. 15. cap.

Hic eſt ille Spiritus, quo prædixit *Debora* victoriam per manum mulieris furatam, *Iudic. 4. cap.*

SEPTIMO. *Spiritus ſanctus docebit vos Prophetas.* Nam in prophetia requiritur, quòd intentio mentis elevetur ad percipienda Divi-

vina. Vnde dicitur Ezech. 2. *Fili hominis, ſta ſuper pedes tuos, & loquar tecum.* Hæc autem elevatio intentionis fit Spiritu ſancto movente. Vnde ibi ſubditur: *Et ingreſſus eſt in me Spiritus, & ſtatuit me ſuper pedes meos.* Poſtquam autem intentio mentis elevata eſt ad ſuperna, percipit divina. Vnde ſubditur: *Et audivi loquentem ad me.* Et *Gregor. hom.* 30. *in Evangelia*, dicit: Implet nanque Spiritus ſancti gratia puerum citharœdum, & Pſalmiſtam facit. Implet paſtorem armentarium, ſycomoros vellicantem, & Prophetam facit, Implet abſtinentem puerum, & iudicem ſenum facit.) Quomodò autem Spiritus ſanctus doceat Prophetas, declarat ſanctus Petrus in epiſtola 2. cap. 1. dicens: *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.*

Hic enim eſt ille Spiritus, de quo dicit David in Pſal. *Exibit Spiritus eius, & revertetur in terram ſuam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Et iterum: *Verbo Domini cæli firmati ſunt: & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Et iterum: *Ne proiicias me à facie tua: & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.*

Hic eſt ille Spiritus, de quo Salomon Sap. 1. cap. dicit: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum: & hoc, quod continet omnia*, id eſt homo, *ſcientiam habet vocis.* Quia loquitur omnibus linguis. Et eiuſdem 9. cap. dicitur: *Senſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum ſanctum de altiſſimis.*

Hic eſt ille Spiritus, de quo dicit Iob 32. cap. *Spiritus eſt in hominibus, & inſpiratio Omnipotentis dat intelligentiam.*

Hic eſt ille Spiritus, quo ſuggerente, Nathan Propheta corripuit David, & prohibuit ei, ne domum Domino ædificaret, 2. *Reg.* 12. *cap.*

Hic eſt ille Spiritus, de quo ait Abdias Propheta ad Eliam: *Cùm receſſero à te, Spiritus Domini aſportabit te in locum, quem ignoro*, 3. Reg. 18. cap.

Hic eſt ille Spiritus Eliæ, qui factus eſt duplex in Eliſeo, 4. *Reg.* 2. *cap.*

Hic eſt ille Spiritus Eliſei, de quo dicitur Eccli. 48. cap. quòd *eius corpus mortuum prophetavit.*

Hic eſt ille Spiritus, de quo Iſa. 4. c. ait: *Sanctus vocabitur omnis, qui ſcriptus eſt in vita in Ieruſalem. Si ablueris Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Ieruſalem laverit de medio eius in Spiritu iudicii, & Spiritu ardoris.* Et itetũ 44. cap. *Effundam Spiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam.*

Hic eſt ille Spiritus, qui Ieremiam in vẽtre ſanctificavit, qui eum à pueritia prophetare docuit, ut patet *Iere.* 1. *cap.* qui virginitate ſua virum Evangelicum Chriſti Eccleſiæ dedicavit.

Hic eſt ille Spiritus, de quo Ezech. 36. cap. dicit: *Cùm ſanctificatus fuero in vobis, congregabo vos de univerſis terris, & adducam vos in terram veſtram, & effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio veſtri.*

Hic eſt ille Spiritus, qui dedit Danieli intelligentiam omnium viſionum, & ſomniorum, de quo ait 2. cap. *Eſt Deus in cælis revelans myſteria.*

Hic eſt ille Spiritus, de quo Ioel. 2. cap. dicitur: *Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ. Senes veſtri ſomnia ſomniabunt, & iuvenes veſtri viſiones videbunt.*

Hic eſt ille Spiritus, de quo Zach. 12. cap. dicitur: *Effundam ſuper domum David, & ſuper habitatores Ieruſalem Spiritum gratiæ, & precum.*

OCTAVO. *Spiritus ſanctus docebit vos Apoſtolos* principaliter quatuor.

Primò. Propheticam revelationem. Nam donum prophetiæ eſt utilius, quàm donum linguarum, & hoc quidem probat Apoſtolus 1. Cor. 12. tripliciter.

1. Quia prophetia eſt utilior ad ædificationem Eccleſiæ, quàm loqui linguis. Nam donum prophetiæ pertinet ad rerum notitiam, quæ eſt utilior, quàm notitia vocum, quæ pertinet ad donum linguarum.

2. Quantùm ad ipſum loquentem, qui ſi accipiat, ut loquatur diverſis linguis ſine hoc, quòd intelligat, quod pertinet ad donum prophetiæ, mens eius non ædificatur.

3. Quantùm ad infideles, propter quos præcipuè videtur eſſe datũ donũ linguarũ, qui quidem fortè eos, qui loquerentur linguis, reputarent inſanos, ſicut & Iudæi reputaverunt Apoſtolos ebrios linguis loquentes, ut dicitur *Act.* 2. *cap.* Per prophetiam autem infidelis convincitur, manifeſtatis occultis cordis eius; ideo dicit Apoſtolus 1. Cor. 14. cap. *Maior eſt, qui prophetat, quàm qui loquitur linguis.*

Se-

Secundò. Linguarum locutionem. Nam ad perfectionem operationis Spiritus ſancti pertinet, quòd non ſolùm impleat mentem lumine prophetico, & phantaſiam imaginaria viſione, ſicut fuit in veteri Teſtamento, ſed etiam exteriùs linguam erudiat ad varia ſigna locutionum proferenda, quod totum ſit in novo Teſtamento, ſecundùm illud 1. Cor. 14. cap. *Vnuſquiſque veſtrum pſalmum habet, doctrinam habet, linguam habet, Apocalypſin*, id eſt, propheticam revelationem *habet*. Primi autem Diſcipuli Chriſti ad hoc fuerunt ab ipſo electi, ut per univerſum orbem diſcurrentes, fidem eius ubique prædicarent, ſecundùm illud Matth. ultimo: *Euntes, docete omnes gentes.* Non autem erat conveniens, ut, qui mittebantur ad alios inſtruendos, indigerent ab aliis inſtrui, qualiter aliis loquerentur, vel qualiter, quæ alii loquebantur, intelligerent; præſertim quia iſti, qui mittebantur, erant unius gentis, ſcilicet Iudææ, ſecundùm illud Iſa. 27. cap. *Qui ingrediuntur impetu ad Iacob, implebunt faciem orbis ſemine*. Illi etiam, qui mittebantnr, pauperes, & impotentes erant, nec de facili à principio reperiſſent, qui eorum verba aliis fideliter interpretarentur, vel verba eorum eis exponerent, maximè quia ad infideles mittebantur; & ideo neceſſarium fuit, ut ſuper hoc eis divinitùs provideretur per donum linguarum, ut ſicut Gentibus ad idololatriam declinantibus introducta eſt diverſitas linguarum, ut dicitur *Gen.* 11. ita etiam, quando erant Gentes ad cultum unius Dei revocandæ, contra huiuſmodi diverſitatem remedium adhiberetur per donum linguarũ. Vnde dicitur Act. 2. cap. *Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis*. Vbi dicit *Glo. Greg. hom. 30. in Evang.* quòd Spiritus ſanctus ſuper Diſcipulos in igneis linguis apparuit, & eis omnium linguarum ſcientiam dedit.

Tertiò. Sermonis perſuaſionem. Nam Spiritus ſanctus non deficit in aliquo, quod pertinet ad Eccleſiæ utilitatem. Vnde ſicut providet membris Eccleſiæ in locutione, non ſolùm ut aliquis ſic loquatur, ut à diverſis poſſit intelligi, quod pertinet ad donum linguarum; ſic etiam quòd efficaciter loquatur, quod pertinet ad gratiam ſermonum. Et hoc tripliciter.

1. Ad inſtruendum intellectum, quod fit, dum aliquis ſic loquitur, quòd doceat.

2. Ad movendum affectum, ſcilicet ut libenter audiat verbum Dei, quod fit, dum aliquis ſic loquitur, quòd auditores delectet, quod non debet aliquis quærere propter favorem ſuum, ſed ut homines alliciantur ad audiendum verbum Dei. 1. Cor. 2. *Sermo meus, & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis*.

3. Ad hoc, quòd aliquis amet ea, quæ verbis ſignantur, & velit ea implere; quod fit, dum aliquis ſic loquitur, quòd auditorem flectat, ad quod quidem efficiendum Spiritus ſanctus utitur linguâ hominis, quaſi quodam inſtrumento. Ipſe autem eſt, qui perficit operationem interius. Vnde *Gregorius loco cit.* Niſi corda auditorum Spiritus ſanctus repleat, vox docentium ad aures corporis incaſſum ſonat.

Quartò. Miraculorum operationem. Nam Spiritus ſanctus ſufficienter providet Eccleſiæ in his, quæ ſunt ad ſalutem utilia, ad quod ordinantur gratiæ gratis datæ. Et ſicut oportet, quòd notitia, quam quis divinitùs accipit, in notitiam aliorum deducatur per donum linguarum, & per gratiam ſermonis; ita neceſſe eſt, quòd ſermo prolatus confirmetur ad hoc, quòd credibilis fiat; hoc autem fit per operationem miraculorum, ſecundùm illud Mar. ult. *Sermonem confirmante ſequentibus ſignis*. Et hoc rationabiliter. Naturale eſt enim homini, ut veritatem intelligibilem per ſenſibiles effectus deprehendat; unde ſicut ductu naturalis rationis homo pervenire poteſt in aliquam Dei notitiam per effectus naturales; ita per aliquos ſupernaturales effectus, qui miracula dicuntur, in aliquam ſupernaturalem cognitionem credendorum homo adducitur.

NONO. *Spiritus ſanctus docebit vos electos*, ſive juſtos, in quibus plura mirabilia facit.

Primò. Charitatem ſeminat. Nam ex hoc, quod divinæ perfectioni utcunque aſſimilamur, huiuſmodi perfectio à Deo nobis dari dicitur, ſicut ſapientia nobis à Deo donatur, ſecundùm quod divinæ ſapientiæ utcunque aſſimilamur. Cùm ergo Spiritus ſanctus procedat per modum amoris, quo Deus ſeipſum amat, ex hoc, quod huic amori aſſimilamur Deum amantes, Spiritus ſanctus à Deo nobis donari dicitur. Vnde Apoſtolus dicit Rom. 5. cap. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*.

Se-

Secundò. Hominem inhabitat. Quia enim effectus Divini non ſolùm Divina operatione eſſe incipiunt, ſed etiam per eum tenentur in eſſe: nihil autem operari poteſt, ubi non eſt (oportet enim operans, & operatum in actu eſſe ſimul, ſicut movens, & motum;) neceſſe eſt, ut ubicunque eſt aliquis effectus Dei, ibi ſit & ipſe Deus effector. Vnde cùm charitas Dei, quâ ipſum diligimus, ſit in nobis per Spiritum ſanctum, oportet, quòd ipſe Spiritus ſanctus etiam in nobis ſit, quandiu charitas in nobis eſt. Vnde Apoſtolus 1. Cor. 3. *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Et Ioann. 14. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

Tertiò. Homo in Deo latitat. Deus enim maximè amat illos, quos ſui amatores per Spiritum ſanctum conſtituit: quia tantum donum amando confertur. Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo.* Non quaſi nos prius dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prius dilexit nos, ut dicitur 1. *Ioan.* 4. Omne autem amatum in amante eſt; ideo neceſſe eſt, quòd per Spiritum ſanctum non ſolùm Deus ſit in nobis, ſed etiam nos in Deo. 1. Ioan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet.* Et iterum: *In hoc cognoſcimus, quòd in Deo manemus, & ipſe in nobis: quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis.*

Quartò. Secreta revelat. Eſt enim hoc amicitiæ proprium, quòd aliquis amico ſuo ſecreta revelet. Nam cùm amicitia conjungat affectus, & duorum faciat quaſi cor unum, non videtur extra ſuum cor aliquis illud protuliſſe, quod amico revelat. Vnde & Dominus dicit Diſcipulis Io. 15. *Iam non dicam vos ſervos, ſed amicos meos: quia omnia, quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Quia igitur per Spiritum ſanctum amici Dei cõſtituimur; ideo convenienter per Spiritum ſanctum hominibus dicuntur revelari divina myſteria. Vnde Apoſtolus dicit 1. Cor. 2. *Scriptum eſt, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum: nobis autem revelavit per Spiritum ſuum.*

Quintò. Omnia dona donat. Proprium enim amicitiæ eſt, quòd ea, quæ habet, amico communicet: quia cùm homo habeat amicum ut ſeipſum, neceſſe eſt, quòd ei ſubveniat ſua communicans ei; unde & proprium amicitiæ ponitur velle, & facere bonum amico, ſecundùm illud 1. Io. 3. *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo?* Hoc autem maximè in Deo locum habet, cuius velle eſt efficax ad effectum; & ideo convenienter omnia dona Dei per Spiritum ſanctum nobis donari dicuntur. 1. Cor. 12. *Per Spiritum datur ſermo ſapientiæ,* &c. uſque: *Hæc omnia operatur unus, atque idem Spiritus.*

Sextò. Hominem ſibi configurat. Sicut enim ad hoc, quòd corpus aliquod ad locum ignis perveniat, oportet, quòd igni aſſimiletur, levitatem acquirens, ex qua motu ignis proprio moveatur; ita ad hoc, quòd homo ad Divinæ fruitionis beatitudinem, quæ Deo propria eſt ſecundùm ſuam naturam, perveniat, neceſſe eſt, primò quidem, quòd per ſpirituales perfectiones Deo aſſimiletur; deinde quòd ſecundùm eas operetur, & ſic tandem beatitudinem conſequatur. Dona autem ſpiritualia nobis per Spiritum ſanctum dantur; & ita per Spiritum ſanctum Deo configuramur, & per ipſum ad bene operandum habiles reddimur, & per eundem ad beatitudinem nobis via paratur, quæ tria Apoſtolus inſinuavit 2. Cor. 1. dicens: *Vnxit nos Deus, & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Et Epheſ. 1. *Signati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ.* Signatio enim ad ſimilitudinem configurationis pertinere videtur, unctio autem ad habilitatem hominis ad perfectas operationes, pignus verò ad ſpem, quâ ordinamur in cæleſtem hæreditatem, quæ eſt beatitudo perfecta.

Septimò. Hominem ſibi in filium adoptat. Nam ex benevolentia, quam quis habet ad aliquem, contingit, quòd eum ſibi adoptat in filium, ut ſic ad eum hæreditas adoptantis pertineat. Convenienter itaque Spiritui ſancto adoptio filiorum Dei attribuitur, ſecundùm illud Rom. 8. *Accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater.*

Octavò. Hominem à culpa liberat. Per hoc enim, quod aliquis amicus alterius conſtituitur, omnis offenſa remittitur. Vnde dicitur Proverb. 10. cap. *Vniverſa delicta operit charitas.* Cùm ergo per Spiritum ſanctum Dei amici conſtituamur, conſequens eſt, quòd per ipſum nobis à Deo remittantur peccata. Ioannis 20. *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

Nonò. Hominem renovat. Cùm enim ve-

vetuſtas peccati aufertur, ſic anima lavatur, & purgatur, & ſic renovatur; hoc autem fit per Spiritum ſanctum. Eph. 4. *Renovamini Spiritu mentis veſtræ.*

Decimò. Linguam hominis formar. Ex his enim, quæ homo novit, formatur eius loquela; ideo convenienter per Spiritum ſanctum homo loquitur Divina myſteria, ſecundùm illud 1. Cor. 14. *Spiritus loquitur myſteria.* Et Matth. 10. cap. *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.*

DECIMO. *Spiritus ſanctus docebit vos Beatos* comprehenſores quatuor, quæ habetis in vita beata.

Primò transformationem. Hoc enim videtur eſſe amicitiæ maximè proprium, ſimul converſari ad amicum; converſatio autem hominis ad Deum eſt per contemplationem ipſius. Phil. 3. *Noſtra converſatio in cælis eſt.* Quia ergo Spiritus ſanctus nos amatores Dei facit, conſequens eſt, quòd per Spiritum Dei contemplatores conſtituamur. Vnde Apoſtolus 2. Cor. 3. dicit: *Nos omnes revelatà facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.* Hæc autē transformatio fit per claram viſionem, & beatificam Divinitatis.

Secundò delectationem. Eſt enim hoc amicitiæ proprium, quòd aliquis in præſentia amici delectetur, & in eius verbis, & factis gaudeat, & in eo conſolationem contra omnes anxietates inveniat; unde in triſtitiis maximè ad amicos conſolationis causâ confugimus. Quia ergo Spiritus ſanctus Dei nos amicos conſtituit, & Deum in nobis habitare facit, & nos in ipſo, præcipuè in ſtatu gloriæ; conſequens eſt, ut per Spiritum ſanctum gaudium de Deo, & conſolationem habeamus contra omnes mundi adverſitates, & impugnationes. Vnde in Pſal. dicitur: *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui: & Spiritu principali confirma me.* Et Rom. 14. *Regnum Dei eſt iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto.*

Tertiò permanſionem. Cùm enim beatitudo ſit perfectum bonum, & ſufficiens, oportet, quòd deſiderium hominis quietet, & omne malum excludat. Naturaliter autem homo deſiderat retinere bonum, quod habet, & quod eius retinendi ſecuritatem obtineat, alioquin neceſſe eſt, quòd timore amittendi, vel dolore de certitudine amiſſionis affligatur. Vnde requiritur ad veram beatitudinem, quòd homo habeat certam opinionem ſervandi bonum, quod habet, & nunquam ſe amiſſurum; hoc autem facit Spiritus ſanctus, ſecundùm illud Pſal. *Qui replet in bonis deſiderium tuum.*

Quartò retributionem. Nulli enim Beato deeſt aliquod bonum deſiderandum, cùm habeat bonum infinitum, quod eſt Deus, bonum omnis boni, ut *Auguſtinus* dicit. Sed dicitur aliquis alio beatior ex diverſa eiuſdem boni participatione, ſecundùm quod dicit Chriſtus Ioan. 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Per quas, ut *Auguſt.* dicit, diverſæ meritorum dignitates intelliguntur in vita beata, quæ ſunt retributiones ex bonis operibus, quæ omnia fiunt per Spiritum ſanctum, & per gratiam nobis collatam.

VNDECIMO. *Spiritus ſanctus docebit vos contemplativos* adinventores ſcientiarum, licèt cultores fueritis dæmonum.

Nam, ut dicit *Sanctus Thom. ſecunda ſecundæ q. 172. artic. 6.* Prophetæ dæmonum non ſemper loquuntur ex revelatione dæmonum, ſed interdum ex inſpiratione Divina, ſicut manifeſtè legitur de Balaam, cui dicitur Dominus eſſe locutus *Numeri* 22. licèt eſſet Propheta dæmonum: quia Deus utitur etiam malis ad utilitatem bonorum. Vnde etiam per Prophetas dęmonum aliqua vera prænunciat, tum ut credibilior fiat veritas, quæ etiam ex adverſariis teſtimonium habet: tum etiam quia, dum homines talia credunt, per eorum dicta magis ad veritatem inducuntur; unde etiam Sibyllæ multa vera prædixerunt de Chriſto. Sed etiam quando Prophetæ dæmonum à dæmonibus inſtruuntur, aliqua vera prædicunt quandoque propria virtute naturæ, cuius auctor eſt Spiritus ſanctus, quandoque etiam revelatione bonorum Spirituum, ut patet per *Auguſt. 2. ſuper Gen. ad litteram.* Et ſic etiā illud verum, quod dæmones enunciant, à Spiritu ſancto eſt. Dicit enim *Ambroſius cap. 12. in Epiſt. ad Rom.* quòd omne verum, à quocunque dicatur, à Spiritu ſancto eſt. Vnde Propheta falſitatis non ſemper inſtruitur à Spiritu falſitatis; ideo quandoque annunciat vera, quandoque falſa; per virtutē etiam propriæ naturæ dæmones quandoque vera prænunciant. Vtitur etiam eis Deus ad veritatis manifeſtationem per ipſos fiendam, dum Divina myſteria eis per Angelos revelantur. *Hæc S. Thom.* Eodem modo inventores

Digitized by Google

res ſcientiarum multa vera in ſcientiis prænunciaverunt, non niſi docti à Spiritu ſancto, qui eſt Spiritus omnis veritatis.

Hic eſt ille Spiritus, quo docente, primus homo, & Patriarcha totius generis humani, Adam, Divina inductione litteras pronunciando reperit.

Hic eſt ille Spiritus, quo docente, Moyſes primitùs litteras ſcriptas tradidit Hebræis: Phœnices exaruerunt Atticas: Nicoſtrata Latinas: Abraham Syriacas, & Chaldaicas: Iſis Ægyptiacas: Gulphila Geticas. Vnde *Crinitus ex Biblioth. Septimana lib.* 17. *de honeſta diſciplina* canit.

Moſes Hebræas primus exaruit litteras.
Mente Phœnices ſagaci condiderunt Atticas.
Quas Latini ſcripſitamus, edidit Nicoſtrata.
Abram Syras, & idem repperit Chaldaicas.
Gulphila prompſit Getarum, quas videmus, altimas.

Hic eſt ille Spiritus, quo docente, Cadmus Agenoris filius characterem Græcis primus attulit, cuius alphabeti numerum alii ſucceſſivè auxerunt.

Hic eſt ille Spiritus, quo docente, Mecœnas notas quaſdam inveniſſe traditur, quibus verba celerrimè excipi poſſunt.

Hic eſt ille Spiritus, quo docente, partes orationis duas primò tradidit Ariſtoteles: Nomen, & Verbum, quas Donatus, aliique Grammatici variè commentati ſunt.

Hic eſt ille Spiritus, quo docente, Moyſes ſtudium carminum, ſeu metrorum apud Hebræos primus adinvenit, quando cum eis mare rubrum ſiccis pedibus tranſiens, Deoque gratias agens Hexametrum edidit: deinde Dauid vario metro hymnos compoſuit; prout hoc ipſum tradit *Ioſeph. lib.* 1. *&* 7. *Antiq.* Tandem Pherecides Babius, Syrus, Pythagoræ præceptor, qui primus de pedeſtri oratione ſcripta divulgavit; quamvis hoc alii Cadmo Mileſio tribuant.

Hic eſt ille Spiritus, quo docente, fabulas Alcinous primus adinvenit, quæ fabulæ ficta narratione ad veri ſignificationem deducunt.

Hic eſt ille Spiritus, quo docente, hiſtoriam, quæ memoriam tribuit rerum geſtarum, primus Moyſes apud Hebræos conſcripſit, apud Gentiles verò Dares Phrygius de Græcis, & Troianis hiſtoriam edidit, apud Græcos Herodotus hiſtoriographus habitus eſt.

Hic eſt ille Spiritus, quo docente, Rhetorica in Græcia inventa eſt à Gorgia, Ariſtotele, Anaxagora, translata in latinum à Tullio, Quintiliano, Titiano.

Hic eſt ille Spiritus, quo docente, Dialecticã ad regulas quaſdam, & argumenta Ariſtoteles primus perduxit, demum etiam Varro in 8. libros diſſinivit.

Hic eſt ille Spiritus, quo docente, Phyſicam apud Græcos perſcrutatus eſt primus Thales Mileſius unus ex ſeptem illis ſapientibus: hic enim primus obſervavit temporum ambitus, ventorum flatus, ſtellarum motus, tonitruum ſonora miracula, ſiderum obliqua curricula, ſolis annua reverticula; quæ poſtmodum Plato in quatuor diffinitiones diſtribuit.

Hic eſt ille Spiritus, quo docente, Socrates Ethicam ad corrigendos, componendoſque mores inſtituit, atque omne ſtudium ad bene vivendum produxit.

Hic eſt ille Spiritus, quo docente, Arithmeticam primus apud Græcos Pythagoras conſcripſit, deinde Nicomachus diſpoſuit diffuſiùs, atque ad Latinos Apulejus, & Boethius tranſtulerunt.

Hic eſt ille Spiritus, quo docente, Geometricam diſciplinam primitus Ægyptii, non aliunde illatam, ſed annua Nili alluvione, agrorum fines turbante, eius terræ accolæ crebrâ dimenſione repererunt.

Hic eſt ille Spiritus, quo docente, Muſicam Iubal de ſtirpe Cain primus inſonuit ante diluvium, *pater canentium citharâ, & organo*, Gen. 4. Græci dicunt Dionyſium Oriſim, hic verò Zetum, & Amphionem in arte harmonica priùs claruiſſe. Oriſi nihilominus in gratioſa ſyllabarum diviſione, ac protractione primordium ſequenti carmine præbet *Tibullus lib.* 1. *Eleg.* 8.

Ille liquor docuit voces inflectere cantu.
Movit & ad certos neſcia membra modos.

Hic eſt ille Spiritus, quo docente, Aſtronomiam invenerunt primò Ægyptii; Aſtrologiam, nativitatiſque obſervantiam Chaldæi. Abraham Ægyptios inſtituiſſe Aſtronomiam *Ioſeph Auctor* edixit: Græci affirmant hanc artem priùs Atlantẽ excogitaſſe, ideòque cælum ſuſtinuiſſe. Claudius Ptolemæus apud Græcos huius claſſis præcipuus habetur.

Hic eſt ille Spiritus, quo docente, Medicinam primus apud Græcos Apollo exorſus, Æſculapius filius eius amplificavit. Sed fulminis ictu intereunte filio, interdicta fertur ars medica, arſque ſimul cum Auctore

Me-

Medico defecíſſe per annos penè quingentos, uſque ad regimen Artaxerxis Regis Perſarũ, quando eam in lucem revocavit Hippocrates, patre Heraclida ex genere Aſclepiadarum, in Inſula Cò genitus.

Hic eſt ille Spiritus, quo docente, Chronicon primus edidit Euſebius, Hieronymus Presbyter latinè interpretatus, annoſque adjecit.

Hic eſt ille Spiritus, quo docente, Moyſes genti Hebrææ omnium primus Dei leges ſcriptas tradidit: Phoroneus Rex Argivorum diſperſos antea homines, & ſeorſum habitantes in unius civitatis jus compulit: Mercurius Triſmegiſtus primus Ægyptiis leges Athenienſium propoſuit: Lycurgus Lacedæmoniis legum jura authoritate Regis Apollonii, Numa Pompilius Romuli ſucceſſor Romanis priùs appendit.

DVODECIMO. *Spiritus ſanctus docebit vos activos*, qualiter debeatis vos diſponere ad recipiendum eum; quod inſtituendum ſeptem modis.

Primò. Debetis eſſe animo quieti, quod notatur, dum dicitur: *Dum complerentur dies Pentecoſtes*, id eſt, quietis. Illud quippe feſtum erat deputatum ad quietem. Iſaiæ 66. *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum Spiritu, & trementem ſermones meos?* Quod ad quietum refert *Gregorius lib. 5. mor. cap. 31.*

Secundò. Debetis eſſe dilectione uniti, cùm dicitur: *Erant omnes pariter*. Erat enim Apoſtolis, quando receperunt Spiritum ſanctum, cor unum, & anima una. Sicut enim ſpiritus hominis non vivificat membra corporis, niſi unita; ſic nec Spiritus ſanctus membra ſpiritualia: & ſicut ignis lignorum diviſione extinguitur; ſic ſpiritus per diviſionem in hominibus. Ideo canitur de Apoſtolis: *Invenit eos concordes, & illuſtravit eos, inundans divitias Deitatis.*

Tertiò. Debetis eſſe loco ſecreti, cùm dicitur: *In eodem loco*, ſcilicet in cœnaculo. Oſee 2. *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.*

Quartò. Debetis eſſe oratione aſſidui, cùm dicitur: *Erant perſeverantes in oratione*. Sap. 7. cap. *Invocavi* per orationem: *& venit in me Spiritus ſapientiæ.* Ioan. 14. *Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*. Et de Apoſt. dicitur: *Orantibus Apoſtolis Deum veniſſe nunciat.*

Quintò. Debetis eſſe humilitate præditi, cùm dicitur: *Sedentes*. Pſal. *Qui emittis fontes in convallibus*. Id eſt, gratiam Spiritus ſancti donas humilibus.

Sextò. Debetis eſſe pace conjuncti, cùm dicitur: *In Ieruſalem*, quæ interpretatur viſio pacis. Vnde Chriſtus Diſcipulis primò obtulit pacem, dicens: *Pax vobis*. Deinde inſufflando dixit: *Accipite Spiritum ſanctum*, Ioan. 20.

Septimò. Debetis eſſe contemplatione erecti, cùm dicitur, quòd receperunt Spiritum ſanctum in ſuperiori cœnaculo, ubi dicit *Gloſſa*: Qui Spiritum ſanctum deſiderat, carnis domicilium mentis contemplatione tranſcendat.

TERTIODECIMO. *Spiritus ſanctus docebit vos mechanicos* artes veſtras in ſubſidium vitæ veſtræ.

Hic eſt ille Spiritus, quo afflatus Eſdras ſcriba reparavit incenſam legem, dum Iudæi fuerant regreſſi in Ieruſalem poſt captivitatem Babylonicam. 4. *Eſdræ cap. 14.*

Hic eſt ille Spiritus, quo docente, urbi Romanæ primus librorum copiam advexit Paulus Æmilius devicto Perſe Rege Macedonum, deinde Lucullus è Pontica præda.

Hic eſt ille Spiritus, quo docente Græci atque Tuſci primitùs ferro in cera ſcripſerunt. Vnde *Iuvenalis*.

Nonne libet medio ceras implere capaces
Quadrivio?

Hic eſt ille Spiritus, quo docente, Ægyptii ante papyri, ſeu chartæ uſum junci cortice (cui nomen biblos) pro ſcriptione, ligno autem pro navigiis utebantur. Vnde *Lucan. lib. 3.*

Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat.

Hic eſt ille Spiritus, quo docente, Aſpaſius Biblus papyrum primus adinvenit. *Volaterranus lib. 12. cap. 4. Antropologiæ.*

Hic eſt ille Spiritus, quo docente, Eumenes Rex Pergami pro ſcriptione membranæ primus extitit inventor, ſupprimente chartâ Rege Ptolemæo. *Plin. lib. 13. cap. 11. ex Varrone.*

Hic eſt ille Spiritus, quo docente, in Europa Ioãnes Fauſtus Germanus Moguntinus, & Petrus Schoeffer de Gernſchein anno Dom. 1350. artis typographicæ primordia repererunt, quæ per decennium ſtudio occultata, tandem à Fauſti miniſtro Ioanne Guentenberger Argentoratenſi prodita fuit, & divulga-

ta ; *Nicolaus Ferrarius rerum Moguntiacarum historicus* .

Hic est ille Spiritus , quo docente , pondera, & mensuras juxta *Iosephum lib.* 1. *antiq.* primus reperit Cham filius Adami ; quamvis *Laertius lib.9. ex Aristoxeno* primatum tribuat Pythagoræ , *Eutropius* Sidonio, Gentiles Mercurio , *Plinius lib.* 7. Phædoni Argivo , *Gellius* Palemedi , *Strabo lib.* 5. Phædoni Elienſi .

Hic est ille Spiritus , quo docente , agriculturam cœpit Adam protoparens , eiusque posteri Cain , Abel , Seth , Lamech , &c. Post diluvium Noe excogitavit aratrum per boves tractum , cùm homines priùs terram foderent manibus , *Gen.* 9. Inter Ægyptios inventor primus juxta *Diod. lib.* 1. extitit Osiris , qui & Dionysius dicitur . Vnde *Tibullus lib.* 1. *Eleg.* 8.

Primus aratra manu ſolerti fecit Oſiris ,
Et teneram ferro ſolicitavit humum .
Primus inexperta commiſit ſemina terra ,
Pomaque non notis legit ab arboribus .

In Græcia agriculturæ author fuit Triptolemus , in Asia, & Latio Saturnus . Gentiles primatum tribuunt Cereri . Vnde *Virg.* 1. *Georgic.*

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Inſtituit . Et Ovid. lib. 5. Metam.
Prima Ceres uno glebam dimovit aratro .
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris.

Hic est ille Spiritus, quo docente, vitis plantationem præ ceteris reperit Noe , qui cataclysmo superfuit ; eapropter à Latinis Ianus nuncupatus . *Iein* quippe Hebraicè vinum significat . Sed Græcia ad Liberum patrem retulit . *Sab. lib. 6. cap.* 2.

Hic est ille Spiritus , quo docente , artem ferrariam primò exorsus Tubalcain, *Gen. cap.* 4. Gentiles Vulcanum finxerunt . Ærariam artem inchoasse quidam dicunt Chalabam , alii Cyclopen . *Plin. lib.7. cap.* 56. Telchines populos ferrum, & æs omnium primos elaborasse affirmat *Strabo lib.* 15. *Geor.*

Hic est ille Spiritus , quo docente , architecturam primus extruxit Cain , civitatem ædificans, *Gen.* 4. Domos luteas , juxta *Plin. lib.* 7. Doxius Gellii filius , sumpto ab hirundinum nidis exemplo , Lateritias ædes Euryalius , & Hyperbus fratres Athenis primi erexere . Tegulas pro domo tegenda Cinyra Agrippæ filius in Cypro Insula primus invenit . Lapidicinas , seu loca , ubi lapides effodiuntur , primus investigavit Cadmus , sive Thebis , sive , ut alii existimant , in Phœnicia .

Hic est ille Spiritus , quo docente , Sarug, nominatus *in Genesi* 11. *cap.* juxta affirmationem Epiphanii , & Suidæ author fuit picturarum , & statuarum , quibus repræsentarentur , & colerentur personæ illustres .

Hic est ille Spiritus , quo docente , nendi , texendique artem Palladem instituisse nemo ambigit , utpote Minervæ artem nominatam .

Hic est ille Spiritus , quo docente, Tyrii fabri lignarii primi extiterunt ; à quibus Salomon , Deo templum conditurus , à Rege Tyri per litteras fabros petiit lignarios . *Iosephus lib.* 8. *antiq. Polidorus lib* 3. *cap.* 14. *de rerum inventione* .

Hic est ille Spiritus , quo docente, Corinthii omnium primi naves concinnarunt, ac inter Græcos primi triremes compegerunt, quãdo navium fabricator , seu naupegus Aminocles patriâ Corinthius Samiis naves quatuor construxisse fertur . *Cal. lib.* 11. *cap.* 31. *A. L.*

Hic est ille Spiritus , quo docente , horologia solaria primus invenit Achaz , pater Ezechiæ , & primi Patriarchæ , è quibus ad Ægyptios , deinde ad Græcos , tandem ad Latinos devoluta sunt . *Clavius lib.* 1. *Gnomon. pag.* 7.

Hic est ille Spiritus , quo docente, Boethius Severinus horologia libratis ponderibus acta , antiquis ignota , quibus hodie utimur, Romæ primus componi curavit . *Bern. Saccus lib.* 7. *Ticinensis hist.*

Hic est ille Spiritus , quo docente, S. Ioan. Apost. epist. 1. cap. 2. dixit : *Filioli , novissima hora est* . Vnde quidam Poeta famoso horologio urbis Vratislavienſis in Silesia appendit sequens Carmen .

Aspice , quàm celeri cursu levis effugit hora .
Lubrica nec vitæ tempora perde tuæ .
Diffugiunt anni celeres, lethumque minantur.
Mortuus ut possis vivere , vive benè .

DECIMOQVARTO. *Spiritus sanctus docebit vos peccatores* novam creationem .

Cùm enim gratia Spiritus sancti peccatori à Deo infunditur, tunc peccator noviter creatur, secundùm illud Iudith 16. cap. *Dixisti, & facta sunt: misisti Spiritum tuum, & creata sunt.* Sicut enim Deus à principio septem diebus mundum creavit ; ita spiritualiter minorem mundum, id est, hominem, per septem peccata mortalia ad nihilum redactum , septem donis

qua-

Digitized by Google

quaſi ſeptem diebus per Spiritum ſanctum recreat, ſecundùm illud 1. Ioann. 3. cap. *In hoc apparuit Filius Dei, ut per Spiritum ſanctum diſſolvat opera diaboli.*

Primo die creavit Deus lucem, Geneſ. 1. *Dixit Deus: Fiat lux.* In anima peccatoris ſunt tenebræ peccatorum, Sap. 17. cap. *Vnà catenà tenebrarum erant omnes colligati.* Quia peccator connectit de peccato cogitationis, conſenſus, delectationis, operationis, conſuetudinis,& contemptus quandam catenam. Spiritus autem ſanctus adveniens in animam, novam lucem creat in anima per donum timoris; & ſicut lima purgat ferrum,& ſplendidum facit; ſic timor Domini purgat animam per cognitionem propriæ fragilitatis, & vilitatis peccati, & ſeveritatis judicii. Eccli. 2. *Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda veſtra.* Et ſic diſſolvitur peccatum ſuperbiæ. Eccli. 1. *Timor Domini expellit peccatum.* Id eſt, ſuperbiam.

Secundo die creavit Deus firmamentum. In anima peccatoris eſt inſtabilitas: quia modò deprimitur per adverſitatem, modò elevatur per proſperitatem. Threnorum 1. *Peccatum peccavit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt.* Spiritus autem ſanctus adveniens in animam,ipſam in bono ſtabilit,& firmat. Hebr. 13. *Optimum eſt gratiâ ſtabiliri cor.* Et Pſal. *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.* Hæc autem firmitas creatur in nobis per donum pietatis. Eccli.3. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis: & Deus proſpector eius, qui reddet gratiam*, ſcilicet in purgatorio. *Meminit in poſterum,& in tempore caſus ſui inveniet firmamentum*, ſcilicet in pauperum ſuffragiis. Per hoc autem opus diſſolvitur peccatum invidiæ, quæ gaudet de alienis malis,& dolet de alienis bonis,ſed pietas ſubvenit eis.

Tertio die produxit Deus herbam virentem, & ligna fructifera, Gen. 1. Anima enim peccatoris ante adventum Spiritus ſancti eſt quaſi arbor mortua, & arida ſine humore gratiæ,ſine fructu, unde eſt apta incēdio infernali. Lucæ 3. cap. *Omnis arbor, non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Spiritus autem ſanctus adveniens in animam,reddit ei humorem gratiæ. Pſal. *Ego autem ſicut oliva fructifera in domo Dei.* Oliva enim in ſe eſt pinguis, & aliis medicinalis. Sic anima vivificata Spiritu ſancto eſt in ſe pinguis per devotionem, & aliis medicinalis per ſuſtentationem bonorum operum verbis, & exemplis. Hanc fructificationem facit Spiritus ſanctus in anima per donum ſcientiæ, quæ docet hominem gratioſè converſari in medio nationis pravæ, & perverſæ per manſuetudinem, & patientiam. Et ſic diſſolvitur peccatum iræ, quæ hominem impedit, ne aliis fructificet per bonum opus, converſationem eius odibilem reddendo. Proverb. 18. *Spiritum ad irascendum facilem, quis poterit ſuſtinere?* Et Eccli. 18. *Nonne ardorem refrigerabit ros?*

Quarto die fecit Deus luminaria, ſcilicet ſolem, lunam,ſtellas. Ante adventum Spiritus ſancti,licèt anima aliquando bonū propoſitum concipiat, & aliqua opera de genere bonorum faciat, tamen ſtatim deficit, & inflatur manus eius; unde non perſeverat in bono. Luc. 8. *Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Spiritus autem ſanctus adveniens in animam, fortificat,& roborat eam in bono. Vnde beatus Petrus poſt receptionem Spiritus ſancti reputavit leve mori pro Chriſto, qui tamen primus ante negaverat Chriſtum ad vocem ancillæ. Hanc perſeverantiam facit Spiritus ſanctus in anima per donum fortitudinis. Iudic. 5. *Stellæ manentes in ordine, & curſu ſuo, adversùs Siſaram pugnaverunt.* Per hoc autem diſſolvitur peccatum acediæ, quæ enervat vires hominis. Pſal. *Fingit laborem in præcepto.*

Quinto die creavit Deus ex aqua, & terra aves, & piſces. Ante adventum Spiritus ſancti in animam, cor ad terrena deprimitur per nimium amorem. Pſal. *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* Spiritus autem ſanctus adveniens in animā, elevat cor à terrenis ad cæleſtia per promptitudinem obedientiæ mandatorum Dei. Iob 39. *Ad præceptum tuum elevabitur aquila.* Id eſt, cor nobile, doctum à Spiritu ſancto. Hanc promptitudinem facit Spiritus ſanctus in anima per donum conſilii, quod dicit: *Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, & ſequere me*, Matth. 19. Per hoc autem diſſolvitur peccatum avaritiæ, quæ eſt idolorum ſervitus. *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas*, 2. Cor. 3.

Sexto die creavit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam. Ante adventum Spiritus ſancti in animam nihil homo cogitat, nec cupit, niſi immunditiam luxuriæ, ut patet in principio mundi. Gen. 6. *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram.* Spiritus autem ſanctus adveniens in animam, elevat ipſam ad contemplationem æternorum per donum intellectus: quia *Spiritus omnia*

nia ſcrutatur, etiam profunda Dei, 1. Cor. 2. Per hoc autem diſſolvitur peccatum luxuriæ. Iob 34. *Si direxerit ad Deum cor ſuum, Spiritum illius, & flatum ad ſe trahet, & deficiet omnis caro*. Id eſt, carnalitas.

Septimo die requievit Deus ab omni opere, quod patrarat: hic enim eſt conſummatio poſt laborem dierum. Ante adventum Spiritus ſancti in animam non ſapiunt ei bona cæleſtia, cùm habeat palatum, & guſtum infectum. Phil. 3. *Quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum.* Spiritus autem ſanctus adveniens in animam, vocat eam ad quietem divinæ contemplationis. Apoc. 14. *Amodo iam dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis.* Et hoc per donum ſapientiæ, quo præguſtatur cœna æternæ beatitudinis. Eccli. 24. *Spiritus meus ſuper mel dulcis*. Per hoc autem diſſolvitur peccatum gulæ. *Greg.* Guſtato Spiritu deſipit omnis caro, &c.

DECIMOQVINTO. *Spiritus ſanctus docebit vos panitentes* ſex vobis neceſſaria ad juſtificationem.

1. Conſolationem. Ideo dicitur Ioan. 14. *Paracletus*, quod idem eſt, quod conſolator. Iſa. 61. *Spiritus Domini ſuper me: ut ponerem conſolationem lugentibus Sion*. Vnde *Greg. hom.* 30. *in Evang.* Conſolator Spiritus vocatur: quia de peccati perpetratione mœrentibus, dum ſpem veniæ præparat, ab afflictione triſtitiæ mentem levat.)

2. Vivificationem. Ideo dicitur *Spiritus*: quia ſpiritus eſt, qui vivificat, ſcilicet peccatores pœnitentes.

3. Sanctificationem. Ideo dicitur *Sanctus*: quia ſanctificat, & mundat. Vnde ſanctus, id eſt, mundus. Pſal. *Fluminis impetus*, id eſt, abundans gratiâ Spiritus ſancti: *lætificat civitatem Dei*. Id eſt Eccleſiam Dei.

4. Dilectionem. Ideo dicitur: *Quem mittet Pater*. Dicitur enim Pater: quia naturaliter diligit nos. Ioan. 16. *Ipſe enim Pater amat vos*. Si ipſe eſt Pater, & nos filii: ſed inter filios ejuſdem Patris debet eſſe naturalis dilectio.

5. Salvationem. Ideo dicitur: *In Nomine meo*, quod eſt Ieſus, id eſt, Salvator: quia in Nomine Salvatoris Pater miſit Spiritum ad ſalvandas gentes. Matth. 1. *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum*.

6. Inſtructionem. Ideo dicitur: *Ille vos docebit omnia*. Quia eramus ignari eius, per quod poteramus ſalvari. Miſſus eſt ergo Spiritus ſanctus, qui nos docebit omnia hic per gratiam, &c. Amen.

SERMO SEXTVS
IN FESTO
SANCTISSIMAE TRINITATIS.

Si dixero vobis cæleſtia, credetis. Ioann. 3. cap.

DIvus Bernardus *lib. 5. de conſid. cap. 8.* ait: Scrutari de Trinitate temeritas eſt, credere pietas eſt, noſſe vita, & vita æterna eſt. Super quo moveo talem quæſtionem.

Vtrum explicitè credere myſterium Trinitatis, ſit ad ſalutem maximæ neceſſitatis?

AD iſtam quæſtionem reſpondent duo Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt *Beatus Auguſt. lib. 1. de Tri. cap. 3.* dicens ſic: Vbi quæritur unitas Trinitatis, & Trinitas unitatis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, nec periculoſiùs alicubi erratur, nec laborioſiùs aliquid quæritur, nec fructuoſiùs aliquid invenitur.

Secundus eſt *Sanctus Thom. 2. 2. q. 2. art. 8.* dicens: Myſterium Incarnationis Chriſti explicitè credi non poteſt ſine fide Trinitatis: quia in myſterio Incarnationis Chriſti hoc continetur, quòd Filius Dei carnem aſſumpſerit, quòd per gratiam Spiritus ſancti mundum renovaverit, & iterum, quòd de Spiritu ſancto conceptus fuerit. Et ideo, eodem modo, quo

quo myſterium Chriſti ante Chriſtum fuit à majoribus explicitè creditum, implicitè autem, & quaſi obumbratè à minoribus, ita etiam & myſterium Trinitatis. Et ideo etiam poſt tempus gratiæ divulgatæ tenentur omnes ad explicitè credendum myſterium Trinitatis: & omnes, qui renaſcuntur in Chriſto, hoc adipiſcuntur per invocationem Trinitatis, ſecundùm illud Matth. ultimo: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Hæc Sanctus Thomas.* Vbi ponit quatuor concluſiones.

Prima concluſio. Deum cognoſcere poſſumus ratione naturali ſuggerente. Patet. Quia, ut dicit *prima parte q. 12. artic. 12.* creaturæ ſenſibiles ſunt effectus à causâ dependentes; ideo ex eis in hoc perduci poſſumus, ut cognoſcamus de Deo, an eſt, & ut cognoſcamus de ipſo ea, quæ neceſſe eſt ei convenire, ſecundùm quod eſt prima omnium cauſa excedens omnia ſua cauſata. Vnde cognoſcimus de ipſo habitudinem ipſius ad creaturas: ſcilicet, quòd eſt omniũ cauſa; & differentiam creaturarum ab ipſo: ſcilicet, quòd ipſe non eſt aliquid eorũ, quę ab ipſo cauſantur; & quòd hæc nõ removẽtur ab ipſo propter eius defectum, ſed quia ſuperexcedit. Rom. 1. *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis.* Et *Aug. lib. 1. retractationum cap. 4.* dicit: Non approbo, quod in oratione dixi: Deus, qui non mundos ſcire verum voluiſti.) Reſponderi etiam poteſt, multos etiam non mundos multa vera ſcire, ſcilicet per rationem naturalem. *Hæc Sanctus Thomas.*

Secunda concluſio. Deum perfectiùs cognoſcere poſſumus Spiritu ſancto per gratiam influentem. Patet. Quia, ut dicit *prima parte q. 12. artic. 13.* licèt per revelationem gratiæ in hac vita non cognoſcamus de Deo, quid ſit, & ſic ei quaſi ignoto conjungimur, ſicut dicit *Dion. lib. de myſtica Theologia*, quòd ille, qui melius Deo unitur in hac vita, unitur ei ſicut omninò ignoto; tamen plenius ipſum cognoſcimus in quantum plures, & excellentiores effectus eius nobis demonſtrãtur: quia interdum aliquæ res ſenſibiles formantur divinitus, aut etiam voces ad aliquid divinum exprimẽdum, ſicut in baptiſmo viſus eſt Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ, & *vox Patris audita eſt: Hic eſt Filius meus dilectus.* Etiam in quãtum ei aliqua attribuimus ex revelatione divina, ad quæ ratio naturalis non pertingit, ut Deum eſſe Trinum, & Vnum, ſecundùm illud 1. Cor. 2. *Nobis revelavit Deus per Spiritum ſanctum* illa, ſcilicet, *quæ nemo Principum huius ſeculi novit.* Id eſt, Philoſophorum, ut *Glo.* exponit.

Tertia concluſio. Ante Chriſti adventum fides Trinitatis erat occulta in fide majorum voluntáte rationi præcipiente. Patet. Quia, ut dicit *ſecunda ſecundæ q. 2. artic. 6.* explicatio credendorum fit per revelationem divinã: credibilia enim naturalem rationem excedũt; revelatio autem divina ordine pervenit quodã ad inferiores per ſuperiores, ſicut ad homines per Angelos, & ad inferiores Angelos per ſuperiores, ut patet per *Dion. de cæl. Hierar. cap. 4.* Et ideo pari ratione explicatio fidei oportet, quòd perveniat ad inferiores homines per ſuperiores, ſecundùm quod dicitur Iob 1. cap. *Boves arabant, & aſinæ paſcebantur iuxta eos.* Quia videlicet minores, qui ſignificãtur per aſinas, debent in credẽdis adhærere majoribus, qui per boves ſignificantur, ut *Gregorius* exponit 2. *moral. cap. 35. Hæc Sanctus Thomas.*

Quarta concluſio. Poſt Chriſti adventum manifeſtata eſt fides Trinitatis mundo per Apoſtolos Deo efficiente. Patet. Quia, ut dicit *ſecunda ſecundæ q. 5. artic. 2.* intellectus credentis aliquando convincitur ad hoc, quòd judicet eſſe credendum his, quæ dicuntur, licèt non convincatur per evidentiam rei; ſicut ſi aliquis Propheta prænũciaret in ſermone Domini aliquid futurum, & adhiberet ſignum, mortuum ſuſcitando. Ex hoc ſigno convinceretur intellectus videntis, ut cognoſceret manifeſtè hoc dici à Deo, qui non mentitur, licèt illud futurum, quod prædicitur, in ſe evidens non eſset, unde per hoc ratio fidei non tolleretur. Ideo fides Chriſti in fidelibus laudatur: quia vident multa manifeſta indicia, ex quibus percipiunt doctrinam Eccleſiæ eſse à Deo, quamvis ipſi res ipſas, quas Eccleſia docet, non videant: puta Deum eſse Trinum, & Vnum, vel aliquid huiuſmodi. Vnde Dominus dicit Ioan. 17. *Pater, manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi.* Quod exponens *Auguſt. tract. 106. in Io.* dicit: Non illud nomen tuum, quo vocaris Deus, ſed illud, quo vocaris Pater meus. Hoc nomen eis prius occultum, nunc manifeſtavit eis.) Ille enim, qui hoc credit, habet ſufficiens inductivum ad credendum. Inducitur enim auctoritate divinæ Scripturæ miraculis confirmatæ, & quod plus eſt, interiori inſtinctu Dei juvantis. Ideo dicitur: Si dixero vobis cæleſtia, credetis.

Si

Si dixero vobis cæleſtia

Appropriatorum, credetis.
Angelorum, credetis.
Cælorum, credetis.
Elementorum, credetis.
Patriarcharum, credetis.
Prophetarum, credetis.
Scientiarum, credetis.
Creaturarum, credetis.
Apoſtolorum, credetis.
Miraculorum, credetis.
Paganorum, credetis.
Virtuoſorum, credetis.

PRIMO. *Si dixero vobis cæleſtia ſancta Trinitatis declarata ſignis appropriatorum, credetis.*

Sciendum, quòd ad manifeſtationem fidei, conveniens fuit eſſentialia attributa Perſonis divinis appropriari. Licèt enim Trinitas Perſonarum demonſtrativè probari non poſſit, contingit tamen, ut per aliqua magis manifeſta declaretur. Eſſentialia autem attributa ſunt nobis manifeſta magis, quàm propria Perſonarum: quia ex creaturis, à quibus cognitionem accipimus, poſſumus per certitudinem devenire in cognitionem eſſentialium attributorum, non autem in cognitionem perſonalium proprietatum. Intellectus autem noſter, qui ex creaturis in Dei cognitionem manuducitur, oportet, quòd cum conſideret ſecundùm modum, quem à creaturis aſsumit. In conſideratione autem creaturæ quatuor nobis conſideranda per ordinem concurrunt.

Primò cõſideratur res ipſa abſolutè, in quantum eſt ens quodam; & ſic, ſi conſideretur Deus abſolutè ſecundùm eſse ſuum, ſic ſumitur appropriatio *Hilarii* 2. *de Trin.* dicentis: Æternitas eſt in Patre, ſpecies in imagine, uſus in munere; ſecundùm quam æternitas appropriatur Patri, ſpecies Filio, uſus Spiritui ſancto.) Æternitas enim in quantum ſignificat non eſse principiatum, ſimilitudinem habet cum proprio Patris, qui eſt principium non de principio. Species autem, ſive pulchritudo ſimilitudinẽ habet cum propriis Filii: nam ad pulchritudinem tria requiruntur. 1. Integritas, ſive perfectio: quæ enim diminuta ſunt, ex hoc ipſo turpia ſunt; & ſecundùm hoc habet ſimilitudinẽ cum proprio Filii, in quantum eſt Filius habẽs in ſe naturam Patris verè, & perfectè. 2. Debita proportio, ſive conſonantia membrorum, & ſic convenit cum proprio Filii, in quantum eſt imago expreſsa Patris. Vnde videmus, quòd quando imago perfectè repræſentat rem quamvis turpem, dicitur eſse pulchra. 3. Claritas, & ſic convenit cum proprio Filii, in quantum eſt Verbum, quod quidem eſt lux, & ſplendor intellectus, ut dicit *Damaſc.* Vſus autem habet ſimilitudinem cum propriis Spiritus ſancti. Nam uſus, quo Pater, & Filius ſe invicem fruuntur, convenit cum proprio Spiritus ſancti, in quantum eſt amor. Vſus verò, quo nos fruimur Deo, convenit cum proprio Spiritus ſancti, in quantum eſt donum.

Secundò conſideratur res, in quantum eſt una; & ſic, ſi conſideretur Deus, in quantum eſt unus, ſic ſumitur appropriatio *Auguſtini lib.* 1. *cap.* 5. *de doctrina chriſtiana* dicentis: In Patre eſt unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu ſancto unitatis, æqualitatiſque concordia.) Nam unitas dicitur abſolutè, non præſupponens aliquid aliud; & ideo Patri appropriatur, qui non præſupponit aliquam perſonam, cùm ſit principium non de principio. Æqualitas autem importat unitatem in reſpectu ad alterum: nam æquale eſt, quod habet unam quantitatem cum alio; & ideo æqualitas appropriatur Filio, quæ eſt principium de principio. Connexio autem importat unitatem aliquorum duorum; unde appropriatur Spiritui ſancto, in quantum eſt à duobus.

Tertiò conſideratur res, in quantum ineſt ei virtus ad operandum; & ſic, ſi conſideretur Deus, in quantum eſt in eo virtus ad operandum, ſic ſumitur appropriatio *Auguſtini* dicentis: In Patre eſt potentia, in Filio ſapientia, in Spiritu ſancto bonitas.) Potentia enim habet rationem principii, & ſic habet ſimilitudinem cum Patre cæleſti, qui eſt principiũ totius Deitatis. Sapientia habet ſimilitudinem cum Filio cæleſti, in quantum eſt Verbum, quod nihil aliud eſt, niſi conceptus ſapientiæ. Bonitas autem, cùm ſit ratio, & objectum amoris, habet ſimilitudinem cum Spiritu ſancto, vel dono, qui eſt amor.

Quartò conſideratur res ſecundùm habitudinem, quam habet ad producta; & ſic, ſi conſideratur Deus in habitudine ad ſuos effectus, ſumitur appropriatio *Auguſt. lib. de Trin.* dicentis: Non confusè accipiendum eſt, quod dicit Apoſtolus: *Ex ipſo, & per ipſum, & in ip-*

Digitized by Google

ipſo. Ex ipſo dicens propter Patrem, per ipſum propter Filium, in ipſo propter Spiritum ſanctum.) In quantum enim hæc præpoſitio *ex* importat habitudinem cauſæ efficiẽtis, quæ competit Deo ratione ſuæ potentiæ activæ, ſic appropriatur Patri ſicut & potentia. In quantum hæc præpoſitio *per* deſignat habitudinem formæ, per quam agens operatur (ſicut dicimus, quòd artifex operatur per artẽ) ſic appropriatur Filio, qui eſt ars, & ſapientia. Prout verò res continetur à Deo, in quantum Deus ſua bonitate eas in eſſe conſervat, & gubernat ad finem convenientem adducendo, ſic Iy *in ipſo* appropriatur Spiritui ſancto, ſicut & bonitas.

SECVNDO. *Si dixero vobis cæleſtia Angelorum, in quibus relucet imago Trinitatis, credetis.*

Nam quantùm ad id, in quo conſideratur ratio imaginis, quod eſt natura intellectualis, imago Dei perfectè eſt in Angelis, ſecundùm illud Ezech. 28. *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientiâ, perfectus decore, in deliciis paradiſi Dei fuiſti*. Imago autem Trinitatis eſt in Angelis quantùm ad quatuor.

Primò. Quantùm ad diſtinctionem Hierarchiarum. In Angelis enim tres Hierarchiæ diſtinguuntur. Nam ſuperiores Angeli habent univerſaliorem cognitionem veritatis, quàm inferiores. Hæc autem univerſalis acceptio cognitionis ſecundùm triplicem gradum in Angelis poteſt diſtingui. Poſſunt enim rationes rerum, de quibus Angeli illuminantur, cõſiderari tripliciter. 1. Secundùm quod procedunt à principio univerſali, quod eſt Deus. Et iſte modus convenit primæ Hierarchiæ, quæ immediatè ad Deum extenditur, & in veſtibulis Dei collocatur, ut *Dion.* dicit 4. c. *cæl. Hierarc.* 2. Prout huiuſmodi rationes dependent ab univerſalibus cauſis creatis, quæ jam aliquo modo multiplicantur; & hic modus convenit ſecundæ Hierarchiæ. 3. Secundùm quod hujuſmodi rationes applicantur ſingulis rebus, & prout dependent à propriis cauſis; & hic modus convenit infimæ Hierarchiæ.

Secundò. Quantùm ad diſtinctionem ordinum. Nam ipſa ratio Hierarchiæ requirit ordinum diverſitatem, quæ quidem diverſitas ordinum ſecundùm diverſa officia, & actus conſideratur; ſicut in una civitate ſunt diverſi ordines ſecundùm diverſos actus. In civitatibus enim triplex ordo hominum invenitur: quidam ſunt ſupremi, ut optimates; quidam infimi, ut vilis populus; quidam medii, ut populus honorabilis. Sic etiam in qualibet Hierarchia Angelica ordines diſtinguuntur ſecundùm diverſos actus, & officia; & propter hoc *Dion. 6. cap. cæl. Hierar.* ponit tres ordines in qualibet Hierarchia.

Tertiò. Quantùm ad diſtinctionem in eodem ordine. Licèt enim omnes Angeli unius ordinis ſint aliquo modo æquales quantùm ad communem ſimilitudinem, ſecundùm quam conſtituuntur in uno ordine, tamen ſimpliciter non ſunt æquales. Vnde *Dion.* dicit 4. *cæl. Hierar.* quòd in uno, & eodem ordine Angelorum eſt accipere primos, medios, & infimos.

Quartò. Quantùm ad diſtinctionem actuũ. Nam, ut *Dion.* dicit 8. *cap. cæl. Hierar.* Angeli ſecundæ Hierarchiæ purgantur, illuminantur, & perficiuntur per Angelos primæ Hierarchiæ.

TERTIO. *Si dixero vobis cæleſtia caloram, in quibus relucet veſtigium Trinitatis, credetis.*

Nam cælum dicitur quatuor modis in Scripturis, in quibus ſanctiſſima Trinitas relucet.

Primò enim dicitur cælũ propriè, & naturaliter, & ſic dicitur cælum corpus aliquod ſublime, & luminoſum actu, vel potentiâ, & incorruptibile per naturam, & ſecundùm hoc ponuntur tres cæli: primum totaliter lucidum, quod vocatur empyreum: ſecundum totaliter diaphanum, quod vocatur cælum cryſtallinum: tertium partim diaphanum, & partim lucidum actu, quod vocatur cælum ſidereum, & dividitur in octo ſphæras, ſcilicet in ſphæram ſtellarum fixarum, & ſeptem ſphęras planetarum.

Secundò. Dicitur cælum per participationem alicuius proprietatis corporis cæleſtis, ſcilicet ſublimitatis, & luminoſitatis actu, vel potentiâ, & ſic totum iſtud ſpatium, quod eſt ab aquis uſque ad orbem lunæ, *Damaſcenus* ponit unum cælum, nominans ipſum cælum aereum, & ſic ſecundùm eum ſunt tres cæli: aereum, ſidereum, & empyreum, de quo intelligitur, quòd Apoſtolus legitur raptus uſque ad tertium cælum.

Tertiò. Dicitur cælum aliquod ſpirituale bonum, in quo eſt Sanctorum beatifica remuneratio. Vnde Luc. 6. cap. dicitur: *Merces veſtra multa eſt in cælo*, ut *Auguſtinus* exponit; & ſic ſecundùm eum ſunt tres cæli propter tres dotes animæ. Prima eſt viſio, quæ ſuc-

Digitized by Google

cedit fidei. Secunda eſt comprehenſio, quæ reſpondet ſpei. Tertia eſt fruitio, quæ connectitur charitati. Non enim apud nos omne, quod videtur, jam tenetur, vel habetur: quia videntur interdum diſtantia, vel quæ non ſunt in poteſtate noſtra. Neque etiam omnibus, quæ habemus, fruimur: quia vel non delectamur in eis, vel quia non ſunt ultimus finis noſtri deſiderii, ut noſtrum deſiderium impleant, & quietent. Sed hæc tria habent Beati in Deo: quia & vident ipſum, & videndo tenent ſibi præſentem, in poteſtate habentes ſemper eum videre, & tenentes fruuntur ſicut ultimo fine deſiderium implente.

Quartò. Dicitur cælum aliquod genus ſupernaturalis viſionis ſecundùm ordinem potentiarum cognoſcitivarum, ut primum cælum dicatur viſio ſupermundana corporalis, quæ fit per ſenſum, ſicut viſa eſt manus ſcribentis in pariete, *Dan. 5. cap.* Secundum autem cælum viſio imaginaria, puta quam vidit Iſaias, & Ioannes *in Apocalypſi*. Tertium verò cælum dicatur viſio intellectualis, quâ Angeli, & ſanctæ animæ fruuntur Dei contemplatione, de quibus exponit *Auguſtinus 12. ſuper Gen. ad litteram*, quòd Paulus eſt raptus uſque ad tertium cælum, &c.

QVARTO. *Si dixero vobis cæleſtia elementorum, in quibus ſplendet ſignum ſanctiſſimæ Trinitatis, credetis.*

Sunt enim quatuor elemẽta velut principia rerum corruptibilium, in quibus impreſſum eſt ſignum ſanctæ Trinitatis,

Primum elementum eſt ignis, in quo quidem eſt ſpecies ignis, ſplendor, & calor. Splendor ab igne naſcitur, calor ab igne, & ſplendore generatur. Vnde dicit *Auguſtinus*: Splendor eſt de igne, calor verò de utroque, & tamen coæva ſunt. Da mihi ignem ſine calore, & ſplendore, & credam Patrem ſine Filio, & Spiritu ſancto.)

Secundum elementum eſt aer, in quo ſanctiſſima Trinitas mirabilia operata eſt. Nam Pater in voce proteſtante manifeſtatur ſuper Chriſtum baptizatum tanquam actor vocis, vel loquens per vocem. Et quia proprium eſt Patri producere verbum, quod eſt dicere, vel loqui, ideo convenientiſſimè Pater per vocem manifeſtatus eſt, quæ ſignat verbum. Vnde & ipſa vox à Patre emiſſa Filiationem Verbi proteſtatur Matth. 3. *Ecce vox de cælis dicens: Hic eſt Filius meus dilectus.* Filius etiam in ſua Paſſione noluit pati ſub tecto, nec in templo Iudaico, ne putaretur pro una tantùm plebe oblatus, ſed in aere communi, ut ſacrificium eſſet commune, quod communis eſt purificatio. Etiam aſcendens in cælum, per aera tranſivit, ut per ſacram Aſcenſionem ſui Corporis mundaretur aeris infectio. Spiritus autem ſanctus datus eſt Apoſtolis in ſpecie flatus, & aeris, Ioan. 20. *Inſufflavit, & dixit: Accipite Spiritum ſanctum.*

Tertium elementum eſt aqua, in quo Trinitatem Perſonarum oſtendit *Dion. lib. de div.* Pater enim eſt inſtar fontis, Filius inſtar rivi à fonte procedentis, Spiritus ſanctus inſtar ſtagni à fonte, & rivo emanantis. Et ſicut fons generat rivum, ſic Pater generat Filium. Fons, & rivus faciunt ſtagnum: quia Pater, & Filius ſpirant Spiritum ſanctum. Fons à nullo procedit: quia Pater à nullo exiſtit, & tamen in fonte, rivo, & ſtagno eſt eadem aqua; quia in Patre, Filio, & Spiritu ſancto eſt eadem ſubſtantia.

Quartum elementum eſt terra, in qua demonſtrata eſt Perſonarum Trinitas, ex hoc, quod dicitur 1. Ioan. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra: Spiritus, aqua, & Sanguis.* Nam ex latere Chriſti fluxit aqua, ad nos abluendum per Sacramentum baptiſmi, Sanguis autem ad redimendum; Spiritus autem poſitus eſt à Chriſto ad nos Patri reconciliandum, quæ teſtantur Trinitatem Perſonarum.

QVINTO. *Si dixero vobis cæleſtia Patriarcharum, in quibus figurata eſt Trinitas divinarum Perſonarum, credetis.*

Adam credidit myſterium Trinitatis: quia ſic fuit creatus, & inſtitutus à Deo, ut haberet ſcientiam omnium, ad inſtructionem, & gubernationem generis humani. Ad gubernationem autem vitæ propriæ, & aliorum non ſolùm requiritur cognitio eorum, quæ naturaliter ſciri poſſunt, ſed etiam cognitio eorum, quæ rationem naturalem excedunt: eò quòd vita hominis ordinatur ad quendam finem ſupernaturalem, ſicut nobis ad gubernationem vitæ noſtræ neceſſarium eſt cognoſcere, quæ fidei ſunt. Vnde & de his ſupernaturalibus primus homo tantam cognitionem accepit, quanta erat neceſſaria ad gubernationem vitæ humanæ ſecundùm ſtatum illum. Vnde vidit Deum in tribus Perſonis in raptu, quando *Deus immiſit ſoporem in Adam*, Gen. 2. *cap.*

Noe credidit myſterium Trinitatis, quando in arca ſalvatus eſt cum tribus filiis, id eſt, cum fide ſanctæ Trinitatis.

Abraham credidit myſterium Trinitatis in tri-

tribus viris deſcendentibus per viam. Nam tres vidit, & unum adoravit, ut dicitur *Gen.* 18. *cap.*

Iſaac credidit myſterium Trinitatis, quando fodit tres puteos, *Gen.* 26. *cap.*

Iacob credidit myſterium Trinitatis, quando vidit ſcalam trium graduum, *Gen.* 28. *capite*.

Ioſeph credidit myſterium Trinitatis, quando vidit tres palmites in una vite, *Gen.* 40. *cap.*

Moyſes credidit myſterium Trinitatis, quando tres ſolemnitates præcipuas inſtituit, ad quas convenire debebant omnes Iudæi, *Exo.* 23. *cap.* Etiam Exod. 5. dixit: *Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum in ſolitudine*. Id eſt, ut per fidem Trinitatis ei in hac vita, in qua peregrini ſumus, fideliter ſerviamus: quia ſic ad ſalutem perveniemus.

SEXTO. *Si dixero vobis cæleſtia Prophetarum, qui ſpiritu prophetico myſterium ſanctæ Trinitatis cognoverunt, & nobis annunciaverunt, credetis*.

David in Pſal. dixit: *Verbo Domini cæli firmati ſunt: & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*. Per Dominum intelligens Patrem: quia *Ipſe invocabit me: Pater meus es tu*. Per Verbum intelligens Filium: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu*. Per Spiritum intelligens Spiritum ſanctum: quia *Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me*.

Salomon Proverb. 30. cap. ait: *Tria ſunt mihi difficilia*. Quia Trinitatem in unitate imperfectè cognovit.

Iſaias 6. c. ait: Seraphim clamant, & dicunt: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum. Plena eſt omnis terra gloriâ eius*. Cùm enim ter dicit Sanctus, oſtendit Trinitatem Perſonarum; cùm ſemel dicit Dominus Deus, oſtendit unitatem eſſentiæ.

Ieremias 1. cap. dicit: *A, a, a, Domine Deus*. Cùm tertiò dicit *a*, deſignat Trinitatem Perſonarum: quòd autem ſingulariter dicit Domine Deus, oſtendit unitatem eſſentiæ.

Daniel 5. cap. dicit, quòd apparuerunt tres digiti, quaſi manus hominis ſcribentis: appendit, numeravit, diviſit. Manus iſta eſt Deus, qui omnia creat, in qua manu ſunt tres digiti, id eſt, tres Perſonæ, de quibus dicitur Iſa. 40. *Quis appendit tribus digitis molem terræ?* Quamvis ergo iſti tres digiti habeant appendere, numerare, & dividere, tamen Pater per ſuam potentiam omnia appendit, id eſt, omnia portat, & cuſtodit. Filius per ſuam ſapientiam omnia numerat, id eſt, cognoſcit, & inveſtigat. Spiritus ſanctus per ſuam bonitatem omnia dividit, id eſt, dona ſua omnibus tribuit.

SEPTIMO. *Si dixero vobis cæleſtia ſcientiarum exprimentium ſanctiſſimam Trinitatem, credetis*.

Grammatica, quæ eſt ſcientia rectè loquendi, rectèque ſcribendi, exprimit Trinitatem: quoniam inter omnes partes orationis declinabiles non niſi tres perſonas aſſumit: ſcilicet primam de ſe loquentem, quæ ſignificat Patrem; & ſecundã, ad quam prima loquitur, quæ ſignificat Filium; & tertiam, de qua prima loquitur ad ſecundam, quæ ſignificat Spiritum ſanctum. Etiam in nomine non niſi tres articulos diſtinguit. Etiam in numero triplicem numerum ſtatuit, ſcilicet ſingularem, dualem, & pluralem.

Rhetorica, quæ eſt benè dicendi ſcientia, ad perſuadendum juſta, & bona, hanc Trinitatem exprimit: cùm tria genera cauſarum aſſumit, ſcilicet deliberativum, demonſtrativum, judiciale: eius enim ſuaſio tribus modis dividitur, ſcilicet honeſto, utili, poſſibili. Eius etiam laudis ordo tribus temporibus comprehenditur, ſcilicet ante ipſum, in ipſum, poſt ipſum.

Dialectica, quæ eſt rationalis ſcientia, atque argumentativa, hanc Trinitatem exprimit: cùm in ſyllogiſmo tres terminos aſſumit, tres propoſitiones conſtituit, quas per tres figuras ordinat, & diſtinguit.

Philoſophia, quæ eſt rerum humanarum cognitio, benè vivendi rationi conjuncta, hanc Trinitatem exprimit: cùm ſe in tres ſpecies dividit, ſcilicet in naturalem, ſive Phyſicam, quæ rerum naturas diſſerit; in Ethicam, ſive moralem, quæ mores hominum diſquirit; in rationalem, ſive logicam, quæ in naturalibus, & moralibus veritatẽ inquirit. Rerum naturas Deus Pater condidit, mores hominum Deus Filius inſtituit, veritatem omnium rerum, atque cognitionem Deus Spiritus ſanctus edocuit.

Arithmetica, quæ eſt diſciplina numerorum, hanc Trinitatem exprimit: cùm numero ternario utitur, qui eſt in divinis Perſonis, non autem prout utitur nomine triplicitatis, quæ eſt ſpecies proportionis inæqualis, ſicut patet per Boethium in Arithmetica. Vnde in divinis Perſonis non eſt triplicitas, ſed Trinitas: cùm enim dicimus Trinitatem in unitate,

non ponimus numerum in unitate eſſentiæ, quaſi ſit ter una, ſed Perſonas numeratas ponimus in unitate naturæ, ſicut ſuppoſita alicuius naturæ dicuntur eſſe unum in illa natura. Econverſo autem dicimus unitatem in Trinitate, ſicut natura dicitur eſſe una in ſuis ſuppoſitis.

Geometria, quæ menſuras, dimenſioneſque complectitur, hanc Trinitatem exprimit: cùm æqualitatem inter divinas Perſonas tranſumit. Vnde *Hylarius lib. de ſynodis* dicit: Tolle corporum infirmitates, tolle conceptus mulierum, tolle dolores, & omnem humanam neceſſitatem; omnis filius ſecundùm naturalem nativitatem æqualitas patris eſt: quia eſt initium, ſimilitudo naturæ. Et *Athanaſius* dicit: Tres Perſonæ ſibi ſunt coæquales, non ut æqualitas dicit dimenſivam quantitatem, ſed divinæ naturæ unitatem, quæ una numero eſt in Perſonis divinis.

Muſica, quæ in carminibus, canticiſque conſiſtit, hanc Trinitatem exprimit: cùm in tres partes ſe diſtribuit, ſcilicet harmonicam, quæ ſonos acutos, & graves, ac mediocres decernit; & rhythmicam, quæ in curſu verborum, an benè ſonus, an malè cohæreat, requirit; & metricam, quæ menſuras diverſorum metrorum probabili ratione cognoſcit.

Aſtronomia, quæ de mundo tractat, hanc Trinitatem exprimit: cùm de cælo, mari, ac terra inſolita plura dicit. Iob autem 11. c. dicit: *Excelſior cælo eſt, & quid facies? Profundior inferno, & unde cognoſces? Longior terrâ menſura eius, & latior mari*. Per altitudinem deſignatur potentia virtutis eius ſuper omnia, quæ appropriatur Patri. Per profunditatem virtus eius, ad cognoſcendum occulta per ſapientiam, quæ appropriatur Filio. Per latitudinem affectus dilectionis ad omnia per charitatem, & amorem, quæ appropriatur Spiritui ſancto.

Medicina, quæ corporis vel reſtaurat, vel tuetur ſalutem, hanc Trinitatem exprimit, dum morborum curationem in tres partes deducit, ut una ſit, quæ medicamentis, altera quæ manu, tertia quæ victu medeatur. Primam Pharmaceuticen, ſecundam Chirurgicen, poſtremam Diæteticen Græci vocant. Hæc curationum genera Chriſtus exercuit in corporibus humanis. De primo dicitur Marci 6. cap. *Quotquot eum tangebant, ſalvi fiebant*. Exemplum de homine, habente 38. annos in infirmitate. De altero patet in cæco nato: quia *Lutum fecit ex ſputo*, Ioan. 9. De tertio dicitur Matth. 9. cap. *Euntes, diſcite quid eſt: miſericordiam volo*, &c. Sed hæc opera Chriſtus faciebat in nomine Patris ſui, dicens Ioan. 5. cap. *Opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me*. Etiam virtute Spiritus ſancti. Iſa. 61. cap. *Spiritus Domini ſuper me, eò quòd unxerit me*, &c. *ut mederer contritis corde*. Et Matth. 12. cap. *Ego in Spiritu Dei eiicio dæmones*.

OCTAVO. *Si dixero vobis cæleſtia creaturarum, in quibus relucet veſtigium Trinitatis divinarum Perſonarum, credetis*.

Vnde *Auguſtinus 6. de Trin. cap.* 10. dicit, quòd veſtigium Trinitatis in creaturis apparet. Nam in omnibus creaturis invenitur repræſentatio Trinitatis per modum veſtigii, in quantum in qualibet creatura inveniuntur aliqua, quæ neceſſe eſt reducere in divinas Perſonas, ſicut in cauſam. Hoc autem veſtigium invenitur tripliciter.

Primò. Secundùm quod dicit *Auguſt. loco cit.* Veſtigium Trinitatis invenitur in unaquaque re creata, ſecundùm quod unum aliquid eſt, & ſecundùm quod aliqua ſpecie formatur, & ſecundùm quod quendam ordinem tenet. Quælibet enim creatura ſubſiſtit in ſuo eſſe, & habet formam, per quam determinatur ad ſpeciem, & habet ordinem ad aliquid aliud. Secundùm ergo quod eſt quædam ſubſtantia creata, repræſentat cauſam, & principium, & ſic demonſtrat Perſonam Patris, qui eſt principium non de principio. Secundùm autem quod habet quandã formã, & ſpeciem, repræſentat Verbum, ſecundùm quod forma artificiati eſt ex conceptione artificis. Secundùm autem, quod habet ordinem, repræſentat Spiritum ſanctum, qui eſt amor: quia ordo effectus ad aliquid alterum, eſt ex voluntate creantis.

Secundò. Penes illud, quod ponitur Sap. 11. *Omnia in numero, pondere, & menſura diſpoſuiſti*. Nam menſura refertur ad ſubſtantiam rei limitatam ſuis principiis, numerus ad ſpeciem, pondus ad ordinem.

Tertiò. Penes id, quod ponit *Auguſtinus lib.* 83. *quæſt.* Quod conſtat, quod diſcernitur, quod congruit. Conſtat enim aliquid per ſuam ſubſtantiam, diſcernitur per formam, congruit per ordinem. Et *lib.* 12. *de Trin. cap.* 6. *Auguſtinus* oſtendit imaginem Trinitatis in homine, inducens auctoritatem Gen. 1. cap. *Faciamus hominem, ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*. Non enim potuit eſſe verbum ad Angelos: quia ipſi creatores non ſunt.

ſunt. Quod ergo dicit: *Faciamus*, & *noſtram*, pluralitatẽ indicat Perſonarũ: quia, ſi non eſſet ibi pluralitas in Perſonis, non diceret: *faciamus*, ſed faciam: nec *noſtram*, ſed meam. Quòd verò dicit: *ad imaginem*, & *ſimilitudinem*, pertinet ad unitatem ſubſtantiæ, quæ, ſi non eſset ibi, non diceret *ad imaginem*, ſed ad imagines, nec *ad ſimilitudinem*, ſed ad ſimilitudines. In homine enim mens, notitia eius, & amor eius, tria quædam ſunt. Ecce, mens novit ſe, & amat: non enim poſſet ſe amare, niſi noſceret ſe. Ipſa autem mens eſt quaſi parens, notitia eius quaſi proles. Tertius eſt amor, qui quidem ab ipſa mente, & notitia procedit.

NONO. *Si dixero vobis cæleſtia Apoſtolorum expreſsè docentium myſterium Trinitatis, credetis.*

Matth. ultimo cap. dicitur: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Mar. ultimo cap. dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Lucæ 1. cap. dicitur: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*, &c. uſque: *Filius Dei*, &c. Ioann. 1. cap. dicitur: *In principio erat Verbum.* Et 1. Ioan. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi Tres Vnum ſunt.* Paulus 2. Cor. 13. cap. dicit: *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti Spiritus ſit cum omnibus vobis.*

DECIMO. *Si dixero vobis cæleſtia miraculorum, declarantium myſterium Trinitatis, credetis.*

Hoc tribus miraculis declaratur. Primum ponit *Magiſter hiſtoriarum ſcholaſticarum*, & *Euſebius*, quòd in Nativitate Chriſti in Oriente apparuerunt tres ſoles, qui paulatim ſibi appropinquantes, in unum ſolem redacti ſunt, per quod ſignificabatur, quòd cognitio unius Dei, & trium Perſonarum toti mundo imminebat.

Secundum miraculum ponit *Eutropius*. Cùm enim quidam ſacerdos Arrianus quendam baptizaret, & formam Trinitatis mutaret dicens: Ego te baptizo in nomine Patris per Filium in Spiritu ſancto, volens ex hoc oſtendere, quòd Filius, & Spiritus ſanctus non eſsent Patri æquales, ſubitò aqua diſparuit, & baptizandus ad Eccleſiam catholicam confugit.

Tertium miraculum ponit *Sigebertus*, quòd circa annos Domini quingentos quinquagin-

ta, cùm intra Gallias Arriana hæreſis pullularet, quæ Filium, & Spiritum ſanctum minores Patre affirmat, in urbe Vaſatenſi, dum Epiſcopus ejuſdem urbis Miſsam celebraret, vidit tres guttas clariſſimas æqualis magnitudinis de cælo ſuper altare deſcendiſse, quæ ſibi paulatim appropinquantes unam gẽmam pulcherrimam effecerunt; quam cùm in medio cujuſdam aureæ Crucis poſuiſſet, gemmæ, quæ ibi erant, tantam eius pulchritudinem non ferentes, ſubitò ceciderunt. Immundis autem hominibus videbatur horribilis, & obſcura; mundis autem, & puris delectabilis, & clara: multis infirmis præſtitit ſanitatem, & adorantibus ipſam Crucem auxit virtutem. Vnde *Richar. lib. 1. de Trin.* dicit ſic: Vtinam attenderent Iudæi, utinam adverterent Pagani, cum quanta conſcientiæ ſecuritate pro hac fide Trinitatis ad divinum judicium poterimus accedere. Nonne cum omni confidentia Deo dicere poterimus? Domine, ſi error eſt, à te ipſo decepti ſumus. Nam hæc fides tantis ſignis, & prodigiis confirmata eſt, quæ non niſi per te fieri poſsunt. Et certè à ſummæ ſanctitatis viris nobis eſt tradita, tum ſummâ, & authenticâ atteſtatione probata, te ipſo cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. *Hæc ille.*

VNDECIMO. *Si dixero vobis cæleſtia Paganorum præſignantium myſterium Trinitatis, credetis.*

Non enim cognoverunt Philoſophi myſteriũ divinarũ Perſonarũ per propria, quæ ſunt paternitas, filiatio, & proceſſio, ſecundùm illud Apoſtoli 1. Cor. 2. *Loquimur Dei ſapientiam, quam nemo Principum huius ſeculi novit*, id eſt, Philoſophorum ſecundùm *Glo.* Cognoverunt tamen quædam eſsentialia attributa, quæ appropriantur Perſonis: ſicut potentia appropriatur Patri, ſapientia Filio, bonitas Spiritui ſancto. De quibus Philoſophis quatuor ſunt principales, qui per hæc appropriata cognoverunt aliquid de myſterio Trinitatis.

Ariſtoteles 1. *de cælo, & mundo* dixit: Omne, & totum ponimus ſuper tria. Per hunc enim numerum adhibuimus nos ipſos magnificare Deum unum, eminentem proprietatibus eorum, quæ ſunt creata. Non quòd intellexerint Trinitatem Perſonarum in Divinis, ſed vult dicere, quòd antiqui ternario numero utebantur in ſacrificiis, & orationibus, propter quandam ternarii numeri perfectionem.

Pla-

Digitized by Google

Plato etiam in libris ſuis poſuit, quòd in principio erat Verbum, & Verbũ erat apud Deum, & Deus erat Verbum, ſecundùm quod dicit *Aug. 7. lib. confeſſ. cap.* 8. ſe in eis legiſſe, non ſecundùm quod Verbum ſignat Perſonam genitam in Divinis, ſed ſecundùm quod per verbum intelligitur ratio idealis rerum, per quam Deus omnia condidit, quæ Filio appropriantur.

Magi Pharaonis dicuntur defeciſſe in tertio ſigno, id eſt, in notitia tertiæ Perſonæ, ſcilicet Spiritus ſancti, ut dicit *Glo. Rom.* 1. & *Exod.* 7. Quia licèt appropriata tribus Perſonis cognoſcerent, dicuntur tamen in tertio ſigno defeciſſe, id eſt, in cognitione tertiæ Perſonæ: quoniam à bonitate, quæ Spiritui ſancto appropriatur, deviaverunt, dum cognoſcentes Deum *non ſicut Deum glorificaverunt*, ut dicitur Rom. 1. cap.

Triſmegiſtus etiam dixit: Monas gignit Monadem, & in ſe ſuum reflectit ardorem; non tamen referendo ad generationem Filii, & proceſſionem Spiritus ſancti, ſed ad productionem mundi. Vnus enim Deus produxit unum mundum propter ſui ipſius amorem. Et propter hoc dicit *Hilarius lib. de Trinitate*: Non putet homo ſuâ intelligentiâ Sacramentum generationis, & proceſſionis ſe poſſe conſequi. *Ambroſius* etiam dicit: Mihi eſt impoſſibile ſcire generationis divinæ ſecretum: mens deficit, vox filet, non mea tantùm, ſed etiam omnium Angelorum.

DVODECIMO. *Si dixero vobis cæleſtia virtuoſorum manifeſtantium myſterium Trinitatis, credetis.*

Virtutes enim Theologicæ (de quibus dicitur 1. Cor. 13. *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas; tria hæc.*) ſatis manifeſtant Perſonarum Trinitatem. Vnde *Ber. lib. parv. Serm. ſer.* 1. dicit: Eſt Trinitas, per quam homo reſurgit, ſcilicet fides, ſpes, charitas. Fides præceptorũ, ſignorũ, promiſſorum. Spes veniæ, gratiæ, gloriæ. Charitas de corde puro, conſcientiâ bonâ, & fide non ficta.)

Fides Trinitatis Divinarum Perſonarum eſt nobis neceſſaria tripliciter. 1. Ad rectè ſentiendum de creatione rerum. Per hoc enim, quòd dicimus Deum omnia feciſſe verbo ſuo, excluditur error, ponentium Deum produxiſſe res ex neceſſitate naturæ. Per hoc autẽ, quòd ponimus in eo proceſſionem amoris, oſtenditur, quòd Deus non propter aliquam indigentiam produxit creaturas, neque propter aliquam cauſam extrinſecam, ſed propter amorem ſuæ bonitatis. Vnde & Moyſes, poſtquam dixerat: *In principio creavit Deus cælum, & terram*, ſubdidit: *Dixit Deus: Fiat lux.* Ad manifeſtationem Divini Verbi. Et poſtea dixit: *Vidit Deus lucem, quòd eſſet bona.* Ad oſtendendum approbationem Divini amoris. Et ſimiliter in aliis operibus.

2. Ad rectè ſentiendum de ſalute generis humani, quæ perficitur per Filium incarnatum, & per dona Spiritus ſancti.

3. Ad conſecrationem baptiſmi, cuius principalis cauſa, à qua virtutem habet, eſt ſancta Trinitas; in cuius ſignificationem fit trina immerſio in baptiſmo aquæ. Vnde *Auguſtinus in quodam ſermone de ſymbolo* dicit ad baptizatos: Rectè tertiò merſi eſtis: quia accepiſtis baptiſmum in nomine Trinitatis.) Hæc autem fit ad majorem expreſſionem, non autem ad neceſſitatem ſalutis.

Spes autem Trinitatis eſt nobis neceſſaria propter tres partes pœnitentiæ, quæ ſunt contritio, confeſſio, & ſatisfactio. Nam ex parte pœnitẽtis requiritur 1. Voluntas recompenſandi, quod quidem fit per contritionem. 2. Quòd ſe ſubjiciat arbitrio Sacerdotis locò Dei, quod fit in confeſſione. 3. Quòd recompenſet ſecundùm arbitrium miniſtri Dei, quod fit in ſatisfactione. Luc. 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.*

Charitas autẽ Trinitatis eſt nobis neceſſaria propter tria. 1. Propter dæmonum expulſionem, quod ſignificatur in quodam fideli notario apud Conſtantinopolim, quem cùm quidam magus duxiſſet ad conſpectũ maximę multitudinis dæmonum, à ſedente in throno interrogatus, an ſervus eius fieri vellet, ſignans ſe ſigno Crucis, ait: Ego ſum ſervus ſanctiſſimæ Trinitatis. Et ſtatim illa multitudo dæmonum aufugit.

2. Propter tribulationum propulſionem. Cùm enim gravis peſtilentia Conſtantinopolim opprimeret, quidam puer de medio populi raptus in cælum, Canticum ſanctæ Trinitatis (ſcilicet *Sancte Deus, ſancte Fortis, ſancte immortalis Salvator mundi, miſerere nobis*) ab Angelis edoctus eſt; quod cùm rediens coram populo decantaſſet, mox omnis peſtilentia eſt fugata.

3. Ad malorum converſionem. Nam cùm Archiepiſcopus quidam ſimoniacus eſſet, & omnes teſtes pecuniâ corrupiſſet, quidã legatus, vir ſanctus, ei præcepit, ut verſum ſanctæ Trinitatis: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto* diceret, rogans Deum, quòd ſi

ſi-

ſimoniacus eſset, Spiritum ſanctum, cui injuriam fecerat, nominare non poſset; quod & factum eſt. Et ſic ille deprehenſus, peccatum ſuum humiliter eſt confeſsus, & pœnitentiam egit.

Hanc Trinitatem David invocans dixit in Pſal. *Benedicat nos Deus Deus noſter, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.* In hoc, quòd ter dicit Deus, oſtendit Perſonarum Trinitatem. In hoc, quòd ſingulariter dicit, oſtendit eſsentiæ unitatem. Credamus ergo firmiter hanc Trinitatem Perſonarum, & eſsentiæ unitatem, ut hic habeamus gratiam, & in futuro gloriam. Amen.

SERMO SEPTIMVS
IN FESTO
CORPORIS CHRISTI.

Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus. Ioann. 6. cap.

PAulus Apoſtolus Hebr. 2. cap. dicit: *Quia ergo pueri communicaverant carni, & ſanguini, & ipſe ſimiliter participavit eiſdem, ut per mortem deſtrueret eum, qui mortis habebat imperium, id eſt, diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti.* Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtrum omnibus fidelibus ſacro fonte ablutis, Sacramenti Euchariſtiæ communicatio ſit de neceſſitate ſalutis?

AD iſtam quæſtionem reſpondent tres Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt *Alexander Papa V. à Petro, ut habetur de conſe. diſ. 2. c. Nihil*, dicens: Nihil in ſacrificiis majus eſſe poteſt, quàm Corpus, & Sanguis Chriſti; nec ulla oblatio hac potior eſt, ſed hæc omnes præcellit, quæ purâ conſcientiâ Domino offerenda eſt, & purâ mente ſumenda, atque ab omnibus veneranda: & ſicut potior eſt ceteris, ita potius excoli, & venerari debet.)

Secundus eſt *Euſebius, ut habetur ead. diſ. cap.* Quia corpus aſſumptum ablaturus erat ab oculis noſtris, & ſideribus illaturus, neceſſe erat, ut in die cœnæ Sacramentum nobis Corporis, & Sanguinis ſui conſecraret: ut coleretur jugiter per myſterium, quod ſemel offerebatur in pretium: ut, quia quotidiana, & indefeſſa currebat pro hominum ſalute redemptio, perpetua eſſet etiam redemptionis oblatio, & perennis illa victima viveret in memoria, & ſemper præſens eſſet in gratia.)

Tertius eſt *S. Thom. 3. parte q. 14. artic. 3.* dicens: In hoc Sacramento eſt duo conſiderare, ſcilicet ipſum Sacramentũ, & rem Sacramẽti. Res Sacramenti eſt unitas corporis myſtici, ſine quo nõ poteſt eſse ſalus. Nulli enim patet aditus ſalutis extra Eccleſiam, ſicut nec in diluvio abſque arca Noe, quæ ſignificat Eccleſiam, ut habetur 1. *Pet.* 3. Res autem alicuius Sacramenti haberi quidem poteſt ante perceptionem Sacramenti ex ipſo voto Sacramenti percipiendi; unde ante perceptionem huius Sacramenti poteſt homo habere ſalutem ex voto percipiendi hoc Sacramentum, ſicut & ante baptiſmum ex voto baptiſmi. Tamen eſt differentia quantùm ad duo. Primò quidem, quia baptiſmus eſt principium ſpiritualis vitæ, & janua Sacramentorum: Euchariſtia verò eſt quaſi conſummatio ſpiritualis vitæ, & omnium Sacramentorum finis: per ſanctificationes enim omniũ Sacramentorũ fit præparatio ad ſuſcipiendã, & conſecrandã Euchariſtiã. Et ideo perceptio baptiſmi eſt neceſſaria ad inchoandam ſpiritualem vitam; perceptio autem Euchariſtiæ eſt neceſſaria ad conſummandam ipſam, non ad hoc, quòd ſimpliciter habeatur, ſed ſufficit eam habere in voto, ſicut & finis habetur in deſiderio, & intentione. Alia differentia eſt, quia per baptiſmum ordinatur homo ad Euchariſtiam; & ideo ex hoc ipſo, quòd pueri baptizantur, ordinantur

Digitized by Google

tur per Eccleſiam ad Euchariſtiam; & ſic ſicut ex fide Eccleſiæ credunt, ſic ex intentione Eccleſiæ deſiderant Euchariſtiam, & per conſequens recipiunt rem ipſius, ſed ad baptiſmum non ordinantur per aliud præcedens Sacramentum; & ideo ante ſuſceptionem baptiſmi non habent aliquo modo pueri baptiſmum in voto, ſed ſoli adulti, unde rem Sacramenti percipere non poſſunt ſine perceptione Sacramenti; & ideo hoc Sacramentum non hoc modo eſt de neceſſitate ſalutis, ſicut baptiſmus: poteſt enim aliquis Chriſto incorporari voto mentis, etiam ſine huius Sacramenti perceptione. Vnde *Auguſtinus in epiſtola ad Bonifacium* dicit: Nulli eſt aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium Corporis, Sanguiniſque Dominici participem fieri, quando in baptiſmate membrum Corporis Chriſti efficitur, nec alienari ab illius Panis, Caliciſque conſortio, etiamſi, antequàm Panem illum comedat, & Calicem bibat, de hoc ſeculo in unitate Corporis Chriſti conſtitutus abſcedat. *Hæc S. Thom.*

Sciendum, quòd hæc verba Chriſti non contradicunt legi Dei, prout quidam exiſtimant, licèt in ſuperficie videantur ſtupenda. Sunt enim quatuor auctoritates legis Dei, quæ diſſuadent eſum carnis cum ſanguine.

Prima eſt Gen. 9. cap. *Omne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum. Quaſi olera virentia tradidi vobis omnia; excepto, quòd carnem cum ſanguine non comedetis. Sanguinem enim animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum, & de manu hominis. Quicunque effuderit ſanguinem humanum, effundetur ſanguis illius.*

Secunda eſt Levit. 7. cap. *Sanguinem quoque omnis animalis non ſumetis in cibo, tam de avibus, quàm de pecoribus. Omnis anima, quæ ederit ſanguinem, peribit de populis ſuis.*

Tertia eſt Deut. 12. cap. *Hoc ſolum cave, ne ſanguinem comedas: ſanguis enim eorum pro anima eſt: & idcirco non debes animam comedere cum carnibus, ſed ſuper terram fundes quaſi aquam, ut bene ſit tibi, & filiis tuis poſt te, cùm feceris, quod placet in conſpectu Domini.*

Quarta eſt 1. Reg. 14. cap. *Comedit populus carnes cum ſanguine. Nunciaverunt Sauli dicentes, quòd populus peccaſſet Domino, comedens cum ſanguine. Qui ait: Prævaricati eſtis*, &c.

Sunt autem quatuor auctoritates in lege Chriſti, quibus mandatur, ut comedamus carnem cum ſanguine.

Prima eſt Ioann. 6. cap. *Ego ſum Panis vivus, qui de cœlo deſcendi: ſi quis manducaverit ex hoc Pane, vivet in æternum: & Panis, quem ego dabo, Caro mea eſt pro mundi vita.*

Secunda eſt ejuſdem ibidem. *Niſi manducaveritis Carnem filii hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam.*

Tertia eſt Pauli Apoſtoli 1. Cor. 11. *Dominus Ieſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate: Hoc eſt Corpus meum. Similiter & calicem, poſtquam cœnavit, dicens: Hic Calix novum teſtamentum, eſt in meo Sanguine. Hoc facite, quotieſcunque bibetis, in meam commemorationem.*

Quarta eſt Apo. 19. cap. *Vidi unum Angelum ſtantem in ſole, & clamavit voce magna, dicens omnibus avibus, quæ volant per medium cælum: Venite, & congregamini ad cœnam Dei magnam, ut manducetis carnes.*

Ad tollendam hanc contrarietatem utriuſq; legis, reſpondendum eſt 1. ad primas 4. auctoritates. Vnde *Sanctus Thomas prima ſecundæ q. 102. artic. 3. ad 8.* dicit: Hoc autem generaliter obſervabatur, quòd ſanguis, & adeps non veniebant, neque in uſum Sacerdotum, neque in uſum offerentium, ſed ſanguis effundebatur ad crepidinem altaris in honorem Dei, adeps autem adurebatur in igne. Cuius ratio una quidem fuit, ad excludendum idololatriã: quia idololatrãtiũ cõſuetudo erat, ut ſanguinem adunatũ congregarent ad comedendum in honorem idolorum, quibus reputabant ſanguinem acceptiſſimum eſse. Vnde libabant de ſanguine victimarum, & comedebant adipem, ſecundùm illud Deut. 32. cap. *De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum.* Ideo Dominus mandavit, ut ſanguis effunderetur, & quòd pulvere operiretur. Secunda ratio eſt, ad informationem humanæ vitæ. Prohibebatur enim uſus ſanguinis ad hoc, quod horrerent humani ſanguinis effuſionem. Eſus verò adipum prohibebatur eis, ad vitandum laſciviam. Vnde dicitur Ezech. 34. *Quod craſſum erat, occidebatis.* Tertia ratio eſt propter reverentiam divinæ Majeſtatis. Quia ſanguis eſt maximè neceſsarius ad vitam, ratione cuius anima dicitur eſse in ſanguine. Adeps verò abundantiam nutrimenti demonſtrat; & ideo, ut oſtenderetur, quòd à Deo nobis eſt & vita, & omnis bonorum ſufficientia, ad honorem Dei

ef-

Digitized by Google

effundebatur ſanguis, & adurebatur adeps. Quarta ratio eſt. Quia per hoc figurabatur effuſio Sanguinis Chriſti, & pinguedo charitatis eius, per quam ſe obtulit Deo pro nobis. *Hæc Sanctus Thomas.*

Auctoritates autem legis Chriſti non loquuntur de manducatione corporali, ſed ſpirituali, ſicut dicit *Auguſtinus lib. de remedio pœnitentiæ, ut habetur de conſe. diſ. 2. cap.* Vt quid paras dentes, & ventrem? Crede, & manducaſti. Credere enim in eum, hoc eſt Panem vivum manducare. Qui credit in eum, manducat eum.) Chriſtus ergo non manducatur corporaliter ad refectionem vitæ corporalis, ſed ſpiritualis, quod patet. Nam cùm Dominus dixiſſet: *Niſi manducaveritis Carnem filii hominis*, &c. multi ex Diſcipulis eius audientes dixerunt: *Durus eſt hic ſermo*. Quibus ipſe Dominus ait: *Spiritus eſt, qui vivificat, caro autem non prodeſt quicquam*. Quaſi diceret ſecundùm expoſitionem *Auguſt. ſuper Pſal. 98.* Spiritualiter intellige, quæ locutus ſum. Non hoc Corpus, quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri illum Sanguinem, quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi, quod ſpiritualiter intellectum, vivificabit vos.) Non enim erat manducandum in ea ſpecie, quâ ab eis videbatur, ſed ſpiritualiter. Nam Sacramenta Eccleſiæ ordinantur ad ſubveniendum homini in vita ſpirituali; vita autem ſpiritualis vitæ corporali conformatur, eò quòd corporalia ſpiritualium ſimilitudinem gerunt. Manifeſtum eſt autem, quòd, ſicut ad vitam corporalem requiritur generatio, per quam homo vitam accipit, & augmentum, quo homo perficitur ad vitam; ita etiam requiritur alimentum, quo homo conſervatur in vita. Et ideo, ſicut ad vitam ſpiritualem oportuit eſſe baptiſmum, qui eſt ſpiritualis regeneratio, & confirmationem, quæ eſt ſpirituale augmentum; ita oportuit eſſe Sacramentum Euchariſtiæ, quod eſt ſpirituale alimentum: ordinamur enim ad ſpiritualem refectionem, quæ corporali conformatur. Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur: ſcilicet cibus, qui eſt alimentum ſiccum, & potus, qui eſt alimentum humidũ; & ideo etiam ad integritatẽ huius Sacramenti duo concurrunt: ſcilicet ſpiritualis cibus ad ſalutem corporis, & ſpiritualis potus ad ſalutem animæ; propterea dicitur:

Caro mea verè eſt cibus

Angelorum. Comprehenſorum.
Electorum. Catholicorum.
Iuſtorum. Viatorum. Philoſophorum.

PRIMO. *Caro Chriſti verè eſt cibus Angelorum*. Nam quantũ ad effectum huius Sacramenti manna fuit præcipua eius figura quantùm ad ſex.

Primò. Manna erat naturæ mirabilis: quoniam in radio ſolis liquefiebat, & ad ignem indurabatur. Sic Corpus Chriſti in cordibus vanis liquefit, & evaneſcit: in cordibus verò ignitis per charitatem perdurat, & in cælum deducit: & ſicut mali ſumunt hoc Sacramentum ad ſui damnationem, ſic boni ad conſolationem.

Secundò. Quando deſcendebat manna de cælo, deſcendebat ſimul & ros cæli. Sic quando Corpus Chriſti ſumitur â dignis, confertur eis ſimul gratia Dei, & virtutes, imo eas auget, cùm invenit.

Tertiò. Manna erat album, & ad modum nivis erat candidum. Sic communicans debet habere cor mundum, & purum.

Quartò. Manna habebat in ſe omne delectamentum cibi terreſtris. Sic Euchariſtia habet in ſe omne delectamentum cibi cæleſtis, quod non ſentitur in maſticatione cibi, ſed in ſanctis meditationibus, & contemplatione cæleſtium, ſurſum elevando mentem per gratiam.

Quintò. Guſtus mannæ convertebatur in omnem ſaporem, ut quilibet deſiderabat. Sic dulcedini huius Sacramenti nullus ſapor aſſimilatur: quia ſi quis perfectè guſtaverit eius dulcedinem, reputabit delectationes mundi abſynthium. Exemplum. Petrus in monte Thabor guſtans de hac dulcedine, dixit Chriſto: *Domine, bonum eſt nos hic eſſe*, &c. Vnde *Gregorius*: Guſtato ſpiritu deſipit omnis caro.

Sextò. Moyſes præcepit populo, ut mane ante ſolis ortum exirent, & ſinguli pro illo die unum gomor colligerent: ſed miraculo Dei, voraces, qui plus collegerant, quando redibant ad propria, non inveniebant plus, quàm unum gomor; qui autem non plenum gomor collegerant, quando redibant ad propria, plenum gomor inveniebant. Sic communicans, qui plures hoſtias ſumit, non habet

bet plus quàm ille, qui unam tantùm ſumit. Similiter ille, qui acceperit particulam hoſtiæ, non minus habet quàm ille, qui integram, vel plures ſumpſerit. Rectè ergo manna, quod ſignificabat Corpus Chriſti, dicitur cibus Angelorum quadrupliciter.

1. Quantùm ad præfigurationem. Nam manna formabatur in cælo miniſterio Angelorũ. Pſal. *Panem cæli dedit eis: Panem Angelorum manducavit homo.*

2. Quantùm ad viſionẽ. Nam Corpus Chriſti eſt in hoc Sacramẽto per modũ ſubſtantiæ. Subſtantia autẽ, in quantum hujuſmodi, non eſt viſibilis oculo corporali, neque ſubjacet alicui ſenſui, neque imaginationi, ſed ſoli intellectui, cuius objectũ eſt quod quid eſt, ut dicitur 3. *de anima.* Et ideo propriè loquẽdo, Corpus Chriſti ſecundùm modum, quem habet in hoc Sacramento, neque ſenſu, neque imaginatione perceptibile eſt, ſed ſolo intellectu, qui dicitur oculus ſpiritualis. Percipitur autem diverſimodè à diverſis intellectibus: quia enim modus eſſendi, quo Chriſtus eſt in hoc Sacramento, eſt penitus ſpiritualis, à ſpirituali intellectu, ſcilicet divino, ſecundùm ſe viſibilis eſt; & per conſequens ab intellectu beato, vel Angeli, vel hominis, qui ſecundùm participatam claritatem divini intellectus videt ea, quæ ſpiritualia ſunt, per viſionem divinæ eſſentiæ, non tamen intellectus Angelicus per ſua naturalia ſufficit ad hoc intuendum.

3. Quantùm ad fruitionem. Si enim conſideretur Chriſtus, prout in ſua ſpecie conſiſtit, ſic Angeli ſpiritualiter manducant ipsũ Chriſtum, inquantum ei uniuntur fruitione charitatis perfecta, & viſione manifeſta, quem Panem expectamus in patria, nunc per fidem, per quam nos hìc ei unimur. Vnde *Glo. ſuper illud Pſal. Panem Angelorum manducavit homo,* dicit: Id eſt Corpus Chriſti, qui eſt verè cibus Angelorum. Et *Auguſtinus ſuper Ioan. tract. 26.* dicit: Hunc cibum, & potum vult intelligi ſocietatem corporis, & membrorum ſuorum, quod eſt Eccleſia in prædeſtinatis.) Sed ad hanc ſocietatem non ſolùm pertinent homines, ſed etiam Angeli; ergo ſancti Angeli ſpiritualiter manducant: quia ipſo fruuntur in patria in propria ſpecie.

4. Quantùm ad aſſociationem. Vnde *Gregorius in homil. paſchali, ut habetur de conſe. diſt. 2. cap. Quid ſit,* dicit: Quis enim fidelium habere dubium poſſit, in ipſa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Ieſu Chriſti myſterio choros Angelorum adeſſe, ſumma inis ſociari? Vno eodemque tempore, ac momento in cælo rapitur miniſterio Angelorũ Corpori Chriſti conſociandum.) Et Apoc. 19. cap. dicitur: *Et exercitus, qui ſunt in cælo, ſequebantur eum.* Verè ergo Caro Chriſti eſt cibus Angelorum.

SECVNDO. *Caro Chriſti eſt verè cibus Electorum.* Nam in hoc Sacramento eſt tria conſiderare: ſcilicet id, quod eſt Sacramentum tantùm, ſcilicet panis, & vinum; & id, quod eſt res, & Sacramentum, ſcilicet Corpus Chriſti verum; & id, quod eſt res tantùm, ſcilicet effectus huius Sacramenti.

Agnus paſchalis, quantùm ad hæc tria præfigurabat hoc Sacramentum. Quantùm enim ad primum: quia manducabatur cum azymis panibus, ſecundùm illud Exo. 12. *Edent carnes, & azymos panes.*

Quantùm verò ad ſecundum: quia immolabatur ab omni multitudine filiorum Iſrael decimâ quartâ lunâ, quod fuit figura Paſſionis Chriſti, qui propter innocentiam dicitur Agnus.

Quantùm verò ad effectum: quia per ſanguinem Agni paſchalis protecti ſunt filii Iſrael à devaſtante Angelo, & educti de Ægyptiaca ſervitute; & quantùm ad hoc ponitur figura huius Sacramenti præcipua Agnus paſchalis: quia ſecundùm omnia eam repræsẽtat. Nam litteralis ratio paſchalis convivii fuit in commemorationẽ beneficii, quo Deus eduxit eos de Ægypto; unde per huius convivii celebrationem profitebantur ſe ad illum populum pertinere, quem Deus ſibi aſſumpſerat de Ægypto. Quando enim fuerunt de Ægypto liberati, præceptum eſt eis, ut ſanguine agni linirent ſuperliminatia domorum, quaſi proteſtantes ſe recedere à ritibus Ægyptiorum, qui arietem colebant; unde & liberati ſunt per ſanguinis agni aſperſionem, vel per linitionem in poſtibus domorum à periculo exterminii, quod imminebat Ægyptiis.

In illo autem exitu eorum de Ægypto duo fuerunt: ſcilicet feſtinantia ad egrediendum. Impellebant enim eos Ægyptii, ut exirent velociter, ut habetur *Exo. 12. cap.* Imminebatque ei periculum, qui non feſtinaret exire cum multitudine, ne remanens occideretur ab Ægyptiis.

Feſtinantia autem deſignabatur dupliciter. Vno quidem modo per ea, quæ comedebant:

præ-

præceptum enim erat eis, ut comederent panes azymos in huius ſignum, quòd non poterant fermentari, cogentibus eos exire Ægyptiis; & quòd comederent aſſum igni: ſic enim velocius præparabatur; & quòd os non comminuerent ex eo: quia in feſtinantia non vacat oſſa frangere.

Alio modo quantùm ad modum comedendi. Dicitur enim: *Renes veſtros accingetis: calceamenta habebitis in pedibus veſtris, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinanter.* Quod manifeſtè deſignat homines exiſtentes in procinctu itineris. Ad idem etiam pertinet, quia eis præcipitur: *In una domo comedetis: nec feretis de carnibus eius foras.* Quia, ſcilicet propter feſtinantiam, non vacabat invicem mittere encænia. Amaritudo autem, quam paſſi fuerant in Ægypto, figurabatur per lactucas agreſtes.

Figuralis ratio horum patet. Quia per immolationem agni Paſchalis ſignificabatur immolatio Chriſti, ſecundùm illud 1. Cor. 5. cap. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Sanguis verò agni liberans ab exterminatore, linitus ſuperliminaribus domorum, ſignificat fidem Paſſionis Chriſti in corde, & ore fideliũ, per quam liberamur à peccato, & morte, ſecundùm illud 1. Pet. 1. *Redempti eſtis pretioſo Sanguine Agni immaculati.* Comedebantur autem carnes illæ, ad ſignificandum eſum Corporis Chriſti in Sacramento. Erant autem aſſæ igni, ad ſignandum Paſſionem, & charitatem Chriſti. Comedebantur autem cum azymis panibus, ad figurandum puram converſationem fidelium ſumentium Corpus Chriſti, ſecundùm illud 1. Cor. 5. *Epulemur in azymis ſynceritatis, & veritatis.* Lactucæ autem agreſtes adduntur in ſignum pœnitentiæ peccatorum, quæ neceſſaria eſt ſumentibus Corpus Chriſti. Renes autem ſunt accingendi cingulo caſtitatis. Calceamenta autem pedum ſunt exempla mortuorum Patrum, ſcilicet ne ſancta deſideria ulla ſorde maculentur. Baculi autem habendi in manibus ſignant paſtoralem cuſtodiam, ſcilicet firmitatem rectæ fidei, & ſanctæ vitæ, quam inchoaverunt. Præcipitur autem, quòd in una domo agnus Paſchalis comedatur, id eſt, in Eccleſia Catholicorum, non in conventiculis Hæreticorum. Et quia effectus Sacramenti poteſt ab aliquo percipi, ſi Sacramentum habeatur in voto, quamvis non habeatur in re; ita etiam aliqui manducant ſpiritualiter hoc Sacramentum, antequam ſacramentaliter ſumant, ſcilicet propter figuram, ſicut Apoſtolus dicit 1. Cor. 10. quòd antiqui Patres *baptizati ſunt in nube, & in mari, & quòd ſpiritalem eſcam manducaverunt, & ſpiritalem potum biberunt.* Nam caro Chriſti eſt verè cibus electorum quadrupliciter.

1. Corporis Chriſti veritate. Vnde *Hilarius lib. 8. de Tri.* dicit: De veritate Carnis, & Sanguinis Chriſti non eſt relictus ambigendi locus: nunc enim & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra Caro eius verè eſt cibus, & Sanguis eius verè eſt potus. Et *Ambro. lib. 6. cap. 1. de Sacramentis:* Sicut verus eſt Dei Filius Dominus Ieſus Chriſtus; ita vera Chriſti Caro eſt, quam accipimus, & verè Sanguis eius eſt potus.) Sed verum Chriſti Corpus, & Sangninem eius eſſe in hoc Sacramento, neque ſenſu deprehendi poteſt, ſed ſola fide, quæ auctoritati Divinæ innititur. Vnde ſuper illud Luc. 22. *Hoc eſt Corpus meum*, &c. dicit *Cyrillus:* Non dubites, an hoc ſit verum, ſed potiùs ſuſcipe verba Salvatoris in fide. Cùm enim ſit veritas, non mentitur.) Hoc autem convenit perfectioni novæ legis. Sacrificia enim veteris legis iſtud verum ſacrificium Paſſionis Chriſti continebant ſolùm in figura, ſecundùm illud Hebr. 10. *Vmbram habens lex futurorum bonorum non ipſam imaginem rerum.* Et ideo oportuit, ut aliquid plus haberet ſacrificium novæ legis à Chriſto inſtitutum: ſcilicet ut contineret Chriſtum paſſum, non ſolùm in ſignificatione, vel in figura, ſed etiam in rei veritate. Et ideo ipſum Sacramentum, quod Chriſtum realiter continet, *Dion.* dicit 4. *cap. Eccleſ. Hier.* eſse perfectiſſimum omnium aliorum Sacramentorum, in quibus virtus Chriſti participatur.

2. Chriſti Dei, & hominis viventis totalitate. Aliquid enim eſt in hoc Sacramento dupliciter. Vno modo quaſi ex vi Sacramenti, alio modo ex naturali concomitantia. Ex vi quidem Sacramenti eſt ſub ſpeciebus huius Sacramenti id, in quod directè cõvertitur ſubſtantia panis, & vini præexiſtentis, prout ſignificatur per verba formæ, quæ ſunt in hoc Sacramento effectiva, ſicut & in ceteris, puta cùm dicitur: Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt Sanguis meus. Ex naturali autem concomitantia eſt in hoc Sacramento illud, quod realiter eſt conjunctum ei, in quod prædicti converſio terminatur. Si enim aliqua duo realiter ſunt conjuncta, ubicunque eſt unum realiter, oportet & aliud eſse. Sola enim operatione animæ diſtinguuntur, quæ realiter

ter ſunt conjuncta. Vnde converſio panis, & vini non terminatur ad Deitatem, vel ad Animam Chriſti; & ideo Divinitas, vel Anima Chriſti non ſunt in hoc Sacramento ex vi Sacramenti, ſed ex reali concomitantia. Quia enim Divinitas Corpus aſſumptum nunquam depoſuit, ubicunque eſt Corpus Chriſti, neceſſe eſt, & eius Divinitatem eſſe; & ideo in hoc Sacramento neceſse eſt eſſe Divinitatem Chriſti concomitantem eius Corpus. Vnde in *ſymbolo Epheſino* legitur: Participes efficimur Corporis, & Sanguinis Chriſti, non ut communem carnem percipientes, nec viri ſanctificati, & Verbo conjuncti ſecundùm dignitatis unitatem, ſed verè vivificatricem, & ipſius Verbi propriam factam. Quia verò *Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur*, ut dicitur Rom. 6. cap. Ideo Anima eius ſemper eſt realiter Corpori unita in hoc Sacramento; Corpus quidem Chriſti ex vi Sacramenti, Anima autem ex reali concomitantia.

3. Inſtituentis auctoritate. Nam poſt peccatum primi hominis ſine fide Paſſionis Chriſti nunquam potuit eſſe ſalus, ſecundùm illud Rom. 3. *Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in Sanguine ipſius*. Et ideo oportuit omni tempore apud homines eſſe aliquod repræſentativum Dominicæ Paſſionis, cuius in veteri quidem Teſtamento præcipuum Sacramentum erat agnus Paſchalis. Vnde & Apoſtolus dicit 1. Cor. 5. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*. Cui ſucceſſit in novo Teſtamento Euchariſtiæ Sacramentum, quod eſt rememorativum præteritæ Paſſionis, ſicut & illud fuit præfigurativum futuræ; & ideo imminente Paſſione celebrato priori Sacramento Chriſtus novum Sacramentum inſtituit. Vnde *Leo Papa* dicit: Vt umbræ cederent corpori, antiqua obſervantia novo excluditur Sacramento. Hoſtia in hoſtiam tranſit, & legalis feſtivitas, dum mutatur, impletur.

4. Suſcipientis conſervabilitate. Hæc enim eſt differentia inter alimentum corporale, & ſpirituale, quòd alimentum corporale convertitur in ſubſtantiam eius, qui nutritur; & ideo non poteſt homini valere ad vitæ conſervationem alimentum corporale, niſi realiter ſumatur. Sed alimentum ſpirituale convertit hominem in ſeipſum, ſecundùm illud, quod *Auguſtinus* dicit *in lib. 7. confeſ. cap.* 10. quòd quaſi audivit vocem Chriſti dicentis: Nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.

TERTIO. *Caro Chriſti verè eſt cibus luſtorum*. Chriſtus enim dicitur Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech: quia Melchiſedech geſſit figuram ſacrificii Chriſti, offerens panem, & vinum. Vnde quantùm ad id, quod eſt Sacramentum tantùm, potiſſima figura huius Sacramenti fuit oblatio Melchiſedech, qui obtulit panem, & vinum, & hoc quidem rationabiliter: quia hoc Sacramentum per omnia continet ſanctitatem præcipuè quoad quatuor.

Primò. Quia celebratur in materia triticea, quâ ſuavitas novæ legis figuratur. Nam panis hordeaceus, quo Chriſtus pavit turbas in mõte, ut dicitur *Ioann. 6.* ſignificat duritiam veteris legis, tum propter duritiam panis, tum quia etiam, ut *Auguſtinus* dicit *lib. 83. quæſtionum*, hordei medulla, quæ tenaciſſimâ paleâ tegitur, vel ipſam legem ſignificat, quæ ita data erat, ut in ea vitale animæ alimentum corporalibus Sacramentis obtegeretur; vel ipſum populum, nondum expoliatum carnali deſiderio, quod tanquam palea cordi eius inhærebat.) Hoc autem Sacramentum pertinet ad ſuave jugum Chriſti, & ad veritatem jam manifeſtam, & ad populum ſpiritualem. Vnde materia conveniens huius Sacramenti eſt panis triticeus: quia in hoc conſecratur Chriſtus, qui ſe grano frumenti comparat. Ioann. 12. *Niſi granum frumenti cadens in terram*, &c. Et Chriſtus creditur in huius panis ſpecie hoc Sacramentum inſtituiſſe. Pſal. *Panis cor hominis confirmet*.

Secundò. In diſpoſitione azymorum, quâ ſynceritas populi denotatur. Nam conſuetudo de pane azymo conficiendo rationabilior eſt: tum propter inſtitutionem Chriſti, qui hoc Sacramentum inſtituit primâ die azymorum, ut habetur *Matth. 26. Marc. 14. & Luc. 22.* Tum quia panis eſt propriè Sacramentum Corporis Chriſti, quod ſine corruptione conceptum eſt, magis quàm Deitatis ipſius: tum quia hoc competit magis ſynceritati fidelium, quæ requiritur ad uſum huius Sacramenti, ſecundùm illud 1. Cor. 5. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus; itaque epulemur in azymis ſynceritatis, & veritatis*.

Tertiò. In commixtione vini cum aqua, per quam conjunctio capitis, & membrorum conſideratur. Nam ſicut Dominus comparavit ſe grano frumenti, ita etiam ſe comparavit viti, dicens Ioann. 15. *Ego ſum vitis vera*. Et ideo de ſolo vino vitis poteſt confici

hoc

Digitized by Google

hoc Sacramentum: tum propter inſtitutionem Chriſti, qui in vino vitis inſtituit hoc Sacramentum, ut patet ex eo, quod ipſe dicit Matth. 26. circa inſtitutionem huius Sacramenti: *Dico enim vobis: quia amodò non bibam de hoc genimine vitis*. Tum quia vinum vitis competit ad effectum huius Sacramenti, qui eſt ſpiritualis lætitia: quia ſcriptum eſt in Pſal. *Vinum lætificat cor hominis*. Vino autem, quod offertur in hoc Sacramento, debet aqua commiſceri: quia *Amb.* dicit, *ut habetur de conſe. diſ. 2. cap. In calicem*: Sicut ſacrificium Chriſti ſignificatum eſt per oblationem Melchiſedech, qui obtulit panem, & vinum; ita etiam ſignificatum eſt per aquam, quæ in eremo fluxit de petra, ſecundùm illud 1. Cor. 10. *Bibebant autem de ſpiritali, conſequente eos petrâ*. Miſcetur autem aqua vino: tum propter inſtitutionem Chriſti, qui hoc Sacramentum inſtituit in vino aquâ permixto. Proverb. 9. *Bibite vinum, quod miſcui vobis*. Tum quia cõvenit repræſentationi Dominicæ Paſſionis. Vnde dicit *Alexander Papa, ut habetur de conſe. diſ. 2. cap. In Sacramentorum*: Nõ debet in calice Domini aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed utrumque permixtum: quia utrumque ex latere Chriſti in Paſſione ſua legitur profluxiſſe.) Tum quia hoc competit ad ſignificandum effectum huius Sacramenti, qui eſt unio populi chriſtiani ad Chriſtum. Quia, ut *Iulius Papa* dicit *ubi ſupra cap. Cum omne*: Videmus in aqua populum intelligi, in vino verò oſtendi Sãguinem Chriſti. Ergo cùm in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur.)

Quartò. In conſecratione duplicis ſpeciei, per quam vera, & generalis unitas deſignatur. Nam, ut dicit *Ambr. ſuper* 11. *cap.* 1. *epiſt. ad Corinth.* Hoc Sacramentum valet ad tuitionem corporis, & animæ. Ideo Caro Chriſti ſub ſpecie panis pro ſalute corporis, Sanguis verò ſub ſpecie vini pro ſalute animæ offertur; ſicut dicitur Levit. 17. quòd *anima lis anima in ſanguine eſt*. Similiter ad repræſentandum effectum reſpectu totius Eccleſiæ, quæ conſtituitur ex diverſis fidelibus, ſicut panis conficitur ex diverſis granis, & vinum fluit ex diverſis uvis, ut dicit *Gloſſa* ſuper illud 1. Cor. 10. *Multi unum corpus ſumus in Chriſto*. *Auguſtinus* etiam *tract. 26. in Ioann. dicit*: Dominus noſter Corpus, & Sanguinem ſuum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquod rediguntur ex multis. Nanque aliud, ſcilicet panis, ex multis granis in unum conſtat; aliud, ſcilicet vinum, ex multis racemis confluit. Et ut idem *Auguſtinus tract. eod. in Ioann.* ait: O Sacramentum pietatis! ò ſignum unitatis! ò vinculum charitatis!) Iſte enim Panis manducatur à Iuſtis ſuaviter, & cum devotione propter decem effectus mirabiles ipſius.

1. Quia eſt gratiæ augmentativus. Vnde ipſe Dominus ait Ioan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*. Nam effectus huius Sacramenti conſideratur ex modo, quo traditur, ſcilicet per modum cibi, & potus; & ideo omnem effectum, quem cibus, & potus materialis facit quantùm ad vitam corporalem (quia ſuſtentat, auget, reparat, & delectat) hoc totum facit iſtud Sacramentum quantùm ad vitam ſpiritualem. Vnde *Amb.* dicit *lib. 2. cap. 4. de Sacramentis*: Iſte Panis eſt vitæ æternæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit. Et *Chryſo. hom. 45. in Ioannem* dicit: Præſtat ſe nobis deſiderantibus, & palpare, & comedere, & amplecti. Vnde & ipſe Dominus dicit: *Caro mea verè eſt cibus*, &c. Per hoc enim Sacramentum augetur gratia, & perficitur ſpiritualis vita ad hoc, quòd homo in ſeipſo perfectus exiſtat per conjunctionem ad Deum.

2. Quia eſt mentis transformativus. In hoc enim Sacramẽto ſumuntur tria: ſcilicet Caro, Anima, & Divinitas. Caro unit ſibi corpus dignè communicantis, Anima voluntatem, Divinitas intellectum. Dignè communicans totus transformatur in Chriſtum. Corpus enim Chriſti glorificatum, licèt non conveniat cum mortali, tamen ſi quæ in eo reperiat convenientia ſibi, illa rapit ad ſe, & perficit: Anima Chriſti juncta animæ communicantis ei infundit charitatis ardorem: Divinitas verò irradiat intellectualem ſplendorem. Nam ſacrum Corpus Chriſti vires corporis dignè communicantis auget, confortat, & perficit; cui vitam præſtat, ſanitatem roborat, puritatem, caſtitatem, fortitudinem inducit; & dotat muneribus ſacris, levitatem corporis firmat, ut patet de multis, qui diù vixerunt ex ſola communione Euchariſtiæ; & de eis, qui levabantur à terra pluribus cubitis, nulli prorſus innixi corporeo ſuſtentaculo. Etiam vires animæ accenduntur ad fervorem, creſcit fides, ſpes renovatur, & novum lumen Divinæ veritatis intellectui condonatur; ſic ergo homo in Deum transformatur. Et ſicut Chriſtus in mundum viſibiliter veniens contulit mundo vitam gratiæ, ſecundùm il-

illud Io. 1. *Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtũ facta eſt*. Ita in hominem ſacramentaliter veniens vitam gratiæ operatur, ſecundùm illud Ioan. 6. *Qui manducat me, vivet propter me*. Vnde *Cyrillus lib. 4. in Ioann. cap. 12. & 14.* dicit: Vivificativum Dei Verbum uniens ſeipſum propriæ carni, fecit ipſam vivificativam. Decebat enim eum noſtris quodammodo uniri corporibus per ſacram eius Carnem, & pretioſum Sanguinem, quæ accipimus in benedictione vivificativa, & in pane, & vino.

3. Quia eſt animæ lætificativus. Vnde Pſal. dicit: *Iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei: & delectentur in lætitia*. Cùm enim maximè proprium ſit amicitiæ convivere amicis, ut *Philoſophus* dicit 9. *Ethicorum*; ideo Chriſtus ſui præſentiam corporalem electis ſuis repromittit in præmium. Matth. 24. *Vbi fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ*. Interim tamen nec ſui præſẽtiâ corporali in hac peregrinatione deſtituit, ſed per veritatem Corporis, & Sanguinis ſui ſpiritualiter eos ſibi conjungit in hoc Sacramento. Vnde ipſe dicit Ioann. 6. *Qui manducat meã Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo*. Propter quod iſtud Sacramentum eſt maximæ charitatis ſignum, & noſtræ ſpei ſublevamentum ex tam familiari conjunctione Chriſti ad nos. Pſal. *Introibo ad altare Dei: ad Deum qui lætificat iuventutem meam*.

4. Quia eſt habitualis charitatis actuativus. Nam hoc Sacramentum confert gratiam ſpecialiter cum virtute charitatis. Vnde *Damaſ. lib. 4. orth. fid. cap.* 14. comparat hoc Sacramentum carboni, quem Iſaias vidit, *Iſa. 6.* Carbo enim ſimplex lignum non eſt, ſed unitum igni; ita & Panis communicationis non ſimplex panis eſt, ſed unitus Divinitati. Sicut autem *Gregorius* dicit *in homilia Penteceſtes, quæ eſt* 30. *in Evang.* Amor Dei non eſt otioſus: operatur enim magna, ſi eſt. Et ideo per hoc Sacramentum, quantùm eſt ex ſui virtute, non ſolùm habitus gratiæ, & virtutis confertur, ſed etiam excitatur in actum, ſecundùm illud 2. Cor. 5. *Charitas Chriſti urget nos*. Et inde eſt, quòd ex virtute huius Sacramenti anima ſpiritualiter reficitur per hoc, quòd anima delectatur, & quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis Divinæ, ſecundùm illud Cant. 5. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi*. Et Pſal. *Impinguaſti in oleo caput meum: & calix meus inebrians quàm præclarus eſt!* Quia enim Sacramenta operantur ſecundùm ſimilitudinem, per quam ſignificant; ideo per quandam ſimilitudinem dicitur, quòd in hoc Sacramento Corpus Chriſti offertur pro ſalute corporis, & Sanguis Chriſti pro ſalute animæ, quãvis utrumque ad ſalutem utriuſque operetur, cùm ſub utroque ſit totus Chriſtus. Et licèt corpus non ſit immediatum ſubjectum gratiæ, ex anima tamen redundat quidam effectus gratiæ ad corpus, dum in præſenti membra noſtra exibemus arma juſtitiæ ad ſerviendum Deo, ut dicitur *Rom. 6.* & in futuro corpus noſtrum ſortietur incorruptionem, & gloriam animæ.

5. Quia eſt æternæ gloriæ collativus. In hoc enim Sacramento conſiderantur duo. Primò id, ex quo habet effectum, ſcilicet ipſe Chriſtus contentus, & Paſſio eius repræſentata. Secundò id, per quod habet effectum, ſcilicet uſus Sacramenti, & ſpecies eius. Quantùm ad utrumque competit huic Sacramento, quòd cauſet adoptionem gloriæ, & vitæ æternæ. Nam ipſe Chriſtus per ſuam Paſſionem aperuit nobis aditum vitæ æternæ, ſecundùm illud Heb. 9. cap. *Novi Teſtamenti mediator eſt, ut morte intercedente, qui vocati ſunt, repromiſſionem accipiant æternæ hæreditatis*. Vnde & in forma huius Sacramenti dicitur: *Hic eſt Calix Sanguinis mei, novi, & æterni Teſtamenti*. Et Ioan. 6. dicitur. *Si quis manducaverit ex hoc Pane, vivet in æternum*. Similiter etiam refectio ſpiritualis cibi, & unitas ſignificata per ſpecies panis, & vini, habentur quidem in præſenti, ſed imperfectè, perfectè autem in ſtatu gloriæ. Vnde *Auguſtinus tract. 26. in Evang.* dicit ſuper illud Ioan. 6. *Caro mea verè eſt cibus*: Cùm cibo, & potu id appetant homines, ut non eſuriant, neque ſitiant, hoc veraciter non præſtat, niſi iſte cibus, & potus, qui eos, à quibus ſumitur, immortales, & incorruptibiles facit in ſocietate Sanctorum, ubi pax erit, & unitas plena, atque perfecta.) Et ſicut Paſſio Chriſti, ex cuius virtute hoc Sacramentum operatur, eſt quidem cauſa ſufficiens gloriæ, & non tamen ita, quòd ſtatim per ipſam introducamur in gloriam, ſed oportet, ut ſimul priùs compatiamur, ut poſtea ſimul glorificemur, ut dicitur *Rom. 8.* Ita hoc Sacramentum non ſtatim nos in gloriam introducit, ſed dat nobis virtutem perveniendi ad gloriam; & ideo viaticum dicitur. In cuius figura legitur 3. Reg. 19. quòd *Elias comedit, & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, uſque ad montem Dei*

Ho-

Horeb. Et ſicut Paſſio Chriſti non habet effectum in his, qui ſe ad eam non habent, ut debent; ita & per hoc Sacramentum non adipiſcuntur gloriam, qui indecenter ipſum ſuſcipiunt. Vnde *Auguſtinus* dicit *tract. 26. in Ioann.* exponens illa verba: *Iudicium ſibi manducat*: Aliud eſt Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur. Panem ergo cæleſtem ſpiritualiter manducare, eſt innocentiam ad altare apportare.) Vnde non eſt mirum, ſi illi, qui innocentiam non ſervant, effectum huius Sacramenti non conſequuntur, puta æternam gloriam.

6. Quia eſt mortalis peccati remiſſivus. Virtus enim huius Sacramenti poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo ſecundùm ſe, & ſic hoc Sacramentum habet virtutem, ad remittendum quæcunque peccata ex Paſſione Chriſti, quæ eſt fons, & cauſa remiſſionis peccatorum. Alio modo poteſt conſiderari per comparationem ad eum, qui recipit hoc Sacramentum, prout in eo invenitur, vel non invenitur impedimentum percipiendi hoc Sacramentum. Quicunque autem habet conſcientiam peccati mortalis, habet in ſe impedimentum percipiendi effectum huius Sacramenti; eò quòd non eſt conveniens ſuſceptor huius Sacramenti: tum quia non vivit ſpiritualiter; & ita non debet ſpirituale nutrimentum ſuſcipere, quod non eſt niſi viventis: tum quia non poteſt uniri Chriſto, quod fit per hoc Sacramentum, dum eſt in affectu peccandi mortaliter. Et ideo, ut dicitur *in lib. de Eccleſiaſticis dog. cap.* 53. Si mens in affectu peccandi eſt, gravatur magis Euchariſtiæ perceptione, quàm purificetur. Vnde hoc Sacramentum in eo, qui ipſum percipit cum conſcientia peccati mortalis, non operatur remiſſionem peccati mortalis, ſecundùm illud 1. Cor. 11. *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit*. Super quo dicit *Glo.* quòd ille manducat, & bibit indignè, qui in crimine eſt, vel irreverenter tractat. Et talis manducat, & bibit ſibi judicium, id eſt, damnationem. Poteſt tamen hoc Sacramentum operari remiſſionem peccati dupliciter. Vno modo non perceptum actu, ſed voto; ſicut cùm quis primò juſtificatur à peccato. Alio modo etiam perceptum ab eo, qui eſt in peccato mortali, cuius conſcientiam & affectum non habet: fortè enim primò non fuit ſufficienter contritus. Sed devotè, & reverenter accedens, per hoc Sacramentum conſequitur gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remiſſionem peccati.

7. Quia eſt peccati venialis deletivus. In hoc enim Sacramento duo poſſunt conſiderari: ſcilicet ipſum Sacramentum, & res Sacramenti; & ex utroque habet virtutem ad remiſſionem venialium peccatorum: nam hoc Sacramentum ſumitur ſub ſpecie cibi nutrientis. Nutrimentum autem cibi neceſſarium eſt corpori, ad reſtaurandum id, quod quotidie deperditur per caloris naturalis depaſcentiam. Spiritualiter autem quotidie in nobis aliquid deperditur ex calore concupiſcentiæ per peccata venialia, quæ diminuunt fervorē charitatis; & ideo competit huic Sacramento, quòd remittat peccata venialia. Vnde *Ambr.* dicit *lib. 5. de Sacramentis cap. 4.* quòd iſte Panis quotidianus ſumitur in remedium quotidianæ infirmitatis. Res autem huius Sacramenti eſt charitas, non ſolùm quantùm ad habitum, ſed etiam quantùm ad actum, qui excitatur in hoc Sacramento, per quod peccata venialia ſolvuntur. Ideo dicit *Innoc. III.* quòd hoc Sacramentum veniale delet, & cavet mortale, &c.

8. Quia eſt à peccatis præſervativus. Peccatum enim eſt quædam mors ſpiritualis animæ; unde hoc modo præſervatur aliquis à peccato futuro, ſicut præſervatur corpus à morte futura, quod quidem fit dupliciter. Vno modo, in quantum natura hominis interius roboratur contra interiora corruptiva, & ſic præſervatur à morte per cibum, & medicinam. Alio modo per hoc, quòd munitur contra exteriores impugnationes, & ſic præſervatur per arma, quibus munitur corpus. Vtroque autem modo hoc Sacramentum præſervat à peccato: primò quidem per hoc, quòd Chriſto conjungit per gratiam, roborat ſpiritualem vitam hominis, tanquam ſpiritualis cibus, & ſpiritualis medicina. Pſal. *Panis cor hominis confirmet*. Ioann. 6. *Hic eſt Panis, de cælo deſcendens: ut, ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur*. Super quo dicit *Auguſtinus tract. 26. in Ioann.* Securus accede: Panis eſt, non venenum. Alio modo in quantum eſt ſignum Paſſionis Chriſti, per quam victi ſunt dæmones: repellit enim omnem dæmonum impugnationem. Vnde *Chryſoſtomus* dicit *hom. 45. ſuper Ioann.* Vt leones flammam ſpirantes, ſic ab illa menſa diſcedimus terribiles effecti diabolo.

9. Quia eſt à pœnis peccatorum liberativus. Hoc enim Sacramentum eſt ſacrificium,

&

Digitized by Google

& Sacramentum. In quantum offertur, habet rationem ſacrificii; in quantum ſumitur, habet rationem Sacramenti: ſed effectum Sacramenti habet in eo, qui ſumit, effectum autem ſacrificii habet in eo, qui offert, vel in illis, pro quibus offertur. In quantum eſt Sacramentum habet effectum dupliciter. Vno modo directè ex vi Sacramenti, alio modo ex quadam concomitantia. Ex vi Sacramenti habet illum effectum, ad quem eſt inſtitutum, ſcilicet ad ſpiritualiter nutriendum per unionē ad Chriſtum, & ad membra eius, ſicut & nutrimentum unitur nutrito: ſed quia hæc unitas fit per charitatem, ex cuius feruore aliquis conſequitur remiſſionem, non ſolùm culpæ, ſed etiam pœnæ; inde eſt, quòd ex conſequenti per quandam concomitantiam ad principalem effectum homo conſequitur remiſſionem pœnæ, non quidem totius, ſed ſecundùm modum ſuæ devotionis, & feruoris. In quantùm verò eſt ſacrificium, habet vim ſatisfactivam; ſed in ſatisfactione magis attenditur affectus offerentis, quàm quantitas oblationis. Vnde & Dominus dixit Luc. 21. de vidua, quæ obtulit duo æra, quòd *plus omnibus miſit*. Quamvis ergo hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna, tamen ſit ſatisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, ſecundùm quantitatem ſuæ devotionis,& non pro tota pœna.

10. Quia eſt vivis,& defunctis ſumentibus, & non ſumentibus, præſentibus, & non præſentibus profectivus. In quantum enim in hoc Sacramento repræſentatur Paſſio Chriſti, quâ Chriſtus obtulit ſe hoſtiam Deo, ut dicitur *Eph.*5. habet rationem ſacrificii. In quantum verò in hoc Sacramento traditur inviſibiliter gratia ſub viſibili ſpecie, habet rationem Sacramenti.Sic ergo hoc Sacramentum ſumẽtibus quidem prodeſt per modum Sacramenti, & per modum ſacrificii: quia pro omnibus ſumentibus offertur. Dicitur enim in Canone Miſſæ: *Quotquot ex hac Altaris participatione ſacroſanctum Filii tui Corpus, & Sanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cæleſti, & gratiâ repleamur*. Sed aliis, qui non ſumunt, prodeſt per modum ſacrificii, in quantum pro ſalute ipſorum offertur. Vnde & in Canone Miſſæ dicitur: *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis pro ſe, ſuiſque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis, & incolumitatis ſuæ*. Et utrumque modum Dominus exprimit dicens Matth. 26. & Lucæ 22. *Qui pro vobis*, ſcilicet ſumentibus, & *pro multis*, ſcilicet aliis, *effundetur in remiſſionem peccatorum*, &c.

QVARTO. *Caro Chriſti eſt verè cibus viatorum*. Triplex enim tempus conſideratur in hominum indigentium refectione.

Primò. Tempus præteritum, & ſic indigent Chriſto, velut Agno in ſacrificium: quoniam hoc Sacramentum reſpectu præteriti eſt commemorativum Dominicę Paſſionis, quæ fuit verum ſacrificium. Licèt autem agnus Paſchalis fuerit præcipua figura huius Sacramenti quantùm ad Paſſionem Chriſti, quæ repræſentatur per hoc ſacrificium(& ideo ſemel tantùm in anno ſumebatur: quia Chriſtus ſemel tantùm mortuus eſt, & propter hoc etiam Eccleſia ſemel tantùm in anno celebrat memoriam Paſſionis Chriſti) tamen in hoc Sacramento traditur nobis memoriale Chriſti per modum cibi, qui quotidie ſumitur; & ideo, quantùm ad hoc, ſignificatur per manna, quod quotidie dabatur populo in deſerto.

Secundò. Tempus præſens;& ſic indiget re huius Sacramenti,ſcilicet communione. Quoniam hoc Sacramentum reſpectu præſentis eſt ſignificativum eccleſiaſticæ unionis,cui homines aggregantur, & ſic nominatur communio, vel ſynaxis. Dicit enim *Damaſ. lib.*4. *ort.fid.cap.*14.quòd dicitur communio:quia per ipſam communicamus Chriſto, & quia participamus eius Carne, & Deitate, & quia communicamus, & vivimus ad invicem per ipſam.

Tertiò. Tempus futurum; & ſic indiget homo effectu huius Sacramenti, ſcilicet gratiâ: quoniam hoc Sacramentum eſt præfigurativum fruitionis Dei, quæ erit in patria; & ſic dicitur viaticum: quia præbet nobis viã illuc perveniendi, & ſecundùm hoc dicitur Euchariſtia, id eſt, bona gratia: quia, ut dicitur Rom. *6. Gratia Dei, vita æterna*. Vel quia realiter continet Chriſtum, qui eſt plenus gratiâ. Dicitur etiam in Græco metalepſis, id eſt, aſſumptio: quia, ut *Damaſ.* dicit: Per hoc Filii Deitatem aſſuminus. Et ſic dicitur hoſtia ſalutaris, quia continet ipſum Chriſtum. *Eph.* 5.

Inter viatores autem vocatos ad hanc refectionem eſt triplex differentia, quæ Luc. 14. notatur, ubi dicitur: *Homo quidam*, id eſt, Chriſtus, *fecit cœnam magnam*, id eſt, inſti-

tuit

tuit Sacramentum illud, & *vocavit multos*.

1. Quidam per præceptum compelluntur. Nam ſecundùm diverſum ſtatum Eccleſiæ diverſa circa hoc ſtatuta emanaverunt. In primitiva enim Eccleſia, quando magis vigebat devotio fidei chriſtianæ, ſtatutum fuit, ut fideles quotidie communicarent. Vnde *Anacletus Papa* dicit, *ut habetur de conſe. diſ. 2. cap.* Peracta conſecratione omnes communicent, qui nolunt eccleſiaſticis carere liminibus. Sic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana tenet Eccleſia.) Poſtmodum verò diminuto fidei fervore *Fabianus Papa* indulſit, ut, ſi non frequentius, ſaltem ter in anno omnes communicent, ſcilicet in Paſcha, in Pentecoſte, in Nativitate Domini. *Soter Papa* etiam in cœna Domini dicit eſſe communicandum, ut dicitur *ibidem*. Poſtmodum verò propter iniquitatis abundantiam refrigeſcente charitate multorum, ſtatuit *Innoc. III.* ut ſaltem ſemel in anno, ſcilicet in Paſcha fideles communicent, ut *Extra de pœn. & remiſ. cap. Omnis*. Conſulitur tamen in *lib. de eccle. dogm. cap.* 53. omnibus diebus dominicis communicandum.

2. Quidam repelluntur, ſcilicet peccatores. Duplex enim eſt res huius Sacramenti. Vna quidem ſignificata, & contenta, ſcilicet ipſe Chriſtus. Alia autem eſt ſignificata, non contenta, ſcilicet Corpus Chriſti myſticum, quod eſt ſocietas Sanctorum. Quicunque ergo hoc Sacramentum ſumit, ſignificat ex hoc ipſo ſe eſſe Chriſto unitum, & membris eius incorporatum, quod quidem fit per fidem formatam, quam nullus habet cum peccato mortali. Et ideo quicunque cum peccato mortali hoc Sacramentum ſumit, falſitatem in hoc Sacramento committit, & ideo incurrit ſacrilegium tanquam Sacramenti violator, & propter hoc mortaliter peccat. Sed iſtud peccatū in quibuſdam eſt gravius: ſcilicet qui ex actuali contemptu cum conſcientia peccati ad hoc Sacramentum accedunt. In quibuſdam verò minus grave: ſcilicet qui ex quodam timore, ut non deprehendantur in peccato, cum conſcientia peccati accedunt.

3. Quidam expelluntur, ſcilicet non intrantes cum veſte nuptiali. Et primò quiſcunque *infidelis*. Cùm enim charitas ſit veſtis nuptialis, cum qua debemus accedere ad hoc Sacramentum; ideo peccatum infidelitatis, quod funditus ſeparat hominem ab Eccleſiæ unitate, maximè reddit ipſum ineptum ad ſuſceptionem huius Sacramenti, quod eſt Sacramentum eccleſiaſticæ unitatis: quoniam in forma huius Sacramenti dicitur myſterium fidei. Ideo ſi infidelis ſumat ſpecies ſacramentales, non manducat ſacramentaliter: quia non utitur eo, quod accipit, ut Sacramento, ſed ut ſimplici cibo; niſi fortè infidelis intenderet recipere id, quod Eccleſia confert, licèt non haberet fidem veram circa alios articulos, vel circa hoc Sacramentum.

2. *Maculatus Sacerdos*. Vnde *Hieron. in quadam epiſtola* dicit: Quid tibi cum fœminis, qui ad altare cum Domino fabularis? Dic Sacerdos, dic clerice, qualiter cum eiſdem labiis Filium Dei oſcularis, quibus oſculatus es filiam meretricis? O Iuda, oſculo Filium hominis tradis? Et ſuper illud 1. Cor. 11. *Qui manducat, & bibit indignè*, &c. dicit *Glo.* Indignè manducat, & bibit, qui in crimine eſt, vel irreverenter tractat. Et Ioann. 20. dixit Chriſtus Magdalenæ: *Noli me tangere: nondum enim aſcendi ad Patrem meum*, ſcilicet in corde tuo per defectum fidei formatæ.

3. *Schiſmaticus, & excommunicatus*. Nam non rectè extra Eccleſiam offerunt ſacrificiū: quoniam extra Eccleſiam non eſt ſpirituale ſacrificium verum veritate fructus; & cùm ſint ab Eccleſiæ unitate ſeparati, orationes eorum efficaciam non habent. Dicit enim *Auguſtinus lib. ſent. ſuarum cap.* 15. quòd extra Eccleſiam catholicam non eſt locus veri ſacrificii. Et *Leo Papa* dicit, *ut habetur* 1. *q.* 1. *c. In Eccleſia Dei*: Aliter quàm in Eccleſia, quæ corpus Chriſti eſt, nec vera ſunt ſacrificia, nec rata ſacerdotia.

4. *Degradatus*. Nam Sacerdos, ſi per ſententiam Eccleſiæ ſit executione ordinis privatus, redditus eſt impotens ad ſacrificium offerendum. Hoc autem cedit ſibi in detrimentum ſpiritualis fructus: quoniam degradatis auferitur executio, quaſi in perpetuum condemnatis.

5. *Peccator manifeſtus*: ut publicus uſurarius, & raptor publicus. Quia Dominus præcepit Matth. 7. *Nolite ſanctum dare canibus*. Maximè autem datur canibus ſanctum, cùm hoc Sacramentum datur his peccatoribus manifeſtis per evidentiam facti.

6. *Hiſtrio, & magus*. Vnde *Cypr. lib.* 1. *epiſt.* 10. ſcribit ad quendam: Pro dilectione tua conſulendum me exiſtimavi, quid videatur de hiſtrionibus, & mago illo, qui apud vos conſtitutus, adhuc in artis ſuæ dedecore per-

ſeverat, an talibus ſacra communio cum ceteris Chriſtianis debeat dari? Puto, nec Majeſtati divinæ, nec Evangelicæ diſciplinæ congruere, ut pudor, & honor Eccleſiæ tam turpi, & infami contagione fœdetur.) Etiam incantatores, divini, ſortilegi, arioli expelluntur à ſacra communione, niſi reſipuerint: tunc enim poterunt communicare. Vnde in *Concilio Carthaginenſi* legitur: Scenicis, atque hiſtrionibus, ceteriſque hujuſmodi perſonis, vel apoſtatis, converſis ad Deum reconciliatio non negetur.

7. *Fornicator, concubinarius, & pollutus*. Tales enim ſumentes Corpus Chriſti, comparantur Iudæ, Chriſtum oſculanti, quantùm ad ſimilitudinem criminis: quia utrique ex ſigno charitatis Deum offendunt. Vnde *Hieron.* dicit *ſuper Matth.* Si panes propoſitionis, ab his, qui uxores tetigerant, comedi non poterant; quantò magis Panis, qui de cœlo deſcendit, non poteſt ab his, qui conjugalibus paulò ante hæſere amplexibus, contingi? Et Levit. 15. dicitur: *Vir, à quocunque exierit ſemen coitus, immundus erit uſque ad veſperum.* Et Deut. 23. dicitur: *Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus ſit ſomnio, egredietur extra caſtra, & non revertetur, priuſquam ad veſperum lavetur aquâ.*

8. *Homicidio involutus*. Nam ſi ſomnium homicidii provenit ex cauſa, quæ eſt peccatum mortale, impedit à ſumptione huius Sacramenti ratione ſuæ cauſæ, quæ maximè apparet in homicidio voluntario; non ſic autem in caſuali.

9. *Prius cibatus*. Vnde *Auguſtinus lib. reſponſionum ad Ianuarium* dicit: Placuit Spiritui ſancto, ut in honorem tanti Sacramenti priùs in os Chriſtiani dominicum Corpus intraret, quàm ceteri cibi.) Et hoc eſt propter periculum vomitus, & ebrietatis, quæ quandoque contingunt ex hoc, quòd homines inordinatè cibis utuntur; ſicut & Apoſtolus dicit 1. Cor. 11. *Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Itaque cùm convenitis ad manducandum*, ſcilicet Corpus Domini, *invicem expectate. Si quis eſurit, domi manducet*. Super quo dicit *Glo.* Si quis eſurit, & impatiens non vult expectare alios, domi manducet ſuos cibos, id eſt, pane terreno paſcatur, nec poſt Euchariſtiam ſumat. Secus eſt de infirmis.

10. *Irreligioſus*, qui inhoneſtates committit in Eccleſia, ſecundùm illud 1. Cor. 11. *Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? Aut Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent?*

11. *Odioſus*, qui alium odio iniquo deſpicit. Chriſtus enim, qui eſt res huius Sacramenti, charitatem præexigit in ſumente: quoniam ex charitate ſeipſum Patri obtulit in ſacrificium, & nobis ſe præbuit in Sacramentum. Ideo dicitur 1. Cor. 11. *Convenientibus vobis in unum*, ſcilicet locum Eccleſiæ, ſed animo diſſentientibus: *Iam non eſt dominicam cœnam manducare*. Peccatum enim ſic indignè ſumentium Chriſtum in hoc Sacramento comparatur peccato occidentiũ Chriſtum. Vnde ſuper illud: *Quicunque manducaverit Panem, vel biberit Calicem Domini indignè, reus erit*, &c. dicit *Glo.* Id eſt, ac ſi Chriſtum occideret, punietur: perſequitur enim Chriſtum in membris ſuis. Act. 9. *Saule, Saule, quid me perſequeris?*

12. *Vſu rationis privatus*. Eadem enim ratio eſt de pueris recenter natis, & de amentibus, qui nunquam habuerunt uſum rationis; unde talibus non ſunt ſacra myſteria danda. Requiritur enim, quòd aliquis ad hoc Sacramentum cum devotione, & præcedenti ſui examinatione accedat, ſecundùm illud 1. Cor. 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de Pane illo edat, & de Calice bibat*. Sed hoc non poteſt eſſe in his, qui carent uſu rationis, nec tamen per hoc aliquod detrimentum ſalutis patiuntur. Dicit enim *Auguſtinus ſcribens Bonifacio*: Tunc unuſquiſque fidelium Corporis, & Sanguinis Domini particeps fit, ſcilicet ſpiritualiter, quando in baptiſmate membrum Corporis Chriſti efficitur.

13. *A dæmone vexatus*. Arreptitii enim, qui Energumeni dicuntur, & furioſi, in quibus nondum eſt vis dæmonis extincta, quæ viget in eis, cùm corporaliter ab immundis ſpiritibus vexantur, non eſt hoc Sacramentum exhibendum: quia in eis nulla præcedit mentis devotio. Si autem aliquando eſſent mentis compotes, & appareret in eis aliqua huius Sacramenti devotio, non eſſet eis hoc Sacramentum negandum. Vnde *Caſſianus* dicit: Eis, qui ab immundis vexantur ſpiritibus, communionem ſacroſanctam à ſenioribus noſtris nunquam meminimus interdictam.

14. *Ad aliam ſpeciem videndam elevatus*. Si enim miraculosè Corpus Chriſti in altari ſub ſpecie carnis appareat, aut Sanguis ſub ſpecie ſanguinis, non eſt ſumendum. Dicit enim *Hieron. ſuper Leviticum*: De hac quidem hoſtia, quæ in Chriſti commemoratione mi-

mirabiliter ſit, de illa verò, quam Chriſtus in ara Crucis obtulit, ſecundùm ſe nulli edere licet. Contingit enim quandoque tale miraculum ad veritatem fidei comprobandam.

Exemplum. Sacerdos quidam veniens Volſinium oppidum, non longè diſtans ab urbe veteri, in qua civitate Vrbanus Papa IV. cum Curia reſidebat, dum celebraret Miſſam, inter verba conſecrationis dubius in fide, viſibiliter vidit Hoſtiam in forma pietatis, & Sanguinem ſupereffluere in calice. Cùm autē cooperiret eum corporali, apparuit forma Sanguinis in ſingulis partibus corporalis. Cumque nec ſic occultare valeret, coactus eſt populo aſſiſtenti miraculum pateſacere. Quod ut populus comperit, ſubitò pervenerunt ad urbem veterem, nunciantes Romano Pontifici mirabilia huius Sacramenti. Stupente autem Curia, per ſummum Pontificem deliberatum eſt, quòd feſtum Corporis Chriſti per univerſam Eccleſiam celebraretur, impoſuitque Sancto Thomæ de Aquino Ordinis noſtri Prædicatorum, ut officium de Corpore Chriſti conficeret ſecundùm uſum omnium Eccleſiarum, quod & fecit. In cuius rei teſtimonium in faciem Eccleſiæ Volſinii depictum eſt miraculum Sacerdotis celebrantis. Depictus quoque eſt Sanctus Thomas, ſedens in cathedra, circunſtante Curiâ, huius Sacramenti officium dictans. Vltimò depictus eſt Crucifixus alloquens Sanctum Thomam coram eo genuflexum, & dicens: *Bene ſcripſiſti de me Thoma*, &c. Ideo Eccleſia hoc feſtum celebrat.

QVINTO. *Caro Chriſti eſt verè cibus comprehenſorum*. Hoc autem erit, quando Chriſtus ſe hominem glorificatum, & verum Dei Filium collecta omni multitudine Sanctorum in corporibus, & ſpiritibus glorificatis in fine mundi oſtendet, ut ipſum videant omnes, ſicut eſt, ſcilicet in Divinitate, & humanitate glorificatum. In hac cœna ſunt quatuor.

Primò. Loci altitudo. Iſa. 58. cap. *Delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui*. Nam Dominus loquens de comeſturis ſecum in cælo altiſſimo, ait Patri Ioann. 17. cap. *Pater, quos dediſti mihi, volo, ut, ubi ego ſum, & illi ſint mecum: ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi*. Sed hanc videre, eſt hoc Sacramentum ſumere.

Secundò. Loci latitudo. Baruch 3. cap. *O Iſrael, quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius! Magnus eſt, & non habet finem: excelſus, & immenſus*.

Tertiò. Loci pulchritudo. Eccl. 43. c. *Species cæli gloria ſtellarum*. Id eſt Angelorum, & hominum beatorum. Dan. 12. cap. *Qui ad iuſtitiã erudiunt plurimos, erunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*. Multò enim pulchriores erunt illæ ſtellæ rationales cælo empyreo infixæ, quàm ſint hæ materiales in firmamento diſpoſitæ.

Quartò. Manſionum multitudo. Ioann. 14. cap. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*. Et Iſa. 25. cap. *Et faciet Dominus exercituum in monte hoc omnibus populis convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. Et præcipitabit in monte iſto faciem vinculi colligati ſuper omnes populos; & telam, quam ordituſ eſt ſuper omnes nationes. Præcipitabit mortem in ſempiternum: & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi ſui auferet de univerſa terra*.

In hac cœna cæleſti apponentur quatuor fercula. Primum ferculum erit Caro Chriſti glorificata, & hoc ſenſu exteriori percipietur: nam bonum, & glorioſum erit, videre oculo corporali glorificato Chriſti Carnem glorificatam. Iob 19. cap. *Quem viſuras ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt*.

Secundum erit Anima Chriſti ab omni pœnalitate in Reſurrectione liberata, & hoc percipietur oculo intellectuali.

Tertium erit gratia Spiritus ſancti, quâ ipſius Chriſti Anima ſecundùm omnem plenitudinem fuit repleta, & hoc erit optimum, videre in ea gratiam conſummatam lumine altiori.

Quartum erit ipſius Chriſti Divina natura humanitati unita, & hoc erit ſuper optimum: quia qui videbit eum, videbit Patrem ipſum generantem, videbit & Spiritum ſanctum ab utroque procedentem. Ioann. 14. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem*. De hac cœna dicitur Eſther 1. cap. *Aſſuerus Rex tertio anno imperii ſui fecit grande convivium cunctis Principibus, & pueris ſuis, ut oſtenderet divitias gloriæ regni ſui multo tempore, ſcilicet centum octoginta diebus*. Per hunc Regem ſignificatur Chriſtus, qui tēpore legis gratiæ, quod eſt tertium, faciet magnum convivium, ſcilicet æternæ dulcedinis omnibus Sanctis, quod erit glorioſum deſignatum per centum

& erit in octava reſurrectionis generalis omnium, deſignata per numerum octogenarium.

SEXTO. *Caro Chriſti verè eſt cibus Catholicorum.* De iſtis dicitur Apoc. 19. cap. *Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt.* Hæc cœna fuit figurata per nuptias, factas in Cana Galilææ, ut dicitur *Ioann.* 2. Cana interpretatur zelus, Galilæa tranſmigratio. Chriſtus propter zelum, & infinitam charitatem inſtituit Sacramentum Corporis, & Sanguinis ſui, ubi panis, & vinum tranſmigrant de una ſubſtantia in aliam. Pſal. *Zelus domus tuæ comedit me.* Id eſt, comeſtibilem me fecit. Et Ioan. 13. cap. dicitur: *Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos; & cœnâ factâ.* Super quo *Auguſtinus lib. reſponſionum ad Ianuarium* dicit: Salvator noſter, quò vehementius commendaret myſterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus, & memoriæ Diſcipulorum, à quibus ad Paſſionem diſceſſurus erat. Propterea dixit Diſcipulis ſuis Lucæ 22. cap. *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum.* Quaſi diceret: Ad manducandum vobiſcum, non me induxit famis, aut ſitis anxius appetitus, ſed immenſæ charitatis affectus, ut per hanc finalem comeſtionem ſitis memores dilectionis, quam ad vos habui, per quam vobiſcum comedi, me ipſum in cibum vobis dedi, memor illius beatæ delectationis meæ cum Patre, & Spiritu ſancto, quam vobis in Sacramento communicavi; ut ejuſdem beatitudinis etiam vos ſitis participes, ut ſicut nunc in ſpe, ita in noviſſimo etiam in re edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.

In hac cœna noviſſima propoſuit Chriſtus ſuis fidelibus exempla grandis ſanctitatis, ut patet.

1. Fomentum fraternæ communionis, ſcil. familiares debere ſobriè cõvivari, & ratò. Vnde non niſi ſemel Chriſtus ante ſuam Paſſionẽ legitur procuraſſe commune convivium, & cum paucis, quos elegerat ab initio, quibus revelavit myſterium regni Dei.

2. Exemplum internæ humiliationis. Vnde Ioann. 13. cap. dicit: *Exemplum dedi vobis: ut, quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Exemplum humilitatis oſtendit in pedum ablutione. Gen. 18. *Afferam paxillum aquæ, & laventur pedes veſtri, & requieſcite ſub arbore: ponamque buccellam panis, & confortetur cor veſtrum.* Iſta verba, quæ dixit Abraham Angelis, adimplevit Chriſtus in Apoſtolis: quoniam ſurgit à cœna, ponit veſtimenta ſua, mittit aquam in pelvim, lavat pedes Diſcipulorum, & hoc in ſignum humilitatis. *Auguſtinus.* Didicimus, Fratres, humilitatem ab excelſo: faciamus invicem humiles, quod humiliter fecit Excelſus; nec dedignetur, quod fecit Chriſtus, facere Chriſtianus.

3. Argumentum ſupernæ dilectionis, quando Corpus ſuum, & Sanguinem ſub ſpeciebus panis, & vini dedit Diſcipulis. In argumentum dilectionis Corpus, & Sanguinem ſuum dedit amicis, ſcilicet fidelibus in eum credẽtibus; dedit & inimicis, ſcilicet Iudæ proditori, non figuraliter, ſed realiter. Vnde 4. Reg. 6. dicitur, quòd una mulier alteri dixit: *Salva me domine mi Rex. Mulier iſta dixit mihi: Da filium tuum, ut comedamus eum hodie. Coximus ergo filium meum, & comedimus. Dixitque ei die altera: Da filium tuũ, ut comedamus eum. Quæ abſcondit filium ſuum.* Mulier prima eſt beata Virgo, quæ dedit filium ſuum in cibum, & potum naturæ humanæ, ne periret, ſed haberet vitam æternam: quia ſumptio Chriſti ſub hoc Sacramento ordinatur ſicut ad finem ad fruitionem patriæ, ubi Angeli eo fruuntur. Et quia ea, quæ ſunt ad finem, derivantur à fine; inde eſt, quòd iſta manducatio Chriſti, quâ eum ſumimus ſub hoc Sacramento, derivatur ab illa manducatione, quâ Angeli fruuntur Chriſto in patria. Ideo dicitur homo manducare panem Angelorum: quia primò, & principaliter eſt Angelorum, qui eo fruuntur in propria ſpecie; ſecundariò autem eſt hominũ, qui Chriſtum ſub hoc Sacramento accipiunt. Sed natura humana eſt mulier, quæ filium ſuum contra pactum abſcondit: quia ſenſum ſuum mortificare contemnit. Rex autem ait mulieri: *Non te ſalvet Dominus. Vnde ſalvare te poſſum? de area, an de torcular?* Non ſic reſpondit Chriſtus. Quoniam ſalvat de area granum tritici, ſe in cibum dando; & de torculari, de ſe vera vite Sanguinem ſuum in potum, quaſi vinum præbendo.

4. Dictamentum externæ cohortationis. Invitabat enim, & exhortabatur fideles, & Catholicos ad humilitatem, ad charitatem, ad orationem, ad adverſorum patientem tolerationem, ut patet in ſermone prolixo, quem ad Diſcipulos habuit. Ideo Proverb. 8. dicit: *Iuſti ſunt omnes ſermones mei; non eſt in eis pravum quid, neque perverſum: recti*

ſunt

ſunt intelligentibus, & aqui invenientibus ſcientiam.

5. Documentũ fraternæ compaſſionis. Quoniam in cœna turbatus eſt ſpiritu, miſeriæ Iudæ compatiens, quem à ſua malitia coercebat, modò per amorem ipſum amicum vocando. Matth. 26. *Amice, ad quid veniſti?* Modo per pudorem ipſum commenſalem habendo. Ibidem: *Qui intingit manum mecum in paropſide.* Modò per timorem ei pœnam prædicendo. Ibidem: *Va autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur.* Modo per obſequium ei humilitatis ſervitium impendendo, quando pedes eius lavit. *Auguſtinus.* Non dedignatus eſt Chriſtus Iudæ pedes lavare, cuius manus videbat in ſcelere, modò per miniſterium ipſum Corpore, & Sanguine ſuo communicando.) Vnde Chriſtus Iudam communicavit ſuo Corpore, ſicut ceteros Apoſtolos, aliàs exaſperatus ſumpſiſſet occaſionem peccandi. *Chryſoſtomus.* Particeps exiſtens myſteriorum converſus non eſt; unde fit ſcelus eius utrinque immanius: tum quia tali propoſito imbutus adiit myſteria: tum quia audiens melior factus non fuit, nec metu, nec beneficio, nec honore.

6. Monimentum æternæ præparationis. Cùm enim oporteat ſemper orare, & non deficere, *Luca* 18. maximè tamen morte imminente, Chriſtus inſtante captione ſua, avulſus eſt à Diſcipulis ſuis, quantum eſt jactus lapidis, & poſitis genibus, orabat prolixiùs factus in agonia, quibus etiam prædixerat: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Dans nobis exemplum, ut mortem oratione præveniamus.

Qualiter autem Catholici habere ſe debeant ad hoc Sacramentum, ſciendum, quòd quadruplex erat genus ſacrificiorum in veteri lege.

Primum, & præcipuum erat holocauſtum, quaſi totum incenſum: quia totum comburebatur in honorem Dei, & nihil ex eo comedebatur. Hujuſmodi enim ſacrificium offerebatur Deo ſpecialiter ad reverentiam Majeſtatis ipſius, & amorem bonitatis eius. Et conveniebat ſtatui perfectionis quantùm ad impletionem conſiliorum; ideo totum comburebatur: ut ſicut totum animal reſolutum in vaporem ſurſum aſcendebat; ita etiam ſignificaretur totum hominem, & alia, quæ ipſius ſunt, Dei dominio eſſe ſubjecta, & ei eſſe offerenda.

Secundum erat hoſtia pro peccato, quæ offerebatur Deo ex neceſſitate remiſſionis peccati, & conveniebat ſtatui pœnitentium in ſatisfactionem peccatorum. Tale ſacrificium dividebatur in duas partes. Nam una pars eius comburebatur, alia verò cedebat in uſum Sacerdotum, ad ſignificandum, quòd expiatio peccati fit à Deo per miniſterium Sacerdotum.

Tertium erat hoſtia pacifica pro gratiarũ actione, & conveniebat ſtatui proficientium in impletione mandatorum, quæ comedebatur ipſa die ubique in Ieruſalem.

Quartum erat hoſtia pacifica pro voto, & ſalute, & proſperitate offerentium ex debito beneficii accepti, vel accipiendi; & iſta dividebatur in tres partes. Nam una pars incendebatur ad honorem Dei, alia pars cedebat in uſum Sacerdotum, tertia verò pars in uſum offerentium, ad ſignificandum, quòd ſalus hominis procedit à Deo mediantibus miniſtris Dei, cooperantibus ipſis hominibus, qui ſalvantur.

Inter omnia autem dona, & beneficia, quæ Deus humano generi jam per peccatum lapſo dedit, præcipuum eſt, quòd dedit Filium ſuum. Vnde dicitur Ioann. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum Vnigenitum daret; ut omnis, qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Et ideo potiſſimum ſacrificium eſt, quod ipſe Chriſtus ſeipſum obtulit Deo in odorem ſuavitatis, ut dicitur *Epheſ.* 5. Et propter hoc omnia alia ſacrificia in veteri lege offerebantur, ut hoc unum ſingulare, & præcipuum ſacrificium figuraretur, tanquam perfectum per imperfectum. Vnde Apoſtolus dicit *Hebr.* 10. quòd Sacerdos veteris legis eaſdem ſæpe offerebat hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata. Chriſtus autem unã pro peccatis obtulit in ſempiternum.

In ſacrificiis autem divitum non offerebatur, niſi de tribus generibus animalium quadrupedum: ſcilicet de genere boum, & ovium, & caprarum. Et hoc erat conveniens in figuram Chriſti: quia, ut *Glo. Levi.* 1. dicit: Chriſtus in vitulo offertur propter virtutem Crucis, in agno propter innocentiam, in ariete propter principatum, in hirco propter ſimilitudinem carnis peccati. Providit autem lex paupertati offerentium, ut qui non poſſet habere animal quadrupes, ſaltem offerret avem, quam qui habere non poſſet, offerret panem, & ſi hunc habere non poſſet, ſaltem offerret farinam, vel ſpicas. Turtur ſignificat caſtitatem, colum-

ba charitatem, panis significat Christum, qui est Panis vivus, ut dicitur *Ioann. 6. cap.* qui quidem erat sicut in spica pro statu legis naturæ in fide Patrum. Erat autem sicut similia in doctrina legis Propheratum. Est autem sicut panis formatus post humanitatem assumptam, coctus igne, id est, formatus Spiritu sancto, in clibano uteri virginalis; qui etiam fuit coctus in sartagine per labores, quos in mundo sustinuit, in Cruce verò quasi in craticula adustus.

Per immolationem autem hujusmodi animalium designatur puritas mentis: quia, ut dicit *Glossa Levit.* 1. vitulum offerimus, cùm carnis superbiam vincimus. Agnum, cùm irrationabiles motus corrigimus. Hœdum, cùm lasciviam superamus. Turturem, cùm castitatem servamus. Panes azymos, cùm in azymis synceritatis epulamur. In columba significatur charitas, & simplicitas mentis. Sal significat mortificationem carnis. Thus significat devotionem mentis. Hæc enim est probatio, quam docet Apostolus nos habere, dicens: *Probet autem seipsam homo, & sic de Pane illo edat.* Aliter enim indignè accedens ad hoc Sacramentum, multa mala incurrit.

1. Mala conscientia ampliùs amaricatur. Iob 20. *Panis eius in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus.* Id est, sumptio Panis sacramentalis malam conscientiam non justificat, sed condemnat.

2. Indignè sumens graviùs induratur. Patet de Iuda, in quem post buccellam introivit satanas, *Ioan.* 13. Sic qui in criminibus communicant, duriùs obscurantur: quemadmodum luna, quantò magis soli appropinquat, tantò amplius obscuratur.

3. Indignè communicans diutiùs infirmatur. Vnde Apostolus 1. Cor. 11. dicit: *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Super quo dicit *Glo.* Infirmi febribus, & aliis morbis, imbecilles longa invaletudine, & dormiunt multi somno mortis. Vnde cantatur paschali tempore:

Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.

Et 1. *Regum 6.* dicitur, quòd viri Bethsamitæ mortui sunt, quia viderunt arcam Domini. Et Oza mortuus est, quia ipsam tetigit, 2. *Reg. 6.* Eodem modo, cùm quis accedit indignè ad hoc Sacramentum, Corpus Christi glorificatum non unit sibi corpus pollutum, sed rapit ab eo, si quid habet convenicus corpori glorificato, scilicet de vita, fortitudine, sanitate, castitate, & ceteris, quæ possunt inesse illi corpori polluto secundùm naturalem dispositionem. Sic Anima Christi glorificata rapit ab anima indignè communicantis, si quid virtutis in se habebat; & Divinitas Christi rapit ab intellectu polluti, si quid fidei, & sapientiæ priùs habebat; ideo talis sic derelictus à Christo incidit in ea inconvenientia, quæ dixit Paulus.

4. Indignè communicans duriùs damnatur. 1. Cor. 11. *Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit. Glo.* Id est, damnationem. Si enim pro esu pomi vetiti damnatus est Adam cum omni posteritate sua; & Baltassar, qui in vasis templi vinum indignè bibit, sequenti nocte occisus est, ut dicitur *Dan. 5. cap.* quantò magis damnabitur, qui indignè communicat. Vnde Apostolus Heb. 10. dicit: *Quantò magis putatis, maiora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & Sanguinem Testamenti pollutum duxerit.* Super quo dicit *Augustinus in Glo.* Christum conculcat, qui liberè peccat, & absque timore; & qui eo indignè participat.

Debet itaque Catholicus ad hoc Sacramentum suscipiendum se præparare quadrupliciter.

1. Cum fervida sanctitate. Nam reverentia huius Sacramenti habet amorem timori conjunctum: timor reverentiæ ad Deum dicitur timor filialis. Ex amore enim provocatur desiderium sumendi, ex timore autem consurgit humilitas reverendi, ut scilicet devotè, & reverenter sumat. *Augustinus.* Accipe quotidie, quòd quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere.

2. Cum conscientiæ limpiditate, scilicet ut purgetur ab omni peccato. Vnde *Damas. libro 4.* dicit: Ignis eius, quod in nobis est desiderii, assumens eam, quæ ex carbone, id est hoc Sacramento, ignitionem, comburet nostra peccata, & illuminabit corda nostra, ut participatione divini ignis igniamur, & deificemur.

3. Cum contritionis alacritate. *Ambr.* Quantâ nanque cordis contritione, quanto, & quali lacrymarum fonte, quantâ reverentiâ, & tremore, quantâ cordis, & animæ putitate istud divinissimum Sacramentum est celebrandum, ubi Caro tua in veritate sumitur, ubi Sanguis tuus in veritate bibitur, ubi summis ima junguntur, ubi Sanctorum adest præsentia Ange-

lo-

Digitized by Google

lorum, ubi idem eſt Sacerdos, & ſacrificium mirabiliter, & ineffabiliter!

4. Cum fidei puritate, credendo firmiter hoc eſſe verum Corpus, & Sanguinem Chriſti. *Auguſtinus contra Felicianum* ait: Hoc fides credat, intelligentia non exquirat, ne aut non inventum putet incredibile, aut inventũ non credat ſingulare: quoniam potentia creata hoc non poteſt, ſed ſolummodo increata. *Euſebius*. Inviſibilis Sacerdos viſibiles creaturas verbo ſuo ſecreta poteſtate commutat, &c.

SEPTIMO. *Caro Chriſti verè eſt cibus Philoſophorum*. Vnde Pſalm. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors, & miſerator Dominus: eſcam dedit timentibus ſe*.

Sciendum, quòd duæ dominæ, ſcilicet Philoſophia cum Paganis, & Synagoga cum Iudæis magnam habent dubitationem circa Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti. Quibus ſancta Mater Eccleſia occurrit, declarans veritatem eorum, quæ illis ſtupenda, & incredibilia videntur, ut ſic veritas prædicamentorum huic Sacramento non repugnet.

Circa prædicamentum Subſtantiæ dubitant Philoſophia, & Synagoga, quomodo poſſit eſſe, quòd panis, & vinum tam ſubito tranſmutentur in ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Chriſti? Ratio dubitationis eſt iſta. Eorum, quæ ſunt ſecundùm ſe diviſa, nunquam unum fit alterum, ſicut albedo nunquam fit nigredo, ſed ſubjectum albedinis fit ſubjectum nigredinis, ut dicitur 1. *Phyſicorum*. Sed ſicut duæ formæ contrariæ ſunt ſecundùm ſe diviſæ, utpotè principia formalis differentiæ exiſtentes; ita duæ materiæ ſignatæ ſunt ſecundùm ſe diviſæ, utpotè exiſtentes principium materialis diviſionis; ergo non poteſt eſſe, quòd hæc materia panis fiat hæc materia, quâ individuatur Corpus Chriſti, & ita non poteſt eſſe, quòd ſubſtantia huius panis convertatur in ſubſtantiam Corporis Chriſti.

Sancta Mater Eccleſia primò reſpondet Philoſophiæ dicens, hoc non eſſe impoſſibile. Nam *Euſebius* dicit: Novum tibi, & impoſſibile eſſe non debet, quòd in Chriſti ſubſtantiã terrena, & mortalia convertuntur. Cuius ratio eſt: quia nullum agens naturale, vel creatum poteſt agere, niſi ad immutationem formæ; & propter hoc omnis converſio, quæ fit ſecundùm legem naturæ, eſt formalis. Sed Deus eſt actus infinitus; unde eius actio ſe extendit ad totam naturam entis. Non ergo ſolùm poteſt perficere converſionem formalẽ, ut ſcilicet diverſæ formæ ſibi in eodem ſubjecto ſuccedant, ſed converſionem totius entis, ut ſcilicet tota ſubſtantia huius convertatur in totam ſubſtantiam illius, & hoc agitur divina virtute in hoc Sacramento. Nam tota ſubſtantia panis convertitur in totam ſubſtantiam Corporis Chriſti: & tota ſubſtantia vini in totam ſubſtantiã Sanguinis Chriſti; unde hæc converſio non eſt formalis, ſed ſubſtantialis, nec continetur inter ſpecies motus naturalis, ſed proprio nomine dicitur tranſubſtantiatio. In natura enim ſatis ſimilia his invenimus. Nam vitis humorem aqueum convertit in vinum; ſimiliter homo comedit panem, qui tandem convertitur in carnem; bibit vinum, quod convertitur in ſanguinem. Hanc ſimilitudinem ponit *Ioannes Damaſ.* dicens: Sicut panis, & vinum trãſeunt in nutrimentum in corpus hominis, & non in aliud corpus, ſed in ipſum, quod prius erat; ita panis propoſitionis, id eſt, quĩ in altari proponitur, & vinum cum aqua tranſeunt in Corpus Chriſti, quod priùs erat. Et hæc duo, ſcilicet panis, & vinum, non duo ſunt, ſed unum Corpus Chriſti; & in hoc facit Deus memoriam mirabilium ſuorum, ſcilicet creationis: quia ſicut Deus in principio creavit cælum, & terram, & omnia, quæ in eis ſunt, ſolo verbo (Pſal. *Verbo Domini cæli firmati ſunt*. Et iterum: *Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt*.) ita facit Deus in hoc Sacramento: quia, ut dicit *Auguſtinus*: Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Non eſt ergo incongruum, ſi verbum divinũ à Sacerdote prolatum accipit à Deo majorem virtutem, quàm natura, id eſt vis inſita rebus, per quam in homine cibus, & potus in carnem, & ſanguinem convertuntur.

2. Reſpondet Synagogæ illud *Amb. ut habetur de conſe. diſ. 2. cap. Revera mirabile*, &c. Et hoc nobis adhuc ſupereſt, ut probemus, hoc non eſſe quod natura formavit, ſed quod benedictio conſecravit, majoremque vim eſſe benedictionis, quàm naturæ: quia benedictione etiam natura ipſa mutatur. Virgam tenebat Moyſes, projecit eam, & facta eſt ſerpens. Rurſus apprehendit caudam ſerpentis, & in virgæ naturam revertitur. Vides ergo propheticâ gratiâ bis mutatam eſſe naturam, & ſerpentis, & virgæ. Currebant Ægypti flumina puro aquarum meatu: ſubitò de fontium venis ſanguis cœpit erumpere: non erat potus in fluviis, rurſus ad

Pro-

Prophetæ preces eruor ceſſavit fluminum, aquarum natura remeavit. Si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicemus de ipſa conſecratione divina, ubi ipſa verba Domini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum iſtud, quod accipis, Chriſti ſermone conficitur. *Hæc ille*. Simile habetur in formatione Adæ: nam terra illa, ex qua formatus eſt Adam, converſa eſt in carnem, & ſanguinem ipſius *Gen.* 1. Etiam uxor Lot converſa eſt in ſtatuam ſalis, ut patet *Gen.* 19. In novo quoque Teſtamento inter cetera miracula hoc fuit primum, ſcilicet, quòd aqua converſa fuerit in vinum, ut patet *Ioan.* 2. *cap.*

Circa prædicamentum Quantitatis dubitant Philoſophia, & Synagoga, quomodo Corpus Chriſti tam magnum ſub tam parva hoſtia contineatur, & quomodò totus Chriſtus ſit ſub qualibet parte ſpecierum panis, vel vini: quia cùm Corpus Chriſti ſit organicum, habet partes determinatè diſtantes. Eſt enim de ratione corporis organici determinata diſtantia ſingularum partium ab invicem, ſicut oculi ab oculo, & auris ab aure. Sed hoc non poſſet eſſe, ſi ſub qualibet parte ſpecierum eſſet totus Chriſtus: oporteret enim, quòd ſub qualibet parte eſſet quælibet pars, & ita, ubi eſſet una pars, eſſet & alia. Ergo non poteſt eſſe, quòd totus Chriſtus ſit ſub qualibet parte hoſtiæ, vel vini contenti in calice.

Sancta Mater Eccleſia primò reſpõdet Philoſophiæ, dicens, quòd, quia in hoc Sacramento eſt ſubſtantia Corporis Chriſti, eſt in hoc Sacramento ex vi Sacramenti; quantitas autem dimenſiva ex vi realis concomitantiæ, Corpus Chriſti eſt in hoc Sacramento per modum ſubſtantiæ, id eſt per modum, quo ſubſtantia eſt ſub dimenſionibus, non autem per modum dimenſionum, id eſt non per illum modum, quo quantitas dimenſiva alicuius corporis eſt ſub quantitate dimenſiva loci. Manifeſtum eſt autem, quòd natura ſubſtantiæ tota eſt ſub qualibet parte dimenſionum, ſub quibus continetur, ſicut ſub qualibet parte aeris eſt tota natura aeris, & ſub qualibet parte panis eſt tota natura panis; & hoc indifferenter, ſive dimenſiones ſint actu diviſæ, ſicut cùm aer dividitur, vel panis fecatur, vel etiam ſint actu indiviſæ, diviſibiles verò potentiâ. Et ideo totus Chriſtus eſt ſub qualibet parte ſpecierum panis, etiam hoſtiâ integrâ manente, & non ſolùm cùm frangitur. Quòd autem hoc ſit poſſibile, patet. Nam civitates, caſtra, montes continentur in parva pupilla oculi: quia non ſunt in ea per modum dimenſionum ſuarum. Etiam in parvo ſpeculo vides maximarum rerum, ut ſolis, & lunæ, quantitates. Habes tu ipſe in parvo pectore tuo magnam cæleſtium ſapientiam, & terreſtrium ſcientiam. Nonne in parvo corpore continetur tota anima rationalis, ſicut in corpore magno? Ergo &c.

2. Reſpondet Synagogæ, dicens. Circuncluſus undique erat populus Hebræorum, hinc Ægyptiis vallatus, inde mari clauſus. Virgam levavit Moyſes, ſeparavit ſe aqua, & in murorum ſpeciem congregavit, atque inter undas via pedeſtris apparuit; quomodo tanta dimenſio aquarum potuit contineri in tam parvo loco maris? Præterea Iordanis retrorſum converſus contra naturam in ſui fontis rediit exordium. Tanta moles aquarum, quomodo potuit contineri à tam parvo fonte? Sitiebat populus Patrum: tetigit Moyſes petram, & aqua de petra fluxit. Hæc autem non habuit de ſe natura, ſed benedictionis gratia. In novo quoque Teſtamento legitur, quòd Chriſtus naſcens exivit de clauſo Virginis utero: quia tranſivit per auream portam domus Domini, quæ clauſa erat in æternum, ut *Ezech.* 44. *cap.* prædixerat. Etiam in Reſurrectione exivit de clauſo ſepulcro; & ad Diſcipulos clauſis januis introivit. Si forſanſè tibi minus dignum videtur illa credere, attende, quòd Corpus Chriſti non eſt ſub hoſtia naturaliter, ſed ſacramentaliter; & ideo non eſt ibi ſicut locatum in loco, nec eſt ibi ſub dimenſionibus propriis, ſed ſub dimenſionibus, quæ priùs fuerant panis, & vini; & ideo, cùm ſubſtantia de ſe, in quantum ſubſtantia, non occupet locum, niſi in quantum eſt ſub dimenſionibus quantitatis; propterea Corpus Chriſti non requirit locum, nec occupat plus de loco ſub Sacramento, quàm dimenſiones panis, ſub quibus velatur, & tegitur, occupent, & requirant.

Circa prædicamentum Qualitatis dubitant Philoſophia, & Synagoga, quomodo accidentia panis, & vini, puta figura, color, ſapor, &c. ſint ſine ſubjecto. Remotò enim priori, neceſſe eſt removeri poſterius: ſed ſubſtantia eſt naturaliter prior accedente, ut probatur 7. *Metaph.* Cùm ergo facta conſecratione non remaneat ſubſtantia panis in

hoc

hoc Sacramento, videtur, quòd non poſſint remanere accidentia eius.

Sancta Mater Eccleſia primò reſpondet Philoſophiæ, dicens. Senſu apparet, factâ conſecratione omnia accidentia panis, & vini remanere, quod quidem rationabiliter per divinam providentiam fit. Primò quidem: quia non eſt conſuetum hominibus, ſed horribile, carnem hominis comedere, & ſanguinẽ biberẽ; ideo proponitur nobis Caro, & Sanguis Chriſti ſumenda ſub ſpeciebus illorum, quæ frequentiùs in uſu hominis veniunt, ſcilicet panis, & vini. Secundò ne hoc Sacramentum ab infidelibus irrideretur, dum ſub ſpecie propria Dominum noſtrum manducaremus. Tertiò ut, dum inviſibiliter Corpus, & Sanguinem Domini noſtri ſumimus, hoc proficiat ad meritum fidei. Hæc tamen accidentia in hoc Sacramento manent ſine ſubiecto, quod quidem divinæ virtute fieri poteſt. Cùm enim effectus magis dependeat à cauſa prima, quàm à cauſa ſecunda, poteſt Deus, qui eſt prima cauſa ſubſtantiæ, & accidentis, per ſuam infinitam virtutem conſervare in eſſe accidens ſubtractâ ſubſtantiâ, per quam conſervabantur in eſſe, tanquam per cauſam proximam. Nam accidentia illa, quæ inerant ſubſtantiæ panis, poſt conſecrationem remanent ſine ſubjecto. Alia verò accidentia, quæ inerant pani mediante quantitate, modò inſunt ipſi quantitati, ſicut prius. Vnde ſunt ibi ſine ſubjecto primo, id eſt, ſine ſubſtantia, ſed non ſine ſubiecto proximo. Et licèt in hoc Sacramento aliud ſit, & aliud videatur; non tamen eſt ibi ulla falſitas. In naturalibus enim videmus, quòd multa aliter apparent, quàm ſint. Sol enim apparet quaſi cubitalis rotunditatis, quamvis multò ſit majoris quantitatis: quandoque etiam apparet rubeus, vel pallidus, qui tamen peregrinarum impreſſionum non eſt ſuſceptivus. Remus in aqua apparet curvus, ſeu fractus, qui tamen in rei veritate eſt rectus, & integer. Etiam febricitanti dulcia videntur amara.

2. Reſpondet Synagogæ, dicens. Nihil prohibet, aliquid eſſe ordinatum ſecundùm communem legem naturæ, cuius tamen contrarium eſt ordinatum ſecundùm ſpeciale privilegium gratiæ, ut patet in reſurrectione mortuorum, & illuminatione cæcorũ. Nam Mara fluvius amariſſimus erat, ut ſitiens populus bibere non poſſet. Moyſes miſit lignum in aquam, amaritudinem ſuam aquarum natura depoſuit, quam infuſa ſubitò gratia temperavit. Hoc etiam ſignificatum eſt *Gen.* 27. in Iſaac, qui deceptus fuit viſu: quoniam Iacob non cognovit. Olfactu: æſtimans ſentire odorem veſtimentorum Eſau, & erat odor Iacob. Guſtu: quoniam putavit ſe comedere de venatione Eſau. Tactu: arbitrans ſe tangere manus Eſau. Solo auditu non fuit deceptus, cùm dixit: *Vox Iacob eſt.* Et Ezech. 12. cap. dicitur: *Tu fili hominis, fac tibi vaſa tranſmigrationis, & tranſmigrabis per diem coram eis: tranſmigrabis autem de loco tuo ad locum alterum, in conſpectu eorum, & efferes foras vaſa tua, quaſi vaſa tranſmigrationis per diem, in conſpectu eorum.* In quibus verbis per vaſa tranſmigrationis ſignificantur accidentia panis, & vini, quæ Chriſtus ſine ſubjecto eſſe fecit, *vocans ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt.* Sub his tranſmigrat de cælo ad altare, & ſpecies ipſas ſacramentales foras exhibet in conſpectu Sacerdotũ, & fidelium quaſi vaſa, in quibus latet ipſius Dei, & hominis præclaritas, quemadmodum ibi ſequitur: *In caligine efferes, & faciem tuam velabis.* In novo quoque Teſtamento Chriſtus adhuc mortalis exiſtens oſtendit ſe Petro, Iacobo, & Ioanni in monte in habitu glorioſo per Transfigurationem, & tamen nondum erat glorificatus ſecundùm Corpus. Similiter poſt Reſurrectionem ſuam, quando Corpus ſuum erat glorioſum, nunquam amplius habitum gloriæ dimiſſurus, oſtendit ſe duobus Diſcipulis euntibus in Emmaus in habitu peregrini, & Magdalenæ in forma hortulani. Non ergo mirum, ſi ſub velamine accidentium in Sacramento ſe occultat.

Circa prædicamentum Relationis dubitant Philoſophia, & Synagoga, quomodo æqualiter totus Chriſtus eſt in quacunque hoſtia, ſive parva, ſive magna: quoniam æqualitas fundatur ſuper unitate quantitatis; & ita videtur, quòd determinata quantitas panis, & vini ad materiam huius Sacramenti requiratur, præcipuè, quia, ut dicitur 2. *de anima:* Omnium naturâ conſtantium terminus eſt, & ratio magnitudinis, & augmenti.

Sancta Mater Eccleſia primò reſpondet Philoſophiæ, dicens, quòd in omnibus habentibus materiam ratio determinationis materiæ ſumitur ex ordine ad finem; ſicut materia ſerræ eſt ferrum, ut ſit apta ſectioni, finis autem huius Sacramenti eſt uſus fide-

Digitized by Google

lium. Vnde oportet, quòd quantitas materiæ huius Sacramenti determinetur per comparationem ad uſum fidelium. Non autem poteſt eſſe, quòd determinetur per comparationem ad uſum fidelium, qui nunc occurrunt, alioquin Sacerdos habens paucos parochianos, non poſſet conſecrare multas hoſtias. Vnde ſequitur, quòd materia huius Sacramenti determinetur per comparationem ad uſum fidelium abſolutè. Numerus autem fidelium eſt indeterminatus; ideo materia huius Sacramenti non eſt determinata, ſicut nec numerus individuorum in eadem ſpecie eſt determinatus. Etiam unus pater non determinatur ex ſe ad certum numerum filiorum.

2. Reſpondet Synagogæ, dicens, quòd poteſtas miniſtrorum Eccleſiæ ad duo ordinatur. Primò quidem ad effectum proprium. Secundò, ad finem effectus; & hoc ſecundum non tollit primum. Vnde ſi Sacerdos intendat conſecrare Corpus Chriſti propter aliquem malum finem, puta, ut irrideat, vel veneficia faciat, propter intentionem mali finis peccat nihilominus, tamen propter poteſtatem ſibi datam perficit Sacramentum. Vnde æqualitas, vel inæqualitas huius Sacramenti non ſumitur penes materiam eius, ſed penes uſum fidelium. Vnde in ſequentia dicitur:

Sumunt boni, ſumunt mali,
Sorte tamen inæquali,
Vita, vel interitus.
Mors eſt malis, vita bonis,
Vide, paris ſumptionis
Quàm ſit diſpar exitus.

Etiam manna, licèt difformiter colligeretur (quia alii plus, alii minus colligebant) æqualiter tamen apud omnes inveniebatur quantùm ad menſuram. In novo quoque Teſtamento multiplicatio panum non eſt facta per modum creationis, ſed per additionẽ extraneæ materiæ in panes converſæ. Vnde *Auguſtinus tract. 24. ſuper Ioann.* Vnde multiplicat de paucis granis ſegetes, inde in manibus ſuis multiplicat quinque panes.) Manifeſtum eſt autem, quòd per converſionem grana multiplicantur in ſegetes. Et licèt fuerit multiplicatio in materia, tamen in forma, & ſubſtantia non fuerunt, niſi quinque panes. Conſimiliter in hoc Sacramento non eſt niſi unum Corpus Chriſti, licèt materia panis multiplicetur.

Circa prædicamentum Actionis dubitãt Philoſophia, & Synagoga, quomodo accidentia ſine ſubſtantia verè nutriant non ſolùm corpus ſumentis, ſed etiam animam; & quomodo poſſit eſſe ad præjudicium indignè ſumentium: quoniam, ut dicitur *in lib. de generatione*: Ex eiſdem nutrimur, ex quibus ſumus. Species autem ſacramentales ſunt accidentia, ex quibus homo non conſtat: non enim accidens eſt pars ſubſtantiæ; ergo ſpecies ſacramentales nutrire non poſſunt. Vnde *Amb. libro 5. de Sacramentis cap. 4.* dicit: Non iſte panis eſt, qui vadit in corpus, ſed panis vitæ æternæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit.) Cùm autem omne quod nutrit, vadat in corpus, apparet, quòd panis ille non nutriat.

Sancta Mater Eccleſia primò reſpõdet Philoſophiæ, dicens, quòd in ipſa conſecratione miraculosè datur quantitati dimenſivæ omne id, quod ad materiam pertinet; & ideo quicquid poſſet generari ex materia panis ſi eſſet, totum poteſt generari ex prædicta quantitate dimenſiva panis, vel vini, non quidem novo miraculo, ſed ex vi miraculi prius facti: & quia cibus eò nutrit, quòd convertitur in ſubſtantiam nutriti, ut *dicitur 2. de anima*, ſpecies autem ſacramentales poſſunt converti in ſubſtantiam aliquam, quæ ex eis generatur; ideo per eandem rationem poſſunt converti in corpus humanum, per quam poſſunt converti in cineres, vel in vermes, & propter hoc nutriunt. Et licèt ſpecies ſacramentales non ſint ſubſtantia, habent tamen virtute n ſubſtantiæ, ſicut quantitas dimenſiva panis, & vini retinet naturam propriam, & accipit miraculosè vim, & proprietatem ſubſtantiæ. Sicut enim in corpore humano calor naturalis conſumeret humidum radicale, niſi cibus, & potus extrinſecus ſumeretur, & per cibum extrinſecus ſumptum deperditum reſtauraretur, aliter homo non diu viveret; ita quoque ſpiritualiter ad vitam gratiæ conſervandam, & augendam, cibus ſpiritualis fuit neceſſarius nobis. Æſtus enim vitiorum, & carnis concupiſcentiæ, & diſtractiones, & gravamina mundi, infeſtationes ſpirituum malignorum agunt continuè contra humorem noſtræ devotionis, & ita impugnant animam noſtram, quòd ipſa debilitaretur, & deficeret, niſi iſtud benedictum Viaticum ſumeret, & cibum acciperet ſpiritualem. Corpus autem Chriſti per excellentiam ſanctitatis, & puritatis, & proper humorem Divinitatis ita

fuit

Digitized by Google

fuit ſpirituale ; quod in ipſo perfectiſſimè concurrunt, & conveniunt ratio cibi per corporeitatem, & ratio ſpiritus per ſanctitatem, & puritatem. Idcirco placuit Deo, per talem cibum corporalem reducere hominem ad priſtinam, & primariam puritatem, & finalem ſanctitatem, ut morbo præcedenti congrueret medicina. Homo enim cecidit à vita per cibum corporalem à Deo vetitum, ab homine uſurpatum diabolo ſuggerente ; ideo fuit conveniens, quòd homo reduceretur ad vitam per cibum ſpiritualem à Deo præſtitũ, & ab homine ſumptum, ipſo Dei Filio miniſtrante, & operante. Et ſicut in natura cibus corporalis non ſolùm nutrit, & fortificat corpus, ſed etiam alterat, & delectat animã mediante corpore ; etiam homini febricitanti panis, & vinum multoties ſunt cauſa mortis, quæ ſanis proficiunt ad ſalutem ; ſic eſt de Corpore Chriſti.

2. Reſpondet Synagogæ, dicens, quòd ſimile exemplum habemus 3. *Reg.* 19. *cap.* cùm Angelus Domini miniſtravit Eliæ fugienti à facie Iezabel panem ſubcinericium, de quo Elias comedit, & ambulavit in fortitudine cibi illius uſque ad montem Dei. Et 2. *Paralipom.* 26. habetur, quòd Ozias Rex percuſſus eſt lepra : quia obtulit ſacrificium, quod ſibi non licebat. *Similiter* fructus paradiſi, quem primi parentes ſumpſerunt, in ſe quidem bonus fuit, ſed ipſis ſumentibus fuit cauſa mortis. Pſalm. *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum*, &c. Item : *Et cum juſtis non ſcribantur*. In novo quoque Teſtamento Apoſtoli communicaverunt dignè cum Chriſto in cœna, unde uſque ad diem Reſurrectionis non comederunt, ſed Judas indignè communicans laqueo ſe ſuſpendit. *Bernardus*. Corpus Chriſti ægrotis eſt medicina, peregrinantibus diæta : debiles confortat, valentes delectat, languorem ſanat, ſanitatem ſervat. Fit homo manſuetior ad correptionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, ſagacior ad cautelam, fortior ad cautelam, ad obedientiam promptior, ad gratiarum actionem devotior. *Hæc ille*.

Circa prædicamentum Paſſionis dubitant Philoſophia, & Synagoga, quomodo ad fractionem hoſtiæ non frangitur Corpus Chriſti : cum ejuſdem videtur eſſe frangi, & maſticari. Sed verum Corpus Chriſti eſt, quod manducatur ; ergo Corpus Chriſti eſt, quod frangitur, &c.

Sancta Mater Eccleſia primò reſpondet Philoſophiæ, dicens, quòd Corpus Chriſti verum non frangitur tum quia eſt incorruptibile, & impaſſibile : tum quia eſt totum ſub qualibet parte, quod eſt contra rationem ejus, quod frangitur. Sed fractio illa eſt ſubjectivè in quantitate dimenſiva panis, ſicut & alia accidentia : & ſicut ſpecies ſacramentales ſunt Sacramentum Corporis Chriſti veri ; ita fractio huiuſmodi ſpecierum eſt Sacramentum dominicæ Paſſionis, quæ fuit in Corpore Chriſti vero. Vnde fractio hoſtiæ tria ſignificat. Primò quidem ipſam diviſionem Corporis Chriſti, quæ facta eſt in Paſſione. Secundò, diſtinctionem corporis myſtici ſecundùm diverſos ſtatus. Tertiò, diſtributionem gratiarum procedentium ex Paſſione Chriſti, ut *Dionyſius* dicit 3. *cap. Eccleſiaſtica Hierar.* Vnde talis fractio non inducit diviſionem Chriſti, ſicut in natura diviſo ſpeculo non frangitur imago, quæ relucet in ipſo, etiam diviſo corpore hominis non dividitur anima rationalis.

2. Reſpondet Synagogæ, dicens. Licèt hoſtia conſecrata dividatur in plures partes, tamen Corpus Chriſti manet integrum, & illæſum, ſicut de Abraham legitur *Gen.* 22. *cap.* quòd volens immolare filium ſuum Iſaac poſitum ſuper altari, non Iſaac, ſed arietem jugulavit ; ſic in fractione hoſtiæ non Corpus Chriſti frangitur, ſed quantitas dimenſiva, quæ ante conſecrationem pani inerat. In novo quoque Teſtamento duo Diſcipuli, cum quibus Chriſtus velut peregrinus ambulavit in Emmaus, cognoverunt eum in fractione panis, & ipſe evanuit ab oculis eorum.

Circa prædicamentum Vbi dubitant Philoſophia, & Synagoga, quomodo idem Corpus Chriſti numero ſecundùm idem eſſe poteſt in diverſis locis, puta in diverſis altaribus ; quoniam locus ſpecierum panis non eſt vacuus : natura enim non patitur vacuum. Nec eſt ibi ſubſtantia panis, ſed eſt ibi ſolùm Corpus Chriſti ; ergo Corpus Chriſti replet locum illum. Sed omne, quod replet locum aliquem, eſt in eo localiter ; ergo Corpus Chriſti eſt in hoc Sacramento localiter.

Sãcta Mater Eccleſia primò reſpondet Philoſophiæ, dicens, quòd Corpus Chriſti non eſt in hoc Sãctamento ſecundùm propriũ modum quantitatis dimenſivæ, ſed magis ſecundùm modum ſubſtantiæ : omne autem corpus locatum eſt in loco ſecundùm modum quantitatis dimenſivæ, in quantum ſcilicet commenſuratur loco ſecundùm ſuam quanti-

titatem dimenſivam. Vnde Corpus Chriſti non eſt in hoc Sacramento ſicut in loco, ſed per modum ſubſtantiæ, eo ſcilicet modo, quo ſubſtantia continetur à dimenſionibus: quia ſubſtantia Corporis Chriſti ſuccedit ſubſtantiæ panis in hoc Sacramento: & ſicut ſubſtantia panis non erat ſub ſuis dimenſionibus localiter, ſed per modum ſubſtantiæ; ita nec ſubſtantia Corporis Chriſti. Nec tamen ſubſtantia Corporis Chriſti eſt ſubjectū illarum dimenſionum, ſicut erat ſubſtantia panis; & ideo panis ratione ſuarū dimenſionū localiter erat ibi: quia comparabatur ad locum mediantibus propriis dimenſionibus. Subſtantia autem Corporis Chriſti comparatur ad locum illum mediantibus dimenſionibus alienis, ita quòd econverſo dimenſiones propriæ Corporis Chriſti comparantur ad locum illum mediante ſubſtantia, quod eſt contra rationem corporis locati. Vnde nullo modo Corpus Chriſti eſt in hoc Sacramento localiter; neque locus ille, in quo eſt Corpus Chriſti, eſt vacuus; neque etiam propriè eſt repletus ſubſtātiâ Corporis Chriſti, quæ non eſt ibi localiter, ſed eſt repletus ſpeciebus Sacramentorum, quæ habent replere locum, vel propter naturam dimenſionum, vel ſaltem miraculosè, ſicut & miraculosè ſubſiſtunt per modum ſubſtantiæ. Nam verbum vocale ab ore loquentis unum, & ſolum procedens, ad aures omnium audientium defertur, quod tamen idem remanet in corde proferentis. Eodem modo Corpus Chriſti ſemper remanet in cælo, & tamen veraciter eſt in altari, & in ore omnis ſumentis. Etiam lux ſolis, cùm unica ſit, in pluribus locis relucet. Similiter natura ſpeciei una exiſtens, eſt in omnibus ſuis individuis.

2. Reſpondet Synagogæ, dicens, quòd Corpus Chriſti non eſt in hoc Sacramento diffinitivè: quia tunc non eſſet alibi, quàm in hoc altari, ubi conficitur hoc Sacramentum, cùm tamen ſit & in cælo in propria ſpecie, & in multis aliis altaribus ſub ſpecie Sacramenti. Neque eſt in hoc Sacramento circunſcriptivè: quia non eſt ibi ſecundùm commenſurationē propriæ quanticatis. Quòd autem non eſt extra ſuperficiem Sacramenti, nec eſt in alia parte altaris, non arguit, quòd ſit ibi diffinitivè, vel circunſcriptivè, ſed quòd incepit ibi eſſe per conſecrationem, & converſionem panis, & vini. Huius enim ſimile habetur *Num.* 11. quòd Deus accepit de ſpiritu Moyſi, & dedit 70. viris, nec tamen privavit Moyſen ſpiritu. Etiam 4. *Reg.* 5. dicitur, quòd Eliſeus exiſtens in cella, erat præſens in via, quando Giezi, puer ſuus accepit veſtimenta, & talenta à Naaman curato à lepra. In novo quoque Teſtamento habetur, quòd idem ſuppoſitum numero Filii Dei erat in cælo, in ſepulcro, & in inferno poſt Paſſionem eius.

Circa prædicamentum Quando dubitant Philoſophia, & Synagoga, quomodo non conſumitur Corpus Chriſti, cùm tamen continuè fideles communicent, & manducent ipſum. Quoniam, ut dicit *Innoc. III. in quodam decretali*, Chriſtus tunc tale Corpus dedit Diſcipulis, quale habuit: ſed Chriſtus in cœna habuit Corpus paſſibile, & mortale; ergo Corpus paſſibile, & mortale Diſcipulis dedit: ſed tale Corpus tandem conſumitur, cùm manducatur; ergo, &c.

Sancta Mater Eccleſia primò reſpondet Philoſophiæ, dicens, quòd idem verū Corpus Chriſti erat, quod à Diſcipulis tunc in propria ſpecie videbatur, & in ſpecie Sacramenti ſumebatur. Non autem erat impaſſibile, ſecundùm quod in propria ſpecie videbatur, quinimo erat Paſſioni paratum. Vnde nec ipſum Corpus, quod in ſpecie Sacramenti dabatur, impaſſibile erat; impaſſibili tamen modo erat ſub ſpecie Sacramenti, quod in ſe erat paſſibile, ſicut inviſibiliter, quod in ſe erat viſibile. Sicut enim viſio requirit contactum corporis, quod videtur, ad circunſtans medium viſionis; ita paſſio requirit contactum corporis, quod patitur, ad ea, quæ agunt. Corpus autem Chriſti, ſecundùm quod eſt ſub Sacramento, non comparatur ad ea, quæ circunſtant mediantibus propriis dimenſionibus, quibus corpora ſe tangunt, ſed mediantibus dimenſionibus ſpecierum panis, & vini; & ideo ſpecies illæ ſunt, quæ patiuntur, & videntur, & conſumuntur, non autem ipſum Corpus Chriſti. Sicut enim ab una ſola candela infinitæ candelæ accenduntur, nec tamen lumen primæ conſumitur, etiam aliæ tantùm habent de lumine ſicut prima, eodem modo eſt hic.

2. Reſpondet Synagogæ, dicens, quòd Corpus Chriſti ex diuturnitate manducationis non conſumitur: ſicut nec lecythus olei, nec hydria farinæ defecerunt per tres annos, & dimidium, de qua comederunt Elias, vidua Sarephtana, & filius eius, ut dicitur 3. *Reg.* 17. *cap.* In novo quoque Teſtamento

to ſeptem panes ſufficerunt quatuor millibus hominum, & tamen ſuperfuerunt ſeptem ſportæ fragmentorum, ut dicitur *Mar.* 8. *cap.*

Circa prædicamentum Situs dubitant Philoſophia, & Synagoga, quomodò Corpus Chriſti in cælo tam ſubitò deſcendat in hoſtiam ſuper altari, cùm ſit tanta diſtantia utriuſque ab invicem. Dicit enim *Ambroſius libro de Sacramentis*, quòd illud Sacramentum Chriſti ſermone conficitur. Sed ſermo Chriſti ſucceſſivè profertur; ergo hæc converſio fit ſucceſſivè.

Sancta Mater Eccleſia reſpondet primò Philoſophiæ, dicens, quòd hæc converſio eſt inſtantanea. Primò quidem, quia ſubſtantia Corporis Chriſti, ad quam terminatur illa converſio, non ſuſcipit magis, nec minus. Secundò, quia in hac converſione non eſt aliquod ſubjectum, quòd ſucceſſivè præparetur. Tertiò, quia agitur infinitâ virtute Dei: nam in ultimo inſtanti prolationis verborum fit illa converſio: tunc enim completur verborum ſignificatio, quæ eſt efficax in Sacramentorum formis. Sicut enim lux ſe ubique diffundit in inſtanti, & oculus ſubitò intuetur cælum, cùm tamen ſit maxima diſtantia inter ea; ſic eſt in hoc Sacramento.

2. Reſpondet Synagogæ, dicens, quòd exemplum huius habetur *Dan.* 14. *cap.* de Habacuc, qui portatus fuit ab Angelo in ictu oculi à Iudæa in Babylonem, & cibato Daniele in momento ipſum repoſuit in Iudæam. In novo quoque Teſtamento dicitur, quòd partes corporum humanorum ſunt in diverſis partibus mundi diſperſæ, & tamen in momento divina virtute erit reſurrectio corporum, ut habetur 1. *Corinth.* 15.

Circa prædicamentum Habitus dubitant Philoſophia, & Synagoga, quomodo non apparet Chriſtus in habitu gloriæ in hoc Sacramento, ſicut eſt in cælo: cùm enim habitus gloriæ ſit una de dotibus corporis glorificati, & Chriſtus poſt Reſurrectionem habuerit Corpus glorificatum; videtur, quòd in habitu glorioſæ claritatis debeat apparere ſub hoc Sacramento.

Sancta Mater Eccleſia primò reſpondet Philoſophiæ, dicens, quòd Corpus Chriſti non poteſt in propria ſpecie videri, niſi in uno loco. Vnde cùm videatur in propria ſpecie, & adoretur in cælo; ideo ſub propria ſpecie non videtur in hoc Sacramento, ſicut lux ſolis non poteſt videri ab oculo debili: quoniam excellens ſenſibile poſitum ſupra ſenſum corrumpit ſenſum, ut dicitur 3. *de anima*.

2. Reſpondet Synagogæ, dicens, quòd etiam Deus non apparuit in forma gloriæ ſuæ. Nam in columna ignis de nocte, & in columna nubis de die præcedebat populum, quem eduxit de Ægypto. Similiter in forma nubis operiebat tabernaculum teſtimonii. Vxor autem Manue dubitavit mori, quia viderat Dominum. In novo quoque Teſtamento apparuit Chriſtus poſt Reſurrectionem ſuam Diſcipulis, & Thomæ, at non in habitu gloriæ: quia non ſuſtinuiſſent, ſicut nec in Transfiguratione. Et ſic patet, quòd Caro Chriſti verè eſt cibus confortativus mentis, & corporis noſtri, hìc per gratiam, tandem per gloriam. Amen.

SER-

SERMO OCTAVVS
IN FESTO
NATIVITATIS DOMINI.

Vidimus gloriam eius. Ioann. 1. cap.

PRopheta David in Pſalm. dicit: *Annunciaverunt cæli iuſtitiam eius: & viderunt omnes populi gloriam eius.* Super quo verbo moveo talem quæſtionem.

Vtrum credere myſterium divinæ Incarnationis ſit fundamentum humanæ ſalvationis?

AD iſtam quæſtionem reſpondent tres Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt *B. Auguſtinus lib. 2. contra Pelagium, & Celeſtium cap.* 24. dicens: Sine fide unius Mediatoris Dei, & hominum Chriſti Ieſu, Incarnationis, mortis, & Reſurrectionis eius, ſive in eis juſtis, quos ſancta Scriptura commemorat, ſive quos non commemorat, ut juſti eſſent à peccatis, non potuiſſe mundari, & Dei gratiâ juſtificari, veritas chriſtiana non dubitat.)

Secundus eſt *beatus Gregorius ſuper Ezech. hom.* 17. dicens: Et qui præibant, & qui ſequebantur clamabant, dicentes: Hoſanna filio David, &c. quia omnes electi, qui in Iudæa eſſe potuerunt, ſive qui nunc in Eccleſia ſunt, in Mediatorem Dei, & hominum crediderunt, & credunt.)

Tertius eſt *Sanctus Thomas ſecunda ſecundæ quæſt.* 2. *artic.* 7. dicens: Illud propriè, & per ſe pertinet ad objectum fidei, per quod homo beatitudinem conſequitur. Via autem hominibus veniendi ad beatitudinem eſt myſterium Incarnationis, & Paſſionis Chriſti. Dicitur enim Act. 4. cap. *Non eſt aliud Nomen datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Et ideo myſterium Incarnationis Chriſti aliqualiter oportuit omni tempore eſſe creditum apud omnes.)

Tamen pro majori declaratione ponit ſanctus Thomas ibidem quatuor concluſiones.

Prima concluſio. Angelus ante confirmationem habuit fidem de futura beatitudine. Patet: quia cognitio fidei eſt ſupra naturalem cognitionem Angeli de Deo: ſed Angeli ſunt creati cum dono gratiæ; ideo neceſſe eſt dicere, quòd per gratiam acceptam, & nondum conſummatam fuerit in eis inchoatio quædam ſperandæ beatitudinis; quæ quidem inchoatur in voluntate per ſpem, & charitatem, ſed in intellectu per fidem. Quia verò in ſtatu primæ conditionis Angeli non erat obſcuritas culpæ, vel pœnæ, inerat tamen intellectui Angeli quædam obſcuritas naturalis, ſecundùm quod omnis creatura tenebra eſt, comparata immenſitati divini luminis, & talis obſcuritas ſufficit ad fidei rationem. Vnde Angelos non omnino latuit myſterium regni Dei, id eſt, Incarnationis, ſicut dicit *Auguſtinus 5. ſuper Gen. ad litteram.* Quaſdam tamen rationes huius myſterii perfectius cognoverunt Chriſto revelante. *Hæc Sanctus Thomas.*

Secunda concluſio. Ante ſtatum peccati homo habuit explicitam fidem de Chriſti Incarnatione, ſecundùm quod ordinabatur ad conſummationem gloriæ, non autem ſecundùm quod ordinabatur ad liberationem à peccato per Paſſionem, & Reſurrectionem: quia homo non fuit præſcius peccati futuri. Videtur autem Incarnationis Chriſti præſcius fuiſſe per hoc, quod dixit: *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ,* ut habetur Gen. 2. Et hoc Apoſtolus ad Epheſ. 5. dicit, *Sacramentum magnum eſſe in Chriſto, & in Eccleſia.* Quod quidem Sacramentum non eſt credibile primum hominem ignoraſſe. Licèt autem in ſtatu primæ conditionis non fuerit auditus ab homine exterius loquente, fuit tamen à Deo interius inſpirante, ſicut & Prophetæ audiebant, ſecundùm illud Pſal. *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus.*

Tertia concluſio. Poſt peccatum fuit expli-

Digitized by Google

plicitè creditum myſterium Chriſti, non ſolùm quantùm ad Incarnationem, ſed etiam quantùm ad Paſſionem, & Reſurrectionem, quibus humanum genus à peccato, & morte liberatur. Patet: quia aliter non præfiguraſſent Chriſti Paſſionem quibuſdam ſacrificiis, & ante legem, & ſub lege, quorum quidem ſacrificiorum ſignificatum explicitè majores cognoſcebant: minores autem ſub velamine illorum ſacrificiorum, credẽtes ea divinitus eſſe diſpoſita de Chriſto venturo, quodammodo habebant velatam cognitionem; & tantò diſtinctiùs cognoverunt, quantò Chriſto propinquiores fuerunt.

Quarta concluſio. Poſt tempus gratiæ revelatæ, tam majores, quàm minores tenentur habere fidem explicitam de myſteriis Chriſti. Patet: quia præcipuè tenentur quantùm ad ea, quæ communiter in Eccleſia ſolemnizantur, & publicè proponuntur, ſicut ſunt articuli fidei. Alias autem ſubtiles conſiderationes circa Incarnationis articulos tenentur aliquid magis, vel minus explicitè credere, ſecundùm quod convenit ſtatui, & officio uniuſcujuſque. Vnde credere explicitè myſterium Chriſti omni tempore, & quoad omnes neceſſarium fuit. *Hæc S. Thomas eodem artic.*

Quia verò hi omnes hanc fidem cognoverunt eſſe adimpletam, ideo dicunt:

Vidimus gloriam eius

Nos Angeli. Nos Apoſtoli.
Nos Patriarchæ. Nos Gentiles.
Nos Prophetæ. Nos Chriſtiani.
Nos Iudæi.

PRIMO. *Nos Angeli vidimus gloriam Divinitatis coniunctam humanitati Ieſu Chriſti in ſua ſacratiſſima Nativitate*; quod patet quadruplici ratione.

Primò. Ratione tentationis. Nam *Bernardus ſerm. 17. in Cant.* dicit: Potuit contingere, plenum ſapientiâ, & perfectum decore, homines præſcire potuiſſe futuros, etiam & profecturos in parem gloriam. Sed ſi præſcivit, in Dei Verbo abſque dubio vidit, & in livore ſuo invidit, & molitus eſt habere ſubjectos, ſocios dedignatus. Infirmiores ſunt, inquit, inferioreſque naturâ non decet eſſe concives, nec æquales in gloria.) Ideo modis omnibus ad peccandum tentavit hominem. Sap. 2. cap. *Invidiâ diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Non enim invidit homini, niſi de majori felicitate, quam homo erat habiturus ſupra naturam Angelicam, quæ felicitas erat, ut homo eſſet Deus.

Secundò. Ratione reſtaurationis. Nam ruina Angelica debebat reſtaurari ex hominibus. Heb. 1. cap. *Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Hæc autem reſtauratio non poterat fieri, niſi impleto Sacramento Incarnationis Filii Dei. Ad Titum 3. cap. *Apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit.*

Tertiò. Ratione ſalutationis. Nam beata Virgo fuit edocta myſterium Incarnationis Filii Dei per Angelum, ut patet Lucæ 1. cap. *Miſſus eſt Angelus à Deo*, &c. Super quo dicit *Beda in homil.* Aptum profectò humanæ reſtaurationis indicium, ut Angelus à Deo mitteretur ad Virginem partu conſecrandam divino: quia prima perditionis humanæ fuit cauſa, cùm ſerpens à diabolo mittebatur ad mulierem ſpiritu ſuperbiæ decipiendam; imo ipſe in ſerpente diabolus veniebat, qui genus humanum, deceptis parentibus primis, immortalitatis gloriâ nudaret.

Quartò. Ratione evangelizationis. Nam in hoc ſervatur divina ordinatio, ſecundùm quàm mediantibus Angelis Divina ad homines perveniunt. Vnde *Dionyſ. 4. cæl. Hierch.* dicit, quòd Divinum Ieſu benignitatis myſterium Angeli primi edocti ſunt, poſtea per ipſos ad nos Divinitatis cognitio trãſivit. Propterea Angelus hodie ad paſtores ait: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. quia natus eſt vobis hodie Salvator mundi. Et ſubito facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis exercitus*, ut dicitur Lucæ 2. cap. Et ſic patet primum.

SECVNDO. *Nos Patriarchæ vidimus in figura gloriam dominicæ Incarnationis* diu ante.

Abel enim vidit Incarnationem Chriſti in virginitate, in ſacerdotio, in martyrio. Vnde *Auguſtinus de mirabilibus ſacræ Script. cap.* 3. ait: Tota juſtitia hæc eſt: virginitas, ſacerdotium, & martyrium: quæ triplex juſtitia in Abel primò fuit, qui & munera Deo placita obtulit, proſapiam generis in ſe-

ſeculo non reliquit, & martyrii coronam ſanguinis effuſione promeruit. Rectè ergo competebat, ut, qui primus in terra juſtus eligitur, in eo totius juſtitiæ forma ſervaretur, cuique primò in hominibus poſt delictum geſtare figuram conceditur Salvatoris, qui virgo, & caput, & Sacerdos, & martyr eſſe videtur.) Et Hebr. 12. cap. *Acceſſiſtis ad ſanguinis aſperſionem, melius loquentem, quàm Abel.*

Noe vidit hanc Incarnationem in arcu fœderis. Gen. 9. cap. *Hoc erit ſignum fœderis inter me, & terram: Arcum meum ponam in nubibus.* Quod exponens Ioannes Evangeliſta, Apoc. 10. cap. dicit: *Vidi alterum Angelum fortem deſcendentem de cælo amictum nube, & iris in capite eius.* Iſte Angelus eſt Filius Dei. Nubes levis eſt humanitas de Virgine ſumpta. Iſa. 19. cap. *Aſcendet Dominus ſuper nubem levem.* Arcus iſte eſt divinalis miſeratio. Nam in arcu ſunt duæ partes: Prima & fortis eſt lignum: ſecunda & debilis eſt linum. Et tamen pars debilior, ſcilicet linum, ſeu corda inclinat partem fortiorem, ſcilicet lignum. Sic in Chriſto humanitas tanquam pars debilior inclinavit Divinitatem fortiorem ad ſagittandum diabolũ, & miſerendum homini. Iſte arcus apparuit in cælo, id eſt, in utero virginali in ſignum fœderis, nempe noſtræ ſalvationis. Et hoc in figura vidit Noe, ut patet.

Abraham vidit gloriam huius Incarnationis: quia ut dicitur Gen. 15. cap. *Cùm occubuiſſet ſol, apparuit clibanus fumans, & lampas ignis tranſiens per diviſiones illas.* Per clibanum fumantem intelligitur uterus virginalis ſanctificatus Spiritu ſancto. Luc. 1. cap. *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Per lampadem intelligitur Chriſtus, juxta illud Iſaiæ 62. cap. *Salvator eius ut lampas accendatur.* Ideo gaviſus eſt Abraham. Ioan. 8. cap. *Abraham pater veſter exultavit, ut videret diem meum: vidit, & gaviſus eſt.*

Iſaac vidit gloriam dominicæ Incarnationis, quando egreſſus ad meditandum in agro inclinatâ jam die, accepit Rebeccam in uxorem, *Gen. 24. cap.* Et ſancta Mater Eccleſia declarat hanc meditationem Iſaac, quòd tunc cognoverit Chriſtum incarnandũ, dicens: *Vergente mundi veſpere, uti ſponſus de thalamo*, ſcilicet Filius Dei; *egreſſus honeſtiſſimâ Virginis Matris clauſulâ*, ſcilicet ut deſponſaret ſibi in unitate ſuppoſiti naturam humanam.

Iacob vidit gloriam divinæ Incarnationis: quia vidit ſcalam ſuper terram, cuius caput pertingebat ad cælum, & Dominum innixum ſcalæ, & Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam, & ait: *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea*, Gen. 32. cap. Per hanc ſcalam intelligitur humanitas Chriſti, cui Divinitas eſt conjuncta, Angelorum lætitia, &c.

Ioſeph vidit gloriam dominicæ Incarnationis, quando expoſuit ſomnium pincernarum Pharaonis de tribus propaginibus in vite, dicens: *Tres propagines tres adhuc dies ſunt, poſt quos recordabitur Pharao miniſterii, & reſtituet te in gradum priſtinum*, Gen. 40. cap. Tres dies ſunt tria tempora, ſcilicet tempus legis naturalis, tempus legis ſcriptæ, tempus legis gratiæ, quæ ſignificantur in tribus Miſſis ſolemnibus, quas hodie celebrat Eccleſia. In tertio tempore Deus Pater miſertus eſt generis humani, cùm ipſum reſtituit ad participandam gloriam Divinitatis in Chriſto.

TERTIO. *Nos Prophetæ, Spiritu ſancto revelante, vidimus gloriam dominicæ Incarnationis.*

Moyſes hanc vidit in rubo ardente, & non combuſto, ut habetur *Exo. 3. cap.* Per ignem figuratur Divinitas, juxta illud: *Deus noſter ignis conſumens eſt.* Per rubum figuratur virtus virginalis, juxta illud: *Rubum, quem viderat Moyſes incombuſtum, conſervatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem, Dei Genitrix.*

Aaron hanc vidit, quando præcepit Deus, quòd ſingulæ tribus ponerent virgas ſuas ſuper altare Dei. Sola autem virga Aaron ſicca, & arida floruit, fronduit, & fructum amigdalinum protulit, *Numeri* 17. cap. Per hanc virgam figuratur beata Virgo. Iſa. 11. cap. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* Et hoc non naturaliter, ſed virtute Dei, juxta illud: *Non ex virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine Verbum Dei factum caro fructus ventris floruit.*

Gedeon hanc vidit in vellere, quando apparuit pluvia deſcendens in vellus, terrâ non madefactâ, *Iud. 6.* Pluvia, id eſt, Dei Filius deſcendit in vellus, id eſt, in uterum Virginis. Pſal. *Deſcendet ſicut pluvia in vellus.* Terrâ non madefactâ, id eſt, virginitate incorruptâ, juxta illud: *Quando natus es ineffa-*

fabiliter ex Virgine, tunc impleta ſunt Scriptura. Sicut pluvia in vellus deſcendiſti, ut ſalvum faceres genus humanum.

Joſue hanc vidit in ſtatione ſolis, quando pugnans contra Gabaon ait: *Sol contra Gabaon ne movearis.* Et ſtetit ſol ſpatio unius diei in medio cæli, *Joſue* 10. *cap.* Quia ſol, nempe Filius Dei (Malach. 4. cap. *Orietur vobis timentibus Nomen meum ſol juſtitiæ.*) ſtetit in medio cæli, nimirum in utero virginali, Pſal. *Suſcepimus, Deus, miſericordiam tuam in medio templi tui.*

David hanc vidit, quando in Pſal. dixit: *Miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi: juſtitia, & pax oſculatæ ſunt.* Nam in myſterio Incarnationis Chriſti fuit unio Divinitatis cũ humanitate, & unio Animæ, & Corporis. Miſericordia convenit Divinitati. Pſal. *Miſericors, & miſerator Dominus.* Veritas humanitati. Ioann. 1. cap. *Plenum gratiæ, & veritatis.* Juſtitia Animæ Chriſti. Iſaiæ 56. cap. *Juxta eſt ſalus mea, ut veniat: & juſtitia mea, ut reveletur.* Pax convenit Corpori Chriſti. Iſaiæ 53. cap. *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum.* Tunc autem miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi, quando Divinitas unita eſt humanitati Chriſti. Tunc juſtitia, & pax oſculatæ ſunt, quando Anima Chriſti inſita eſt Corpori Chriſti, in quo fuit omnimoda pax, quia nulla peccati contagio: quoniam veritas, id eſt, Corpus Chriſti de terra, nempe de Maria Virgine orta eſt. Sicut enim primus Adam de terra virgine operatione Spiritus ſancti ſubitò formatus eſt; ſic Corpus Chriſti de Maria Virgine Spiritu ſancto operante mox formatum eſt. Juſtitia verò, videlicet Anima Chriſti de cælo proſpexit: quia ab inſtanti creationis ſuæ fuit perfectiſſimè beata, & vidit Deum intuitivè, & beatificè.

Salomon hanc vidit, quando Cant. 3. cap. dixit: *Egredimini, & videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.* Sed ubicunque in lib. Cant. ponitur nomen Salomonis, intelligendus eſt ipſe Deus, ut dicunt Doctores Hebræorum. Synagoga autem nunquam vocatur mater Dei in Scriptura, ſed ſponſa, filia, amica, virgo, ut patet *Ierem. per totum capitula.* Si ergo Deus habet matrem, habuit eam non ſecundùm naturam divinam, ſed ſecundùm naturam humanam.

Iſaias hanc vidit, quando 9. cap. dixit: *Parvulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis: & factus eſt principatus ſuper humerum ejus: vocabitur Nomen ejus, Admirabilis, Conſiliarius, Deus Fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis.* Sed hæc auctoritas intelligitur de Meſſia, ut patet per *translationem Chaldaicam*, quæ dicit ſic: Infans datus eſt nobis, & recipiet ſuper ſe ad ſervandum legem, & vocabitur Nomen ejus admirabilis conſilii, Deus fortis, permanens in ſecula ſeculorum Meſſias. In ejus diebus pax multiplicabitur. Et patet, quòd loquatur de Chriſto.

Ieremias hanc vidit, quando 23. cap. dixit: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo David germen juſtum: & regnabit Rex, & ſapiens erit: & faciet judicium, & juſtitiam in terra. Et hoc eſt Nomen, quod vocabunt eum, Dominus juſtus noſter.* Sed hæc auctoritas loquitur de Chriſto, ut patet per *translationem Chaldaicam*, quæ dicit ſic: Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & ſuſcitabo Meſſiam juſtum: & hoc eſt Nomen, quod ipſi appellant eum, Dominus juſtus noſter. Et ſic patet intellectus, &c.

Ezechiel hanc vidit quando 44. cap. ait: *Converti me ad viam portæ ſanctuarii exterioris, quæ reſpiciebat ad Orientem, & erat clauſa. Et dixit Dominus ad me: Porta hæc clauſa erit: non aperietur, & vir non tranſibit per eam: quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam. Auguſtinus in quodam ſermone* exponit hoc, dicens: Quid eſt porta in domo Domini clauſa, niſi quòd Virgo Maria ſemper erit intacta? Quid eſt, vir non tranſibit per eam, niſi quia Joſeph non cognovit eam? Quid eſt Dominus ingredietur, & egredietur per eam, niſi quòd Filius Dei naſcetur ex ea?

Daniel hanc vidit, quando 9. cap. ait: *Septuaginta hebdomades abbreviata ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & ungatur Sanctus ſanctorum.* Per has hebdomades intelliguntur 490. anni, ut patet.

Aggæus Propheta hanc vidit, quando 2. cap. dixit: *Adhuc unum modicum, & ego commovebo cælum, & terram, mare, & aridam; & veniet deſideratus cunctis gentibus, & magna erit gloria domus iſtius noviſſima, magis quàm prima, dicit Dominus exercituum*, &c.

Zacharias Propheta hanc vidit, quando 9. cap. dixit: *Exulta ſatis filia Sion, jubila filia*

lia Ieruſalem. Ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus, & Salvator: pauper, & aſcendens ſuper aſinam. Secundùm *Glo. Hebræorum* prædicta auctoritas Zachariæ intelligitur de adventu Meſſiæ, ut patet.

QVARTO. *Nos Iudæi vidimus gloriam dominicæ Incarnationis.*

Nos Doctores legis dicentes cum Iſaia 24. cap. *A finibus terræ laudes audivimus, gloriam iuſti. Secretum meum mihi: ſecretum meum mihi.* Nempe ſecretum generationis æternalis, & temporalis Filii Dei. Item in *Glo. noſtra* ſuper illud Iſaiæ ultimo: *Antequam parturiret peperit;* quæ dicit ſic: Antequam natus fuiſſet ille, qui in ſervitutem redegit ultimam, natus fuit Salvator, id eſt, ante nativitatem Titi Veſpaſiani, qui civitatem & templum deſtruxit, populum captivavit, & in ſervitutem ſubegit, ut patet per *translationem Chaldaicam*, quæ dicit: Adhuc non erat ei veniens anguſtia: & adhuc non venerat ei dolor propter partum, & revelabatur Meſſias. Nam dolor, & anguſtia partus exprimit calamitatem in obſidione Ieruſalem.

Paſtores viderunt hanc gloriam, juxta illud Luc. 2. cap. *Paſtores loquebantur ad invicem: Tranſeamus uſque Bethlehem, & videamus hoc Verbum, quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis. Et venerunt feſtinantes, & invenerunt Mariam, & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio.* Super quo *Beda in ſermone* dicit: Paſtores quidem illi felici gaudio feſtinaverunt videre, quod audierant. Et quia ardenti amore quæſierunt; continuò Salvatorem, quem quæſierunt, invenire meruerunt.) Sic ergo viderunt.

Simeon vidit hanc gloriam, juxta illud Luc. ibid. *Et ecce homo erat in Ieruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte iuſtus, & timoratus, expectans conſolationem Iſrael.* Super quo *Auguſtinus ſermone 16. de Nativitate Domini* dicit: Multum ſenex iſte fuit, ad audiendum ſerus, ſed ad videndum maturus. Non expectavit, ut audiret Chriſtum loquentem, quoniam agnovit infantem. Et hoc illi conceſſum erat jam decrepito, quaſi deſideranti, & ſuſpiranti, & dicenti in orationibus ſuis: Quando veniet? Quando naſcetur? Quando videbo? Putas durabo? Putas me hìc inveniet? Putas iſti oculi videbunt, per quem cordis oculi revelabuntur? Dicebat iſta in orationibus ſuis, & pro deſiderio ſuo accepit reſponſum, quòd non guſtaret mortem, niſi priùs videret Chriſtum Domini.) Ideo dixit: *Nunc dimittis Domine*, &c.

Anna Prophetiſſa filia Phanuel de tribu Aſer vidit hanc gloriam juxta illud Lucæ ibid. *Et hac ipsà horà ſuperveniens confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael.* Sic ergo ipſa vidit.

Zacharias Sacerdos, pater Ioannis Baptiſtæ vidit hanc gloriam, dicens Luc. 1. cap. *Tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim*, &c. uſque: *oriens ex alto.*

Eliſabet mater Ioannis Baptiſtæ vidit hanc gloriam, dicens ibid. *Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Omnes iſti clarè viderunt.

QVINTO. *Nos Apoſtoli vidimus gloriam dominicæ Incarnationis.*

Luc. 10. cap. *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.* Et 1. Ioannis 1. cap. *Quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de Verbo vitæ, teſtamur, & annunciamus vobis; & hoc ſcimus, quoniam cognovimus eum.* Et ſic patet.

SEXTO. *Nos Pagani vidimus gloriam dominicæ Incarnationis in hodierna Chriſti Nativitate.*

Iob vidit hanc gloriam. Vnde *Sanctus Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 2. artic. 7. ad tert.* dicit: Multis Gentilium facta fuit revelatio de Chriſto, ut patet per ea, quæ prædixerunt. Nam Iob 19. cap. dicitur: *Scio, quòd Redemptor meus vivit, & in noviſſimo*, &c.) Qui poſtmodum prophetans de Chriſto 31. cap. dicebat: *Vidi ſolem, cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè, & lætatum eſt cor meum in abſcondito*, Significans per ſolem Divinitatem, per lunam humanitatem in Chriſto, quæ inceſſit clarè, id eſt, ſine contagione ullius peccati. Et quia hanc gloriam vidit mente, & ſpiritu, lætatus eſt.

Sibyllæ pariter viderunt hanc gloriam, de quibus *Sanctus Thomas quæſt. & artic. cit.* dicit: Sibyllæ etiam quædam prænunciaverunt de Chriſto, ut Auguſtinus dicit.) De quibus ſingilatim ordine ſequenti.

Sibylla Perſica.

Virgine Matre ſatus pullo reſidebit aſello
Iucundus Princeps, unus qui ferre ſalutem
Ritè queat lapſis; tamen illis fortè diebus
Multi multa ferent immenſi facta laboris.
Solo, ſed ſatis eſt, oracula prodere verbo,
Ille Deus caſta naſcetur Virgine magnus,

Li-

Digitized by Google

Libyca.

Ecce dies veniet, quo aternus tempore Princeps,
Irradians fata lata, viris sua crimina tollet.
Lumine clarescet cuius Synagoga recenti
Sordida, qui solus reserabit labra reorum
Aequus erit cunctis, gremio Rex mẽbra reclinet
Regina mundi, sanctus per secula vivus.

Delphica.

Non tardè veniet, tacità sed mente tenendum
Hoc opus, hoc memori semper qui corde reponet.
Huius pertentant cor gaudia magna Prophetæ
Eximii, qui virginea conceptus ab alvo
Prodibit sine contactu maris, omnia vincit.
Natura hoc operà: at faciet, qui cuncta gubernat.

Cimmeria.

In teneris annis, facie præsignis honore
Militia aterna Regem sacra Virgo cibabit
Lacte suo, per quem gaudebunt pectore summo
Omnia, & Eòo lucebit sidus ab orbe
Mirificum, sua dona Magi cum laude ferentes,
Obsicient Puero myrrham, aurum, thura Sabæa.

Samia.

Ecce dies, nigras quæ tollet lata tenebras,
Mox veniet, solvens nodosa volumina Vatum
Gentis Iudææ, referet ut carmina plebi.
Hanc poterunt clarum viverum tangere Regem,
Humano quem Virgo sinu inviolata fovebit.
Annuit hoc cælum, rutilantia sidera monstrant.

Cumana.

Iam mea certè manent, & vera noviſſima verba,
Vltimi venturi quòd erant oracula Regis,
Qui toti veniens mundo cum pace placebit,
Vt voluit, nostra vestitus carne decenter.
In cunctis humilis, castam pro Matre puellam
Deliget, hac alias formà præcesserit omnes.

Helleſpontica.

Dum meditor quondam, vidi decorare Puellam
Eximio castam (quòd se servaret) honore,
Munere digna suo, & divino Numine visa,
Quæ Solem multo pareret splendore micantem,
Progenies summi speciosa, & vera Tonantis,
Pacificà mundum qui sub ditione gubernet.

Phrygia.

Ipsa Deum vidi summum punire volentem
Mundi homines stupidos & pectora cæca rebellis:
Et quia sic nostram complerent crimina pœnam,
Virginis in corpus voluit demittere cælo
Ipse Deus Prolem, quùm nuncret Angelus almæ
Matri, qua miseros contracta sorde levaret.

Europæa.

Virginis æternum veniet de corpore Verbum
Parum, qui valles & montes transiliet altos.
Ille volens etiam stellato missus olympo
Edetur mundo pauper, qui cuncta silenti
Rex erit imperio: sic credo, & mente fatebor,
Humano simul ac divino semine gnatus.

Tyburtina.

Verax ipse Deus dedit hæc mihi numina fandi,
Carmine quod sanctam potui monstrare Puellam,
Concipiet quæ Nazareis in finibus illum,
Quẽ sub carne Deum Bethlemica rura videbunt.
O nimium felix cælo dignissima Mater,
Quæ tantam sacro lactabit ab ubere Prolem!

Agrippa.

Summus erit sub carne satus charissimus atque
Virginis & vera complebit viscera sanctum
Verbum, consilio, sine noxa Spiritus almi:
Despectus multis tamen ille salutis amore,
Arguet & nostrà commissa piacula culpà,
Cuius honos constans, & gloria certa manebit.

Erythræa.

Cerno Dei Natum, qui se demisit ab alto,
Vltima felices referent cum tempore soles,
Hebræà quem Virgo feret de stirpe decora.
In terris multum teneris passurus ab annis,
Magnus erit tamen hic divino carmine Vates,
Virgine Matre satus, prudenti tempore verax.
Oracula è vetustiſs. codicibus translata in *Bibliothecam SS. Patrum tom. 2. parte 1. fol. 523.*

Gentilis quidam vidit hanc gloriam. Vnde *Sanctus Thomas secunda secundæ q. 2. artic. 7. ad 3.* dicit: Invenitur etiam in historiis Romanorum, quòd tempore Constantini Augusti, & Helenæ matris eius inventum fuit quoddam sepulcrum, in quo jacebat homo auream laminam habens in pectore, in qua scriptum erat: Christus nascetur de Virgine, & credo in eum. O sol, sub Helenæ & Constantini temporibus iterum me videbis.)

Plures etiam *Gentiles* viderunt hanc gloriam. Vnde *S. Thomas ibidem*: Si qui tamen salvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, nõ fuerunt salvati absque fide Mediatoris: quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in

Divina providentia, credentes Deum esse liberatorem hominum secundùm modos sibi placitos, & secundùm quod aliquibus veritatem cognoscentibus spiritus revelasset, secundùm illud Iob 35. *Qui docet nos super iumenta terræ.*)

Magi in Oriente positi, viderunt hanc gloriam, juxta illud Matth. 2. cap. *Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum*, &c.

SEPTIMO. *Nos Christiani vidimus gloriã dominicæ Incarnationis in hoc Natali Christi.* Vnde *Maximus in sermone de Nativitate Domini* dicit: Viderunt siquidem patres nostri magna, innumeraque mirabilia opera Dei. Cælum illis Angelicas escas roravit, Lapis durissimus dulcia pocula ministravit. Iordanis perpetem suum meatum in fontem retorsit. Validissimus hostium murus tubarum strepitu corruit. Sol quoque commoratus in cælo longiorem triumphanti populo diem præstitit. Hoc verò nullis antea seculis videre datum est, ut Vnigenitus Altissimi, quem trementes Archangelorum Potestates suspiciunt, hominem se hominibus exhiberet, & carnem, quam ab homine sumpsit, in Deum transformaret.) Certificatus est enim homo de gloria Nativitatis Christi testimonio miraculorum in quadruplici genere.

Primò. In corporibus cælestibus. Nam circa solem apparuit circulus aureus. Apparuerunt etiam tres soles, qui postmodum in unum redacti sunt. Apparuit insuper circulus aureus, in cuius medio erat puella, puerum gestans in gremio. Apparuit præterea nova stella Magis in Oriente.

Secundò. In elementis. Ignis novus apparuit, qui Sodomitas consumpsit. Aer novam claritatem induit, cùm nox in lucem versa est. Fons aquæ in oleum est conversus. Terra novam fœcunditatem ostendit, cùm vineæ Engaddi floruerunt, & balsamum produxerunt.

Tertiò. In creaturis insensibilibus. Templum pacis Romæ corruit. Statua Romuli confracta est. Idola Ægypti subversa sunt.

Quartò. In creaturis cognoscentibus. Bos, & asinus adoraverunt Christum in præsepio. Octavianus renuit vocari Deus, & Christum adoravit. Angeli collaudarunt, & prædicarunt Dei magnalia. Et sic totus mundus exultavit, ut dicere potuerit: *Vidimus gloriam eius*, qui nos salvabit in secula. Amen.

SERMO NONVS
IN FESTO
S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

Stephanus plenus Spiritu sancto vidit gloriam Dei. Act. 7. cap.

BEatus Augustinus *sermone 2. huius diei* asserit: Passionis Christi vestigia prior secutus B. Stephanus, confitendo Christum, lapidatus à Iudæis coronam meruit, tanquã suo sibi nomine positam. Stephanus enim græcè, latinè corona appellatur. Iam corona nomen habebat, & ideo palmam martyrii suo nomine præferebat.) Super quo moveo talem quæstionem,

Vtrum Beatus Stephanus, adhuc in carne viator, fuerit divinæ essentiæ clarus contemplator?

AD istam quæstionem respondent duo Doctores novi Testamenti.

Primus est *Beatus Augustinus serm. 3. huius festi* dicens: Ecce, inquit Stephanus, video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei. Vidit Christum confitens Christum, moriturus pro Christo, perrecturus ad Christum.)

Secundus est *Sanctus Thomas 4. sententiarum dis. 49. quæst. 2. artic. 7. in rubrica* dicens:

Cùm

Digitized by Google

Cùm beatitudo ſit ultimus finis rationalis creaturæ, ſtatus viæ in qualibet rationali creatura eſt ille, in quo à beatitudine deficit. Beatitudo autem cujuslibet rationalis creaturæ conſiſtit in viſione Dei per eſſentiam. Sed operatio delectabiliſſima, in qua beatitudo conſiſtit, oportet, quòd ſit potentiæ diſpoſitæ, & perfectæ ad digniſſimum objectum, ut patet per Philoſophum 10. *Ethic.* Ideo ad hoc, quòd creatura rationalis ſit beata per viſionem Dei in eſſentia ſua, oportet, quòd in hanc viſionem ſit potens per aliquam diſpoſitionem ſibi inhærentem, quam dicimus lumen gloriæ. Sic autem nulla pura creatura in ſtatu viæ exiſtens videre poteſt Deum per eſſentiam. Sed cõtingit aliquando divina virtute, quòd aliqua res miraculosè producitur in aliquid, in quo nullo modo poteſt per aliquas diſpoſitiones ſibi inhærentes, ſicut quòd virgo pariat, quòd ignis in aqua comburat. Similiter poteſt miraculosè fieri, quòd divina virtute aliquis intellectus creatus, non habens, niſi diſpoſitionem viæ, elevetur ad videndum Deum per eſſentiam, nec tamen ex tali viſione poteſt dici beatus ſimpliciter, ſed ſecundùm quid tantùm, in quantum ſcilicet communicat in actu beati: ſicut etiam aliquod corpus in ſtatu gravitatis exiſtens poteſt miraculosè participare actum agilitatis, vel impaſſibilitatis, ſicut de Habacuc legitur *Danielis ultimo cap.* & de tribus pueris conſervatis in fornace, *Danielis* 3. *cap.* nec tamen eorum corpora erant glorioſa. Ideo nulla pura creatura, in ſtatu viæ exiſtens, poteſt Deum per eſſentiam videre, ſed Deus poteſt facere, quòd videat adhuc in ſtatu viæ exiſtens. *Hæc Sanctus Thomas.*

Beatus Stephanus in carne vivens vidit gloriam Dei, aut oculo corporali, aut mentali. Si corporali; fuerunt quatuor miracula in illa viſione.

Primum. Quia vidit cælos apertos: cùm ſecundùm naturam cælum non poſſit aperiri, nec dividi, nec ſecari.

Secundum. Quia vidit Ieſum: cùm ſecundùm naturam impoſſibile ſit, corpus glorificatum ab oculo mortali in ſua gloria videri.

Tertium. Quia vidit Chriſtum ſtare à dextris: cùm enim Corpus Chriſti ſit in cælo empyreo, videndo ipſum, vidit ultra cælum aereum, ſidereum, cryſtallinum uſque ad empyreum. Impoſſibile autem eſt ſecundùm naturam, ut oculus corporalis in tanta diſtantia videre poſſit.

Quartum eſt. Quia vidit Chriſtum eum virtute ſe juvantem in certamine. Impoſſibile enim erat ſecundùm naturam, ut Stephanus ſuperaret tot inimicos ipſum perſequentes, niſi divinâ gratiâ fuiſſet adjutus. Sicut Samſon vicit Philiſthæos virtute Spiritus ſancti, quæ deſignabatur in ſeptem capillis eius, ut dicitur *Iudic. 16. cap.* ſic Stephanus plenus Spiritu ſancto vicit Iudæos.

Si autem vidit oculo mentali, quod communiter dicitur, ſic dico, quòd videre potuit: quia habuit oculum mentis purificatum per fidem. Act. 15. cap. *Fide purificans corda eorum.* Illuminatum per ſapientiam. Pſal. *Revela oculos meos: & conſiderabo mirabilia de lege tua.* Sanctificatum per gratiam. Matth. 5. cap. *Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt.* Deificatum per Spiritum ſanctum. Iob 39. cap. *De longe oculi eius proſpiciunt.* Et hoc modo patet, quòd Stephanus plenus Spiritu ſancto vidit gloriam Dei, ut dicit verbum propoſitum.

Stephanus plenus Spiritu ſancto vidit gloriam Dei

Per Sanctificationẽ. Per Paſſionem.
Per Electionem. Per Impetrationem.
Per Viſionem. Per Coronationem.
Per Orationem. Per Glorificationem.
Per Dimicationem.

PPRIMO. *Beatus Stephanus vidit gloriam Dei per ſanctificationem.* Vnde *Auguſt. in ſerm. 1. huius diei* dicit: Natus eſt Chriſtus in terris, ut Stephanus naſceretur in cælis. Ingreſſus eſt Dominus mundum, ut Stephanus ingrederetur cælum. Altus ad humilia deſcendit, & humilis ad alta aſcendit.

Sciendum, quòd inter Chriſti Diſcipulos Stephanus fuit primus natus in cælo. Et ſicut Chriſtus fuit primus natus in terris ſine ulla contagione peccati, aut originalis, aut actualis; ſic Stephanus fuit primus natus in cælo inter Chriſti Diſcipulos ſine ulla macula, cum perfecta ſanctificatione. Apoc. 14. cap. *Sine macula ſunt ante thronum Dei.*

Sanctus Stephanus natus eſt in cælo quadrupliciter. Primò. Ratione amplioris loci ad manendum. Sancti enim, quandiu ſunt in

ute-

utero Eccleſiæ, habent locum arctum, quoniam terra exigua eſt, velut punctum. Sap. 11. cap. *Tanquam momentum ſtatera, ſic ante te eſt orbis terrarum.* Ideo exire appetunt, ut recipiant locum amplum, de quo dicitur Baruch 3. cap. *O Iſrael, quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius! Magnus, & non habens finem, excelſus, & immenſus.*

Secundò. Ratione uberioris cibi ad veſcendum. Sancti enim, quandiu ſunt in utero Eccleſiæ, ſunt in continua eſurie; ideo exire appetunt, ut ſint *in* plena ſatietate. Pſal. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.*

Tertiò. Ratione liberioris aeris ad reſpirandum. Sancti enim, quandiu ſunt in utero Eccleſiæ, non habent libertatem aeris, id eſt, divinæ refrigerationis, ut reſpirare poſſint; ideo exire appetunt, ut in Dei æternitate reſpirent. Vnde cantat Eccleſia: *Inter Sanctos, & Electos tuos reſuſcitati reſpirent.*

Quartò. Ratione majoris lucis ad videndum. Sancti enim, quandiu ſunt in utero Eccleſiæ, ſunt in tenebris multiplicis ignorantiæ; ideo exire appetunt, ut veniant ad lucem claritatis æternæ. Apoc. 21. cap. *Claritas Dei illuminabit eam.*

Iſta quatuor ſibi reſervata in cælo beatus Stephanus vidit; ideo de utero Eccleſiæ exire optavit. Vidit enim cælum apertum, tanquam locum amplum ad manendum. Vidit Ieſum, tanquam cibum ad veſcendum. Vidit Dei dextram, tanquam beatam requiem, ad reſpirandum. Vidit gloriam Dei, tanquam æternam lucem ad videndum. Et in his erat ſanctificatio eius.

SECVNDO. *Beatus Stephanus vidit gloriam Dei per electionem.* Vnde *Auguſtinus ſermone 5. huius diei* dicit: Heſterno die natalem habuimus Domini Salvatoris, hodie ſumma devotione veneramur S. Mart. Stephani paſſionem. Heſterno, quo redimimur ad præmium; hodierno, quo provocamur ad exemplum. Bene ergo heſternæ ſolemnitati feſtivitas hodierna conjuncta eſt, ut illa credentes eveheret ad vitam, hæc confidentes duceret ad coronam. Omni ergo Eccleſiæ B. Stephanus datus eſt ad profectum. Adhuc laicus diaconii meruit electionem, & Levita martyrii obtinuit principatum. In plebe adhuc poſitus erat, ſed jam virtutibus eminebat. Humilis erat loco, ſed celſus fide.)

Sciendum, quòd dignitas Divi Stephani fuit, quòd ab Apoſtolis fuit primus ordinatus, cuius dignitas apparet ex plenitudine Spiritus ſancti, quæ erat in eo. Sed plenitudo eſt quadruplex.

Prima eſt effluentiæ, quæ fuit in Chriſto. Ioann. 1. cap. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.*

Secunda eſt excellentiæ, quæ fuit in beata Virgine, quæ præ omnibus Sanctis excellentiùs gratiam accepit. Luc. 1. cap. *Ave gratiâ plena.*

Tertia eſt abundantiæ, quæ fuit in Apoſtolis, qui Spiritum ſanctum in abundantia receperunt. Actor. 2. cap. *Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.*

Quarta eſt ſufficientiæ, quam habent omnes fideles. Luc. 1. cap. *Zacharias pater eius repletus eſt Spiritu ſancto.*

Iſta quadruplex plenitudo declaratur ad ſimilitudinem aquæ. Eſt enim quædam plenitudo fluminis, & iſta eſt effluentiæ, quæ fuit in Chriſto. Pſalm. *Flumen Dei repletum eſt aquis.* Quædam fontis, & iſta eſt excellentiæ, quæ fuit in Virgine, quæ ad inſtar fontis ſemper fuit. Cantic. 4. cap. *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* Quædam rivuli decurrentis, & iſta eſt abundantiæ, quæ fuit in Apoſtolis. Vnde, poſtquam Propheta dixit: *Flumen Dei repletum eſt aquis;* ſtatim ſubjunxit: *Rivos eius inebriant*, &c. Quædam eſt vaſis, & iſta eſt ſufficientiæ, quæ plenitudo eſt menſurata. 4. Regum 4. cap. *Pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vaſa vacua non pauca.*

Beatus Stephanus habuit iſtam quadruplicem plenitudinem. Effluentiæ in continua doctrinæ emanatione. Excellentiæ in ſignorum, & prodigiorum operatione. Abundantiæ in tam benigna inimicorum dilectione. Sufficientiæ in operatione ſtrenua, fide recta, & dilectione ſyncera. Actor. 6. cap. *Elegerunt Stephanum virum*, id eſt, virilem, ecce operatio ſtrenua. *Plenum fide*, ecce fides recta. *Et Spiritu ſancto*, ecce dilectio ſyncera. Sic ergo Beatus Stephanus vidit gloriam Dei per electionem, &c.

TERTIO. *Beatus Stephanus vidit gloriam Dei per viſionem.* Vnde *Auguſtinus ſermone 4. huius diei* dicit: Iudæi malitiâ cæcabantur; Stephanus viſo Dei Filio illuſtrabatur.

Sciendum, quòd in veteri Teſtamento quatuor genera hominum viderunt majeſtatem Dei. Primò Patriarchæ. Sicut *Iacob* in ſtatu

viæ

viæ exiſtens, vidit Deum facie ad faciem. Vnde dixit Gen. 32. cap. *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea.* Hæc enim apparitio non fuit dormiendo, ſed vigilando. Nec tantùm audivit vocem ſecum loquentis, ſed etiam figuram inſpexit, hominis tamen; unde dicitur, quòd apparuit ei vir, &c. quem Angelum intellexit. Et ad hanc eminentiam deſignandam dicitur, quòd vidit Dominum facie ad faciem, Angelum Dominum vocans.

Secundò. Duces, ſicut *Moyſes*, de quo dicitur Numeri 12. cap. *Ore ad os loquor ei: & palàm, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Vnde *Auguſtinus libro 2. de Trinitate* ait, quòd locutio illa, quæ fiebat vocibus, ſic modificabatur, tanquam eſſet amici loquentis ad amicum.

Tertiò. Reges, ſicut *Iob*, qui dicit 42. cap. *Auditu auris audivi te: nunc autem oculus meus videt te.* Prius enim non fuit facta revelatio ipſi Iob, niſi per auditum loquentis non viſi; poſtmodum verò per viſionem loquentis.

Quartò. Prophetæ, ſicut *Iſaias*, qui dicit 6. cap. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum.*

In novo Teſtamento etiam quatuor genera hominum viderunt majeſtatem Dei. Primò. *Ioannes Baptiſta*, de quo dicitur Ioann. 1. cap. *Vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manſit ſuper eum, & ego neſciebam eum. Sed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum deſcendentẽ, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto. Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei.*

Secundò. *Petrus, & duo filii Zebedæi*, quando viderunt Chriſtum transfiguratum, ut dicitur *Matth.* 17. *cap.*

Tertiò. *Paulus*, qui dicit 2. Corinth. 12. cap. *Scio huiuſmodi hominem raptum uſque ad tertium cælum*, &c. ubi dicit *Gloſa*, quòd Deus oſtendit Apoſtolo vitam, in qua videndus eſt in æternum.

Quartò. *Stephanus*, qui cælum apertum vidit, & gloriam Dei conſpexit, & Ieſum glorificatum intuitus fuit. Vnde dixit Act. 7. cap. *Ecce video cælos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei.* Quod fuit magnum privilegium.

QVARTO. *Beatus Stephanus vidit gloriam Dei per orationem.* Vnde *Fulgentius in ſermone huius diei* dicit: Stephanus, ut nominis ſui coronam mereretur accipere, charitatem pro armis habebat, & per ipſam ubique vincebat. Per charitatem Dei ſævientibus Iudæis non ceſſit: per charitatem proximi pro lapidantibus interceſſit: per charitatem Dei arguebat errantes, ut corrigerentur: per charitatem proximi pro lapidantibus orabat, ne punirentur.

Sciendum, quòd Beatus Stephanus floruit quatuor virtutibus, quibus oratio ſua meruit exaudiri. Primò. Virtute caſtitatis, & munditiæ. In cuius ſignum fuit conſtitutus cuſtos viduarum mulierum, ut patet *Act. 6. cap.* Et propter eius puritatem omnes, qui erant in conſilio, intuebantur vultum eius, tanquam vultum Angeli, ſtantis inter illos.

Secundò. Virtute veritatis, & ſapientiæ. Actor. 6. cap. *Surrexerunt autem quidam de Synagoga*, &c. uſque: *non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur.*

Tertiò. Virtute fortitudinis, & conſtantiæ. Ibid. *Stephanus plenus gratiâ, & fortitudine.* Fortis enim eſt ille, qui eſt impavidus contra bonam mortem.

Quartò. Virtute benignitatis, & patientiæ: quia perſecutoribus non ſolùm pepercit, ſed etiam pro ipſis oravit. Cuius benignitas apparuit in quatuor.

1. Quia orando pro ſe, ſtetit; orando pro ſuis lapidatoribus, genuflexit, quaſi plus orationem, quam pro ipſis faciebat, quàm illam, quam pro ſe fundebat, cupiens exaudiri.

2. Quia pro ipſis majori charitate, quàm pro ſe oravit, cupiens eos converti, & à pœna æterna liberari. Vnde *Beda* dicit: Pro ſe ſtans oravit, pro inimicis genuflexit: quia maior iniquitas maius ſupplicandi remedium flagitabat.)

3. Quia cum clamore, & lacrymis pro eis oravit. Act. 7. cap. *Poſitis autem genibus Beatus Stephanus clamavit voce magna.* Vnde *Auguſtinus ſermone 4. huius diei* dicit: Beatus Stephanus Diaconus erat, Evangelia legebat, in quibus invenit ſcriptum: Diligite inimicos veſtros, & orate pro perſequentibus vos. Didicit legendo, perficit implendo. Iudæi lapidabant, & ille orabat. Illi eum furioſè perſequebantur, ille pacatus Chriſtum ſequebatur. Illi lapides mittebant, ille orationes præmittebat, tanquã diceret: Domine, ſi iſto modo occideris inimicos, quos poſtea facies amicos?)

4. Quia pro eis allegavit dicens: *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Vnde *Maximus in ſermone huius diei*, & *Auguſtinus ſermone quinto* dicunt: In perſecutione poſitus pro perſecutoribus Dominum deprecaba-

Digitized by Google

atur, atque in illa lapidum ruina, quando alius obliviſci poterat etiam chariſſimos ſuos, ille Domino commendabat inimicos. Plus itaque tunc dolebat illorum peccata, quàm ſua vulnera; plus illorum impietatem, quàm ſuam mortem.) Ecce quanta fuit benignitas eius pro inimicis ſuis exorando, &c.

QVINTO. *Beatus Stephanus vidit gloriam Dei per dimicationem.* Vnde *Maximus Epiſcopus in ſermone huius diei* dicit: Si quid diſtare inter Martyres poteſt, præcipuus videtur eſſe iſte, qui primus eſt. Mortem enim, quam dignatus eſt Salvator pro omnibus pati, hanc iſte primus reddidit Salvatori.)

Sciendum, quòd in veteri Teſtamento fuerunt quatuor genera martyrum. Primò. De Patriarchis primus fuit *Abel*, de quo dicit *Hieron. in cap. 23. Matth.* De Abel nulla eſt ambiguitas, quin hic ſit, quem Cain frater ſuus occiderit. Iuſtus autem non ſolùm ex Domini nunc ſententia, ſed etiam ex Geneſis teſtimonio comprobatur; ubi accepta à Deo eius narrantur munera.)

Secundò. De Sacerdotibus primus fuit *Achimelech* Sacerdos, quem occidit Saul, ut habetur 1. *Regum* 22. *cap.*

Tertiò. De Prophetis primus fuit *Zacharias* filius Ioiade Sacerdotis, quem occidit Ioas filius Ochoziæ inter templum, & altare, ut habetur 2. *Paralipo.* 24. *cap.* Et *Hieronymus in* 23. *Matth.* idem dicit.

Quartò. De Principibus militiæ primus fuit *Iudas Machabæus*, ut habetur 1. *Macha.* 9. *cap.*

In novo Teſtamento fuerunt quatuor genera Martyrum: Primum fuit ſanctorum Innocentium. Secundum fuit Ioannis Baptiſtæ, *Matth.* 14. Tertium fuit Chriſti, *Matth.* 27. *cap.* Quartum fuit ſancti Stephani *Act.* 7. *cap.*

Quare autem B. Stephanus dicatur primus Martyr, ſunt quatuor rationes. Prima eſt: quia fuit primus martyrio coronatus poſt Chriſtum. Vnde *Auguſtinus ſermone primo huius diei* dicit: Fratres chariſſimi, heri celebravimus natalem, quâ Rex Martyrum natus eſt mundo; hodie celebramus natalem, quâ primicerius Martyrum migravit è mundo.)

Secunda ratio eſt: quia fuit primus, qui ex martyrio volavit ad cælum. Ceteri enim Martyres ante ipſum deſcendebant ad limbū, iſte autem ſubitò aſcendit ad cælum. Vnde *Fulgentius in ſermone huius diei*: Heri celebravimus temporalem ſempiterni Regis natalē: hodie celebramus triumphalem militis paſſionem. Heri Rex noſter trabea carnis indutus, de uteri virginalis aula egrediens, viſitare dignatus eſt mundum: hodie miles de tabernaculo corporis egrediens, triumphator migravit ad cælum. Ille ſempiternæ Deitatis majeſtate ſervata, ſervile cinctorium carnis aſſumens, in huius ſeculi campum pugnaturus intravit: iſte depoſitis corruptibilibus corporis indumentis, ad cæli palatium perenniter regnaturus aſcendit. Ille deſcendit carne velatus, iſte aſcendit ſanguine laureatus. Aſcendit iſte lapidantibus Iudæis, quia ille deſcendit lætantibus Angelis. *Hæc ille.*

Tertia ratio eſt: quia fuit primus pro fide Chriſti mortuus. Qui enim fuerunt ante Chriſtum, mortui ſunt pro lege veteri. Licèt autem Innocentes fuerunt occiſi propter Chriſtum, non tamen propter fidem Chriſti, quam linguâ confiterentur, ſicut beatus Stephanus.

Quarta ratio eſt: quia baptiſmus ſanguinis primò in ipſo habuit efficaciam, cùm per ipſū anima abſolvatur à culpa, & pœna, ſicut in baptiſmo fluminis. Sed in omnibus Martyribus præcedentibus iſtud martyrium nunquam habuit talem effectum: cùm omnes incurrerent pœnam damni præter Chriſtum, qui, à quo abſolveretur, non habuit. Vnde B. Stephanus rectè fuit figuratus per Gedeonem, qui fuit primus, qui cœpit cum hoſtibus dimicare, ut patet *Iudi.* 7. *cap.* Habuit enim quatuor adjutoria, propter quæ tanquam miles ſtrenuus fortiſſimè dimicavit.

1. Habuit grande exemplum, ſicut ſi miles videret ante ſe militem fortiter dimicantem. Vnde vidit Ieſum, ſtantem à dextris virtutis Dei. Super quo dicit *Glo.* Ne homo lapidandus dubitet in terra, Deus homo crucifixus apparet in gloria. Et Hebr. 12. cap. *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adversùm ſemetipſum contradictionem, ut non fatigemini, animabus veſtris deficientes.*

2. Habuit grande ſpectaculum, quoniam vidit cælos apertos. Apertum enim fuit cælum, ut Rex, & tota curia cæleſtis videret militem dimicantem. Miles autem valde ſtrenuè dimicaret, qui à Rege, & à tota civitate ſe ſpectari cognoſceret. 1. Cor. 4. cap. *Spectaculum facti ſumus mundo, & Angelis,* &c.

3. Ha-

3. Habuit grande præmium ſibi oſtenſum, quia vidit gloriam Dei. *Gregorius*. Conſideratio,& ſpes præmii minuit vim flagelli.

4. Habuit grande auxilium, quia vidit Ieſum ſtantem. Super quo dicit *Gloſſa*: Quia ſtare eſt pugnantis, vel adjuvantis, rectè à dextris ſtare vidit, quem inter perſecutores adjutorem habuit. Miles enim valde ſecurus eſſet, qui juxta ſe pugilem fortiſſimum haberet. Exodi 9. cap. *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis*. Et ſic patet pugna victorioſa eius.

SEXTO. *Beatus Stephanus vidit gloriam Dei per paſſionem*. Quia paſſio eius fuit ſimilis Paſſioni Chriſti, ut dicit *Gloſſa*, quantùm ad quatuor.

1. Quia ſicut Chriſtus, ſic iſte falſis teſtibus accuſatur.

2. Quia Chriſtus extra portam patitur, Stephanus extra civitatem lapidatur.

3. Quia Chriſtus ait tanquam Filius Patri: *In manus tuas commendo ſpiritum meum*. Stephanus tanquam ſervus ait: *Domine Ieſu, accipe ſpiritum meum*.

4. Quia Chriſtus ait: *Pater, ignoſce illis*. Stephanus: *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum*. Vnde *Auguſtinus ſermone primo huius diei* dicit: Oravit Chriſtus pro ſuis crucifixoribus; oravit & Stephanus pro ſuis lapidatoribus. Chriſtus ligno affixus oravit; & Stephanus ſtans ſpiritum ſuum Domino commẽdavit, fixoque genu pro inimicis, ut amicus, Dominum rogavit. Talia ergo in orationis ſuæ convivio Domino exhibuit, qualia in ſui Domini menſa comedit.) Fuit ergo paſſio eius ſatis conformis Paſſioni Chriſti, ut patet.

SEPTIMO. *Beatus Stephanus vidit gloriam Dei per impetrationem*. Vnde *Auguſtinus ſermone 4. huius diei* dicit: Denique ut noveritis, quantum valuerit oratio ſancti Martyris, recurrite nobiſcum ad illum adoleſcentem, qui, cùm lapidaretur Stephanus, omnium veſtimenta ſervabat, & tanquã manibus omnium lapidabat, cui dictum eſt: Saule, Saule, quid me perſequeris? Ob hoc quidem debui perdere te, ſed Stephanus meus oravit pro te. Nam, ſi martyr Stephanus nõ ſic oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet. Sed ideo de terra erectus eſt Paulus, quia in terram inclinatus, exauditus eſt Stephanus.) Sic ergo patet, quòd prædeſtinatio poteſt juvari precibus Sanctorum, &c.

OCTAVO. *Beatus Stephanus vidit gloriam Dei per coronationem*. Habuit enim quatuor dignitates, quibus merebatur quadruplicem coronam.

Primò. Habuit dignitatem Angelicam. Vnde *Aug. ſerm. 6. huius diei*. Stephanus revelata facie ſua ſpeculabatur in cælum gloriam Dei Filii; ideo videbant vultum eius Iudæi, tanquam vultum Angeli Dei.) Ratione huius meruit coronam auream, in quantum fuit virgo incorruptus. Eccli. 45. cap. *Corona aurea ſuper mitram eius*. Sicut enim aurum eſt incorruptũ, ſic & ipſa virginitas. Sap. 4. cap. *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate! Immortalis eſt enim memoria illius*.

Secundò. Habuit dignitatem propheticam; quia fuit plenus Spiritu ſancto. 2. Petri 1. cap. *Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines*. Ratione huius meruit coronam ſtellatam, in quãtum fuit prædicator lucidus. Dan. 12. cap. *Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, erunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*.

Tertiò. Habuit dignitatem apoſtolicã: quia fuit Diſcipulus Chriſti. Ratione huius meruit coronam gemmarum, in quantum fuit vir perfectus. Pſal. *Poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo*. Lapis pretioſus habet claritatem, ſoliditatem, & virtuoſitatem. Et ſignificat viſionem Dei, quæ Sanctos facit claros in aperta Dei viſione, ſive cognitione, ſolidos in permanſione, & virtuoſos in ferventi Dei dilectione.

Quartò. Habuit dignitatem leviticam, ad quam pertinet miniſtrare Euchariſtiam. Ratione huius meruit coronam roſeam, in quantum fuit ſanguine purpuratus. Apoc. 7. cap. *Laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni*, &c.

NONO. *Beatus Stephanus vidit gloriam Dei per glorificationem*. Eius autem glorificatio apparuit in miraculis, quæ in quadruplici genere fecit.

Primò, Quædam declarant eius potentiam. Oſtendit enim ſe habere potentiam ſuper quatuor elementa. Nam in eius inventione ignem, quem dæmones excitaverunt, in eos retorſit. Aer pluviam deſtinavit. Tempeſtatem maris ſedavit. Terra tremuit.

Secundò. Qædam declarant eius miſericordiam. Nam quoſdam ſanavit in corpore, ſicut fratrem, & ſororem à concuſſione membrorum, & ſeptuaginta infirmos à diverſis infirmitatibus liberavit, ſeptem quoque mortuos ſuſcitavit, uti narrat *S. Auguſtinus ſer. 7. huius diei, & lib. 22. de civ. Dei cap. 8.*

& Petrus Damian. in ſerm. hodierno.

Tertiò, Convertit Paulum. Vnde *Auguſtinus ſerm. 1. huius diei* dicit: Cœpimus habere prædicatorem, quem S. Stephanus habuit lapidatorem.

Quartò. Quædam declarant eius reverentiam. Nam eius corpus Conſtantinopolim in Eccleſiam Sion honorificè, indeque Romam translatum eſt, permultis coruſcans miraculis, prout ſcribit, & teſtatur *Auguſt. locis cit.* ſub cuius prima translatione odor ſuaviſſimus aſtantes recreabat. Quo conſtat divinæ eſſentiæ eum clarum fuiſſe contemplatorem.

SERMO DECIMVS IN FESTO S. IOANNIS APOSTOLI, ET EVANGELISTAE.

Sic eum volo, Ioann. ult. cap.

PEtrus Damian. *ſerm. 1. huius diei* dicit: Hic eſt, quem Redemptor noſter ad declarandam ſuæ Divinitatis eſſentiam, quoddam quaſi organum fecit; atque, ut hic ſuppleret, quod ad tempus ipſe Dominus diſpenſativè ſuppreſſerat, ſibimet Vicarium dereliquit, ut cùm homines, tanquam primò lactantes, firmiora jam in via veritatis veſtigia figerent, eos ad cognoſcendam divinæ ſcientiæ gratiam promoveret.) Super quo verbo moveo talem quæſtionem.

Virum Beatus Ioannes maiori charitate fuerit à Chriſto dilectus, quàm Petrus ad Eccleſiæ regimen electus?

AD iſtam quæſtionem reſpondent duo Doctores Eccleſiæ.

Primus eſt *Beda homil. hodiernà* dicens: Diligebat autem eum Ieſus non exceptis ceteris ſingulariter ſolum, ſed præ ceteris, quos diligebat familiarius unum, quem ſpeciali prærogativa caſtitatis ampliori dilectione fecerat dignum.

Secundus eſt *Petrus Damianus ſerm. 1. huius diei* dicens: Petrus petra. Petra quoque factus eſt & Ioannes, ſupra cuius fundamentum totius Eccleſiæ ſtructura conſurgit. Hoc beato Ioanni Dominus conceſſit in verbis, quod & Petro contulit in miraculis, ut & iſte altiora proferret, & ille majoribus coruſcaret virtutum prodigiis.

Sciendum, quòd quadruplex eſt dilectio, *Prima* eſt, quæ conſiſtit in præcordiali amore, & iſtâ Chriſtus utrumque æqualiter dilexit. Ambos enim dilexit affectione animi; quia ambo apud Deum ſunt æqualis meriti.

Secunda eſt, quæ conſiſtit in ſapientiali præſervatione, & iſtâ utrumque æqualiter dilexit; quia nullis tentationibus diaboli, nullis perturbationibus mundi, nullis voluptatibus carnis à Chriſti amore potuerunt evelli.

Tertia eſt, quæ conſiſtit in familiaritatis oſtenſione, & ita magis dilexit Ioannem, quàm Petrum: quia majora ſigna familiaritatis ei oſtendit. Et hoc patet quadruplici ſigno.

Primum ſignum eſt: quia ſupra pectus Chriſti recubuit. Vnde *Iſidorus libro de obitu Sanctorum* dicit: Ioannes Apoſtolus, & Evangeliſta, virgo eſt electus à Domino, & inter ceteros magis dilectus; qui etiam ſuper pectus Domini Magiſtri recumbens, Evangelii ſui fluenta de ipſo ſacri dominici pectoris fonte potavit, & quaſi unus de paradiſi fluminibus verbi Dei gratiam in toto orbe terrarum diffudit.) Pectus Chriſti erat menſa cæleſtis, in qua ſunt deliciæ Angelorum: gazophylacium, in quo ſunt thezauri omnium ſcientiarum; & fons divinus, in quo ſunt omnia dona, & gratia Dei. Quando autem famelicus ſedet ad menſam deliciarum, valde ſaturatur. Quãdo egenus intrat gazophylacium theſaurorum, valde ditatur. Quando ſitibundus pervenit ad fontem amenum, valde repletur, &c.

Beatus Ioannes recumbendo ſuper pectus Do-

Domini, ſedebat ut famelicus ad menſam Angelorum; ideo fuit plenè ſatiatus. Intravit tanquam egenus gazophylaciũ omnium ſcientiarum; ideo fuit valde ditatus. Pervenit ut ſitibundus ad fontem omnium gratiarum; ideo fuit valde repletus. Iſta tria tanguntur Eccli. 15. cap. *Cibavit illum pane vitæ, & intellectus.* Ecce qualiter famelicus eſt paſtus. *Aquâ ſapientiæ ſalutaris potavit illum.* Ecce qualiter ſitibundus eſt potatus. *Iucunditatem, & exultationem theſaurizavit ſuper eum.* Ecce qualiter egenus eſt ditatus. Ideo *Petrus Damianus ſermone primo huius diei* dicit: Hanc autem ſupereminentem divinæ ſcientiæ gratiam ex illo cæleſti gazophylacio, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi, traxit. Et non immeritò: ut, qui carnis ſibi amputavit illecebras, cæleſtium epularum deliciis frueretur, & illuc acie mentis attingeret, quo non Propheta, non Patriarcha, non denique quiſque ab ipſo mundi primordio cognoſcitur aſpiraſſe.)

Secundũ ſignum eſt, quia Chriſtus ſibi proditorem, & non alteri revelavit. Vnde *Idem ibidem*. Verbo in medium prolato, tacet Petrus, cuius lingua clavis facta cælorum. Silet Andreas, qui ipſi fratri ad fontem vitæ prævius fuit. Non loquitur Thomas, qui viam ſe neſcire profeſſus, eundem eſſe viam, veritatẽ, & vitam, ipſo referente, agnovit. Non præſumit os aperire Philippus, qui, dum Patrem ſibi popoſcit oſtendi, profundè myſteria individuæ Trinitatis audivit. Omnes tacent, omnes dubitant, & latenter inquirunt, non quidem prolatione verborum, ſed tantùm nutibus oculorum. Sed cùm res diu ſub hac ambiguitate penderet, nec nodum dubietatis quiſpiam ſolveret, tandem Ioannis patrocinium quæritur, & ſic ad rei dubiæ notitiam pervenitur. Ille nimirum, Condiſcipulorum perſonâ in ſe ſuſceptâ, conſultor accedit, qui de ampliori familiaritatis, atque dilectionis prærogativa confidit. *Hæc Petrus Damianus.*

Tertium ſignum eſt, quia Chriſtus Matrem ſuam ſibi recommendavit. Vnde *Iſidorus lib. de obitu Sanctorum* dicit: Ioannes in loco Chriſti Chriſto jubente ſucceſſit, dum ſuſcipiens Matrem Magiſtri Diſcipulus par poſt Chriſtum alter quodammodo derelictus eſt filius.) Et *Petrus Damianus ubi ſupra*. Nec mirum, ſi Redemptor noſter B. Ioanni vicem ſuam ad declarandum Divinitatis ſuæ myſterium delegavit, quem ad cuſtodiendam Venerabilem Matrem ſuam, perpetuam ſcilicet Virginem, quaſi alterum filium ſui loco ſuppoſuit. Dignum quippe fuerat, ut, cui potiſſimùm commiſit cæleſtia, committeret & terrena. Commiſit Dominus Petro claves Eccleſiæ, voluit & beato Ioanni cuſtodiam Mariæ delegare. Vtraque nimirum Mater, Mater Maria, Mater Eccleſia. Sed Maria Mater Chriſti, Eccleſia Mater populi Chriſtiani. De Maria Chriſtus carnem ſuſcepit, Eccleſiam verò de lateris ſui carne produxit, &c.) *Et rurſus ibid.* Dignum fuit, ut B. Ioannes Evangeliſta Archangelo Gabrieli ad cuſtodiã Matris Domini ſocius haberetur, quatenus ille cæleſtis olim paranymphus intactã Virginem inviſibiliter cuſtodiret, & iſte forinſecus fragilitati fœmineæ obedientiæ ſuæ miniſterium exhiberet. Quapropter, quantò familiarior cum Matre Verbi converſatur, tantò & ipſi Verbo vicinior invenitur. Et quoniam non ab alio, ſed ab ipſa Veritate Mariæ dictus eſt filius (*Mater ecce filius tuus*) nemo jure videtur major meritis eo, qui ſpeciali quadam gloria frater eſt Salvatoris.)

Quartum ſignum eſt, quia magnis gratiis ipſum dotavit. Magnam gratiam ſibi reputavit Iſaias, quando Deus fecit ipſum Prophetam ſuum: Iacobus, quando Chriſtus eum fecit Apoſtolum ſuum: Matthæus, quãdo fecit eum Evangeliſtã ſuũ: Laurentius, quando fecit eum Martyrem ſuum: Auguſtinus, quando fecit eum Doctorem ſuum: Agnes, quando fecit eam Virginem, & Sponſam ſuã. Sed in Ioanne cuncta recenſita inveniuntur. Ait quippe *Petrus Damianus ſermone 2. hodierno*: Quid neceſſarium in doctrinis, quod Ioannis volumina ſacroſancta non teneant? Quid in virtutibus, quid in meritis, quo beatiſſimus incomparabiliter non excellat? Apoſtolus ſiquidem in Epiſtolis, Evangeliſta in Evangelio, Propheta in Apocalypſi, & plus quàm Propheta: quia Dominum digito, quem prophetabat, oſtendit, &c. Martyr quoque fuit: quia Crucem Domini per ſui corporis afflictionem, & proximorum errantiũ compaſſionem diu vivendo portavit, & quò ceteris Apoſtolis in carne prolixiùs manſit, eò diutioris martyrii tormenta ſuſtinuit.)

Quarta tandem dilectio eſt, quæ conſiſtit in donorum exhibitione. Et hac magis dilexit Petrum, quia maiora ei dona conceſſit: nam principem Apoſtolorum eum creavit, ſuum Vicarium inſtituit, claves regni cælorum

Digitized by Google

dedit, ſequi per Crucem voluit. Chriſtus curam Eccleſiæ commiſit Petro, curam Diſcipuli commiſit Matri, dicens: *Mulier, ecce filius tuus*. Magnum eſt eſſe in cura Vicarii Dei, id eſt Petri; maius eſt eſſe in cura Matris Dei. Et quia poſt Chriſtum ſic fuit Ioannes in cura beatæ Virginis; ideo dicit Chriſtus:

Sic eum volo

Generari. Illuminari. Tumulari.
Vocari. Inflammari. Glorificari.
Conſervari. Flagellari. Revelari.

PPRIMO. *Chriſtus voluit beatum Ioannem ſic generari.* Nam in ſua generatione collata eſt ei magna gratia, ſcilicet ut naſceretur de ſtirpe regia David, in quo fuit omnis natio benedicta per Chriſtum. Iſtud patet. Nam Ioachim accepit uxorem nomine Annam, quæ habuit tres viros, ſcilicet Ioachim, Cleopham, & Salome. De Ioachim habuit unicam filiam, beatam Virginem, quã dedit nuptui Ioſeph, quæq; genuit Chriſtum. Mortuo Ioachim, accepit Cleopham fratrem Ioſeph, & genuit ex eo aliam filiam, quam ſimiliter Mariam vocavit, & Alphæo poſtmodum in conjugem ſociavit. Hæc autem Maria ex Alphæo viro ſuo quatuor filios genuit: ſcilicet Iacobum minorem, Ioſeph juſtum, qui & Barſabas dicebatur; Simonem, & Iudam Iacobi, ſive Thaddæum. Mortuo ſecundo viro Annæ, tertium accepit nomine Salome, ex quo aliam filiam genuit nomine Mariam, & Zebedæo in coniugem tradidit. Hæc autem Maria ex Zebedæo viro ſuo duos filios genuit: nempe Iacobum majorem, & Ioannem Evangeliſtam. Et quamvis aliqui recentiores idipſum circa ſanctam Annam negent, affirmat nihilominùs *Beatus Albertus Magnus in Commentario ſuper Cap. 10. Matthæi*, annectens carmen ſequens.

Anna tribus Ioachim, Cleopha, Salomeq; Mariat
Tres parit. Has ducunt Ioſeph, Alphæus, Zebedæus,
Chriſtum prima, Ioſeph, Iacobũ cum Simone Iudã
Altera, quæ ſequitur, Iacobum parit, atque Ioannẽ.

Et ſic in iſta Genealogia Ioannes habuit aviam ſanctam, matrem ſanctam, duas amitas ſanctas, & quatuor conſanguineos ſanctos. Vnde de iſta progenie dicit Pſalm. *Hæc eſt generatio quærentium Dominum*. Et cùm Chriſtus fuerit de tribu Iuda regali, ſequitur, quòd beatus Ioannes fuit de eadem tribu, &c.

SECVNDO. *Chriſtus voluit B. Ioannem ſic vocari*. Nam in ſua vocatione collata eſt ei gratia quadruplicis privilegii.

Primò. Quia fuit vocatus junior. Magis enim gratum eſt Deo, cùm quis incipit ſervire ei in juventute, quàm in ſenectute. Sed Ioannes erat junior Petro, ut dicitur Ioann. ult. cap. *Cùm autem ſenueris, alius te cinget*, &c.

Secundò. Quia fuit vocatus innocentior. Majoris enim gratiæ eſt præſervari à lapſu, quàm poſt lapſum reparari, ut patet in beata Virgine, & Magdalena. Sed Ioannes fuit innocens, & Petrus lapſus eſt, juxta illud Luc. 5. c. *Exi à me Domine: quia homo peccator ſum*.

Tertiò. Quia fuit vocatus velocior. Petrus enim, antequam vocaretur à Chriſto, fuit ductus à Ioanne Baptiſta, & ab Andrea, ut patet *Ioan. 1. cap.* Sed Ioannes ſubitò vocatus Chriſtum ſecutus eſt.

Quartò. Quia fuit vocatus difficilior. Petrus enim dimiſit ſola retia, Ioannes autem dimiſit patrem, & retia, ut daret exemplum virtutis adoleſcentibus, ut relictis parentibus Chriſtum ſequerentur. Tales enim Chriſtus diligit, ut dicitur Matth. 19 cap. *Sinite parvulos venire ad me*. Quibus manum impoſuit, & eis benedixit. Nunquam enim alicui ſeni tales actus charitatis oſtendit. Sufficit ſenibus, quòd à Chriſto regantur, juxta illud: *Senex puerum portabat, puer autem ſenem regebat*. Etiam, quòd ab ipſo non projiciantur. Pſalm. *Ne projicias me in tempore ſenectutis*, &c. Et quòd ab ipſo non derelinquantur. Pſalm. *Et uſque in ſenectam, & ſenium, Deus, ne derelinquas me*.

TERTIO. *Chriſtus voluit beatum Ioannem ſic conſervari*, ſcilicet in puriſſima virginitate. Vnde *Petrus Damianus ſermone primo hujus feſti*. B. Ioannes nuptialis thalami copulam deſerens, omnem carnalis illecebræ ardorem in cæleſtium deliciarum tranſtulit voluptatem, arctiſſimeque ſe in ſui Redemptoris, ac dilectoris amore conjunxit; propter quem ſcilicet conjugalis tori fœdera abdicavit. Vnde divinitùs illi conceſſum eſt, ut tantâ cor eius, etiam circa fratres, charitatis gratiâ repleretur, ut ſacroſãctum pectoris eius templum, velut caminus quidam, divini videretur incendii.)

Sciendum, quòd beatus Ioannes fuit vocatus de nuptiis ſecundùm *Hieronymum*, in quibus Chriſtus fecit primum miraculum, in quo fuit ei collata gratia conſecratæ virginitatis;

nam

nam in Sacramento matrimonii fuerunt conſecratæ quatuor virginitates.

1. Virginitas beatæ Mariæ, quæ fuit deſponſata Ioſeph.

2. Virginitas ſponſi ſui: quia non decebat tantam Virginem niſi virgini deſponſari, ut eſſet matrimonium ſummè gratum.

3. Virginitas Chriſti, quæ fuit conſecrata ex Sacramento Incarnationis, in quo humanitas fuit deſponſata Verbo inſeparabiliter.

4. Virginitas Ioannis Evangeliſtæ, quem Chriſtus permiſit contrahere matrimonium, ut in tanto Sacramento virginitas eius conſecraretur, ſicut & Matris. Sicut enim Sacramentum confeſſionis perficit virtutem pœnitentiæ, ſic Sacramẽtum matrimonii virtutem virginitatis. Vnde fuit figuratus per *Ioſeph*, cui poſt tentationem virginitate ſervatâ dedit Dominus gratiam in conſpectu Principis, *Gen. 39. cap.* Et ſic Chriſtus voluit conſervari virginitatem Ioannis Evangeliſtæ, ut patet.

QVARTO. *Chriſtus voluit B. Ioannem illuminari.* Quia ad omnia ſecreta ſua eum admiſit; ex quo apparet eius magna familiaritas cum Chriſto, in qua fuerunt quatuor gradus ſecundùm quatuor myſteria ſingularia Apoſtolis à Chriſto revelata.

Primus gradus myſteriorum eſt eorum, quæ fuerunt omnibus revelata, ut myſterium Paſſionis, *Matth. 20. cap.*

Secundus gradus eſt myſteriorum, quæ fuerunt præcisè tribus revelata, ut myſterium Transfigurationis, *Matth. 17. cap.*

Tertius gradus eſt myſteriorum, quæ fuerunt præcisè duobus revelata, ut myſterium Reſurrectionis, *Ioan. ultimo cap.*

Quartus gradus eſt myſteriorum, quæ fuerunt uni tantùm revelata, ut Sacramentum Incarnationis, ut patet 1. *Ioann. 1. cap.* Vnde dicit: *Quod fuit ab initio, quod audivimus*, &c.

QVINTO. *Chriſtus voluit B. Ioannem inflammari.* Scilicet per charitatem, cuius ſunt quatuor ſigna.

Primum ſignum eſt, quando quis de dilectione multum loquitur: quia ex abundantia cordis os loquitur. Sicut fecit Ioannes in epiſtolis ſuis.

Secundum ſignum eſt, quando diligens dilectum inſeparabiliter comitatur. Sic fecit Ioannes. Vnde *Petrus Damianus ſermone primo huius diei* dicit: Amor quippe Domini, quo eum præ cunctis plus dilexit mortalibus, & hoc ei fraternæ dilectionis pondus exhibuit, ut nimirum plus amaret, qui plus amabatur, & qui primus erat in Redemptoris amore, præcipuus fieret in fraterna charitate.) Nam ob amorem Chriſti omnia dereliquit: ſcilicet Patrem, & retia, quoniam arte, uſuque vivebat.

Tertium ſignum eſt, quando dilectus à longe cognoſcitur. Sic fecit Ioannes diligens Chriſtum: quia juxta Crucem Chriſti ſtetit.

Quartum ſignum eſt, quando pro dilecto mors ſuſcipitur. Sic fecit Ioannes: quoniam Chriſto quærenti ab eo: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Reſpondit: *Poſſumus*, ut dicitur Matth. 20. cap. In his inflammabatur, ut patet.

SEXTO. *Chriſtus voluit B. Ioannem flagellari.* Quia fuit Martyr, ſicut dixit ei: *Calicem quidem meum bibetis.*

Sciendum, quòd quatuor ſunt genera martyrii. Quædam, quæ ſine pœna corporis & animæ in ſolo voto ſuſtinendi mortem pro Chriſto conſummantur. Sicut Beatus Martinus, cuius animam, etſi perſecutoris gladius non abſtulit, tamen martyrii palmam non amiſit. Sicut virgo, ſi violetur contra voluntatem ſuam, non amittit virginitatis palmam, ut dixit beata Lucia.

Quædam conſummantur in pœna corporis, & anima lætatur in cælis, ſicut beatus Stephanus, ut dicitur *Act. 7. cap.*

Quædam conſummantur in ſola pœna animæ, ſicut martyrium beatæ Virginis in Paſſione Chriſti, quemadmodum Simeon dixit: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, Lucæ 2. cap.

Quædam conſummantur in pœna corporis, & animæ ſimul, ſicut martyrium Chriſti, quod fuit majus in anima, quàm in carne. Et tale fuit martyrium B. Ioannis. Fuit enim graviter flagellatus: fuit ex deriſione tonſus: fuit in ferventis olei dolium miſſus: fuit in exilium relegatus: fuit veneno potatus; tamen quoad animam magis affligebatur aſſiſtens Cruci Chriſti.

SEPTIMO. *Chriſtus B. Ioannem voluit tumulari*, de cuius morte ſunt quatuor opiniones. Quidam dicunt ipſum eſſe in cælo cum corpore glorificato; quod probant duplici ratione.

1. Ex liberalitate Dei, qui corpus eius cuſto-

ſtodivit, ne corruptioni ſubjaceret, ne oleũ fervens adureret, ne venenum noceret, ne gladius deſæviret, ne mortis dolorem ſentiret. Si ergo Chriſtus corpori Ioannis tam liberalis fuit in mundo, non debuit minus liberalis eſſe in cælo.

2. Ex dignitate Ioannis, qui in ſinu Chriſti recubuit, qui Chriſto tam familiaris extitit, qui Virgini ſocietatem fecit, à quo Angelus adorari noluit. Si ergo aliorum Apoſtolorum corpora ſic honorantur in terris, multò magis corpus B. Joannis honorari debuit. Sed nullus honor ſibi exhibetur in mundo; ergo honoratur in cælo.

Secunda opinio eſt illorum, qui dicunt ipsũ defunctum, & animam glorificatam in cælo, corpus verò eius reſervari in loco hominibus ignoto, & ſoli Deo cognito, ſicut de corpore Moyſis dicitur.

Tertia opinio eſt illorum, qui dicunt ipſum adhuc vivere, & in paradiſũ terreſtrem translatum eſſe, & quòd tempore Antichriſti apparebit, & occidetur. Vnde *Theophilus* dicit ſic: Chriſtus non negavit Ioannem moriturum: nam omne, quod oritur, moritur. Sed dixit: Volo eum vivere uſque ad finem mundi, & tunc patietur pro me martyrium cum Elia; & ſi aſſignetur eius ſepulcrum, vivens illud intravit, & poſtea diſceſſit.)

Quarta opinio eſt illorum, qui dicunt ipsũ adhuc vivere, & ſub terra dormire; quod probant ex verbo Chriſti dicentis: *Sic eum volo manere*. Et exemplo Moyſis, quem dicunt ſub terra dormire. Et quia in eius ſepulcro nihil invenitur, niſi manna: quoniam adhuc quaſi flatu quieſcentis ibi videtur manna ſcaturire.

Hanc quartam opinionem *Auguſtinus in Evang. Ioann. tract.* 124. reprobat: quia modicam gratiam Chriſtus feciſſet ſuo dilecto, ſi ceteris Apoſtolis in cælo regnantibus ipſe ſub terra dormiret. Ad verbum autem Chriſti dicentis: *Sic eum volo manere*, reſpondet *Chryſ.* Id eſt; Nolo ipſum per martyrium conſummari, ſed expectare, donec ego veniens recipiam eum in æterna beatitudine.

Ad exemplum autem de Moyſe dicit *Auguſtinus loco cit.* quòd Scriptura teſtatur ipsũ fuiſſe mortuum. Et ſi dicatur, quòd cum Elia vivus apparuerit, reſpondetur, quòd Deus potuit de facili eum ſuſcitare ad horam, corpus autem eius voluit eſſe abſconditum, ne Iudæi circa eius corpus idololatriam exercerent.

De manna verò ibi ſcaturiente, & terra ablata ſuccreſcente aſſerit *D. Auguſtinus loco cit.* quòd hoc accidat, ut commendetur pretioſa mors eius (quam nequaquam commendat martyrium, non enim pro fide Chriſti eum perſecutor occidit) aut propter aliquid aliud, quod nos latet.

OCTAVO. *Chriſtus voluit B. Ioannem glorificari*, quando tranſtulit ipſum de hoc mundo ad paradiſum terreſtrem, ut tertia opinio vult.

Sciendum, quòd in ſacra Scriptura inveniũtur quatuor translationes. Prima fuit in ſtatu innocentiæ. Si enim Adam non peccaſſet, poſt certum tempus vivens in cælum translatus fuiſſet, ut dicit *Magiſter ſententiarum lib. 2. diſ. 19. cap.* 3.

Secunda fuit in ſtatu legis naturæ, ut translatio Henoch, *Gen. 5. & Hebr. 11. cap.*

Tertia fuit in ſtatu legis ſcriptæ, ſicut translatio Eliæ, qui fuit translatus in paradiſum terreſtrem in curru igneo, 4. *Reg. 2. cap.*

Quarta fuit in ſtatu legis gratiæ, ſicut translatio Domini noſtri Ieſu Chriſti in Aſcenſione, *Marc. 16. cap.* Et ſic apparet eius glorificatio.

NONO. *Chriſtus voluit B. Ioannem ſic revelari*. Quia ipſe veniet ante diem judicii ad teſtificandum de Domino noſtro Ieſu Chriſto cum Henoch & Elia, quod probatur quadruplici ratione.

Prima, quia non invenitur in Scriptura ſacra aliquis translatus, quin ſit venturus. Vnde de Henoch dicitur Eccli. 44. cap. *Trãſlatus eſt, ut det gentibus pœnitentiam.* Et de Elia dicitur Matth. 17. *Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia*. Cùm ergo Ioannes ſit de numero translatorum, videtur, quòd ſit venturus.

Secunda ratio eſt, quia cùm ad teſtimonium Chriſti ſit venturus unus de ſtatu legis naturæ, ſcilicet Henoch, & alius de ſtatu legis ſcriptæ, nempe Elias; rationabile eſt, ut tertius ſit de ſtatu legis gratiæ. Sed de nullo præſumitur, niſi de Ioanne Evangeliſta.

Tertia ratio eſt, quia Chriſtus loquens Diſcipulis ſuis de finali prædicatione ante ſuum adventum, dixit: *Amen dico vobis: Non conſummabitis civitates Iſrael, donec veniat Filius hominis*, ut habetur Matth. 10.

cap.

cap. Significans per hoc, quòd aliquis Diſcipulorum eius ſit venturus in finali eius prædicatione.

Quarta ratio eſt, quia Angelus dixit Ioanni Apoc. 10. cap. *Oportet te iterum prophetare, gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis.* Sed hoc nondum eſt completum, cùm in ſola Aſia poſtea prædicaverit. Et poſt hoc aſſumetur in gloriam, ad quam, &c. Amen.

SERMO VNDECIMVS
IN FESTO
SANCTORVM INNOCENTVM.

Sunt ante thronum Dei. Apoc. 14. cap.

BEatus Auguſtinus 3. *ſermone huius diei* dicit: Hodie, fratres, illorum infantum natalem colimus, quos ab Herode interfectos eſſe Evangelii textus eloquitur. Et ideo gaudeat terra noſtra cæleſtium militum, & tantarum parens fœcunda virtutum. Dignè natalem illorum colimus, quos beatiùs æternæ vitæ mundus edidit, quàm quos maternorum viſcerum partus effudit. Siquidem ante vitæ perpetuæ adepti ſunt dignitatem, quàm uſum præſentis acciperent.) Super quo verbo moveo talem quæſtionem.

Vtrum ſancti Innocentes martyrii palmam obtinuerint, atque ullum meritum ex ſua paſſione habuerint?

AD iſtam quæſtionem reſpondent duo Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt *Ioannes Epiſcopus in ſerm. huius diei* dicens: Probat novos exercitus Chriſtus. Legiones lactentes victoria perpetrata coronat. Fiunt pro Chriſto victores, qui ætate fuerunt coæquales. Fiunt ſine certamine fortes, ſine pugna victores. Mercantur pœnâ martyrium, gloriam ſanguine comparant, vitam æternam temporali morte commutant. Tranſmittit infantes infans Chriſtus ad cælum, offert nova Encænia Patri, primitias fructuum exhibet Genitori.)

Secundus eſt *Severianus in ſermone huius diei* dicens: Hoc loco attendat auditor, attendat, & intelligat martyrium non conſtare per meritum, ſed venire per gratiam. In parvulis, quæ voluntas, quod arbitrium, ubi captiva fuit & ipſa natura? De martyrio ergo demus totum Deo, nihil nobis. Vincere diabolum, corpus tradere, contemnere viſcera, tormenta expendere, laſſare tortorem, capere de injuriis gloriam, de morte vitam, non virtutis humanæ, ſed muneris eſt divini.)

Sciendum, quòd paſſio ſanctorum Innocentum eſt commendabilis ex cauſa, quia pro Chriſto occiſi ſunt; ideo jure in numero Martyrum computantur triplici ratione.

Primò. Ratione perſonæ: quia pro Chriſto paſſi ſunt, imo in ſingulis paſſus eſt Chriſtus. Vnde *Auguſtinus ſermone 2. de Innoc.* Quàm beata ætas, quæ necdum Chriſtum poteſt loqui, & pro Chriſto meretur occidi! Nondum opportuna vulneri, & jam idonea paſſioni. Quàm feliciter nati, quibus in primo naſcendi limine æterna vita obviam venit!) Ideo dicitur Eſther 7. cap. *Hoſtis noſter eſt, cuius crudelitas redundat in Regem.*

Secundò. Ratione ſingularis gratiæ. Rex enim terrenus, quando coronatur, multos milites ſecum facit. Chriſtus ergo coronatus à Patre coronâ Divinitatis, & hodie coronatus coronâ humanitatis à Matre, tanquam novus Rex novos milites voluit ſibi aggregare. Vnde *Severianus in ſermone huius diei:* Chriſtus non deſpexit ſuos milites, ſed provexit, quibus dedit ante triumphare, quàm vivere, quos fecit capere ſine certatione victoriam, quos donavit coronis antequam membris, quos voluit virtutibus vitia præterire, ante cælum poſſidere, quàm terram. Præmiſit ergo ſuos milites Chriſtus, non amiſit: recepit ſuas acies, non reliquit.)

Ter-

Tertiò. Ratione innocentiæ in ſanguinis baptiſmo aſſecutæ. Vnde *Bernardus in ſermone huius diei*: Ille pro Chriſto trucidatos infantes dubitet inter martyres coronari, qui regeneratos in Chriſto nõ credit inter adoptionis filios numerari. Alioquin quando coævos ſibi pueros Puer ille, qui natus eſt nobis, non contra nos, propter ſe pateretur occidi? quod utique ſolo nutu poterat prohibere, niſi melius aliquid eis prouideret, ut, quemadmodum ceteris infantibus tunc quidem circunciſio, nunc verò baptiſmus ſine ullo propriæ voluntatis uſu ſufficit ad ſalutem, ſic nihilominus pro eo ſuſceptum martyrium illis ſufficeret ad ſanctitatem.) Ideo

Sunt ante thronum Dei

Ratione puritatis.
Ratione virginitatis.
Ratione ſocietatis.
Ratione primitatis.
Ratione paſſibilitatis.
Ratione flebilitatis.

PRIMO. *Innocentes ſunt ante thronum Dei ratione puritatis, ſeu innocentiæ.* Vnde *Severianus in ſermone huius diei* dicit: Herodes cæcus Chriſtum gladiis quærit, inveſtigat cruore, crudelitate rimatur. Succeſſorem timens, inceſſit in Actorem. Premit innocentes, volens innocentiam deperire. Innocentis cauſam facit innocentium crimen: Actoris ortum orientium mandat eſſe occaſum.)

Sciendum, quòd innocentia eſt quadruplex. Prima ætatis, & hæc eſt ex naturæ beneficio. Talis erat innocentia illorum puerorum, qui tollentes ramos olivarum, exiverunt obviam Domino clamantes: *Hoſanna filio David*, &c. ut dicitur Matth. 21. Propter quod Dominus ait: *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem.* Hæc enim non diſcernit culpam, & ideo non imputatur ei culpa. Matth. 19. cap. *Sinite parvulos venire ad me: talium enim eſt regnum cælorum.* Talis fuit innocentia iſtorum puerorum, de quibus *Euſebius in ſermone huius diei* dicit: O quàm feliciter nati, quibus in primo naſcendi limine æterna vita obviam venit! Immaturi quidem videntur ad mortem, ſed feliciter moriuntur ad vitam. Nondum ingreſſi ſunt infantiæ cunas, & jam perveniunt ad coronas.)

Secunda eſt innocentia ſimplicitatis, quæ credit omni verbo, & eſt ſine mundano exercitio. Matth. 10. cap. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Talis erat innocentia illorum, quos Dominus elegit; quoniam non multi ex eis fuerunt nobiles, non multi ſapientes, ſed piſcatores: Et *infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.* De hac innocentia *Hieron. in 18. cap. Matth.* ait: Sicut parvulus non perſeverat in iracundia, non læſus meminit, non vidēs pulchram mulierem delectatur, non aliud cogitat, & aliud loquitur; ſic & vos, niſi talem habueritis innocentiam, & puritatem, regna cælorum non poteritis intrare.) Talis fuit innocentia iſtorum puerorum. Vnde *Severianus in ſermone huius diei* dicit: Quorum lingua taceuit, oculi nihil viderunt, nil audierunt aures, manus nil fecerunt, & quibus actus nullus eſt culpæ, inde ſuſceperunt mortem, qui vivere neſcierunt, quibus apud Herodem ſolùm quòd nati ſunt, hoc fuit crimen.)

Tertia eſt innocentia puritatis, quæ eſt ex virtutum bravio. Pſal. *Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum.* Talis erat innocentia Iob, qui erat vir timens Deum, & poſt flagella retinens innocentiam. Et hæc virtute diſcretionis declinat à culpa. Pſal. *Sanguinem innocentem non condemnabunt.* Et *Chryſoſt. in homil.* dicit: Gaude innocentia, & exulta. Gaude inquam; quia ubique illæſa es, ubique ſecura. Si tentaris, proficis. Si humiliaris, erigeris. Si pugnas, vincis. Si occideris, coronaris. Tu in ſervitute libera es, in periculo tuta, in cuſtodia læta. Tibi omnis reatus addicitur. Tibi univerſa malitia ſubjugatur. Te potentes honorant, ſuſcipiunt Principes, Magnates exquirunt, & illi nonnunquam te deſiderant, qui impugnant. Tibi boni parent, mali invident, zelant invidi, inimici ſuccumbunt, nec unquam poteris victrix non eſſe. Et ſi tibi inter homines judex juſtus non fuerit, apud Deum habebis.) Talis fuit innocentia iſtorum puerorum, non actu, ſed habitu, divinâ gratiâ mentes eorum perficiente. Vnde *Auguſtinus in ſermone 3. huius diei* dicit: Quantum contra beatos parvulos iniquitas abundavit, tantum in eis gratia benedictionis refudit.)

Quarta eſt innocentia originalis, in qua creatus fuit Adam, à qua cecidit per peccatum

tum. Hanc autem innocentiam ſolus Chriſtus habuit, ut patet 2. & 3. *ſententiarum*.

SECVNDO. *Innocentes ſtant ante thronum Dei ratione virginitatis.* Vnde dicitur Apoc. 14. cap. *Et cantabant canticum novum ante ſedem Dei*, &c. In quo cantico erant quatuor.

1. Novitas. Iſtud enim cantare eſt, de incorrupta mentis, & carnis integritate gaudere. Sed nunquam fuit virginitas conſummata ita conſecrata Deo, ſicut virginitas iſtorum innocentium, de quibus Apoc. ibid. *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: virgines enim ſunt, & ſequuntur Agnum quocunque ierit.*

2. Erat ſingularitas. Vnde dicitur ibidem: *Et nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra.* Super quo *Venerab. Beda* dicit: Hoc canticum ceteri electi audire poſſunt, licèt dicere nequeant: quia per charitatem de eorum celſitudine quidem ſunt læti, quamvis ad eorum præmia nequaquam aſſurgant.)

3. Erat ſonoritas. Vnde dicitur Apoc. ubi ſuprà: *Et audivi vocem tanquam aquarum multarum.* Quia pro gloria carnis incorruptæ, & mentis illibatæ laudant Deum.

4. Erat perpetuitas. Vnde dicitur ibidem: *Et vocem, quam audivi, ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis.* Et in hac voce perſeverant Innocentes.

TERTIO. *Innocentes ſunt ante thronum Dei ratione ſocietatis.* Vnde dicitur Apoc. 14. cap. *Vidi ſupra montem Sion Agnum ſtantem, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, & nomen Patris eius ſcriptum in frontibus ſuis.* Nam Innocentes aſſociati ſunt Agno, & Agnus libenter cum eis moratur ob quatuor cauſas.

Prima eſt: quia homo libenter moratur cũ concivibus, & contribulibus ſuis. Chriſtus enim fuit Bethlehemita; ideo habuerunt magnam cum Chriſto familiaritatem. Homines enim ejuſdem civitatis magnam familiaritatem invicem habere conſueverunt. Innocentes autem iſti nati ſunt in civitate Chriſti.

Secunda eſt: quia homo libenter moratur cum conſimilibus ſuis, juxta illud: Omne animal diligit ſibi ſimile. Ipſi namque fuerunt Innocentes, Virgines, & Martyres; ideo Chriſtus libenter moratur cum eis, tanquam Innocens cum Innocentibus, tanquam Virgo cum Virginibus, tanquam Martyr cum Martyribus.

Tertia eſt: quia homo libenter moratur cũ commilitonibus ſuis. Chriſtus enim tanquam commilitones ſuos eiſdem veſtibus eos induit, quibus ipſe induebatur. Apoc. 3. cap. *Ambulabunt mecum in albis.* Etiam dedit eis ſignum ſuum, juxta illud Apoc. 14. cap. *Habentes nomen eius, & nomen Patris eius ſcriptum in frontibus ſuis.* Nam in frontibus ſuis habent iſtud Nomen Ieſus in ſimilitudinem Crucis, ad ſignificandum, quòd ſunt commilitones Chriſti.

Quarta eſt: quia homo libenter moratur cum domicellis, & ſervitoribus ſuis, maximè quando ſunt mundi, & honeſti. Innocentes autem ſunt tanquam camerarii Chriſti; ideo dicitur: *Sine macula ſunt ante thronum Dei.*

QVARTO. *Innocentes ſunt ante thronum Dei ratione primitatis*; quia primi Martyres exiterunt. Vnde Apoc. 14. cap. dicitur. *Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ: Deo, & Agno.* Super quo dicit *Gloſſa*: Hæ primitiæ de illo ſancto, & immaculato grege Eccleſiæ quaſi ſanctiores, prioreſque hoſtiæ pro voluntatis ſuæ meritis à Spiritu ſancto eliguntur.

Sciendum, quòd Innocentes fuerunt primitiæ Dei quantùm ad quatuor. Primò. Fuerunt primæ gemmæ Eccleſiæ florentis. Nam Chriſtus dixit Ioann. 15. cap. *Ego ſum vitis vera.* Sed in hac vite ſunt tres propagines, juxta illud Gen. 40. c. *Videbã coram me vitem, in qua erant tres propagines.* Id eſt tres Martyrum diſtinctiones, quarum una protulit gemmas, nempe horum Martyrum primitias, qui fuerunt Martyres actu, ſed non voluntate. Vnde *Auguſtinus in ſermone 3. huius diei* dicit: Iure dicuntur Martyrum flores, quos in medio frigore infidelitatis exortos, velut primas erumpentis Eccleſiæ gemmas quædam perſecutionis pruina decoxit.)

Secundò. Fuerunt primi flores Eccleſiæ naſcentis. Vnde Canti. 2. cap. dicitur: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea noſtra floruit.* Tunc enim vinea noſtra nempe Eccleſia floruit, quando iſtos Martyres produxit, quam in ſuis floribus vulpes demolitæ fuerunt, quando Herodes, & ſui complices iſtos Innocentes necaverunt. Herodes enim vocatur vulpis. Luc. 13. cap. *Ite, dicite vulpi illi.* Propterea *Ioannes Epiſcopus in ſermone huius diei* dicit: Chriſtus oſtendit futuram fœcundiſſimam meſſem, dum in ſemine tantam exhibet ubertatem.

Tertiò. Fuerunt novellæ plantationes Eccleſiæ exuberantis. Vnde Iſa. 18. cap. dicitur: *Ante meſſem totus efflornit, & immatura germinabit perfectio*. Sunt enim quædam plantationes, quæ florem martyrii protulerunt in ſenectute, ut Petrus. Quædam in juventute, ut Stephanus. Quædam in ſua immaturitate,& novella plantatione,ut martyres Innocentes. Pſal. *Filii tui ſicut novella olivarum in circuitu menſæ tuæ*.

Quartò. Fuerunt primi fructus Eccleſiæ fructificantis. Iſti enim ſignificabant futuram Eccleſiæ perſecutionem. Vnde *Beda*. Quòd in Bethlehem, & omnibus finibus eius occiſi ſunt, oſtendit non ſolùm in Iudæa, unde Eccleſiæ cœpit origo, ſed & in omnibus eſuſdem Eccleſiæ finibus, quocunque per orbem diffuſæ, perſecutionem ſævituram perfidorum, & piorum patientiam eſſe coronandam.) Sic ergo fuerunt primi Martyres in Eccleſia Dei.

QVINTO. *Innocentes ſunt ante thronum Dei ratione paſſibilitatis*. Vnde *Severianus in ſermone huius diei*: Beati,quos natos videmus martyrio eſſe, non ſeculo. Beati,qui labores in requiem, in refrigerium dolores, mœrores in gaudium commutarunt. Vivunt, vivunt: quia verè vivunt,qui pro Chriſto merentur occidi.)

Sciendum,quòd genera martyrii ſunt quatuor.Primum eſt infantium,qui in odium Dei occiduntur ſine propria voluntate, licèt non ſine gratia Dei.Exemplum de iſtis ſanctis Innocentibus. Vnde *Auguſtinus in ſermone de Epiphania*: Nullo modo iſtos infantes deſereret gratia Salvatoris infantis,qui venerat quærere quod perierat, non ſolùm in carne naſcendo, verùm etiam in Cruce patiendo, ad inferos deſcendendo, & in cælos aſcendendo, & ad dexteram Patris ſedendo. Nam qui potuit natus habere prædicatores Angelos,narratores cælos,adoratores Magos, potuit & illis,ne pro eo hìc morerentur, præſtare, ſi ſciret illa morte perituros, & non potiùs majori felicitate victuros.Abſit,ut ad liberandos homines Chriſtus veniens,de illorum præmio, qui pro eo interficiebantur, nihil egerit, qui pendens in ligno pro eis, à quibus interficiebatur, oravit.)

Secundum genus eſt infirmantium,qui non poſſunt fugere mortem, quam libenter vitarent, niſi Deum mortaliter offenderent, & tunc potiùs eligunt mortem, quàm vitam. Exemplum de Eleazaro, qui magis gloriosam mortem, quàm odibilem vitam in tranſgreſſione Divinæ legis elegit, ut dicitur 2. *Machab. 6. cap.*

Tertium genus eſt perfectorum, qui mortem non fugiunt, ſed expectant, licèt fugere poſſint. Exemplum de Iacobo Apoſtolo, qui expectavit Herodem, nolens diſcedere, donec occiſus fuit ab eo, ut dicitur *Act.* 12. *cap.*

Quartum genus eſt perfectiſſimorum, qui non ſolùm mortem non fugiunt, imo eam inſequuntur. Exemplum de Paulo, qui Agabo Propheræ reſpondit, prædicenti ſibi futuram perſecutionem in Ieruſalem, quòd non ſolùm alligari, ſed etiam mori paratus erat, &c. *Act.* 21. *cap.*

SEXTO. *Innocentes ſunt ante thronum Dei ratione flebilitatis*. Vnde *Ioan. Chryſoſt. in c.2. Matt. incert. Auth.* Parvuli plorabant, eò quòd à matribus ſeparabantur: matres ululabant, eò quòd à filiis deſolabantur.)

Sciendum, quòd matres iſtorum innocentum fuerunt Martyres propter quatuor. 1. Propter geminum dolorem, quem paſſæ ſunt in occiſione filiorum ſuorum. Vnde *Ioannes Chryſoſtomus loco cit.* ſubdit:Erat videre majorem dolorem in matribus remanentibus, quàm in parvulis morientibus. Vnum quidem parvuli ſuſtinebant dolorem, nonduni enim ſciebant mortis timorem. Matres verò duplicem patiebantur: unum, quòd interfici parvulos ſuos intuebantur; alterum quoque, quòd à filiis ipſæ deſolabantur. In parvulis denique mors eorum beata finem faciebat doloris; in matribus autem parvulorum memoria ſemper erat reparatio doloris.)

2. Propter lacrymarum abundantiam, quæ fuerunt eis loco baptiſmatis. Vnde *Severianus in ſermone huius diei* dicit: Beati ventres, qui portaverunt tales. Beata ubera, quæ ſe talibus effuderunt. Beatæ lacrymæ, quæ pro talibus fuſæ flentibus gratiam baptiſmatis contulerunt. Nam diverſo modo dono uno in lacrymis ſuis matres, & ſui filii in ſuo ſanguine baptizabantur.)

3.Propter martyrii filiorum tolerantiam. Idem enim martyrium, quod portaverunt filii in corporibus, pertulerunt matres in cordibus. Vnde *Severianus ubi ſupra*: In martyrio filiorum matres paſſæ ſunt; nam gladius filiorum pertranſiens membra, ad corda matrum devenit. Et neceſſe eſt, ut ſint præmii conſortes, quæ fuerunt ſociæ paſſionis. Martyrum matres tulerunt, quicquid &

an-

angoris extitit, & doloris. Et ideo non carebunt martyrii gaudio matrum lacrymæ, quas fuderunt.)

4. Propter affectuũ repugnantiam. Vnde *Ioannes Epiſcopus in ſermone huius diei*: Duo illa diverſa conſpicio: fletum, & conſolationis contemptum. Sed conditio à matre defletur, & ſpe gloriæ conſolatio humana cõtemnitur. Pietatis affectus in fletibus declaratur, ſed ex occiſorum gloria repudium conſolationi indicitur. Pugnant in matre affectus & fides. Humanitas cum devotione certat. Plangit affectus, ſed fides exultat. Deflet humanitas, ſed devotio conſolatur. Licuit enim matri humanitus flere, non licuit conſolatione humanitus indigere.) Sic ergo patet, quòd matres ſanctorum Innocentum non ſunt multò minoris meriti quoad martyrium, quàm ſint ipſi Innocentes; ideo cum eis ſunt ante thronum Dei, &c. Amen.

SERMO DVODECIMVS
IN FESTO
SANCTI ANTONII ABBATIS.

Oſtendit illi regnum Dei. Sap. 10. cap.

BEatus Auguſtinus *lib. 22. de civitate Dei cap.* 30. dicit: Quanta erit Civitatis Dei felicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus! Nam quid aliud agetur, ubi neque deſidiâ ullâ ceſſabitur, neque indigentiâ ullâ laborabitur, ignoro.) Super quo verbo moveo talem quæſtionem.

Vtrum Beatus Antonius Abbas ſuæ actionis merito regni cælorum potitus ſit bravio?

AD hanc quæſtionem reſpondent duo Doctores Eccleſiæ.

Primus eſt *D. Hieronymus in cap.* 18. *Ezechielis* dicens: Sive de Gentium multitudine, ſive de Iſrael populo ſint, qui judicantur, non eſt perſonarum acceptio apud Deum, ſed unuſquiſque ſuâ coronabitur fide, & impietate, atque infidelitate damnabitur.

Secundus eſt *D. Ioann. Chryſoſtom. hom.* 3. *in Matthæum*. Non vult Deus laborum tuorum fructus perire; quinimo omnia in tuum commodum facit, tibique rem augere feſtinat: ut etiam pro exiguis te coronet, undique occaſiones requirens, per quas te de gehennæ poſſit liberare ſupplicio. Et ideo etiamſi undecimâ diei opereris horâ, integram tamen tibi eſt mercedem daturus. Et ſi nulla tibi fuerit ſalutis occaſio, propter meipſum faciam (ait *Ezech. cap.* 36.) ne nomen meum polluatur. Et ſi ingemueris ſolùm, atque lacrymaveris, rapit iſta confeſtim in tuæ occaſionem ſalutis.)

Sciendum, quòd regnum cælorum acquiritur octo modis. 1. Per negotiationem. Matth. 13. cap. *Emit agrum illum*. Sic enim dixit Dominus Luc. 16. cap. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*.

2. Per importunitatem. Matth. 11. cap. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Super quo *Greg. homil.* 20. *in Evang.* dicit: Regnum cælorum rapi vult noſtris fletibus, quod noſtris meritis non debetur.) Sic rapuit ille, qui ab amico poſtulaverat tres panes; & licèt priùs fuiſſent denegati, tamen obtinuit per importunitatem.

3. Per fraudationem, ſeu per furtum. Sic furatus eſt latro ille regnum cælorum, qui, licèt priùs multa mala fecerit, ſubitò tamen ex inſperato obtinuit regnum illud, cùm audivit in cruce: *Hodie mecum eris in paradiſo*, Luc. 23. cap. Qui ergo furari didicerat, & jam multa furatus fuerat, tandem furatus eſt regnum cælorum.

4. Per commutationem. Matth. 19. cap. *Omnis, qui reliquerit domum, &c. aut agros*

propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Sic enim commutavit, cui Dominus dixit: *Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus; & veni, & sequere me, & habebis thesaurum in cælo*, Matth. ibidem.

5. Per assecutionem laborum, & dolorum. Matth. 4. cap. *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum.* Sic assecutus est Paulus dicens 2. Cor. 11. cap. *In labore, & ærumnâ, in frigore, & nuditate, in plagis supra modum, in mortibus frequenter,*

6. Per gratificationem. Ad Titum 3. cap. *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm misericordiam suam salvos nos fecit.* Et Isa. 55. cap. *Qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite absque argento, & absque ulla commutatione vinum, & lac.* Sic gratis conferebatur illis, qui ad nuptias vocati fuerant. Matth. 22. cap. *Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni.*

7. Per compulsionem. Luc. 14. cap. *Compelle intrare, ut impleatur domus mea.* Psalm. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* Sic enim Paulus compulsus fuit, quando in via, quâ ibat Damascum, *circumfulsit eum lux de cælo*, Act. 9. cap.

8. Per oblationem. Nam regnum cælorum tantum valet, quantum habes, maximè per opera misericordiæ, ut dicitur *Matth. 25. cap.*

Sed Beatus Antonius acquisivit regnum cælorũ signanter per commutationem. Nam cùm viginti esset annorum, & audiret legi in Ecclesia: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, omnia sua vendens pauperibus erogavit, & eremiticam vitam duxit. Ideo *Gregorius homil. 11. in Evang.* ait: Qui cælestis vitæ dulcedinem, in quantum possibilitas admittit, perfectè cognoverit, ea, quæ in terrenis amaverat, libenter cuncta derelinquit: in comparatione eius vilescunt omnia, deserit habita, dispergit congregata, inardescit in cælestibus animus, nihil in terrenis libet, deforme conspicitur, quicquid de terrenæ rei placebat specie, quia sola prætiosæ margaritæ claritas fulget in mente.) Et quia Beatus Antonius omnia terrena contempsit propter Deum; ideo ostendit illi regnum Dei. Et Rabanus super illud Matth. 19. *Veni. & sequere me*, dicit: Non sufficit ad perfectionem omnia renunciare, nisi post contemptas divitias Salvatorem sequatur, id est, relictis malis faciat bona. Facilius saeculus relinquitur, quã affectus. Multi divitias relinquentes Dominũ non sequuntur.) Hoc patuit in multis antiquis Philosophis. Vnde *Hieronymus frequenter in Epist. præcipuè ad Paulinum.* Crates Thebanus homo ditissimus, cùm ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abjecit, nec putavit se simul posse virtutes & divitias possidere. Abite, inquit, nulla cupiditates. Ego vos subjugabo, ne subjuger à vobis.) Non tamen secutus est Christum: quia, ut addit *Hieron.* Sequitur autem Dominum, qui imitator est eius, & per vestigia illius graditur.) Sed Beatus Antonius divitias suas dispersit, & dedit pauperibus. Et eum hoc secutus est viam Christi, juxta illud Iob 23. cap. *Vestigia eius secutus est pes meus: viam eius custodivi, & non declinavi ex ea.* Ideo ostendit illi regnum Dei, ut dicit verbum primò propositum.

Ostendit illi regnum Dei

In religione, In obsservatione.
In tentatione, In oratione.
In humiliatione, In revelatione.
In discretione, In consummatione.

PRIMO. *Christus ostendit beato Antonio regnum Dei in religione.* Vnde *Cæsarius admonitione* 28. dicit: Videte vocationem vestram, fratres charissimi. Venire ad eremum summa perfectio est; non perfectè in eremo vivere summa damnatio est. Quid prodest, si in loco quies teneatur, & inquietudo in corde servetur? Si in habitatione silentium sit, & in habitatoribus clamor vitiorum, tumultus, & colluctatio passionum? Si exteriora nostra severitas teneat, & interiora tempestas obruat?)

Sciendum, quòd quadruplex est gradus religionis. Primus est, qui intendit ad exteriores actiones, qui totaliter consistit in occupatione exteriori, sicut eleemosynas dare, hospites recipere, & alia hujusmodi, quæ sunt minora in operibus contemplationis. Vnde *Chrysostomus lib. de compunctione cordis* dicit: Iste suscipiendo peregrinum, vestiendo nudum, captivum redimendo, violenter op-

Digitized by Google

oppreſſum tuendo, jugiter ab omnibus iniquitatibus ſuis cor evacuat, & vitam ſuam bonorum operum fructibus ditat.)

Secundus gradus eſt, qui ordinatur ad contemplationem, in ſocietate vivendo: puta, caſtigando corpus per jejunia, vigilias, diſciplinas, & orationi jugiter inſiſtendo. Vnde *Ioannes Caſſianus in collationibus Patrum* dicit: Ita, inquit Macarius, debere monachum jejuniis operam dare, ut centum annis in corpore commoraturum. Ita motus animi refrænare, ut injuriarũ obliviſci, triſtitiãque reſpuere, dolores quoque ac detrimenta contemnere, tanquam continuè moriturum.

Tertius gradus eſt, qui ordinatur ad docendum, & prædicandum, qui ex plenitudine contemplationis derivatur. Vnde *Gregorius homil. 5. ſuper Ezech.* dicit: De perfectis poſt contemplationem redeuntibus dicitur: Memoriam ſuavitatis tuæ eructabunt.) Et iſte gradus eſt perfectior ſecundo gradu. Sicut enim majus eſt illuminare, quàm ſolùm lucere; ita majus eſt contemplata aliis tradere, quàm ſolùm contemplari.

Quartus gradus eſt, qui ordinatur ad vitam ſolitariam, & iſte eſt perfectiſſimus. Nam vita ſocialis neceſſaria eſt ad exercitium perfectionis: quia mutuò ſe inſtruunt verbo, exemplo, & correctione; tandem ad perfectionem deducunt. Solitudo autem competit jam perfectis, qui ſcilicet ſibi ſufficiunt, nec aliorum regimine indigent, ſed ſolùm ſpiritu Dei aguntur. Sicut ergo id, quod jam perfectum eſt, præeminet ei, quod ad perfectionem exercetur; ſic vita ſolitaria, ſi debitè aſſumatur, præeminet vitæ ſociali. Vnde *Auguſtinus lib. de operibus monachorum* dicit, illos ſuperiores eſſe, qui à conſpectu hominum ſeparati, nulli ad ſe præbent acceſſum, viventes in magna intenſione orationum. Si autem abſque præcedenti exercitio talis vita aſſumatur, eſt periculoſiſſima, niſi per divinam gratiam ſuppleatur, quod in aliis per exercitium acquiritur.

In iſto gradu fuit B. Antonius, ut patet per ea, quæ ad hanc vitam exiguntur. Vnde *Hieronymus in epiſt. ad Ruſt. monachum*: Solitariam vitam reprehendimus minimè, quippe quam ſæpe laudavimus: ſed de ludo monaſteriorum huiuſmodi volumus egredi milites, quos eremi dura rudimenta non terreant; qui ſpecimen ſuæ cõverſationis multo tempore dederint; qui omnium fuerint minimi, ut primi omnium fierent; quos nec eſuries, nec ſaturitas aliquando ſuperavit; qui paupertate lætantur; quorum habitus, ſermo, vultus, inceſſus, doctrina virtutum eſt.) Sed Beato Antonio tantam Deus infudit gratiã, ut hæc omnia facillimè obſervaverit; cui Deus dixit illud Gen. 12. cap. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui; & veni in terram, quam monſtravero tibi, & magnificabo nomen tuum*. Et quia B. Antonius obedivit voci Domini, eremiticam vitam duxit, in qua ſæpiſſimè impugnabatur à dæmonibus. Et permaximè, dum in quodam tumulo latitaret, flagellatus fuit acerrimè ab eis; quos conſtantiâ ſuperavit, & ei Chriſtus cum ſplendore mirabili apparuit, &c.

SECVNDO. *Chriſtus oſtendit B. Antonio regnum Dei in tentatione*. Vnde *Auguſtinus ſuper Pſalm.* 32. dicit: Iuſtus ex fide vivit. Fides tua, juſtitia tua: quia utique, ſi credis, caves. Si autem caves, conaris, & conatum tuum Deus novit, & voluntatem tuam inſpicit, & luctam cum carne conſiderat, & hortatur ut pugnes, & adjuvat ut vincas, & certantem ſpectat, & deficientem ſublevat, & vincentem coronat.)

Sciendum, quòd cùm voluntas noſtra non poſſit appetere niſi bonum vel exiſtens, vel apparens; tentatio non eſt niſi de bono, quod concupiſcimus. Et ſicut eſt quadruplex bonum, ſic etiam eſt quadruplex tentatio.

1. Quædam bona ſunt ſupra nos, ut ſupernaturalia, de quibus Deus dixit Moyſi, Exo. 33. cap. *Ego oſtendam tibi omne bonum*.

2. Quædam bona ſunt intra nos, ut bona animæ, de quibus dixit Mich. 6. cap. *Indicabo tibi, ò homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum te ambulare cum Deo tuo*.

3. Quædam bona ſunt circa nos, ut bona corporis, quibus dotata fuit Eſther, *formoſa valde, incredibili pulchritudine, omnium oculis gratioſa, & amabilis*. cap. 2.

4. Quædam bona ſunt extra nos, ut bona fortunæ, de quibus dixit Ioſeph fratribus ſuis, Gen. 45. cap. *Dabo vobis omnia bona Aegypti*. De iſtis eſt quaqruplex tentatio.

1. De ſuper naturalibus, ut fides in eis corrumpatur. Exemplum. *Elymas magus quærebat avertere Proconſulem à fide*, ut habetur Act. 13. cap.

2. De internis, ut de virtutibus quis ſuperbiat, ſicut primus Angelus, qui voluit æquari Deo, ut habetur *Ezech.* 28. *cap.*

3. De corporalibus, ut quis carnaliter vivat, ſicut David victus voluptate in Berſabee. 2. *Reg.* 11. *cap.*

4. De externis, ut criminaliter rapiatur ſicut Iudas, volens vendere Chriſtum ex avaritia.

His quatuor modis tentatus fuit B. Antonius. Quantùm ad primum modum patet: quia diabolus celſus corpore apparens ei, & ſe Dei virtutem, & providentiam aſſerens, victus abſceſſit.

Quantùm ad ſecundum modum patet: quia diabolus in magna proceritate apparuit beato Antonio, ita ut cælum tangere videretur, quẽ cùm Antonius interrogavit quis eſſet, & ipſe ſe ſatanam affirmaſſet, addidit: Cur me ſic impugnant monachi, & mali Chriſtiani? Antonius reſpondit: Iuſtè hoc faciunt, quia tuis inſidiis moleſtantur, &c.

Quantùm ad tertium modum patet: quia ſpiritum fornicationis virtute fidei ſuperavit, &c.

Quantùm ad quartum modum patet: quia in alteram eremum vadens, diſcum argenteum reperit, & ultra progrediens ingentem maſſam veri auri invenit; ſed illis intactis ad montem fugiens viginti annis ibi permãſit innumeris coruſcans miraculis. Et quoniam ſic vicit diaboli tentationes; ideo data eſt ei poteſtas patrocinandi ad ignem infernalem, ut dicit *Sanctus Thomas* 4. *ſententiarum diſ.* 45. *quæſt.* 3. *artic.* 2. *ad ſecundum dicendum*, ut patet.

TERTIO. *Chriſtus oſtendit B. Antonio regnum Dei in humiliatione.* Vnde *Chryſoſtomus in cap.* 5. *Matth.* Humilitate ſuppoſita unuſquiſque tutiſſimè cuncta ſuperponit ædificans: hâc verò ſubductâ, etiamſi ad ipſum uſque cælum converſationis ſublimitate pervenias, ſimul omnia ſubtrahuntur, atque in finem peſſimum relabuntur. Nam ſive orationem, ſive jejunium, ſive miſericordiam, ſive pudicitiam, ſive aliud quid bonorum abſque humilitate congreges, ſtatim cuncta defluunt, cunctaque depereunt.)

Sciendum, quòd, cùm humilitas ſit virtus, latens in corde, ſigna humilitatis ſunt quatuor.

Primum ſignum eſt in geſtu, nempe quando quis compoſitè inclinatur, ſicut ſignum ſuperbiæ eſt elevari. Iſa. 3. cap. *Pro eo, quòd elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulavẽrunt extento collo, & nutibus oculorum, ibant, & plaudebant, & pedibus ſuis compoſito gradu incedebant, decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & crinem earum nudabit.*

Secundum eſt in affatu: quia ad humiles pertinet loqui cum modeſtia, ſicut ad ſuperbos cum arrogantia. Pſalm. *Qui dixerunt: linguam noſtram magnificabimus*, &c.

Tertium ſignum eſt in veſtitu: quia ſicut ſignum ſuperbiæ eſt veſtiri pretioſè, ut patet de divite induto *purpurâ, & byſſo*, Luc. 16. cap. ſic humilitatis eſt, veſtiri viliter, & abjectè, ut patet in Rege Ninive, qui abjectis veſtimentis regalibus, indutus eſt ſacco, ut dicitur *Ionæ* 3. *cap.*

Quartum ſignum eſt in affectu, ſcilicet cùm quis exercet opera humilia, ſicut patet de Chriſto, qui lavit pedes Diſcipulorum, ut dicitur *Ioann.* 13. *cap.* Humilitas enim eſt prima virtus, ſicut ſuperbia fuit primum vitium, à quo incepit omnis perditio; unde dicitur Judith 9. cap. *Superbi non tibi placuerunt ab initio Domine, ſed humilium, & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio.*

Ideo cùm ſanctus Antonius quæreret, & inveſtigaret, per quam virtutem poſſet reſiſtere tentationi diaboli, in ſpiritu raptus vidit totum mundum laqueis ſeſe invicem connectentibus plenum; qui exclamans ait: O quis iſtos evadet? Et audivit: Humilitas. Quo audito, ſemper in humilitate permanſit, &c.

QVARTO. *Chriſtus oſtendit beato Antonio regnum Dei in diſcretione.* Vnde *Bernardus ſermone* 49. *ſuper Cantica* dicit: Diſcretio quippe omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit. Eſt ergo diſcretio non tam virtus, quàm quædam moderatrix, & auriga virtutum, ordinatrixque affectuum, & morum doctrix. Tolle hanc, & virtus vitium erit, ipſaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur, exterminiumque naturæ.)

Sciendum, quòd diſcretio eſt neceſſaria circa quatuor. Primò. In probatione, ut ſcilicet res probetur, antequam fiat. Vnde *Tullius.* Ad rem gerendam qui accedit, caveat, ne id ſolummodo conſideret, quòd honeſta ſit, ſed etiam ut habeat efficiendi facultatem. In quo ipſo cavendum, ne aut temerè deſpicias propter ignaviam, aut nimium deficias propter audaciam. In omnibus autem negotiis, priuſquam aggrediare, habenda eſt diſcretio. Conſidera ergo, ne nimis capias; nam in proverbio

bio dicitur: Qui nimis capit, parum ſtringit.) Exemplum. David diſcretè probavit, ſi poſſet armatus incedere, antequam pugnaret contra Goliath, &c. 1. *Reg.* 17. *cap.*

Secundò. In ordinatione, ut ſcilicet ordinatè faciat. Vnde *Ioannes Caſſianus in libro collationum ſanctorum Patrum*. In utraque enim parte ſuſtinebit maximum detrimentum, quiſquis inæqualitatem tenens nunc jejuniorum ariditate ventrem conſtringit, nunc eſcarum nimietate diſtendit. Vt enim mens cibi inanitate laxata perdit orationum vigorem, dum carnis nimia laſſitudine prægravata dormire compellitur; ita rurſum nimietate voracitatis apprehenſa mittere ad Deum preces puras, leveſque non poterit.) Exemplum. Iacob diſcretè, & ordinatè egit, quando debuit obviare fratri irato munera promittendo, res dividendo, minus dilectas majori periculo exponendo, *Gen.* 32. *capite*.

Tertiò. In circunſpectione, ut ſemper ad circunſtantias operis attendat. Vnde *Gregorius homil.* 7. *in Ezech.* Sancti viri ſolerter invigilant, ut ſe undique aſpiciant, & ubique cuſtodiant, & totum corpus plenum in circuitu oculis habent: quia omnis eorum actio providentiâ ſolicitudinis & repletur, & circundatur.) Exemplum in Salomone, quoad judicium duarum meretricum 3. *Reg.* 3. *cap.*

Quartò. In interpoſitione, ut ſcilicet interponat aliquid in ſua jugi actione. Vnde *Gregorius lib.* 28. *moral. cap.* 12. Ex ſtudio arcus diſtenditur, ut ſuo tempore cum majori utilitate tendatur; qui ſi otium relaxationis non accipit, feriendi virtutem ipſo uſu tenſionis perdit. Sic aliquando in exercitatione virtus, cùm per diſcretionem prætermittitur, reſervatur, ut tantò poſt vitia valenter feriat, quantò à percuſſione interim prudenter ceſſat.)

Exemplum de ſancto Antonio, qui ſagittario eum deridenti ait: Pone ſagittam in arcum, & trahe, quod & fecit. Cumque hoc ſecundò, & tertiò fieri mandaſſet, dixit ſagittarius: Tantum trahere potero, quòd de eius fractione dolebo. Cui Beatus Antonius: Sic eſt in opere Dei: quoniam, ſi ſupra menſuram tendere vellemus, citius frangeremur; expedit ergo rigorem relaxare. Et in hoc conſiſtit magna perfectio diſcretionis, &c.

QVINTO. *Chriſtus oſtendit B. Antonio regnum Dei in obſervatione temperantiæ*. Vnde *Proſper de vita contemplativa lib.* 3. *cap.* 19. dicit: Temperantia facit abſtinentem, parcum, ſobrium, moderatum, pudicum, tacitum, ſerium, & verecundum. Hæc virtus, ſi in animo habitat, libidines frænat, affectus temperat, deſideria ſancta multiplicat, vitioſa caſtigat, omnia intra nos confuſa ordinat, cogitationes pravas removet, ſanctas inſerit, & confirmat, ignem libidinoſæ voluptatis extinguit, animi teporem deſiderio futuræ remunerationis accendit, mentem placida tranquillitate componit, & totam animam ab omni ſemper vitiorum tempeſtate defendit.)

Sciendum, quòd hæc obſervatio temperantiæ debet habere quatuor comites, ſive ſocias. Prima eſt *Intelligentia*. Vnde *Ioannes Caſſianus lib. collationum* dicit: Monachus cupiens ad Scripturarum notitiam pervenire, nequaquam debet labores ſuos erga commentariorum libros impendere, ſed omnem induſtriam mentis, & intentionem cordis erga emendationem vitiorum carnalium detinere. Quibus expulſis, cordis oculi, ſublato velamine paſſionum, Scripturarum ſacramenta contemplantur.) In cuius exemplum, cùm quidam interrogaſſet beatum Antonium: quid cuſtodiens placebo Deo? Reſpondit: Quocunq; vadis, ſemper Deum præ oculis habeas. In his, quæ agis, teſtimonium Scripturarum ſanctarum adhibeas. In quocunque loco ſederis, non inde cito recedas. Hæc tria cuſtodi, & ſalvus eris.

Secunda eſt *Continentia*. Vnde *Bernardus ad Henricum Senon. epiſt.* 42. *ante finem* dicit: Labor, & latebræ, & voluntaria paupertas, hæc ſunt monachorum inſignia, hæc vitam ſolent nobilitare monaſticam. Veſtri autem oculi omne ſublime conſpiciunt. Veſtri pedes omne forum circumeunt. Veſtræ linguæ in omnibus conſiliis perſtrepunt. Veſtræ manus omne patrimonium diripiunt.) In exemplum continentiæ ſenſuum noſtrorũ ab his vitiis, cùm quidam Abbas interrogaſſet B. Antonium: quid faciam? Reſpondit: Non confidas in tua juſtitia: ventris, & linguæ ſit tibi continentia, & ne pœniteas de re tranſacta.

Tertia eſt *Solitudo*. Vnde *Hugo lib. de* 12. *abuſionibus* dicit: Ordo clauſtri, & ordo curiæ diviſus eſt. Ibi ſedes in inſidiis cum divitibus in occultis, ut interficias innocentem. Hìc audis: Non ſedi cum conſilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Ibi in-

insidiaris, ut rapias pauperem, rapere pauperem, dum attrahis eum. Hìc dicis: Odivi ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo. Ibi dextra tua repleta est muneribus. Hìc lavas manus tuas inter innocentes. Ibi laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur. Hìc benedicitur Deus. Si vis ergo esse monachus curialis, laudas quod non debes, & non expedit; operaris quod non licet, loqueris quod non decet.) In exemplum huius dixit B. Antonius: Sicut pisces, si in sicco tardarint, moriuntur; ita monachi extra cellam tardantes, aut cum viris secularibus immorantes, à quietis proposito resolvuntur. Qui sedet in solitudine, & quiescit, à tribus bellis eripitur: scilicet auditus, locutionis, & visus, & contra unum tantummodo pugnam habebit, scilicet cordis.

Quarta est *Taciturnitas*. Vnde *Hugo de claustro animæ lib. 5.* dicit: Si monachus es, quid facis in turba? Si amas silentium, cur te assiduè clamantibus interesse delectat? Tu semper jejuniis insistere debes, & fletibus, & tu prophetari quæris? Simplicitas monachi prophetia eius est. Sed docere, inquis, alios volo. Non est tuum docere, sed flere. Si tamen Doctor esse desideras, audi quid facias: Vilitas habitus tui, & simplicitas vultus, innocentia vitæ, & sanctitas conversationis tuæ debent homines docere.) In exemplum hujus, Abbas quidam reprehendit duos fratres de nimia loquacitate, dicens coram beato Antonio: Bonos quidem inveni fratres, sed eorum habitatio non habet januam: quilibet intrat stabulum, & solvit asinum.

SEXTO. *Christus ostendit beato Antonio regnum Dei in oratione*. Vnde *Augustinus in quodam sermone*: Oratio est animæ sanctæ præsidium, Angelorum bonorum solatium, diabolo supplicium, gratum Deo obsequium, pœnitentiæ, ac religionis laus, tota perfecta gloria, spes, & sanitas incorrupta.)

Sciendum, quòd efficacis orationis quatuor sunt conditiones. Prima est, ut petatur piè, scilicet ut petens non ponat obstaculum gratiæ. Et hoc obstaculum est indispositio petentis ad illud, quod petit. Vnde *Augustinus*. Orationis puræ magna est virtus, quæ mandatum peragit velut fidelis nuncius, & penetrat quò caro non pervenit.)

Secunda est, ut petatur pro se. Quia merito condigni unus alteri non meretur primam gratiam, cùm vix sufficiat proprium meritum, secundùm illud Matth. 25. cap. *Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis*. Vnde *Gregorius in moral.* dicit: Ille Deo veram orationem exhibet, qui semetipsum, quod pulvis sit, humiliter videt, qui nihil sibi virtutis tribuit, qui bona, quæ agit, de misericordia Conditoris agnoscit.)

Tertia est, ut petatur perseveranter. Luc. 11. cap. *At si ille perseveraverit pulsans*, &c. Vnde *Cassiodorus* super illud Psalm. *Miserere mei Domine: quoniam ad te clamavi tota die*, &c. dicit: Magna voce ille clamat ad Dominum, qui, quamvis linguâ taceat, bonis tamen operibus perseveranter clamat.

Quarta est, ut petatur ad salutem. Vnde *Chrysostomus* dicit: Deus non audit, nisi quem dignum ducit esse suis beneficiis. Et *Hieronymus* ait: Sæpe contra nos petimus, quod pro nobis esse existimamus. Has quatuor conditiones ponit *Glo. super illà parabolà* Lucæ 11.c. *Quis vestrum habebit amicum*, &c. In horum exemplum B. Antonius, dum in eremo tædio afficeretur, dixit: Domine, volo salvus fieri; sed non permittunt me cogitationes meæ. Et surgens exivit foras, & vidit quendam sedentem, atque operantem, deinde surgentem, & orantem: erat enim Angelus Domini, & dixit ei: Sic fac, & salvus eris.

SEPTIMO. *Christus ostendit B. Antonio regnum Dei in revelatione*, scilicet quoad intellectum magnarum rerum. Vnde sacri Doctores exponentes illud Apoc. 1. *Quam dedit illi Deus, palam facere servis suis*, inquiunt: Non servis Mosaicæ legis, sed Evangelicæ prædicationis; non mundanæ sapientiæ deditis, sed Divinæ gratiæ subjectis revelatio cælestis aperitur juxta illud Matth. 11. *Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis*. Et *D. Gregorius lib. 23. moral. cap. 16.* dicit: Obstaculum veritatis est tumor mentis: quia, dum inflat, obnubilat.

Sciendum, quòd quatuor sunt genera Prophetarum. Primi sunt fallaces, ut Balaam, qui docuit Balac, ut faceret filios Israel fornicari cum Moabitis *Numeri 24. cap.*

Secundi sunt ignorantes, ut Caiphas, de quo dicitur Ioann. 11. cap. *Hoc autem à semetipso non dixit, sed, cùm esset Pontifex anni illius, prophetavit*, &c.

Tertii sunt inviti, ut Saul, de quo dicitur 1. Reg. 19. cap. *Expoliavit se etiam ipse Saul vestimentis suis, & prophetavit cum ceteris*.

Quar-

Quarti sũt vẽri, ut Elias, & ceteri, qui prophetant, aut de præterito, aut de præsenti, aut de futuro. Et de numero istorũ fuit B. Antonius, cui revelata fuit persecutio Ecclesiæ, & fidei catholicæ futura per Arrianos, quæ post duos annos ab eius revelatione contigit. Similiter prædixit interitum Balachi Ducis Arrianorum, persequentis Christianos, &c.

OCTAVO. *Christus ostendit Beato Antonio regnum Dei in consummatione.* Vnde *Bernardus ferm. de verbis libri Sap. Iustum deduxit Dominus.* Regnum Dei conceditur, promittitur, ostenditur, & percipitur. Conceditur in prædestinatione, promittitur in vocatione, ostenditur in justificatione, percipitur in glorificatione.

His 4. modis B. Antonius habuit regnum cælorum. In prædestinatione, per quam obtinuit in præsenti gratiam. In vocatione, per quam vanitatibus seculi abrenunciavit. In justificatione, per quam vitam solitariam utique perfectissimam sanctissimè duxit. In glorificatione, per quam centesimo quinto vitæ suæ anno fratres deosculans, in pace quievit, locum utique honorabilem in regno cælorum adeptus, ubi regnat cum Christo per infinita seculorum secula. Amen.

SERMO XIII.

IN FESTO

S. AGNETIS VIRGINIS, ET MARTYRIS.

Exivit obviam sponso. Matth. 25. cap.

BEatus Bernardus *epist.* 42. loquens de castitate dicit: Sola castitas in hoc mortalitatis loco, & tempore quẽdam statum immortalis gloriæ repræsentat. Hæc instar odoriferi balsami, quo condita cadavera incorrupta servantur, sensus ipsa, & artus continet, & constringit.) Super quo verbo moveo talem quæstionem.

Vtrum beata Agnes tantò in gloria sit excellentior, quantò Iesu Christo per virginitatem fuit conformior?

AD hanc quæstionem respondent duo Doctores novi Testamenti.

Primus est B. Ioannes Evangelista Apoc. 19. dicens: *Et audivi vocem quasi turbæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum dicentium: Alleluia: quoniam regnavit Dominus Deus noster Omnipotens. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni, & uxor eius præparavit se. Et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti, & candido.*

Secundus est *Sanctus Thomas secunda secundæ quæst.* 152. *artic.* 5. dicens: Tantò aliqua virtus est major, quantò per eam aliquis Christo magis conformatur; sed maximè aliquis Christo conformatur per virginitatem. Dicitur enim *Apoc.* 14. *cap.* quòd virgines sequuntur Agnum quocunque jerit. Et quòd cantant canticum novum, quod nemo alius poterat dicere. Quia virgines sequuntur Agnum: eò quòd imitantur Christum non solùm in integritate mentis, sed etiam in integritate carnis, ut *Augustinus* dicit *in lib. de virginitate.* Et ideo in pluribus sequuntur Agnum. Canticum autem novum, quod solæ virgines cantant, est gaudium, quod habent de integritate carnis servata. *Hæc D. Thomas.*

Sciendum, quòd nomen virginitatis sumitur quadrupliciter. Primò. Pro incorruptione fidei. Vnde super illud 2. Cor. 11. cap. *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*, dicit *Glo. Augustini in Psal.* 147. Virginitas cordis fides est incorrupta.

Secundò. Pro integritate carnis. Vnde *Glo. Augustini super prædictum verbum* dicit: Virginitas carnis corpus est intactum. Idem contra Iulianum *lib.* 4. *cap.* 8. dicit: Pudicitia est res animi, virginitas verò corporis.

Tertiò. Pro integritate carnis, cum pudicitia mentis, cum propoſito ſervandi eam. Vnde *Auguſt. lib. de nuptiis, & concupiſcentia* dicit, quòd virginitas eſt in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio. Per meditationem autem intelligit propoſitum rationis.

Quartò. Pro pudicitia mentis cum integritate carnis, non ſolùm in propoſito ſervandi eam, ſed etiam in re. Vnde *Auguſtinus lib. de virginitate* dicit, quòd virginitas eſt continentia, quâ integritas carnis ipſi Creatori animæ, & carnis vovetur, conſecratur, & conſervatur,) Virginitas autem ſic ſumpta, eſt excellentiſſima in genere caſtitatis; & habentibus talem virginitatem convenit deferre annulum aureum in Eccleſia militante, in ſignum, quòd ſint ſponſæ Chriſti; in triumphante verò Eccleſia merito huius virginitatis reddetur aureola.

Quia verò B. Agnes hanc virginitatem perpetuò ſervavit, merito facta eſt ſponſa Chriſti, cum quo communicavit etiam in nomine; quia ille Agnus, & illa Agna per cognitionem fidei, & per apertam viſionem illi obviavit per abdicationem omnium rerum temporalium, & delectationum carnalium, à quibus exivit; ideo dicitur:

Exivit obviam ſponſo

Per virginalem integritatem.
Per ornamenti ſingularitatem.
Per gemmarum pretioſitatem.
Per famæ honeſtatem.
Per fidei ſynceritatem.
Per miraculorum ſublimitatem.
Per unionis inſeparabilitatem.

PRIMO. *Beata Agnes, exivit de mundo, & proceſſit obviam Chriſto Sponſo ſuo per virginitatis integritatem.* Vnde *Beda ſuper Lucam* dicit: Sicut Chriſtus in ſumma pace natus eſt, ut ſe pacem diligere oſtenderet; ita de Virgine natus eſt, ut ſe virgineum decus diligere monſtraret. Chriſtus enim & virginitatem in ſe ſervavit, & Matrem Virginem habere voluit, & patrem putativum, ſcilicet Ioſeph virginem conſervavit; & præcurſorem, ſcilicet Ioannem Baptiſtam, & familiarem, ſcilicet Ioannem Evangeliſtam virgines cuſtodivit.) Pſal. *Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat.* Virginitas enim eſt diligenda propter quatuor.

Primò. Ratione ſtatus ſupernaturalis: nam vita virginum cæleſti vitæ aſſimilatur. Matth. 25. cap. *Simile eſt regnum cælorum decem virginibus.* Virgines enim figurantur per pelles hyacinthinas, quæ in tabernaculo ſuperiores fuerunt, ut dicitur *Exo. 26. cap.* Super quo *Beda in Glo.* Hyacinthus cæleſtis eſt coloris. Per pelles hyacinthinas exprimitur virtus illorum, qui mortificatis illecebris carnis cæleſtem in terris vitam gerunt, & inter homines poſiti Angelicam puritatem imitãtur; quia neque nubent, neque nubentur. Merito ergo pelles hyacinthinæ primum locum tenent: quia color cæleſtis cælo proximus eſt.)

Secundò. Ratione actus divinalis: nam virginitas facit homines ſimiles Angelis. Vnde *Ambroſius* ſuper illud 1. Cor. 7. *Bonum eſt homini ſic eſſe*, dicit: Supergreditur virginitas conditionem humanæ naturæ, per quam homines Angelis aſſimilantur. Tamen maior eſt victoria virginum, quàm Angelorũ: quia Angeli ſine carne vivunt, virgines verò in carne triumphant.) *Hieronymus*. In carne præter carnem vivere, non terrena vita eſt, ſed cæleſtis.

Tertiò. Ratione habitationis ſpiritalis. Nam Deus ſpiritaliter habitat in virginibus. Vnde Apoſt. 1. Cor. 6. *Neſcitis, quoniã membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt?* Cum enim Deus ſit ſanctus, id eſt mundus, diligit cordis, & carnis munditiam.

Quartò. Ratione cælibatus triumphalis. Nam virginitas gerit figuram Eccleſiæ triumphantis; unde non conſecratur, niſi virgo, licèt Epiſcopus conſecretur, qui non eſt virgo. Sanctitas enim virginis ſanctitatem ſignificat Eccleſiæ triumphantis, & ſanctitas Epiſcopi ſanctitatem ſignificat Eccleſiæ militantis. Vnde *Auguſtinus ſuper epiſtola ad Titum*, ut habetur *diſt. 26. cap. Acutius*, dicit: Fœmina, ſi catechumena vitiata eſt, non poteſt poſt baptiſma intra Dei virgines conſecrari.

Beata Agnes integritatem virginitatis diligentiſſimè ſervavit, per quam meruit eſſe ſponſa Ieſu Chriſti; unde ipſa dicebat; Amo Chriſtum, in cuius thalamum introivi, cuius mihi organa modulatis vocibus cantant; jam corpus eius corpori meo ſociatum eſt. Sed magnum certamen habuit contra Præfecti filium, qui volebat ſibi ſurripere virginita-

tatem, inducendo ipſam ad ſuum conjugium: fuerunt enim in ipſa quinque impedimenta caſtitatis, quæ aſſumpſit velut inſtrumenta virtutis.

1. Ætas juvenilis. Vnde Eccleſiaſtis 11. cap. dicitur: *Adoleſcentia, & voluptas vana ſunt*. Sed ætatem juvenilem mentis canitie temperavit; unde dicitur de ea: Tertiodecimo ætatis ſuæ anno mortem perdidit, & vitam invenit. Infantia computabatur in annis, ſed erat ſenectus mentis immenſa. Corpore juvencula, ſed animâ cana. Vnde Sapientiæ 4. cap. dicitur: *Cani ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata*.

2. Pulchritudo corporalis. Prover. 31. c. *Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo*. Sed hanc pulchritudinem corporis maceratione temperavit. Vnde dicitur de ea: Pulchra facie, ſed pulchrior fide. Hanc fidem demonſtravit in ſui corporis maceratione. Vnde Paulus ad Gal. 5. cap. *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis*.

3. Oblatio muneralis. Multæ ſunt, quæ non ſeducuntur juventute, nec pulchritudine, ſeducuntur tamen oblatorum munere. Oſee 8. cap. *Munera dederunt amatoribus*. Ipſa autem omnino deſpexit munera, quæ filius Præfecti offerebat; unde dicitur *in legenda*: Cœpit offerre plurima, & plura promittere, detulitque ſecum quædam pretioſiſſima ornamenta, quæ fuerunt ab ea tanquam ſtercora reputata: ſciebat enim, quòd hujuſmodi munera non dantur ſponſis, ſed concubinis. Gen. 25. cap. *Filiis autem concubinarum largitus eſt munera*.

4. Nobilitas amabilis. Nobilitas enim virorum faciliùs inclinat animos puellarum. Ille autem erat filius Præfecti urbis Romæ, & ideo nobilis, & ſublimis. Sed ipſa eius nobilitatem comparatione Sponſi cæleſtis Ieſu Chriſti vilipendit; unde ait: Diſcede à me fomes peccati, pabulum mortis: quia iam ab alio amatore præventa ſum, qui longè eſt nobilior te, & genere, & dignitate.

5. Terror pœnalis. Multæ enim ſunt, quæ reſpuunt munera, & conſentiunt propter ſupplicia. Dan. 13. cap. *Sic faciebatis filiabus Iſrael, & illa timentes loquebantur vobis*. Sed ipſa terrores, & minas deriſit; unde dicitur *in legenda*, quòd terrentem ſimiliter ſicut blandientem animo deridebat. Ceteræ puellæ torvos vultus parentum ferre non poſſunt, & acus puncturas ſolent quaſi vulnera fiere; hæc autem virgo cruentas carnificum impavida manus expectavit: in hoc enim certamine habuit cæleſte adjutorium, ſcilicet Angelum Dei; unde ipſa dicebat: Mecum enim habeo cuſtodem corporis mei, Angelum Domini. Et ſic proceſſit obviam Sponſo per virginitatem.

SECVNDO. *Beata Agnes exivit obviam ſponſo ſuo Ieſu Chriſto, per ornamenti ſingularitatem*. Proverb. ultimo cap. dicitur: *Fortitudo, & decor indumentum eius*. Circa quod ſciendum, quòd ſponſa adveniente die deſponſationis, debet ſe ornare multipliciter.

1. Debet diluculo præparari. Matth. 25. *Quæ parate erant, intraverunt cum eo ad nuptias*. De quibus dicitur, quòd acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus.

2. Debet in ſpeculo ſe contemplari. *Seneca de natural. quæſt. lib* 1. *cap.* 17. Inventa ſunt ſpecula, ut homo ipſe ſe noſceret. Multa ex hoc conſecuta: primò, ſui notitia: deinde & ad quædam conſilium. Formoſus, ut vitaret infamiam; deformis, ut ſciret redimendum eſſe virtutibus, quicquid corpori deeſſet; juvenis, ut flore ætatis admoneretur, illud tempus eſſe diſcendi, & fortia audiendi; ſenex, ut indecora carnis deponeret, & de morte aliquid cogitaret. Ad hoc rerum natura facultatem nobis dedit, noſmetipſos noſcendi.)

3. Debet oculus pudicitiæ regulari. *Seneca*. Nutriendus eſt pudor; qui quamdiu in animo duraverit, erit bonæ ſpei locus.) Impudicus oculus impudici cordis eſt nuncius.

4. Debet os, & lingua per honeſtam locutionem decorari. *Seneca*. Turpia ne dixeris: paulatim enim pudor per verba excutitur: verborum enim turpium licentia impudentiam nutrit.) Apoſtolus 1. Cor. 15. cap. *Corrumpunt mores bonos colloquia mala*.

5. Debent capilli circunligari, vanæque ſimul cogitationes repelli. *Seneca*. Cogitationes vagas, & inutiles, id eſt ſomno ſimiles non recipias; quibus ſi animum tuum lactaveris, cum omnia diſpoſueris, triſtis remanebis.)

6. Debent brachia ad veſtem elevari. Ad hoc enim ut induamus nos veſte virtutis, debemus brachia ſurſum tendere, & gratias agere Deo. *Caſſiodorus lib. epiſtolarum*. Invitat ad majora, qui gratanter accipit minora: & ipſe de futuris recipit, qui tranſacta bene-

ficia recognoſcit,) Aliter beneficio privatur.

7. Debet variatâ veſte indui, ſcilicet aureâ charitatis. Pſalm. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis*. Et candidâ puritatis, Apoc. 3. cap. *Ambulabunt mecum in albis*. Et rubeâ pœnalitatis. Iſa. 63. cap. *Rubrum eſt indumentum tuum*.

8. Debet zonâ caſtitatis cingi. Apoc. 1. cap. *Præcinctum zonâ aureâ ad mamillas*.

9. Debet præparatione mentis calceari. Pſalm. *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus*,

10. Debet torque obedientiæ ornari. Pſal. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum*.

Beata Agnes his ornamentis ſingulariter decorata eſt; unde dixit: Induit me Dominus cyclade auro texta; circundedit me vernantibus, atque coruſcantibus gemmis. Sanguis eius ornavit genas meas, Et ſic patet ſecundum,

TERTIO. *Beata Agnes exivit obviam Sponſo per gemmarum pretioſitatem*. Nobiles enim ſponſæ conſueverunt veſtes gemmis ornare, Ideo & ipſa gemmis virtutum fuit ornata,& hoc quatuor modis.

Primò. In auribus per obedientiam. Ille enim eſt ſimpliciter auris, qui coactè obedit; qui verò ſpontaneè,eſt auris margaritis ornata. Proverb. 25. cap. *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit ſapientem, & aurem obedientem*. Ipſa verò ait: Tradidit auribus meis inæſtimabiles margaritas.

Secundò. In collo per diligentiam. Ille enim eſt collum Chriſti, qui à Chriſto Capite doctrinam,& legem recipit, & ceteris membris influit. Qui ergo tantùm prædicant legē Chriſti, ſunt collum; qui verò prædicant,& ſermonem operibus virtuoſis diligenter adimplent,ſunt collum lapidibus pretioſis ornatum. Cantic. 1. cap. *Collum tuum ſicut monilia*. Ipſa verò ait: Collum meum cinxit lapidibus pretioſis.

Tertiò. In manu dextera per rectam intentionem. Qui enim faciunt opera virtuoſa corrupta intentione, ſunt ſiniſtra; ſed qui ea faciunt ſimplici,& recta intentione,ſunt dextera gemmis ornata. Matth. 6. cap. *Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua*. Ipſa verò ait: Dexteram meam cinxit lapidibus pretioſis,

Quartò. In corpore per lucidam converſationem. Dan. 10. cap. *Corpus eius quaſi Chryſolithus*. Et Matth. 5. cap. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt*. Ipſa verò ait: Diverſis monilibus ornavit me: id eſt, lucidis, & virtuoſis exemplis, Et ſic patet tertium.

QVARTO. *Beata Agnes exivit obviam Sponſo per fama honeſtatem*. Sponſa enim Ieſu Chriſti, ut dignè conſervet famam, & honeſtatem ſuam, debet habere ſex conditiones.

Primò. Debet diſcretè conſenſum præbere, quando invitatur. Invitatur enim anima per inſpirationem, & illuſtrationem à Ieſu Chriſto, quod percipitur per motum boni propoſiti; ſicut à diabolo tentatur per ſuggeſtionem, quæ ſentitur per primos motus. Pſal. *Accedite ad Deum*, ſcilicet conſentiendo voluntati eius: & *illuminamini*, ſcilicet inſpirationem recipiendo.

Secundò. Debet ſe defendere, quando infamatur. Aliquando enim anima infamatur ſolùm propter venialem culpam. Aliquando verò bonum, quod facit, judicatur foris malum; ideo attendat, quod dicit *Auguſtinus ad frat. in eremo ſerm.* 8. Duo ſunt tibi neceſſaria: ſcilicet conſcientia, & fama. Conſcientia propter te, fama propter proximum. Qui autem conſcientiæ ſuæ confidens famam negligit, crudelis eſt.)

Sed dicit anima: Quomodò poſſum famam meam defendere, cùm ſæpe de falſo ſim calumniata?

Reſpondeo: Produc teſtes in oppoſitum, Apoc. 14. cap. *Opera illorum ſequuntur illos*. Ne deſperes,non murmures,non proclames. Fac opus bonum patientiæ cum Ieſu Chriſto,qui patitur calumniam per accuſantes, & falſos teſtes. Opera enim tua teſtificabuntur coram ipſo de bonitate, vel malitia tua, & maximè opera patientiæ; & ſic juſtificaberis ab ipſo, ſicut Magdalena in domo Simonis leproſi, ſicut Suſanna in judicio per Danielem,

Tertiò, Debet procedere, & non ſe abſcondere, quando viſitatur. Signa enim, quibus anima poteſt cognoſcere, quòd à Sponſo ſuo Ieſu Chriſto viſitatur, ponit *Hugo de ſancto Victore*, prout allegantur in *Speculo hiſtoriali* ordine ſequenti: Dulcedo in memoria, ſuavis affectio, alienatio à ſenſibus, abſtractio à pravis cogitationibus, conſcientiæ exhilaratio, oblivio præteritorum malorum, intellectus illuminatio, deſiderii jucundatio,

Digitized by Google

tio, & in his quædam quietatio.) Multæ animæ ſunt, quæ à talibus viſitationibus ſe abſcondunt, ſicut talpa in terra, ut cupidæ; vel ſicut noctua in culmine domus, ut ambitioſæ; vel ſicut vermis in putredine, ut lubricæ, ſeu luxurioſæ, &c.

Quartò. Debet vicem rependere, ſi aliquod donum ei largiatur. Deus enim nunquam animam viſitat, quin aliquid ei largiatur: ſcilicet illuminationem, bonitatem, vel miſericordiam. Vnde *Bernardus*. Quando ignorabam, me inſtruxit: quando errabam, me reduxit: quando peccabam, me correxit: quando ſteti, me tenuit: quando cecidi, me erexit: quando ivi, me duxit: quando veni ad ipſum, me ſuſcepit: nec pro his omnibus, quid illi rependam, habeo, niſi tantùm ut diligam. Non enim melius, nec decentius, quàm per dilectionem, rependi poteſt, quod per dilectionem datum eſt.)

Quintò. Debet amoris vices reddere, quando arrham amoris eius percipit, & effari cum *Guilelmo Abb. in libello amoris*: Gratias ago gratiæ tuæ, qui loqui dignaris ad cor ſervi tui. Suſcipio, & amplector hanc ſpiritus tui arrham, & lætus expecto in arrha promiſſionem tuam. Deſidero itaque amare te, & amo deſiderare te; & hoc modo curro, ut apprehendam, in quo apprehenſus ſum, ſcilicet ut amem te perfectè aliquando, ò, qui prior nos amaſti, amande, & amabilis Domine.)

Sextò. Debet formoſa apparere, ſi pulchritudo in ea quæratur. Sponſus enim animæ eſt ſpecioſus formâ præ filiis hominum; ideo ſponſam quærit pulchram nõ corporaliter, ſed ſpiritualiter, cum venuſtate coloris, & integritate membrorum. Ergo non debet eſſe nimis magna, præſumendo de contemplatione; nec nimis parva, ſe vilificando affectu temporalium, ſed debet in medio conſiſtere, ut *Ezechiel*, quem Spiritus Domini elevavit inter cælum, & terram. Debet eſſe alba per innocentiam, & puritatem, rubea per dilectionem, & charitatem, ut dicat illud Cant. 6. cap. *Pulchra ſum, & decorà, ſicut Ieruſalem*. Debet eſſe nigra per ſubjectionem, & humilitatem, ut dicat illud Cant. 1. cap. *Nigra ſum, ſed formoſa*. Vt ſic audiat à Sponſo ſuo illud Cantic. 4. cap. *Tota pulchra es amica mea*, &c.

Beata Agnes hanc honeſtatem conſervare cupiens, grande certamen habuit contra Præfectum urbis, qui voluit polluere ſuæ famæ honeſtatem, trahendo ipſam ad proſtibulum, in quo ſuperavit ſex maligna machinamenta Præfecti.

1. Fecit ipſa nudam per civitatem duci, ut nuditate magis erubeſceret: ſolent enim virgines magis nuditatem timere, quàm pœnam. Ezech. 16. cap. *Eras nuda, & confuſione plena*. Iſtud telum ſuperavit denſitate capillorum, qui eam induerunt, & confuſionem propulſaverunt. 1. Cor. 11. *Capilli pro velamine mulieri dati ſunt*.

2. Fecit ipſam in loco turpi, nempe in proſtibulo includi, ut nomen, & honeſtatem pollueret. Ioel. 3. *Poſuerunt puellam in proſtibulo*. Iſtud telum ſuperavit præſentiâ Angelicâ. Iſa. 35. cap. *In cubilibus, in quibus prius habitabant dracones, orietur viror calami*.

3. Fecit ipſam recludi in loco obſcuro, ut loci obſcuritas virginem deterreret. 2. Cor. 6. c. *Quæ ſocietas lucis ad tenebras?* Iſtud telum ſuperavit luminis claritate, quæ tanta fuit, ut nullus poſſet eam contingere, vel videre. Sapientiæ 18. cap. *Sanctis autem tuis maxima erat lux*, ſcilicet in refrigerium.

4. Fecit ipſam relinqui ſine veſtimento, ut frigoris aſperitas eam affligeret. Mich. 2. cap. *Deſuper tunicam pallium ſuſtuliſtis*. Iſtud telum ſuperavit induta veſte cæleſti, quam ſibi Angeli in carcere paraverunt. Iudith. 16. cap. *Induit ſe veſtimentis lætitiæ ſuæ*. Veſtem enim candidam ſibi de cælo attulerunt.

5. Fecit ipſam omnibus exponi, ut pro uno, quem contemſerat, omnes haberet. 2. Machab. 4. cap. *Auſus eſt optimos ephebos in lupanaribus ponere*. Iſtud telum ſuperavit divina protectione, & virtute: quia omnes, qui ingrediebantur, convertebantur. 1. Reg. 10. cap. *Inſiliet in te ſpiritus Domini, & mutaberis in virum alterum*.

6. Fecit ipſam illudi à filio ſuo, ut, quem noluerat habere maritum, haberet amaſium. Iſtud telum ſuperavit per dæmonis juſtitiarii Dei æmulationem, qui ipſum ſuffocavit; unde ipſa ait: Ille, cuius voluntatem volebat perficere, poteſtatem in eum accepit, & occidit. Dæmones ſunt juſtitiarii Dei, qui, etſi à ſe ipſis habeãt voluntatem malam, à Deo tamen accipiunt juſtam poteſtatem. 1. Reg. 18. c. *Spiritus Dei malus invaſit Saul*. Eſt enim malus propter iniquam voluntatem.

QVINTO. *Beata Agnes exivit obviam Sponſo per fidei ſyncritatem, qua conſiſtit in ſex.*

Nam

Nam ſponſa debet amore ſponſi à parentibus ſeparari : quia *homo relinquet patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ*. Item debet à ductore in via regulari : præterea debet greſſus per modeſtiam moderare : rurſus debet de virtute in virtutem iter abbreviare: adhuc debet per vitam contemplativam coram Sponſo ſe erigere: tandem debet per activam ſe inclinare, & flectere.

Hæc omnia in ſe habuit beata Agnes. Vnde hanc fidem volens in ipſa corrumpere Vicarius Præfecti, multiplex ei intulit ſupplicium, ſed ipſa omnia ſupplicia ſuperavit.

Primò. Fecit ignem copioſum ſuccendi, & ipſam in ignem projici, ut eius oſſa in cinerem redigerentur. Iſtud certamen ſuperavit per orationem devotam : quia mox, ut oravit, ignis extinctus fuit. Eccli. 51. cap. *In medio ignis non ſum æſtuata*.

Secundò. Iterum fecit ignem copioſum ſuccendi, ut citò conſumeretur. Iſtud certamen ſuperavit per refrigerantem Dei gratiã, quæ ſibi refrigerium præſtitit ; unde ipſa ait : Ecce nunc per Spiritum ſanctum rore cæleſti perfuſa illæſa conſervor.

Tertiò. Pontifices idolorum ſuſcitaverunt ſeditionem in populo in mortem virginis. Iſtud certamen ſuperavit per miraculi evidentiam : nam Præfectus voluit eam liberare ob viſum miraculum ſuſcitationis filii. Eccli. 48. cap. *Potentiã nemo vicit illam*.

Quartò. Vicarius Præfecti fecit ipſam in gutture gladio feriri. Iſtud certamen ſuperavit per cæleſtem palmam, quam acquiſivit. Apoc. 7. cap. *Stantes ante thronum Dei in conſpectu Agni amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum*.

SEXTO. *Beata Agnes obviavit Sponſo ſuo Ieſu Chriſto per miraculorum ſublimitatem*. Deus enim in vita præſenti multiplici gloriã ipã ſublimavit, quia multis miraculis claruit.

Primò. In creaturis cæleſtibus: nam de cælo coruſcatio, & fulgur deſcendit, terræmotus magnus perſtrepuit, & Præfecti filium de inferno liberavit.

Secundò. In creaturis elementalibus: quia ignis extinctus eſt, aqua, & tempeſtas ſuper Paganos exorta eſt, aer, dum eſſet in carcere, illuſtratus eſt, terra mota eſt.

Tertiò. In creaturis irrationalibus, quæ habent tantùm eſſe; ſicut in imagine, quæ annulum recepit, & tentationem fugavit. Quæ habent vivere; ſicut in capillis, qui inſtar plantarum vivunt, dum creſcunt. Quæ habent ſentire; ſicut in agno, nive candidiore, qui juxta eam ſtare viſus eſt, ut patet diligenter inſpicienti *legendam eius*.

Quartò. In creaturis intellectualibus, ſicut in Angelo, qui ſibi veſtem de cælo attulit in carcere, ſeu in proſtibulo. Sicut in Conſtantia, quam mente, & corpore ſanavit.

SEPTIMO. *Beata Agnes exivit obviam Sponſo per unionis inſeparabilitatem*. Nam Sponſo ſuo Ieſu Chriſto inſeparabiliter unitur, dum honorificè ab Angelis conſociatur, dum delicatè cibatur, & ſatiatur. Pſalm. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua*. Dum cum Sponſo quietè cubat. *Dilectus meus mihi, & ego illi*, Cantic. 2. cap. Dum charta dotis ſuſcipitur, & ditatur : quia coronatur aureolâ virginitatis, & martyrii. *Super coronam faciet alteram coronam aureolam*, Exod. 25. cap. Et ſic in aula claræ viſionis perpetuò manſuræ cum Sponſo inducitur, ubi delectatio meritî in delectationem præmii convertitur. Vnde ipſa ait : Ipſi ſum juncta in cælis, quem in terris poſita, totâ mentis devotione dilexi in æternum. Amen.

SER-

SERMO XIV.

IN FESTO SANCTI VINCENTII MARTYRIS.

Firmabitur in illo, & non flectetur. Eccli. 15. cap.

BEatus Gregorius *lib. 7. moral. cap. 9.* dicit: Iuſtorum fortitudo eſt carnem vincere, propriis voluntatibus contraire, delectationem vitæ præſentis extinguere, huius mundi aſpera pro æternis præmiis amare.) Super quo verbo moveo talem quæſtionem.

Vtrum Beatus Vincentius magis coronetur laureâ fortitudinis reprimendo immobiliter timorem periculorum, quàm Dacianus aggrediendo infatigabiliter ſuppliciis audaciam laborum?

AD hanc quæſtionem reſpondent duo Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt Beatus *Auguſtinus ſermone 2. de Sancto Vincentio, qui eſt nonus poſt Epiph.* dicens: Magnum, & multum mirandum ſpectaculum noſter animus cepit, nec inaniſſimam, & pernicioſiſſimam, ſicut ſolet in theatris quarumcunque nugarum, ſed planè utiliſſimam, & fructuoſiſſimam voluptatem oculis interioribus hauſimus, quum beati Vincentii paſſio legeretur. Erat videre invictam Martyris animam contra inſidias antiqui hoſtis, contra inſidias impii judicis, contra dolores mortalis carnis, acerrima conflictatione certantem, & in adjutorio Domini cuncta ſuperantem.)

Secundus eſt *Sanctus Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 123. artic. 6. in reſponſ. ad 1. argumentum* dicens: Suſtinere eſt difficilius, quàm aggredi, triplici ratione. Primò quidem, quia ſuſtinere videtur aliquis ab aliquo fortiori invadente. Qui autem aggreditur, invadit per modum fortioris. Difficilius autem eſt pugnare cum fortiori, quàm cum debiliori. 2. Quia ille, qui ſuſtinet, jam ſentit pericula imminentia: ille autem, qui aggreditur, habet ea, ut futura. Difficilius eſt autem non moveri à præſentibus, quàm à futuris. 3. Quia ſuſtinere importat diuturnitatem temporis: ſed aggredi poteſt aliquis ex ſubito motu. Difficilius autem eſt diu manere immobilem, quàm ſubito motu moveri ad aliquod arduum. Vnde Philoſophus dicit 3. *Ethicorum*, quòd quidam ſunt prævolantes ante pericula, & in ipſis diſcedunt: fortes autem econtrario ſe habent. *Hæc S. Thomas.*

Sciendum, quòd exteriorem actum virtutis quandoq; aliqui efficiunt non habentes virtutem, ſed ex aliqua alia cauſa, quàm ex virtute. Et ideo *Philoſophus* 3. *Ethic.* ponit quinque modos eorum, qui ſimilitudinariè dicuntur fortes, quaſi exercentes actum fortitudinis præter virtutem. Quidam enim feruntur in id, quod eſt difficile, ac ſi non eſſet difficile, propter ignorantiam: quia non percipiunt magnitudinem periculi. Quidam autem propter bonam ſpem ad pericula vincenda: quia ſunt experti ſæpe pericula evaſiſſe. Quidam verò propter ſcientiam, & artem quandam, ſicut contingit in militibus qui propter peritiam armorum, & exercitium non reputant gravia pericula belli, æſtimantes ſe per artem ſuam poſſe contra ea defendi; ſicut *Vegetius* dicit *in lib. de re militari:* Nemo facere metuit, quod ſe bene didiciſſe confidit.) Quidam propter impulſum paſſionis, vel triſtitiæ, vel iræ, quam volunt repellere. Quidam propter electionem alicuius temporalis commodi acquirendi, puta honoris, voluptatis, ſeu lucri; vel alicuius incommodi vitandi, puta vituperii, afflictionis, ſeu damni: hi enim non dicuntur verè fortes, ſed ſimilitudinariè.

Verè autem fortis eſt, qui habet firmitatem animi in ſuſtinendis, & repellendis his, in quibus maximè eſt difficile firmitatē habere, ſcilicet in periculis gravibus. Vnde *Ambroſius lib. 1. de officiis cap. 39.* dicit: Non mediocris animi eſt fortitudo, quæ ſola defendit ornamenta virtutum omnium, & ju-

justitiam custodit, quæ in expiabili prælio adversùs omnia vitia decertat, invicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior adversùs voluptates, dura adversùs illecebras, quibus aurem deferre nescit, nec (ut dicitur) ave dicit, pecuniam negligit, avaritiam fugit tanquam labem quandam, quæ virtutem effœminat.) Et *Tullius in sua Rhetorica* dicit: Fortitudo est considerata periculorum perpessio, & laborum susceptio.) Sed fortitudo animi dicitur, quæ firmiter retinet voluntatem hominis in bono rationis cõtra maxima mala, ut homo sustineat personales impugnationes propter summum bonum, quod est, quemadmodum fecerunt sancti Martyres, quibus debetur laurea fortitudinis in cælo secundùm specialem gradum beatitudinis, secundùm id Matth. 5. cap. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Quem gradum assecutus est beatus Vincentius per glorioſum triumphum suæ fortitudinis, & firmitatem suæ voluntatis in Deo. Ideo dicitur;

Firmabitur in illo

Per fidelitatem,
Per charitatem.
Per longanimitatem,
Per perseverantiam,
Per constantiam.
Per patientiam,
Per fortitudimem.
Per beatitudinem.

PRIMO. *Beatus Vincentius firmatur in Christo per fidelitatem*. Hæc causam pugnæ in via justitiæ insinuat, & simul ostendit lucrum, propter quod est dimicandum. Vnde hanc fidem usque ad mortem debemus testificari, juxta illud 1. Petri 4. cap. *Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus*, &c. *Si autem ut Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine*.

Sciendum, quòd Christianus dicitur ille, qui est Christi. Dicitur autem aliquis esse Christi quadrupliciter. Primò. Quia profitetur fidem Christi, non solùm corde credendo fidei veritatem, sed etiam exterius ore protestando. Rom. 10. cap. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*.

Secundò. Quia Spiritu Christi ad opera virtuosa procedit, secundùm illud Ro. 8. c. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*. Non solùm enim per verba debet quis confiteri veritatem fidei, sed etiam per facta fidem Christi debet ostendere secundùm illud Iac. 2. cap. *Ostendam tibi ex operibus fidem meam*. Vnde & de quibusdam dicitur ad Titũ 1. cap. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant*. Et ideo Christianus dicitur non solùm, qui patitur pro fidei confessione, quæ fit per verba, sed etiam quicunque patitur pro quocunque bono opere faciendo.

Tertiò. Quia ad imitationem Christi peccatis moritur, secundùm illud Gal. 5. cap. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis*. Vnde Christianus dicitur, qui pro quocunque peccato vitando patitur propter Christum, sicut pro integritate carnis servãda leguntur aliquæ mulieres vitam contempsisse. Dicit enim *Augustinus 1. de civ. Dei c. 26.* quòd quædam sanctæ fœminæ tempore persecutionis, ut insectatores suæ pudicitiæ devitarent, se in fluvium dejecerunt, eoque modo defunctæ sunt, earũque martyria in catholica Ecclesia veneratione celeberrima frequentantur.

Quartò. Quia pro veritate justitiæ reprehendendo vitia patitur. Deus enim hujusmodi opera à nobis requirit, & nos pro eis remunerat. Vnde & beati Ioannis Baptistæ in Ecclesia martyrium celebratur, qui non pro defendenda fide, sed pro reprehensione adulterii mortem sustinuit, ut patet *Marci 6. cap.*

Beatus Vincentius his quatuor modis fuit verè Christianus. 1. Per apertam fidei confessionem; unde dicitur de eo, quòd dixit Datiano de mandato Valerii Episcopi: Nefarium apud christianam prudentiam esse cognosce, Divinitatis cultum abnegando blasphemare.

2. Per devotam orationem; unde dicitur de eo: Sursum erectis luminibus Dominum precabatur.

3. Per corporis mortificationem: quia timore Divino carnem suam confixit. Psal. *Confige timore tuo carnes meas*.

4. Per duram increpationem. Psal. *Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis*. Ista enim sagitta fuit potens: quia iram tyranni non timuit. Fuit acuta: quia eius cor medullitùs penetravit. Fuit accensa: quia zelo Dei hoc fecit. Et sic firmatus est in Christo per fidelitatem, &c.

SECVNDO. *Beatus Vincentius firmatur*

tur in Chriſto per charitatem. Hæc cum vitæ periculo imperat in via militiæ præliare. Vnde *Maximus in quodam ſermone* dicit: Charitas Chriſti in Martyribus vicit. Et Ioannes 15. cap. *Maiorem charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Etiam ſine charitate martyrium nihil valet, ſecundùm illud 1. Corinth. 13. cap. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*. Primum enim motivum ad actum virtutis eſt amor charitatis, ſicut ſemen, vel radix eſt primum motivum ad fructum; & ex hoc aliquis actus præcipuè ad perfectionem vitæ pertinet, juxta illud Coloſſ. 3. cap. *Charitas eſt vinculum perfectionis*. Martyrium autem inter omnes actus virtuoſos maximè demonſtrat perfectionem charitatis. Quia tantò magis aliquam rem quis oſtenditur amare, quantò pro ea rem magis amatam contemnit, & rem magis odioſam eligit pati. Sed inter omnia alia bona præſentis vitæ maximè amat homo ipſam vitã, & econtrario maximè odit ipſam mortem, & præcipuè cum doloribus corporalium tormentorum, quorum metu etiam bruta animalia à maximis voluptatibus deterrentur, ut *Auguſt.* dicit *lib.* 83. *quæſtionum*.

Charitas autẽ facit quadruplex incendium. 1. Facit incendium amoris. Luc. ultimo cap. *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis?*

2. Facit incendium ſermonis. Eccli. 48. c. *Surrexit Elias quaſi ignis, & verbum illius quaſi facula ardebat*.

3. Facit incendium operationis. Iob 37. c. *Nonne veſtimenta tua*, id eſt, opera tua *calida ſunt, cùm perflata fuerit terra Auſtro*, id eſt Spiritu ſancto?

4. Facit incendium immutationis: quia licèt multa adverſa homo patiatur, non tamen charitas in eo extinguitur. Cant. 8. cap. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*.

Charitas fecit in beato Vincentio iſtud quadruplex incendium, ſcilicet amoris in corde. Vnde dicitur de eo: Vir inclytus Vincentius ſuccenſus igne divini amoris. Fervoris in ore. Vnde ipſe ait ad tyrannum: Exurge, & toto malignitatis ſpiritu debacchare. Fervoris in opere. Vnde exclamat *Prudentius*: O miles invictiſſime, fortiſſimorum fortior, jam te læva, & aſpera tormenta tremunt victorem! Fervoris in continuatione. Vnde *Auguſtinus in ſermone ab initio hic citato* ait: Quantò erant illa truculentiora, & exquiſitiora tormenta, tantò magis tortus de torquente triumphabat, & ex illa carne tanquam ex terra ſuo ſanguine irrigata, de qua plus dolebat inimicus, palma creſcebat.) Nam ignis zeli eſt ipſa charitas, quæ in corde Vincentii ſic ardebat, quòd ignem exteriorem frigidum faciebat. Pſal. *In meditatione mea exardeſcet ignis*, ſcilicet charitatis Divinæ.

TERTIO. *Beatus Vincentius firmatur in Chriſto per longanimitatem*. Hæc præparat præmium, quod debet diutiùs expectari, & itineris longitudinem demonſtrat ad certandum: ſicut enim magnanimitas dicitur, per quam aliquis habet animum tendendi in magna; ita etiam longanimitas dicitur, per quam aliquis habet animum tendendi in aliquid, quod in longum diſtat. Et ideo ſicut magnanimitas magis reſpicit ſpem tendentem in bonum, quàm audaciam, vel timorem ſive triſtitiam, quæ reſpiciunt malum; ita etiam longanimitas, quæ ſuſtinet aliqua mala propter aliquod bonum (non quod ex propinquo expectatur, ſed quod in longum differtur, propter quod aſſequendum) multa mala in præſenti debet ſuſtinere. Et ſic dilatio boni ſperati pertinet ad longanimitatem.

Sciendum, quòd longanimitas, ſeu fiducia mala eſt quadruplex. Prima eſt hypocritarum, quæ eſt in vanitate, & ſimulatione. Iob 8. cap. *Spes hypocritæ peribit, non enim placebit vecordia ſua: ſicut tela aranearum fiducia eius*.

Secunda eſt ſuperborum, quæ eſt in poteſtate, & exaltatione. Iſa. 30. cap. *Sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in umbra Aegypti. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confuſionem*, &c.

Tertia eſt luxurioſorum, quæ eſt in voluptate, & carnali delectatione, Iob 40. cap. *Habet fiduciam, quòd influat Iordanis in os eius*.

Quarta eſt cupidorum in divitiarum poſſeſſione. Pſalm. *Ne timueris, cùm dives factus fuerit homo*, &c. Fiducia autem, & longanimitas bona eſt juſtorum, & perfectorum, quæ eſt in Domino per gratiæ appoſitionem. Proverb. 3. cap. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo*.

Hanc longanimitatem ſe habuiſſe oſtendit beatus Vincentius ex quatuor ſignis. 1. Ex voluntate patiendi. Vnde dicebat: Hoc eſt, quod ſemper optavi, & votis omnibus ex-

quiſivi. Et 2. Cor. 12. cap. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis*,

2. Ex firmitate ſufferendi. Vnde dicebat: Videbis me plus poſſe Dei virtute, dum torqueor, quàm poſſis ipſe, qui torques.

3. Ex animoſitate contemnendi. Vnde tyranni contemnebat iram, dicens: Cùm mihi iraſci magis putas, mihi meliùs incipis miſereri.

4. Ex perpetuitate ſuſtinendi. Vnde dicebat: Hoc ſolum valde metuo, quòd te mihi fingis velle miſereri. Nolo, ut aliquid minuas de ſuppliciis, ut te victum in omnibus fatearis. Et *Prudentius* dicit de eo: Ridebat hic miles Dei manus cruentas, increpans, quòd fixa non profundiùs intraret artus ungula. Et ſic patet tertium,

QVARTO. *Beatus Vincentius firmatur in Chriſto per perſeverantiam.* Secundùm hanc quivis juſtus iter continuat, quæ portum oſtendit. Vnde *Bernardus ad Ianuenſes epiſt.* 129. Tolle perſeverantiam, nec obſequium mercedem habet, nec beneficium gratiã, nec laudẽ fortitudo.) Laus enim perſeverantiæ in hoc conſiſtit, quòd aliquis non recedit à bono propter diuturnam tolerantiam difficilium, & laborioſorum; quoniam ſecundùm perſeverantiam aliquis perſeverat in his, in quibus difficillimum eſt diu ſuſtinere. Non eſt autem difficile ſuſtinere bona, ſed mala. Sed mala, quæ ſunt pericula mortis, ut plurimum non diu ſuſtinentur, quia, ut frequentius, citò tranſeunt; unde reſpectu illorum non eſt præcipua laus perſeverantiæ. Inter alia autem mala præcipua ſunt illa, quæ opponuntur delectationibus tactus: quia hujuſmodi mala attenduntur circa vitam; ideo ſuſtinere difficultatem, quæ provenit ex diuturnitate boni operis, dat laudem perſeverantiæ.

Sciendum, quòd perſeverantia conſiſtit in quatuor. 1. In carnis mortificatione, Iudith 4. cap. *Scitote, quoniam exaudiet Dominus preces veſtras, ſi permanentes permanſeritis in ieiuniis, & orationibus.*

2. In præceptorum obſervatione. 1. Paralipom. 28. cap. *Firmabo regnum eius in æternum, ſi perſeveraverit præcepta mea facere.*

3. In flagellorum perpeſſione. Matth. 10. cap. *Eritis odio omnibus hominibus propter Nomen meum: qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.*

4. In fidei prædicatione. Hebr. 12. cap. *In diſciplina perſeverate.*

Beatus Vincentius firmiter in his perſeveravit propter quatuor. 1. Ab infantia ſui Deo tam mente, quàm corpore conſecratione. Nam in plenitudine fidei, & ſanctæ honeſtatis, & veræ devotionis, & veritatis Scripturæ nutritus, in omni ſanctitate ſe exercuit.

2. A pueritia ſui gratioſa inter homines converſatione. Nam coram Deo, & coram hominibus ſanctis, propter piorum morum elegantiam, gratiam invenit, & habuit.

3. In Diaconatus officio acceptiſſima Chriſto, & Eccleſiæ adminiſtratione. Exiſtens quippe ſub Epiſcopo Valerio Diaconus, re, & nomine ſuum officium dignè adimplevit.

4. Pro fide Chriſti, & doctrina Evangelii ardentiſſima concertatione. Nam contra Dacianum tyrannum diſceptans, ipſum doctrinâ, ratione, & exemplo mirabiliter confutavit, ut patet, &c.

QVINTO. *Beatus Vincentius firmatur in Chriſto per conſtantiam.* Hæc difficultatem virtutem ſuperat, in labore multum adjuvans. Conſtantia enim facit firmiter perſiſtere in bono contra difficultatem, quæ provenit ex quibuſcunque exterioribus impedimentis. Pſalm. *Non dabit in æternum fluctuationem juſto.*

Sciendum, quòd conſtantia eſt neceſſaria ad quatuor. Primò. Ad deſpiciendum proſpera. Iudith 9. cap. *Da mihi in animo conſtantiam, ut contemnam illum.* 1. Machab. 2. c. *Matathias, & filii eius conſtanter ſteterunt adversùs nuncios Regis Antiochi.*

Secundò. Ad ſuſtinendum adverſa. 2. Machab. 7. c. *Et linguam poſtulans citò protulit, & manus conſtanter extendit.* Ibid. & *His verbis conſtantes ſunt effecti pro legibus, & patriæ mori.*

Tertiò. Ad teſtificandum vera. Act. 4. cap. *Videntes autem Petri conſtantiam, & Ioannis, comperto, quòd homines eſſent ſine literis, & idiotæ,* Ibidem 23. cap. *Sequenti nocte aſſiſtens ei Dominus ait: Conſtans eſto. Sicut teſtificatus es de me in Ieruſalem, ſic oportet te teſtificari Romæ.*

Quartò. Ad aggrediendum terribilia. Iudith ult. cap. *Horruerunt Perſæ conſtantiam eius, & Medi audaciam eius.* Et 1. Machab. 9. cap. *Convenerunt omnes conſtantes corde, & contrita eſt dextera pars ab eis.* Et Sap. 5. cap. *Stabunt iuſti in magna conſtantia adversùs eos, qui ſe anguſtiaverunt.*

Beatus Vincentius habuit maximam mentis conſtantiam. Vnde dicitur de eo: Inter

hæc

hæc manet immotus ille Dei ſervus. Quam conſtantiam demonſtravit in quadruplici certamine.

Primum certamen fuit in equuleo, in quo fecit eum Dacianus toto corpore diſtendi, diſtentum diverſis vulneribus cruciari, cruciatum ferreis pectinibus laniari,& carnifices ad ſæviendum crudeliùs verberibus fecit urgeri.

Secundum certamen habuit in craticulæ incendio, ubi totum corpus uncinis ferreis aperitur, ardentes laminæ infiguntur, ſale ignis aſpergitur, telis viſcera extra jaciuntur.

Tertium certamen habuit in carceris ergaſtulo. Nam tyrannus fecit ipſum in obſcuro carcere includi,ibi teſtas acutiſſimas congeri, ligno pedes firmari, & ſine omni humano ſolatio derelinqui.

Quartum certamen habuit in molli lectulo. Poſtquam enim tyrannus vidit, ſe eum per aſperitates tormentorum vincere non poſſe, *in lecto* molliſſimo eum reclinari fecit, putans per delicias ipſum allicere poſſe; vicit autem iſta certamina maximâ mentis cõſtantiâ. Vnde *Auguſtinus in ſermone communi huius diei* dicit: Tanta in Vincentio pœnarum aſperitas ſæviebat in membris, & tanta ſecuritas reſonabat in verbis, ut putaremus alium loqui, & alium torqueri. Et verè ſic erat. Caro enim patiebatur, & ſpiritus loquebatur.) Habuit enim plurima auxilia, quibus conſtans fiebat: nempe lucem amabilem, quæ carcerem obſcurum illuſtravit. Florum redolentiam amœniſſimam,quæ carcerem mirabili odore confortavit. Affectionem liberam, quæ compedes grandi virtute reſeravit. Societatem Angelicam, quam Chriſtus miſericordirer ſibi deſtinavit.

SEXTO. *Beatus Vincentius firmatur in Chriſto per patientiam*. Hæc in contriſtabilibus bonum virtutis defenſat, quaſi cuncta conſervans. Vnde *Auguſtinus in ſermone de Martyribus*: Facile eſt Martyrem celebrando venerari,ſed magnum eſt fidem, & patientiam eius imitari.) Nam patientia eſt principaliter circa triſtitias:eò quod patiens aliquis dicitur non ex hoc, quòd non fugit, ſed ex hoc, quòd laudabiliter ſe habet in patiendo, quæ præſentialiter nocent, ut ſcilicet non inordinatè ex eis triſtetur.

Sciendum,quòd adverſitates tolerandæ ſunt patienter propter quatuor. 1. Propter ipſarum parvitatem. 1. Petri 1. cap. *Modicum nunc oportet contriſtari in variis tentationibus, ut probatio fidei veſtræ multò pretioſior auro, quod per ignem probatur, inveniatur*, &c.

2. Propter rerum paucitatem. Pſalm. *Patientia pauperum non peribit in finem*.

3. Propter dolorum brevitatem. Pſalm. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam*.

4. Propter retributionis perpetuitatem. Rom. 8. cap. *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam*, &c.

Beatus Vincentius habuit maximam patientiam in ſuppliciis. Vnde *Auguſtinus in ſermone communi huius diei* dicit: Habebat Vincentius in ſermone fiduciam, in paſſione tolerantiam.) Nam eius ſupplicia fuerunt graviſſima numeroſitate, acerbitate, diuturnitate, implacabilitate, quæ omnia vicit ſumma eius patientia. Vnde *Auguſtinus in alio quodam ſermone huius diei* dicit: Fides pugnat. Et quando fides pugnat, carnem nullus expugnat: quia, etſi laniatur, etſi laceratur, non perit, qui Chriſti ſanguine eſt redemptus. Potens homo non poteſt perdere, quod emit auro ſuo; & Chriſtus perdet quod emit Sanguine ſuo? Sed hoc totum non ad hominis, ſed ad Dei gloriam referatur. Ab ipſo verè eſt patientia vera, patientia ſancta, patientia religioſa, patientia chriſtiana, quæ donum Dei eſt.)

SEPTIMO. *Beatus Vincentius firmatur in Chriſto per fortitudinem*. Hæc mortem victoriosè expugnat, in periculis vexillum tenens. Vnde *Sanctus Cyprianus lib. 2. epiſt. ad Mart. & Confeſ. epiſt. 6.* exclamat: Quibus vos laudibus prædicem fortiſſimi Martyres? Robur pectoris veſtri, & perſeverantiam fidei, quo præconio vocis exornem? Toleraſtis uſque ad conſummationem gloriæ duriſſimam quæſtionem. Nec ceſſiſtis ſuppliciis,ſed vobis potiùs ſupplicia ceſſerunt. Finẽ doloribus, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt.)

Sciendum, quòd fortitudo gratuita, quæ eſt donum Dei, firmat animum hominis in bono juſtitiæ Dei, quæ eſt *per fidem Ieſu Chriſti*, ut dicitur Rom. 3. cap. Et talis fortitudo poteſt attendi circa quatuor.

Primò.In quantum defenditur bonum commune,decertando in acie per juſtum bellum.

Secundò. In quantum Iudex, vel privata perſona non recedit à juſto judicio timore gladii imminentis, vel cuiuſcunque pericu-

li, etiamſi ſit mortiferum.

Tertiò. In quantum aliquis non refugit, amico infirmanti obſequi propter timorem mortiferæ infectionis.

Quartò. In quantum aliquis non refugit itinerari ad aliquod pium negotium proſequendum propter timorem naufragii, vel latronum.

Beatus Vincentius fortiſſimè omnia pericula mortis vicit. Vnde *Auguſtinus* dicit: B. Vincentius vicit in verbis, vicit in pœnis, vicit in confeſſione, vicit in tribulatione, vicit exuſtus in ignibus, vicit ſubmerſus in fluctibus, vicit tortus, vicit mortuus.) Sic enim reſpondit Daciano, ut dicit *Prudentius*: Tormenta, carcer, ungulæ, ſtridenſque flammis lamina, atque ipſa pœnarum ultima mors Chriſtianis ludus eſt.

OCTAVO. *B. Vincentius firmatur in Chriſto per beatitudinem.* Hæc corona gloriæ ipſum in cælis decorat, præmium ultra meritum reddens. Vnde Apoc. 6. cap. dicitur de eo: *Data eſt ei corona, & exivit vincens, ut vinceret.* Et Angeli dixerunt ei: Agnoſce, ò Vincenti: quia pro cuius nomine decertaſti, ipſe tibi coronam præparatam ſervat in cælis, qui te victorem fecit in pœnis, quam nobis concedat, &c. Amen.

SERMO XV.

IN FESTO CONVERSIONIS S. PAVLI APOSTOLI.

Stupebant omnes, qui audiebant. Act. 9. cap.

BEatus Auguſtinus *in epiſt. de videndo Deo ad Paulinam c.* 13. dicit: Ipſa Dei ſubſtantia à quibuſdam videri potuit in hac vita poſitis, ſicut à Moyſe, & Paulo, qui raptus audivit ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui.) Super quo moveo talem quæſtionem.

Vtrum Beatus Paulus per ſui admirabilem converſionem raptus fuerit ad glorioſam Dei viſionem?

AD iſtam quæſtionem reſpondent duo Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt *Beatus Auguſtinus lib.* 12. *ſuper Geneſim ad litteram cap.* 28. dicens: Cur non credamus, quòd tanto Apoſtolo Doctori Gentium rapto uſque ad iſtam excellentiſſimam viſionem voluerit Deus demonſtrare vitam, in qua poſt hanc vitam vivendum eſt in æternum?)

Secundus eſt *Sanctus Thomas ſecunda ſecundæ quæſt.* 175. *artic.* 3. *in reſp. ad argumentum*, dicens: Quidam dixerunt Paulũ in raptu non vidiſſe ipſam Dei eſſentiam, ſed quandam refulgentiam claritatis ipſius. Sed contrarium manifeſtè ipſa verba Apoſtoli deſignãt. Dicit enim ſe audiſſe ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. Hujuſmodi autem videntur ea, quæ pertinent ad viſionem beatorum, quæ excedit ſtatum viæ, ſecundùm illud Iſa. 64. c. *Oculus non vidit Deus, abſque te, quæ præparaſti diligentibus te.* Et ideo convenientiùs dicitur, quòd Deum per eſſentiam vidit. *Hæc S. Thomas.*

Sciendum, quòd mens humana divinitùs rapitur ad contemplandam veritatem Divinã quatuor modis. Primò. Vt contempletur eam per ſimilitudines quaſdam imaginarias. Et talis erat mentis exceſſus, qui cecidit ſupra Petrum, *Act. cap.* 10.

Secundò. Vt contempletur eam per intelligibiles effectus. Et talis fuit exceſſus Prophetæ regii dicentis in Pſal. *Ego dixi in exceſſu meo: Omnis homo mendax.*

Tertiò. Vt contempletur eam in ſua eſſentia per lumen gloriæ, quod ſit velut forma immanens. Et talis viſio eſt in Sanctis in Patria.

Quartò. Vt contempletur eam in ſua eſſentia per lumen gloriæ, quod ſit velut paſſio tranſiens. Et talis fuit raptus Pauli, & etiam Moyſis. Et ſatis congruenter: quia

ſi-

ſicut Moyſes fuit primus Doctor Iudæorum; ita Paulus fuit primus Doctor Gentium. Vnde viſio Pauli in illo raptu, quantùm ad aliquid, fuit ſimilis viſioni beatorum, ſcilicet quantùm ad id, quod videbatur; & quantùm ad aliquid diſſimilis, ſcilicet quantùm ad modum videndi: quia non ita perfectè vidit, ſicut Sancti, qui ſunt in Patria. Vnde *Auguſt. 12. ſuper Gen. ad lit. c.36.* Apoſtolo abrepto à carnis ſenſibus in tertium cælum,& paradiſũ,hoc defuit ad plenam,perfectamque rerum cognitionem, quæ Angelis ineſt, quòd ſive in corpore, ſive extra corpus eſſet, neſciebat. Hoc itaque non deerit, cùm receptis corporibus in reſurrectione mortuorũ, corruptibile hoc induerit incorruptionem.) Et quia in tali viſione acceperat notitiam ſacramentorum Ieſu Chriſti (prout ipſemet dicit Gal. 1. cap. *Notum vobis facio Evangelium, quod evangelizatum eſt à me: quia non ſecundùm hominem, ſed per revelationem Ieſu Chriſti)* ideo ſtupebant omnes,qui audiebant,ut dicit Thema.

Stupebant omnes

Angeli, qui audiebant eum Angelicè viventem.
Iuſti, qui audiebant eum juſtè ſe regentem.
Pœnitentes, qui audiebant eum conversè gradientem.
Iudæi, qui audiebant eum Synagogam evertentem.
Gentiles, qui audiebant eum mundana arguentem.
Peccatores, qui audiebant eum conversè incedentem.

PRIMO. *Stupent omnes Angeli, qui audiunt beatum Paulum Angelicè viventem.* In Angelis enim conſiderantur quatuor. Virginalis munditia. Matth. 22. cap. *Angeli Dei in cælo neque nubent, neque nubentur.* Charitas ignita. Pſalm. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem urentem.* Velox obedientia. Pſalm. *Angeli Dei miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius.* Solicita cuſtodia. Pſalm. *Angelis ſuis Deus mandavit de te: ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.*

Stupent Angeli, & admirantur in Paulo hodie converſo has quatuor proprietates.

Primò. Eius virginalem munditiam. Fuit enim virgo, ſicut ipſemet teſtatur de virginibus 1. Corinth. 7. cap. dicens: *Volo omnes homines eſſe ſicut meipſum. Chryſoſtomus de laudibus Pauli homilia prima* dicit: Ioſeph pudicitiæ virtute decoratus eſt: at ego vereor,ne jam ridiculum ſit hinc Paulum velle laudare, qui ſemetipſum mundo crucifigens, nõ ſolùm humanorum corporum pulchritudines,ſed etiam omnia, quæ videntur rebus clara, ac decorata, ita cernebat, quemadmodum nos favillam, cineremque deſpicimus, qui quaſi mortuus ad mortuũ immobilis permanebat.)

Secundò. Eius charitatem ignitam. Nihil enim in eo ignem charitatis extinguere potuit, ſicut ipſe ait Rom. 8. cap. *Certus ſum enim, quòd neque mors, neque vita, &c. poterit nos ſeparare à charitate Chriſti.* Et *Chryſoſtomus de eius laudibus homilia tertia* dicit: Vt enim ferrum miſſum in ignem totum ignis efficitur; ſic Paulus charitate ſuccenſus totus efficitur charitas.

Tertiò. Eius velocem obedientiam,quam hodie demonſtravit,cùm dixit: *Domine,quid me vis facere?* Ex magna obedientia totum mundum prædicando circuivit. *Chryſoſt.* Paulus tanquam pennatus totum docendo pervolavit orbem.

Quartò. Eius ſolicitam cuſtodiam. Quidam enim Angeli cuſtodiunt mundum univerſum, ſicut Dominationes: quidam provincias, ut Principatus: quidam loca ſpecialia, ut Archangeli: quidam ſingulares perſonas, ut Angeli. Paulus autem curam habuit de univerſo mundo. *Chryſoſtomus.* Nullus Angelus ita creditum ſibi populum gubernavit, ut Paulus univerſum orbem.

Curam habuit de provinciis. *Chryſoſtomus ibid. hom. 4.* Tantâ Paulus virtute progreſſus eſt, ut vix triginta annorum ſpatio, & Romanos, & Perſas, & Parthos, & Medos, & Indos, & Scythas, & Æthiopes, & Sauromatas, & Sarracenos, & omne prorſus humanum genus ſub jugo mitteret veritatis.)

Curam habuit de ſpecialibus locis, ad quæ particulares epiſtolas deſtinavit, ſicut de Roma, Corintho, Galatia, Epheſo, &c.

Curam habuit de ſingularibus perſonis, ſicut de Timotheo, Tito, Philemone, &c. Ideo Angeli ſtupent in Paulo Angelicam eius vitam, &c.

SECVNDO. *Stupent omnes iuſti, qui audiunt beatum Paulum iuſtè ſe gerentem.* Nam juſti habent quatuor in ſe, quæ vehementer admirantur in Paulo hodie converſo.

Pri-

Primò. Cæleſtium contemplationem. Phil. 3. cap. *Noſtra converſatio in cælis eſt.* Converſatio autem dicit totam vitam hominis. Sed eorum, qui ſunt in cælo, eſt quadruplex diverſitas. Quidam enim ſunt in cælo tantùm corde, ut pigri, & deſidioſi, qui bona propoſita, quæ habent, opere non implent. Quidam tantùm ore, ut prædicatores verboſi. Quidam verò tantùm opere exteriori, ut hypocritæ, & vanegloriosi. Quidam autem omnibus modis, ſicut Paulus, qui habuit ſancta deſideria. Phil. 1. cap. *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Habuit ſynceriſſima verba. 2. Cor. 2. cap. *Ex ſynceritate, ſicut ex Deo, coram Deo, in Chriſto loquimur.* Habuit ſolicita opera. 2. Theſſal. 3. cap. *In labore, & fatigatione nocte, & die operantes*, &c.

Secundò. Bonorũ operum exercitationem. 1. Cor. 15. cap. *Abundantiùs omnibus laboravi.* Verè abundantiùs: quia plus omnibus peragravit. Rom. 15. cap. *Ab Ieruſalem per circuitum uſque ad Illyricam replevi Evangelium.* Verè abundantiùs: quia plures præ omnibus ad fidem convertit, ſcilicet innumerabilem populum Gentilium. Gal. 2. cap. *Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter Gentes.* Verè abundantiùs: quia plus omnibus manibus laboravit. Act. 20. cap. *Ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſta. Chryſoſtomus.* Nec unum quidem diem in otio, & quiete paſſus eſt tranſire. Verè abundantiùs: quia plures epiſtolas ſcripſit.

Tertiò. Profundam humiliationem quoad quatuor. Quatũ ad denominationem, quã humilẽ habuit, vocans ſe parvulũ. Cùm enim prius vocaretur Saulus à Saulo ſuperbo, poſtea vocavit ſe Paulum, quaſi parvulũ. 1. Cor. 15. c. *Ego ſum minimus Apoſtolorum*, &c. Quantùm ad converſationem, quam humilem habuit. 1. Theſſal. 2. cap. *Facti ſumus parvuli in medio veſtrum.* Ecce quanta humilitas. *Tanquam ſi nutrix foveat filios ſuos.* Ecce quanta auctoritas. *Quoniam chariſſimi facti eſtis nobis.* Ecce quanta amicabilitas. Quantùm ad ſcientiam, quam humilem habuit. 1. Cor. 2. cap. *Non iudicavi me aliquid ſcire inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Quantùm ad vitam, quam humilem habuit, non reputans ſe perfectum, ſed peccatorem. 1. Timo. 1. cap. *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum, peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum.* Et 1. Cor. 4. cap. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.*

Quartò. Adverſorum perpeſſionem. *Chryſoſtomus.* Paulus fuit ſaxo durior, ferro firmior, adamãte fortior, auro incorruptibilior.) Fuit quidem ſaxo durior: quia nulli adverſitati cedebat. Gal. 2. *Quibus nec ad horam ceſſimus*, &c. Fuit ferro firmior: quia nulla ipſum tribulatio commovebat, ſed tanquam incus percuſſionibus firmabatur. 2. Cor. 13. cap. *Cùm enim infirmor, tunc potens ſum.* Fuit adamante fortior: quia nulla ipſum adverſitas frangebat. 2. Cor. 12. cap. *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto.* Fuit auro incorruptibilior: quia nec igne perſecutionis crepabat. Eccli. 2. *Igne probatur aurum, & argentum.*

TERTIO. *Stupent omnes pœnitentes, qui audiunt Paulum converſè gradientem.* Hodie namque Ieſus Chriſtus magnum ſpectaculum dedit toti mundo ex miraculoſa converſione beati Pauli Apoſtoli, ſicut ipſe dicit 1. Corinth. 4. cap. *Spectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus.* Maior enim fuit gratia converſionis Pauli, quàm latronis dextri, licèt utraque fuerit ſubita, & miraculoſa, quod patet per duodecim ſigna, quæ ſunt iſta.

1. Ratione converſionis. Latro enim converſus eſt à Chriſto, exiſtente in hac vita mortali, dum moreretur in Cruce; Paulus verò converſus eſt à Chriſto exiſtente jam glorificato in cælis. Vnde *ſanctus Thomas tertia parte quæſtione 57. articulo ſexto ad tertium dicendum* dicit: Chriſtus poſt ſuam Aſcenſionem multis Sanctis apparuit, ſicut legitur de beato Paulo, *Actor. 9. cap.* Quoniam eius dignitati non derogat, ſi ex aliqua diſpenſatione Chriſtus quandoque corporaliter ad terrã deſcendat, ut oſtendat ſe alicui ſpecialiter, ſicut Paulo. Et ne aliquis hoc credat factum fuiſſe Chriſto ibi non corporaliter præſente, ſed aliqualiter apparente, contrarium apparet per hoc, quod ipſe Apoſtolus dicit 1. Corinth. 15. ad confirmandam reſurrectionis fidem: *Noviſſimè autem omnium tanquam abortivo viſus eſt & mihi.* Quæ quidem viſio veritatem reſurrectionis non probaret, niſi verum Corpus Chriſti viſum fuiſſet ab eo. *Hæc ſanctus Thomas.*

2. Ratione acceptationis. Nam latro ſurſum levatus in cruce, quamvis acceptavit pœnam ſibi pro peccato debitam, non tamen ſtatim conterebatur, nec ſignum converſionis

præ-

præbuit, quousque alter dixit Christo: *Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, & nos*, Lucæ 23. Paulus autem in terram prostratus credidit subitò, se puniri pro peccato suo. Vnde acceptavit hanc pœnam, agens debitam pœnitentiam mentaliter pro peccato suo. Psal. *Quoniam gravata est super me manus tua: conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.*

3. Ratione illuminationis. Nam sole obscurato, visisque miraculis, quæ fiebant in morte Christi, latro illuminatus est, cùm dixit: *Nos quidem digna factis recipimus: Hic autem nihil mali fecit*. Paulus verò luce circundatus de cælo (juxta illud Act. 9. cap. *Subitò circumfulsit eum lux de cælo*) perfectè illuminatus est: quia ceciderunt ab oculis eius tanquã squamæ. Squamæ enim significant carnalia, quæ inquinant affectum; & temporalia, quæ obscurant intellectum. Vnde 2. Corinth. 4. dicit: *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, illuxit cordibus nostris*. Et 1. Thessal. 5. cap. *Non sumus noctis, neque tenebrarum*.

4. Ratione auditionis. Nam latro audivit Christum sitientem hominum salutem, cùm dixit: *Sitio*. Paulus audivit Christum jam bibentem, cùm dixit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Latro audivit Christum derelictum; Paulus audivit Christum jam sibi unitum. Latro audivit vocem Christi deprecantis pro peccatorum conversione; Paulus audivit vocem Christi comminantis pro sui persecutione, cùm dixit: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*.

5. Ratione cognitionis. Nam latro in cruce cognovit Christum omnium Redemptorem; ideo dixit Luc. 23. cap. *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum*. Paulus verò in luce cognovit Christum non solùm Redemptorem, sed universalem Glorificatorem quoad animam, & corpus in suo raptu. 2. Cor. 12. cap. *Scio huiusmodi hominem raptum usque ad tertium cælum, & audivit*, &c.

6. Ratione obtentionis. Nam latro petivit indulgentiam peccatorum suorum dicens: *Memento mei, Domine*, scilicet ut mihi misereris, non tantùm ignoscendo culpam præteritam, quâ injustè vixi, sed etiam præsentem, quâ continuavi usque ad supplicium. Obtinuit autem veniam, cùm Christus ei dixit: *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiso*. Paulus petivit promptam obedientiam dicens: *Domine, quid me vis facere?* Et obtinuit, quando sibi dictum fuit: *Surge, & ingredere civitatem*, &c.

7. Ratione promissionis. Nam latroni promisit Christus merito sui Sanguinis beatificam fruitionem dicens: *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiso*. Paulo autem promisit ob meritum suæ Passionis patientiæ imitationem, cùm dixit: *Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro Nomine meo pati*, Act. 9. cap. &c.

8. Ratione comitationis. Nam latronem Christus duxit ad limbum, ubi fuit per tres dies, quibus ipse Christus jacuit in sepulcro; Paulum autem rapuit usque in tertium cælum, ut patet 2. *Cor.* 12. *cap.* Quod est spirituale cælum, ubi Angeli, & sanctæ animæ fruuntur Dei contemplatione: quia Deus ostendit ei vitam, in qua videndus est in æternum, ut dicit *Glossa*.

9. Ratione speculationis. Nam latro fuit speculum Divinæ miserationis, ut nemo desperet de misericordia Dei, etiamsi perseveraverit peccare usque ad finem vitæ, ut habetur *de pœni. dis.* 7. *cap. Nemo*. Paulus autem fuit speculum dilectionis, & vas electionis, Act. 9. cap. *Vade Anania: quoniam vas electionis mihi est iste*.

10. Ratione correctionis. Nam latro fuit corrector unius, puta latronis consocii; Paulus autem importunus fidei Prædicator; ideo dicitur: *Portet Nomen meum coram Gentibus*.

11. Ratione passionis. Nam latro portavit crucem propriam, & stigmata propria: quia *fregerunt eius crura*, Ioann. 19. cap. Paulus autem Crucem Christi. Gal. 6. cap. *Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi*. Et Stigmata eius. *Ego Stigmata Domini Iesu Christi in corpore meo porto*.

12. Ratione glorificationis. Nam latro meruit gloriam per martyrii sui confessionẽ, quæ sibi fuit pro baptismo, ut habetur *de consecr. dis.* 4. *cap. Baptismi vicem*. Paulus autem baptizatus est baptismo Spiritus sancti, sicut ceteri Apostoli, non tamen in specie ignis, sed in specie lucis. Item baptismo lacrymosæ compunctionis. *Chrysostomus*. Iuges lacrymarum fontes non diebus solùm, sed etiam noctibus effundebat.) Item baptismo aquæ; unde dicitur: *Surgens baptizatus est*. Item baptismo sanguinis: quia in suo sanguine baptizatus fuit, &c.

QVARTO. *Stupent omnes Iudæi, qui audiunt eum Synagogam evertentem*. Nam ante conversionem æmulabatur Synagogam quadrupliciter.

Pri-

Primò. Ipſam nimis zelando. Gal. 1. cap. *Amplius æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum.*

Secundò. Eccleſiam Chriſti nimis impugnando. Ibid. *Supra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam.*

Tertiò. Nomen Chriſti nimis odio habendo. Act. 9. c. *Hic eſt, qui impugnabat eos, qui invocabant Nomen iſtud.* De iis tribus ſimul 1. Tim. 1. dicit: *Prius fui blaſphemus, perſecutor, & contumelioſus.*

Quartò. In Diſcipulos Domini nimis ſæviendo, per odium in corde. Vnde dicitur: *Saulus adhuc ſpirans.* Per aſperitatem in ore, cùm dicitur: *Minarum.* Per pœnarum irrogationem in perſonas, cùm dicitur: *Et cadit in Diſcipulos Domini.* Per expoliationem in rebus. Act. 8. cap. *Saulus autem devaſtabat Eccleſiam per domos intrans.*

Sed ab hac Synagogæ æmulatione converſus eſt hodie ad ipſius everſionem, ſcilicet Synagogam evacuando, Eccleſiam fundando, Chriſti Nomen prædicando, Diſcipulos Chriſti ampliando, atque confortando. Vnde dicitur Act. 9. cap. *Paulus magis convalescebat, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damaſci, affirmans, quoniam hic eſt Chriſtus,* &c.

QVINTO. *Stupent omnes Gentiles, qui audiunt eum mundana arguentem.* Nam in Gentibus erant quatuor: ſcilicet magna potentia Regum, & Imperatorum. Magna ſapientia Philoſophorum, & Doctorum. Magna eloquentia Rhetorum, & Oratorum. Magna inſolentia errorum, & vitiorum.

Contra iſta Paulus aſſumpſit alia quatuor. Contra mundi potentiam aſſumpſit virtutem, & conſtantiam. Act. 23. cap. Apparuit autem illi Dominus dicens: *Conſtans eſto Paule, oportet te & Romæ teſtificari.*

Contra vanam ſapientiam aſſumpſit veritatem Evangelicam. 1. Corinth. 2. cap. *Non enim me iudicavi aliquid ſcire inter vos, niſi Chriſtum Ieſum, & hunc crucifixum.*

Contra Rhetorum eloquentiam aſſumpſit fructuoſam facundiam. Ibid. *Sermo meus, & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis.*

Contra errorum inſolentiam aſſumpſit fidei prudentiam. Act. 17. cap. dixit Athenienſibus: *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis.*

Vnde nec timor tyrannorum, nec ſubſannatio Philoſophorum deridentium Chriſtianos colentes hominem crucifixum, potuerunt retrahere Paulum à prædicatione fidei Chriſti. Act. 9. cap. *Vas electionis mihi eſt iſte, ut portet Nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filiis Iſrael,* &c.

SEXTO. *Peccatores ſtupent audientes eum converſè incedentem.* Vt enim dicitur Luc. 15. cap. *Gaudium eſt Angelis Dei ſuper uno peccatore, pœnitentiam agente.* Gaudium enim de converſione peccatoris tantò eſt maius, quantò miſericordia indulgens eſt major, quæ cognoſcitur ex magnitudine peccati. Rom. 5. cap. *Vbi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia.*

Sed duo fuerunt maximi peccatores, qui mirabiliter converſi ſunt, quorum unus altero gravius peccavit, ſcilicet latro in cruce, & Paulus in luce; ſic tamen, quòd peccatum Pauli fuit gravius, quàm peccatum latronis, ut patet per duodecim ſigna.

1. Objectivè. Nam peccatum, quod eſt contra ſubſtantiam hominis, eſt gravius, quàm peccatum, quod eſt contra res exteriores, ſicut furtum. Etiam eſt gravius peccatum, quod immediatè contra Deum committitur, ſicut infidelitas, blaſphemia, &c. Sed latro offendit hominem furando divitias eius, Paulus auferendo vitam eius: quia ille ſitiebat hominum divitias, iſte ſitiebat Sanctorum ſanguinem: ille ſpoliabat domos rebus, iſte viris, & mulieribus, ipſos duriſſimè incarcerando.

2. Repugnativè. Nam majori virtuti opponitur gravius peccatũ, ſicut odium Dei, quod opponitur charitati Dei. Sed latro peccavit contra charitatem proximi: quia contra præcepta ſecundæ tabulæ. Paulus autem contra charitatem Dei: quia contra præcepta primæ tabulæ, quæ ordinant hominem in Deum.

3. Intenſivè. Nam quantò voluntas fuerit maior ad peccandum, tantò homo graviùs peccat. Sed de Paulo dicitur: Ibat ergo Saulus furiis infectus, dirumque toto pectore virus efflabat. Per totam Iudæam inſaniâ ferebatur, ut Chriſti membra laniaret in terris.

4. Terminativè. Nam in ordine quorumlibet peccatorum unum peccatum eſt gravius altero, ſecundùm quod eſt circa aliquod principale, vel minus principale. Sed peccatum latronis fuit principaliter de alieno vivere; peccatum autem Pauli fuit hominum ſalutem impedire, quod eſt principalius ab homine deſideratum.

5. Inclinativè. Nam gravius peccat, cuius vo-

voluntas ex intentione pejoris finis inclinatur ad peccandum. Sed latro inclinabatur ad peccandum timore paupertatis, cupiditate divitiarum; Paulus autem odio, & invidiâ cum aliis diſputantibus cum Stephano.

6. Injuriativè. Nam cauſæ, quæ diminuunt judicium rationis, ſicut ignorantia, vel quæ diminuunt liberum motum voluntatis, ſicut infirmitas, vel violentia, aut metus, diminuunt peccatum. Sed peccatum latronis proceſſit ex ignorantia; Pauli verò ex induſtria, & malitia: quia acceſſit ad Principem ſacerdotum, & petiit ab eo epiſtolas in Damaſcum ad Synagogas, &c.

7. Contemptivè. Nam ubi eſt maior concupiſcentia, eſt maius peccatum. Interdum enim inſurgit maior concupiſcentiæ motus ex hoc, quòd voluntas effrænatè tendit in ſuũ objectum. Sed latro contempſit homines mũdanos minori concupiſcentia; Paulus autem ſervos Chriſti majori concupiſcentia verbis, & verberibus cruciando.

8. Extenſivè. Nam quantò peccatum ad plurium offenſionem extenditur, tantò eſt gravius. Sed latro blaſphemavit Chriſtum in conſpectu paucorum; Paulus autem in multis civitatibus.

9. Impugnativè. Nam quantò impugnatur perſona Deo magis conjuncta, tantò gravatur illud peccatum; unde impugnatio, & offenſa, quæ fit perſonæ virtuoſiori, & ſanctiori, eſt valde gravis. Sed latro impugnavit laicos auferendo temporalia; Paulus autem ſervos Chriſti tollendo ſpiritualia.

10. Perturbativè. Latro enim peccavit contra Rempublicam terrenam, perturbando; Paulus contra cæleſtem, ſcandalizando.

11. Offenſivè. Latro enim offendit Chriſtum pro ſe, & aliis cruentatum; Paulus ultra hoc contra populum prædeſtinatum.

12. Malignativè. Latro enim ſuam converſionem acceleravit viſo ſole obſcurato; Paulus autem diſtulit viſo cælo aperto prædicante Stephano, & miracula faciente. Amen.

SERMO XVI.

IN FESTO PVRIFICATIONIS B. VIRGINIS.

Venit in ſpiritu in templum. Luc. 2. cap.

BEatus Auguſtinus *lib. de natura, & gratia c.* 36. dicit: De ſancta Virgine Maria propter honorẽ Chriſti nullam prorſus, cùm de peccatis agitur, volo habere quæſtionem. Vnde enim ſcimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere, & parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.) Super quo verbo moveo talem quæſtionem.

Vtrum beata Virgo per Verbi Dei temporalem conceptionem obtinuerit perfectiſſimam ſui ſanctificationem?

AD iſtam quæſtionẽ reſpondent duo Doctores veteris Teſtamenti, & duo novi. Primus eſt Moyſes Exo. ultimo cap. dicens: *Poſtquam omnia perfecta ſunt, operuit nubes tabernaculum teſtimonii, & gloria Domini implevit illud.* Ea autem, quæ fuerunt in veteri Teſtamento, ſunt figura novi, ſecundùm illud 1. Cor. 10. cap. *Omnia in figura contingebant illis.* Sed per ſanctificationem tabernaculi, de qua dicitur in Pſalm. *Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus*, videtur ſanctificatio Matris Dei ſignificari, quæ tabernaculum Dei dicitur, ſecundùm illud Pſalm. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Ergo beata Virgo in conceptione Chriſti fuit perfectiſſimè ſanctificata.

Secundus eſt Ezechiel 43. cap. dicens: *Ecce gloria Dei Iſrael ingrediebatur per viam Orientalem.* Id eſt, per beatam Virginem, de qua oriebatur temporaliter Filius Dei. *Et terra*, nempe caro ipſius *ſplendebat à Maieſtate eius*, videlicet Chriſti.

Tertius eſt *Beatus Hieronymus in ſermone de Aſſumptione* dicens : Bene gratiâ plena, quæ ceteris per partes præſtatur, Mariæ verò ſe totam ſimul infudit gratiæ plenitudo.)

Quartus eſt *Sanctus Thomas tertia parte 4. 27. artic. 4.* dicens : Illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat, & diſponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei, ſecundùm illud 2. Cor. 3. cap. *Idoneos nos fecit miniſtros novi Teſtamenti*. Beata autem Virgo fuit electa divinitus, ut eſſet Mater Dei ; & ideo non eſt dubitandum, quòd Deus per ſuam gratiâ eam ad hoc idoneam reddidit, ſecundùm quod Angelus ad eam dixit : *Inveniſti gratiam apud Deum : ecce concipies*, &c. Non autem fuiſſet idonea Mater Dei, ſi aliquando peccaſſet : tum quia honor parentũ redundat in prolem, ſecundùm illud Proverb. 17. *Gloria filiorum patres eorum* : unde & per oppoſitum, ignominia Matris redundaſſet ad Filium : tum etiam, quia ſingularem affinitatem habuit ad Chriſtum, qui ab ea carnem accepit. Dicitur autem 2. Cor. 6. *Quæ conventio Chriſti ad Belial* ? Tum etiam, quia ſingulari modo Dei Filius, qui eſt Dei Sapientia, in ipſa habitavit, non ſolùm in anima, ſed etiam in utero. Dicitur autem Sap. 1. *In malevolam animam non introibit Sapientia : nec habitabit in corpore ſubdito peccatis*. Et ideo ſimpliciter fatendum eſt, quòd beata Virgo nullum actuale peccatum commiſit, nec mortale, nec veniale, ut ſic impleatur, quod dicitur Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Et quæſt. 28. artic. 3. ad 3.* dicit : Sicut enim Moyſis, cum Domino colloquentis, ſplendida, & glorificata eſt facies, ut non poſſent intendere in eum filii Iſrael ; ſic Maria claritate virtutis Altiſſimi obumbrata, cognoſci non poterat à Ioſeph, donec pareret. Poſt partum verò à Ioſeph agnita invenitur ſpecie faciei, non libidinis tactu. Et *Chryſoſtomus* dicit, quòd non cognovit eam Ioſeph, antequam pareret, cuius fuerit dignitatis, ſed poſtquàm peperit, tunc cognovit eam : quia per ipſius prolem ſpecioſior, & dignior facta fuerat, quàm totus mundus : quia quem totus mundus capere non poterat, in anguſto cubiculo uteri ſui ſola ſuſcepit. *Hæc Sanctus Thomas*.

Sciendum, quòd puritas beatæ Virginis exceſſit puritatem omnis creaturæ : eius enim puritas eſt quadruplex.

Prima eſt puritas ſanctificationis eius in utero. Nam omnis puritas rationalis, aut eſt naturæ, ut in Angelis ; aut eſt gratiæ gratis datæ, ut innocentia in primis parentibus ; aut gratiæ gratum facientis, quæ eſt gratia confirmationis. Hæc enim gratia confirmationis tria facit. 1. Inſeparabiliter conjungit rationem cum Deo, ut non poſſit peccare mortaliter. 2. Inferiores potentias animæ ſubjicit inflexibiliter ſub imperio rationis, ut non poſſit peccare venialiter. 3. Totum hominẽ actualiter convertit indiviſibiliter in Deum, ut ſic homo divina dulcedine affectus ex tota anima, ex toto corde, ex omnibus viribus actu tendat in Deum. Prima, & altera fuit gratia confirmationis in beata Virgine. Tertio modo eſt in ſolis Beatis. Primis duobus modis gratia confirmationis non fuit in ulla creatura, præterquam in beata Virgine.

Secunda eſt puritas innocentiæ in vita, per quam adepta eſt gratiam inclinantem eam ad bonum. Licèt enim non ſtatim habuerit uſum liberi arbitrii adhuc in ventre matris exiſtens (hoc enim ſpeciale privilegium ſolius Chriſti fuit) tamen per gratiam abundantem, quam in ſanctificatione acceperat, perfectius per Divinam providentiam ſenſualitas eius ab omni inordinato motu prohibita fuit, ſcilicet ne prorumperet in aliquem motum inordinatum, qui rationem præveniret.

Tertia eſt puritas virgineæ caſtitatis. Ita enim voluit Chriſtus veritatem ſui Corporis demonſtrare, quòd etiam ſimul eius Divinitas declararetur ; & ideo permiſcuit mira humilibus. Vnde, ut Corpus eius verum oſtenderetur, naſcitur ex fœmina ; ſed, ut oſtenderetur eius Divinitas, naſcitur ex Virgine. Talis enim partus decet Deum, ut dicit *Ambroſius in hymno Nativitat.* Talem virginitatem cum fœcunditate nunquam aliqua creatura habuit.

Quarta eſt puritas obumbrationis Spiritus ſancti ex Filii Dei conceptione, per quam ſic dedicata eſt Divinis, quòd etiam licitis uſibus humanis, ſcilicet matrimonialibus eam aptare, foret impoſſibile. Tunc enim non ſolùm mens, ſed etiam corpus eius Divinitatis luce reſplenduit, ſecundùm illud Exo. 30. *Sanctificabiſque omnia, erunt que ſancta Sanctorum*. Propterea dicit *Anſelmus* : Decuit, ut illius hominis, ſcilicet Ieſu Chriſti conceptio ex ea Matre fieret, quæ ea puritate niteret, quâ maior ſub Deo nequit intelligi.) Cum hac itaque quadruplici puritate, ſanctificata à Spiritu ſan-

ſancto, hodie venit in templum.

Venit in ſpiritu in templum

Beata Virgo ad purificationem.
Chriſtus Ieſus ad oblationem.
Simeon ad glorificationem.
Anna vidua ad prænunciationem.
Populus Sanctorum ad gratiarum actionem.

PRIMO. *Venit in ſpiritu in templum beata Virgo ad purificationem.* Vnde *ſanctus Thomas tertia parte quæſtione 37. artic. 4.* dicit: Sicut plenitudo gratiæ à Chriſto derivatur in Matrem; ita decuit, ut Mater humilitati Filii conformaretur. *Humilibus enim Deus dat gratiam*, ut dicitur Iac. 4. Et ideo ſicut Chriſtus, licèt legi non eſſet obnoxius, voluit tamen circũciſionem, & alia legis onera ſubire, ad demonſtrandũ humilitatis, & obedientiæ exemplum, & ut approbaret legem, & ut occaſionem calumniæ Iudæis tolleret; propter eaſdem rationes voluit & Matrem ſuam implere legis obſervantias, quibus tamen non erat obnoxia. Licèt enim beata Virgo nullam haberet immunditiam, voluit tamen purgationis obſervantiam implere, non propter indigentiam, ſed propter legis præceptũ; & ideo ſignanter Luc. 2. cap. dicit: *Impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundùm legem Moyſi.* Ipſa enim ſecundùm ſe purgatione non indigebat. Nam Levit. 12. dicitur: *Mulier, quæ ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus.* Vbi ſignanter Moyſes videtur fuiſſe locutus ad excipiendam Matrem Dei ab immunditia, quæ non peperit ſuſcepto ſemine. Et ideo patet, quòd non obligabatur ad impletionem illius præcepti, ſed voluntariè purgationis obſervantiam implevit. *Hæc Sanctus Thomas.*

Sciendum, quòd beata Virgo hodie purgatur quadrupliciter. Primò. A malitia diabolicæ perſecutionis. Nam ſicut dicit *Auguſtinus 3. de Trinitate.* Diabolus multa poteſt virtute ſuæ naturæ, à quibus tamen prohibetur virtute Divina.) Et ſic virtute ſuæ naturæ poterat diabolus cognoſcere, Matrem Dei non fuiſſe corruptam, ſed Virginem. Prohibebatur tamen à Deo cognoſcere modum partus Divini. Vnde in infantia Chriſti oportebat impediri malitiam diaboli, ne eum acriùs perſequeretur, quando Chriſtus nec pati diſpoſuerat, nec virtutem ſuam oſtendere, ſed in omnibus aliis infantibus ſe ſimilem exhibebat. Vnde *Leo Papa in ſermone Epiphaniæ* dicit, quòd Magi invenerunt Ieſum quantitate parvum, alienæ opis indigentem, fandi impotentem, & nulla ab humanæ infantiæ generalitate diſcretum.) Cùm ergo beata Virgo venit hodie ad templum, purgatur à malitia diabolicæ perſecutionis, neſciente eam Matrem Dei.

Secundò. Ab inſolentia Iudaicæ abjectionis, ne ſcilicet Chriſtus ab infidelibus tanquam illegitimè natus abjiceretur. Vnde *Ambroſius ſuper Lucam.* Quid Iudæis, quid Herodi poſſet aſcribi, ſi natum viderentur ex adulterio perſequi? Vnde *de natis ex adulterio diſt. 56. cap. Si gens*, dicitur ſic: De tali commiſtione meretricum exiſtimandum eſt degeneres populos, & ignobiles, & furentes libidine fore procreandos, & ad extremum univerſam plebem ad deteriora, & ignobiliora vergentem, & noviſſimè nec bello ſeculari fortem, nec in fide ſtabilem, nec honorabilem hominibus, nec Deo amabilem eſſe venturam.) Propterea beata Virgo hodie offert Filium ſuum in templo, ut approbetur ex lege, quoniam non ex fornicatione natus eſt.

Tertiò. A ſævitia tyrannicæ lapidationis. Nam beata Virgo erat de ſtirpe Iſrael, ſive de parentela Aaron; unde erat cognata Eliſabeth, ut dicitur *Luc.* 1. Virgo autem de genere ſacerdotali propter ſtuprum occidebatur. Dicitur enim Levi. 21. cap. *Sacerdotis filia, ſi deprehenſa in ſtupro fuerit, & violaverit nomen patris ſui, flammis exuretur.* Similiter judicio adulterorum lapidabatur ſecundùm legem, non ſolùm illa, quæ jam erat deſponſata, vel nupta, ſed etiam illa, quæ in domo patris cuſtodiebatur, ut virgo quandoque nuptura. Dicitur enim Deut. 22. cap. *Si non eſt in puella inventa virginitas, lapidibus obruent eam viri civitatis illius, & morietur: quoniam nefas fecit in Iſrael, ut fornicaretur in domo patris ſui.* Beata Virgo hodie venit in templum, ut ſe reddat immunem ab hac pœna, ne ſcilicet à Iudæis tanquam adultera lapidaretur; & ſic ſe purgat ab hac infamia adulterii, &c.

Quartò. A pertinacia hæreticæ depravationis. Deteſtandus eſt enim error Helvidii, qui dicere præſumpſit, Matrem Chriſti à Ioſeph poſt partum eſſe carnaliter cognitam, & alios filios genuiſſe. Hoc enim derogat dignitati, & ſanctitati Matris Dei, quæ ingratiſ-

ſima videretur, ſi tanto Filio contenta non eſſet, & ſi virginitatem, quæ in ea miraculosè conſervata fuerat, ſponte perdere vellet per carnis concubitum. Deteſtandus eſt etiam error Manichæi, qui dixit, Chriſtum non verum, ſed phantaſticum corpus habuiſſe. Hoc enim derogat dignitati perſonæ aſſumẽtis, quæ cùm ſit veritas, non decuit, ut in opere eius aliqua fictio eſſet. Reprobatur etiam error Valentini, qui dixit, Chriſtum attuliſſe corpus cælefte: quia ſic non ſalvaretur veritas humanæ naturæ in Chriſto. Refelluntur etiam hi errores per hoc, quòd beata Virgo fuit vera Mater Ieſu Chriſti, ut dicitur *Matt.* 1. Vnde *in capitulis Cyrilli approbatis in Epheſina ſynodo* dicitur: Si quis non confitetur Deum eſſe ſecundùm veritatem Emmanuel, & propter hoc Dei genitricem ſanctam Virginem (genuit enim carnaliter carnem factam ex Deo Verbum) anathema ſit. Et Rom. 9. dicitur, quòd ex *Iudæis eſt ſecundùm carnem Chriſtus, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula*. Non autem ex Iudæis, niſi mediante beata Virgine. Vnde ille, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula, eſt verè natus ex beata Virgine, ſicut ex ſua Matre. Ideo hodie ipſa præſentat Chriſtum in templo, tanquam eius vera, & naturalis Mater, purgans ſe ab his infamiis, & depravationibus Hæreticorum. Et ſic patet primum.

SECVNDO. *Chriſtus Ieſus venit in ſpiritu in templum ad oblationem.* Vnde *ſanctus Thomas tertia parte quæſtione* 37. *articulo tertio*, dicit: Chriſtus voluit ſub lege fieri, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, & ut juſtificatio legis in ſuis membris ſpiritualiter impleretur. Nam propter hoc ipſum voluit hoſtias legales pro ſe offerri, qui erat vera hoſtia, ut figura veritati conjungeretur, & per veritatem figura approbaretur, contra illos, qui Deum legis negant à Chriſto fuiſſe in Evangelio prædicatum. Non enim putandum eſt, ut *Origenes* dicit, quòd Filium ſuum bonus Deus ſub lege inimici fecerit, quam ipſe non dederat. *Hæc ſanctus Thomas*.

Sciendum, quòd Chriſtus hodie venit in templum propter quatuor. Primò. Propter legis impletionem. De prole enim nata duplex præceptum in lege traditur. Vnum quidem generale, quantùm ad omnes, ut ſcilicet completis diebus purificationis matris offeratur ſacrificium pro filio, ſive pro filia, ut habetur *Levi.* 12. *cap.* Et hoc quidem ſacrificium erat ad expiationem peccati, in quo proles erat concepta, & nata, & etiam ad conſecrationem quandam ipſius: quia tunc primò præſentabatur in templo; & ideo aliquid offerebatur in holocauſtum, & aliquid pro peccato. Aliud autem præceptum erat ſpeciale in lege de primogenitis tam in hominibus, quàm in jumentis. Sibi enim Deus deputaverat omne primogenitum filiorum Iſrael pro eo, quod ad liberationem populi Iſrael percuſſerat primogenita Ægypti ab homine uſque ad pecus, primogenitis filiorũ Iſrael reſervatis. Et hoc mandatum ponitur *Exo.* 13. *cap.* In quo etiam præfigurabatur Chriſtus, qui eſt *Primogenitus in multis fratribus*, ut dicitur Rom. 8. cap. Quia ergo Chriſtus ex muliere natus erat quaſi Primogenitus, & voluit fieri ſub lege, hæc duo Evangeliſta Lucas circa eum fuiſſe obſervata oſtendit. Primò quidem id, quod pertinet ad primogenitos, cùm dicit: *Tulerunt eum in Ieruſalem, ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini: quia omne maſculinum adaperiens vulvam, ſanctum Domino vocabitur*. Secundò illud, quod pertinet communiter ad omnes, cùm dicit: *Et ut darent hoſtiam ſecundùm quod dictum erat in lege Domini: par turturum, aut duos pullos columbarum*.

Secundò. Propter templi ſanctificationem. Sicut enim dicit *Gregorius Nyſſenus*: Iſtud legis præceptum (ſcilicet: *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Iſrael*, Exod. 13.) in ſolo Deo incarnato ſingulariter, & ab aliis differenter impleri videtur. Ipſe nanque ſolus ineffabiliter conceptus, ac incomprehenſibiliter editus, virginalem uterum aperuit, non connubio reſeratum, conſervans etiam poſt partum inviolabiliter ſignaculum caſtitatis. Vnde cùm dicit: *Aperiens vulvã*, deſignat, quòd nihil antea inde intraverat, vel exiverat. Per hoc etiã quia dicitur *maſculinus*, ſpecialiter nihil de fœmineitate culpæ portavit. Singulariter etiam *ſanctus* dicitur: quia terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus novitate non ſenſit. Ideo non indigebat ſanctificari in templo, ſed potius templum debebat ſanctificari per ipſum, qui erat, & eſt Sanctus Sanctorum. Vnde Aggæi 2. cap. dicitur: *Adhuc unum modicum eſt, & ego commovebo cælum, & terram, mare, & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam glorià. Magna erit glo-*

ria

ria domus iſtius noviſſima, plus quàm prima. Et Malachiæ 3. cap. dicitur: *Statim veniet ad templum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Teſtamenti, quem vos vultis. Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum: & ſedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Levi.*

Tertiò. Propter noſtram inſtructionem. Nam ſicut Filius Dei non propter ſeipſum factus eſt homo, & circunciſus in carne, ſed ut nos per gratiam faceret deos, & ut ſpiritualiter circuncidamur; ſic propter nos ſiſtitur Domino, ut diſcamus, Deo præſentare noſmetipſos. Et hoc poſt circunciſionem eius factum eſt, ut oſtendat, neminem niſi circunciſum vitiis dignum eſſe Divinis cõſpectibus. In veteri enim Teſtamento fiebat oblatio de ſex generibus animalium: de tribus volatilium, quæ ſunt paſſer, turtur, & columba; & de tribus greſſibilium, quæ ſunt bos, ovis, & capra, ad demonſtrandum peccati reatum. Deus enim creavit hominem innocentem, qui ſi in innocentia perſtitiſſet, non fuiſſet neceſſe, ipſum animalium ſanguine expiari, nec propriam ſenſualitatem, & carnem mactare, quod ſignificatur in animalium morte. Sed poſtquam cecidit, oportuit ipſum redimi per immolationẽ Agni immaculati, & per pretium Sanguinis Ieſu Chriſti. Vnde per ſacrificia illorum animalium non auferebatur peccatum, ſed ſignificabatur immolatio Ieſu Chriſti, & per illa inſtruebatur homo immolare ſuam ſenſualitatem, ſeu beſtialitatem ſui pravi deſiderii, & quoad peccata ſpiritualia, quæ deſignantur per aves, & quoad peccata carnalia, quæ per beſtias deſignantur.

Nam homo in ſtatu innocentiæ habuit ſex: ſcilicet ſagacitatem quoad intellectum, rectitudinem quoad judicium, bonitatem quoad voluntatem, ſtrenuitatem quoad affectum, ſobrietatem quoad victum, manſuetudinem quoad convictum cum aliis. Sed per peccatum omnia iſta perdidit. Cecidit enim à ſagacitate in hebetudinem, à rectitudine in obliquitatem, à bonitate in malitiam, à ſtrenuitate & fortitudine in ſegnitiem & timiditatem, à ſobrietate in ingluviem, à manſuetudine in crudelitatem.

Renovatur ergo homo ab hebetudine in ſagacitatem per ſolicitudinem vigilantiæ; ideo offerebatur paſſer, *Levit.* 14. Ideo Pſal. dicit: *Vigilavi, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.* Renovatur ad rectitudinem per ſimplicitatem; ideo offerebatur columba, *Levit.* 14. Ideo Matth. 10. cap. dicitur: *Eſtote ſimplices, ſicut columbæ.* Renovatur ad bonitatẽ per dilectionem ſynceram; ideo offerebatur turtur, quod eſt animal fidele in diligendo. Ideo dicitur Luc. 2. cap. *Obtulerunt par turturum.* Renovatur ad ſtrenuitatem per obedientiam; ideo offerebantur boves, vituli, & vaccæ, quæ ſunt animalia obedientia. Prover. 14. cap. *Vbi non ſunt boves, præſepe vacuum eſt.* Renovatur homo ad ſobrietatem per auſteritatem parſimoniæ; ideo offerebantur capræ, ſive hœdi, quæ ſunt animalia habentia pilum, & cibum aſperum. Ideo dicitur Cantic. 4. cap. *Capilli tui ſicut greges caprarum.* Renovatur homo ad manſuetudinem per tolerantiam; ideo offerebantur oves, & agni, quæ ſunt animalia manſuetiſſima. Ideo dicitur Matth. 10. cap. *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum.*

Quartò. Propter myſticam ſignificationem. Nam *Levit.* 12. cap. præcipitur, ut illi, qui poſſent, offerrent agnum ſimul & turturem, ſive columbam pro filio, aut filia: qui verò non ſufficerent ad offerendum agnum, offerrent duos turtures, aut duos pullos columbæ. Chriſtus ergo (qui, cùm dives eſſet, propter nos egenus factus eſt, ut illius inopiâ divites eſſemus, ut dicitur 2. *Cor.* 8. *cap.*) pro ſe pauperum hoſtiam offerre voluit, ſicut & in ipſa Nativitate pannis involvitur, & reclinatur in præſepio.

Nihilominus tamen hujuſmodi aves figuræ congruunt. Turtur enim, quia eſt avis loquax, prædicationem, & confeſſionem fidei ſignificat: quia verò eſt animal caſtũ, ſignificat caſtitatem: quia verò eſt animal ſolitarium, ſignificat contemplationem. Columba verò animal manſuetum, & ſimplex, ſignificat manſuetudinem, & ſimplicitatem. Eſt autem animal gregale, unde ſignificat vitam activam. Et ideo hujuſmodi hoſtia ſignificat perfectionem Chriſti, & membrorum eius. Vtrumque etiam propter conſuetudinem gemendi præſentes ſanctorum luctus deſignat. Sed turtur, quæ eſt ſolitaria, ſignificat orationum ſecretas lacrymas. Columba verò, quæ eſt gregalis, ſignificat publicas orationes Eccleſiæ. Vtrumque autem animal duplicatum offertur, ut ſanctitas ſit non ſolùm in anima, ſed etiam in corpore. Et ſic Chriſtus venit in ſpiritu in templum ad oblationem.

TERTIO. *Simeon venit hodie in ſpiri-*

tu

tu in templum ad glorificationem. Nam ſicut Anna obtulit puerum ſuum Heli ſummo Sacerdoti, & adduxit eum ad domum Domini in Silo, glorificans Deum in corde ſuo, ut dicitur 1. *Reg.* 1. *cap.* ſic Chriſtus hodie adducitur in templum Domini, & præſentatur ſancto Simeoni. Vnde dicitur Luc. 2. cap. *Et cùm inducerent Puerum Ieſum parentes eius, ut facerent ſecundùm conſuetudinem legis pro eo, Simeon accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum.* O quanta fuit in eo ſuavitas, & dulcedo contrectando eum, quem ſciebat eſſe Deum Conditorem ſeculorum, præmium beatorum! Sciebat enim, quòd beati eſſent oculi, qui Chriſtum Ieſum viderent, quem multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre, & non viderunt. Magis deſiderabat ad limbum deſcendere, & ibi ſanctis Patribus colloqui de regno Chriſti, quàm vivere cum Iudæis, quos prævidebat Chriſtum velle occidere. Vnde mortem petendo, non fugiebat Chriſti conſortium, ſed horrebat populi ſui malignum flagitiũ; & ideo in amplexus ruens, parvuli Ieſu præſentiâ ſatiatus, petiit in pace dimitti. Propterea Zach. 14. cap. dicitur: *Et veniet Dominus Deus meus, omneſque Sancti eius cum eo. In die illa non erit lux*, ſcilicet Iudæis incredulis, *ſed frigus*, ſcilicet invidiæ, *& gelu*, ſcilicet obdurationis. Sed *in tempore veſperi*, ſcilicet prædicationis Apoſtolorum, *erit lux*, ſcilicet Evangelicæ perfectionis. O quantum mirabatur in Chriſto Ieſu parvulo exinanitionem majeſtatis! Quoniam ille, qui eſt portans omnia verbo virtutis ſuæ, hodie in ulnis ſenis ſe recipi, & portari permittit, qui tamen portabat portantem ſe, ſecundùm illud: *Senex puerum portabat, puer autem ſenem regebat*. Tunc beatus Simeon benedixit eum, & dixit: *Nunc dimittis ſervum tuum, Domine*, &c. Vbi glorificat parvulum Ieſum, & laudat quadrupliciter. 1. Quòd ſit pax. Col. 1. cap. *Pacificans per Sanguinem Crucis eius, ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt*. 2. Quòd ſit ſalus. Matth. 1. *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum*. 3. Quòd ſit lumen. Ioan. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum.* 4. Quòd ſit gloria. Pſalm. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua*. Et ſic patet, quòd Simeon venit in ſpiritu in templum ad glorificationem.

QVARTO. *Anna venit in ſpiritu in templum ad prænunciationem*. Vnde Luc. 2. dicitur: *Et hæc ipſà horà ſuperveniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael*. Prænunciavit autem de beata Virgine quatuor.

Primò, quòd eſt Mater Sanctificatoris. Vnde Angelus dixit ei Luc. 1. *Quod naſcetur ex te ſanctum*. Quod exponens *Gregorius* 18. *moral. cap.* 34. dicit: Ad diſtinctionem noſtræ ſanctitatis Ieſus ſanctus naſciturus aſſeritur. Nos quippe, ſi ſancti efficimur, non tamen naſcimur: quia ipsà naturæ corruptibilis conſtringimur conditione. Ille autem ſolus veraciter ſanctus natus eſt, qui ex coniunctione carnalis copulæ conceptus non eſt.) Sicut autem per Dei verbum omnia facta ſunt; ita per Verbum incarnatum ſunt omnes ſanctificati, qui ſanctificantur. Heb. 2. *Qui ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex uno omnes.* Et 1. Cor. 6. *Et hoc quidem fuiſtis*, ſcilicet peccatores. *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis*.

Secundò, quòd eſt Mater Mediatoris. Dicitur enim 1. Timoth. 2. *Vnus eſt Mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus*. Mediatoris enim officium eſt, conjungere eos, inter quos eſt mediator: extrema enim uniuntur in medio. Vnire autem homines Deo, perfectè quidem convenit Chriſto, per quem homines reconciliantur Deo, ſecundùm illud 2. Corint. 5. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi*. Et ideo ſolus Chriſtus eſt perfectus Dei, & hominum Mediator, in quantum per ſuam mortem humanum genus Deo reconciliavit. Vnde, cùm Apoſtolus dixiſſet: *Mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus*; ſubjunxit: *Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*.

Tertiò, quòd eſt Mater Redemptoris, ſecundùm illud Pſalm. *Redemptionem miſit Dominus populo ſuo. Gloſſa:* ſcilicet Chriſtum, qui dat redemptionem captivis. Et Gal. 3. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*. Ad Redemptorem autem duo concurrunt, ſcilicet actus ſolutionis, & pretium ſolutum. Sed pretium redemptionis noſtræ eſt Sanguis Chriſti, vel vita eius corporalis, quæ in Sanguine eſt, quam ipſe Chriſtus exolvit.

Quartò, quòd eſt Mater Glorificatoris, ſecundùm illud Heb. 10. *Habentes fiduciam in introitu Sanctorum*, ſcilicet cæleſtium, *in Sanguine Chriſti*. Nam per Paſſionem Chriſti aperta eſt nobis janua regni cæleſtis; & ideo hoc eſt, quod Apoſtolus dicit Heb. 9. cap. *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum*,

per

Digitized by Google

per proprium Sanguinem introivit semel in sancta. Et hoc significatur Numeri 35. ubi dicitur, quòd *homicida manebit ibi*, scilicet in civitate refugii, *donec Sacerdos magnus, qui oleo sancto unctus est, moriatur.* Quo mortuo, poterit in domum suam redire.

QVINTO. *Populus sanctorum venit in spiritu in templum, ad Deo gratias agendum.* Unde dicit cum Psal. *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui: secundùm Nomen tuum Deus, ita & laus tua in fines terræ: justitiâ plena est dextera tua.* Nam in annunciatione audivit, & lætata est Sion: quoniam hic est Dominus Deus noster, qui in Virgine factus est homo. In Nativitate notum fecit Dominus salutare suum: quia viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri, præcipuè pastores. Venerunt Magi Ierosolymam, iverunt in Bethlehem, & viderunt, sed per aliam viam reversi sunt in regionē suam; & adhuc populus sanctorum non erat in plena possessione huius doni. Hodie autem à Virgine præsentatur omnibus in templo. Dicebant enim sancti Patres illud Iob 6. cap. *Quis det, ut veniat petitio mea, & quod expecto, tribuat mihi Deus?* Quid autem petebant? Audi Moysen Exo. 4. cap. *Obsecro, Domine: Mitte, quem missurus es.* Et Davidem in Ps. *Excita Domine, potentiam tuam, & veni, ut salvos facias nos.* Sed hodie gratias agunt de possessione huius doni, dicentes cum Isaia 25. cap. *Ecce Deus noster iste: expectavimus eum, & salvabit nos.* Et cum Davide: *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.* Gratias tibi in sempiterna secula. Amen.

SERMO XVII.

IN FESTO

S. BLASII EPISCOPI, ET MARTYRIS.

Cogitabit circunspectionem Dei. Eccli. 14. cap.

BEatus Paulus 1. Cor. 2. dicit: *Nos autem non spiritum huius mūdi accepimus, sed spiritum, qui à Deo est, ut sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.* Super quo talem moveo quæstionem.

Vtrum Beatus Blasius in hac vita per sui cogitationem scíverit, se adeptum gratiæ perfectionem?

AD istam quæstionem respondent duo Doctores.

Primus est Salomon Ecclesiastes 9. cap. dicens: *Sunt justi, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta.*

Secundus est *Sanctus Thomas prima secundæ quæst. 112. artic. 5.* dicens: Tripliciter aliquid cognosci potest. Primo modo certitudinaliter per seipsum; & sic nullus potest scire, se habere gratiam. Certitudo enim non potest haberi ab aliquo, nisi possit dijudicari per proprium principium: sic enim certitudo habetur de conclusionibus demonstrativis per universalia indemonstrativa principia. Nullus autem potest scire, se habere scientiam alicuius conclusionis, si principium ignoratur. Principium autem gratiæ, & objectum eius est ipse Deus, qui propter sui excellentiam est nobis ignotus, secundùm illud Iob 36. *Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram.* Et ideo eius præsentia in nobis, & absentia per certitudinem cognosci non potest, secundùm illud Iob 9. *Si venerit ad me, non videbo eum: si autem abierit, non intelligam.* Et ideo homo non potest per certitudinem dijudicare, utrum ipse habeat gratiam, secundùm illud 1. Cor. 4. *Sed neque me ipsum judico: qui autem judicat me, Dominus est.* Secundo modo cognoscitur aliquid per revelationem; & ideo hoc modo potest aliquis scire, se habere gratiam. Revelat enim Deus aliquando hoc aliquibus ex speciali privilegio, ut securitatis gaudium etiam in hac vita in eis incipiat

plat, & confidentiùs, & fortiùs magnifica opera proſequantur, & mala præſentis vitæ ſuſtineant; ſicut Paulo dictum eſt 2. Corinth. 12. *Sufficit tibi gratia mea*. Tertio modo cognoſcitur aliquid conjecturaliter per aliqua ſigna. Et hoc modo cognoſcere poteſt aliquis ſe habere gratiam, in quantum ſcilicet percipit ſe delectari in Deo, & contemnere res mundanas, & in quantum homo non eſt conſcius ſibi alicuius peccati mortalis; ſecundùm quem modum poteſt intelligi, quod habetur Apoc. 2. *Vincenti dabo manna abſconditum, quod nemo novit, niſi qui accipit*. Quia ſcilicet ille, qui accipit, per quandam experientiam dulcedinis novit, quam non experitur ille, qui non accipit. *Hæc Sanctus Thomas*.

Sciendum, quòd conjecturæ, quibus homo certificatur de ſanctitate, & gratia, ſunt plures. Prima eſt nativitatis annunciatio, ut nativitas Iſaac, *Gen.* 15, Nativitas Samſonis, *Iudi.* 13, Nativitas Salomonis, 2. *Reg.* 7. Nativitas ſancti Ioannis Baptiſtæ, *Luc.* 1. Nativitas ſanctorum Dominici, & Thomæ de Aquino.

Secunda eſt naſcentis ſanctificatio, ut Iere. 1. cap. *Priuſquam te formarem in utero novi te: & antequam exires de vulva ſanctificavi te*. Ioannis Baptiſtæ. Luc. 1. *Spiritu ſancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ*. Virginis Mariæ. *Bernardus*. Ego puto, quòd copioſior ſanctificationis benedictio in eam deſcenderit, &c.) Ieſu Chriſti. Luc. 1. cap. *Quod enim ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei*.

Tertia eſt nati virilis operatio, ut ſancti Nicolai, qui in infantia feriâ quartâ, & ſextâ jejunabat: ut ſancti Dominici, qui adhuc puerulus deprehenſus eſt, ſæpe relicto lecto ſuper terram accumbere: ut beati Petri Martyris, puerili ætate diſputantis de fide catholica: ut beati Thomæ de Aquino, non niſi redditâ ſibi chartâ ſalutationis Beatæ Virginis à fletu ceſſantis.

Quarta eſt ſacri baptiſmatis ſumptio. Ioann. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei*.

Quinta eſt verbi Divini conſervatio. Luc. 11. *Beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*.

Sexta eſt ſanctorum morum imitatio. Heb. 6. cap. *Efficiamini imitatores eorum, qui fide, & patientiâ hæreditabunt promiſſiones*.

Septima eſt ſanctorũ virorum converſatio. Pſalm. *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris*.

Octava eſt ſanctorum locorum viſitatio. Deut. 12. cap. *Venies ad locum, quem elegerit Dominus, & offeres oblationes tuas*.

Nona eſt cordis contritio. Dan. 3. cap. *In animo contrito, & ſpiritu humilitatis ſuſcipiamur à te, Domine*.

Decima eſt jugis confeſſio. Rom. 10. cap. *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*.

Vndecima eſt continuata ſatisfactio. Act. 24. cap. *Sciens bono animo ſatisfaciam genti huic*.

Duodecima eſt erga pauperes compaſſio. Iob 29. cap. *Oculus fui cæco, & pes claudo: pater eram pauperum*.

Tertiadecima eſt offenſarum remiſſio. Matth. 5. cap. *Vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum*.

Quartadecima eſt ſacræ religionis dedicatio. Levi. 16. cap. *Affligetis animas veſtras religione perpetua*.

Quintadecima eſt proximi charitativa correptio. Proverb. 28. cap. *Qui corripit hominem, inveniet gratiam*.

Sextadecima eſt Divini honoris fervens affectio. Rom. 15. cap. *Vnanimes uno ore honorificetis Deum*.

Decimaſeptima eſt tribulationum patientiſſima perpeſſio. Iob 5. cap. *In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum*.

Decimaoctava eſt ſuaviſſima cõtemplatio. Nahum 2. c. *Contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valde*.

Decimanona eſt devotiſſima orationis deprecatio. Tob. 12. cap. *Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleemoſyna*.

Vigeſima eſt efficaciſſima petitionũ exauditio. Iudith 4. cap. *Exaudiet Dominus preces veſtras*, &c. Iſta tamen cognitio imperfecta eſt. Vnde Apoſtolus dicit 1. Cor. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum*. Quia, ut dicitur in Pſalm. *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, Domine*.

Licèt enim homo ſit ſanctus, & habeat gratiã Dei, nõ tamen eſt ſecurus. 1. Quia à ſtatu charitatis eſt tranſmutabilis. Vnde Apoc. 2. dicitur: *Habeo adverſùm te pauca: quia charitatem tuam primam reliquiſti*. Nam ſi conſideretur charitas ex parte ſubjecti, quod eſt vertibile ſecundùm arbitrii libertatem, ſic

eſt

eſt in ſubjecto amiſſibiliter: cùm charitas viæ non repleat totam poſſibilitatem ſubjecti, eò quòd non ſemper actu feratur in Deum. Vnde quando actu non fertur in Deum, poteſt aliquid occurrere, per quod charitas amittatur.

2. Quia uno ſolo actu peccati mortalis charitas eſt extinguibilis. Nam unum contrarium per aliud contrarium ſuperveniens tollitur: quilibet autem actus peccati mortalis contrariatur charitati ſecundùm propriam rationem, quæ conſiſtit in hoc, quòd Deus diligatur ſuper omnia, & quòd homo totaliter ſe illi ſubjiciat, omnia ſua referendo in ipſum. Sed per quodlibet mortale peccatum Divinis præceptis contrariatur: quia ex hoc ipſo, quòd homo eligendo præfert peccatum Divinæ amicitiæ, quæ requirit, ut Dei voluntatem ſequamur, conſequens eſt, ut ſtatim per unum actum peccati mortalis habitus charitatis perdatur. Vnde *Auguſtinus* 8. *ſuper Gen. ad litteram cap.* 12. dicit, quòd homo Deo ſibi præſente illuminatur, abſente continuò tenebratur, à quo non locorum intervallo, ſed voluntatis averſione diſceditur.)

3. Quia ab habitu virtutis eſt variabilis. Gratuita enim dona recipiuntur in anima ſicut habituales diſpoſitiones: non enim homo ſecundùm ea ſemper agit. Nihil autem prohibet eum, qui habitum habet, agere ſecundùm habitum, vel contra eum. Sicut Grammaticus poteſt ſecundùm Grãmaticam rectè loqui, & incongruè; & ita eſt etiam de habitibus virtutum moralium. Poteſt enim, qui juſtitiæ habitum habet, etiam contra juſtitiã agere, quod ideo eſt: quia uſus habituum in nobis ex voluntate eſt; voluntas autem, cùm ad utrumque oppoſitorum ſe habeat, manifeſtum eſt, quòd ſuſcipiens gratuita dona peccare poteſt contra gratiam agendo.

4. Quia voluntas humana eſt mutabilis. Immutabilitas enim volũtatis non poteſt homini competere, niſi ſecundùm quod attingit ultimum finem. Ex hoc enim voluntas immutabilis redditur, quod totaliter impletur, ita quòd non habeat, quò divertat ab eo, in quo eſt firmata. Impletio autem voluntatis non competit homini, niſi ut ultimum finem attingenti. Quandiu enim reſtat aliquid ad deſiderandum, voluntas impleta non eſt. Sic ergo homini impeccabilitas non competit, antequam ad ultimum finem perveniat, quod quidem non datur homini, in hac vita exiſtenti.

5. Quia intellectus eſt offuſcabilis. Omne enim peccatum ex quadam ignorantia contingit. Vnde dicit *Philoſophus*, quòd omnis malus eſt ignorans. Et Proverb. 14. dicitur: *Errant, qui operantur malum*. Tunc ergo ſolùm homo ſecurus eſſe poteſt à peccato ſecundùm voluntatem, quando ſecundùm intellectum ſecurus eſt ab ignorantia, & errore. Manifeſtum eſt autem, quòd homo non redditur immunis ab omni ignorantia, & errore per gratiam in hac vita perceptam: hoc enim eſt hominis ſecundùm intellectum illã veritatem inſpicientis, quæ eſt certitudo omnium veritatum, quæ quidem inſpectio eſt ultimus hominis finis.

6. Quia homo per paſſiones eſt alterabilis. Nam ad alterationem hominis, quæ eſt ſecundùm malitiam, & virtutem, multum operatur alteratio, quæ eſt ſecundùm animæ paſſiones. Ex eo enim, quòd ratione paſſiones animæ refrænantur, & ordinantur, homo fit virtuoſus, vel in virtute conſervatur. Ex eo verò, quòd ratio ſequitur paſſiones, homo redditur vitioſus; quandiu ergo homo eſt alterabilis ſecundùm animæ paſſiones, eſt etiam alterabilis ſecundùm vitium, & virtutem. Sed hæc alteratio non tollitur per gratiam.

7. Quia per diſciplinam homo eſt flexibilis. Nam ſuperfluum videtur eos amovere, ne peccent, qui peccare non poſſunt: ſed per Evangelicam, & Apoſtolicam doctrinam amoventur fideles jam gratiam conſecuti. Dicitur enim Heb. 12. *Contemplantes, ne quis deſit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans impediat*. Et Eph. 4. *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis*. Et 1. Cor. 10. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat, ne cadat*. Ipſe etiam Apoſtolus de ſe dicit ibid. cap. 9. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo; ne forte, cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar*.

Quamvis autem beatus Blaſius eſſet certus aliquo modo per conjecturam, ſe habere gratiam Dei; non tamen judicavit ſe ſecurum de illa, donec Angelus Domini deſcendens in lacum, in cuius medio ſedebat, dixit ei: Egredere Blaſi, & coronam tibi à Deo paratam ſuſcipe. Et ſic certificatus per revelationem Divinam miniſterio Angeli, inde exivit. Propterea dicit verbum propoſitum: Cogitavit, ſcilicet beatus Blaſius, circunſpectionem, nempe gratiam Dei.

Cogitavit circunſpectionem Dei

Per vitæ integritatem.
Per dignitatis ſanctitatem.
Per indigentium ſanitatem.
Per tormentorum varietatem.
Per orationis firmitatem.

PRIMO. *Beatus Blaſius cogitavit circunſpectionem, id eſt, gratiam Dei per vitæ integritatem*. Sunt enim plures, qui habent conſcientiam vanam, quorum quatuor ſunt genera.

Primi generis ſunt præſumentes ratione ſtatus ſuam perfectionem. Licèt enim lex vetus fuerit imperfecta reſpectu legis novæ, tamen fuerunt aliqui in ſtatu veteris Teſtamenti habentes charitatem, & gratiam Spiritus ſancti, qui principaliter expectabant promiſſiones ſpirituales, & æternas, & ſecundùm hoc pertinebant ad legem novam. Similiter etiam in novo Teſtamento ſunt aliqui carnales, nondum pertingentes ad perfectionem novæ legis, quos oportuit etiam in nova lege induci ad virtutis opera per timorem pœnarum, & per aliqua promiſſa temporalia, ſecundùm illud Mat. 10. *Accipiet centies tantum in tempore hoc: domos, fratres*, &c. Eſt etiam duplex ſacrificium: quorum primum, & principale eſt ſacrificium interius, ad quod omnes tenentur, ſcilicet Deo devotam mentem offerre. Pſalm. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*, &c. Aliud eſt ſacrificium exterius. Pſalm. *Tunc imponent ſuper altare tuum vitulos*. Nemo ergo vanè præſumat ſe ſalvandum: quia ad novum Teſtamentum pertinet.

Secundi generis ſunt odiẽtes veritatis cognitionẽ ratione cõſcientiæ abjicientis correptionem. Contingit enim verum aliquod particulare repugnare, vel contrariari bono amato tripliciter. Vno modo ſecundùm quod veritas eſt cauſaliter, & originaliter in ipſis rebus, & ſic homo quandoque odit aliquam veritatem, dum vellet non eſſe verum, quod eſt verum. Alio modo ſecundùm quod veritas eſt in cognitione ipſius hominis, quæ impedit ipſum à proſecutione amati, ſicut ſi aliqui vellent non cognoſcere veritatem fidei ut liberè peccarent; ex quorum perſona dicitur Iob 21. *Scientiam viarum tuarum nolumus*. Tertio modo habetur odio veritas particularis, tanquàm repugnans, prout eſt in intellectu alterius: puta, cùm quis vult latere in peccato, odit, quòd aliquis veritatem circa ſuum peccatum cognoſcat, & ſecundùm hoc dicit *Auguſtinus lib. 10. confeſ. cap. 23.* quòd homines amant veritatem lucentem, & odiunt eam redarguentem. Ideo dicit Apoſtolus Galat. 4. *Factus ſum vobis inimicus, veritatem dicens vobis*.

Tertii generis ſunt extollentes propriã ſufficientiam propter dignitatis exaltationem. Vnde *Ioann. Chryſoſtomus, ut habetur 40. diſt. cap. Multi*, dicit: Ideoque malus Sacerdos de ſacerdotio ſuo crimen acquirit, non dignitatem. In judicio enim ſedens, ſi quidem benè vixeris, & benè docueris, omnium judex es. Si benè docueris, & malè vixeris, tui ſolius condemnator es. Nam benè vivendo, & benè docendo populum inſtruis, quomodò vivere debeat. Benè autem docendo, & malè vivendo, Deum inſtruis, quomodò te condemnare debeat.)

Quarti generis ſunt jactantes propriam ſanctitatem propter loci dignitatem. Vnde congruè dicit *Gregorius, ut habetur 40. diſt. cap. Nos, qui* præſumus, non ex locorum, vel generis dignitate, ſed morum nobilitate innoteſcere debemus; nec urbium claritate, ſed fidei puritate.) Ideo dicitur *ibid. cap. Illud, & cap. Quælibet* occulta loca ſine gratia animam ſalvare non poſſunt, quod aliquãdo in ipſis quoq; conſpicimus erratibus electorum. Nam Lot in ipſa perverſa civitate juſtus fuit, in monte peccavit. Sed iſta cur dicimus, cùm majora noverimus? Quid enim paradiſo jucundius? Quid cælo ſecurius? Et tamen ex paradiſo homo, & angelus de cælo peccando cecidit.)

Quæ omnia diligenter attendens beatus Blaſius, licèt eſſet Epiſcopus, tamen ob Diocletiani perſecutionem ſpeluncam petiit, & vitam eremiticam duxit, ubi cogitavit magno ſtudio circunſpectionem, id eſt, gratiam Dei.

SECVNDO. *Beatus Blaſius cogitavit circunſpectionem Dei per dignitatis ſanctitatem*. Nam in qualibet obligatione præcipuè attendi debet obligationis finis. Obligant ſe autem Epiſcopi, ad exequendum paſtorale officium propter ſubditorum ſalutem. Et ideo, ubi ſubditorum ſalus exigit perſonæ Paſtoris præſentiam, non debet Paſtor perſonaliter ſuum gregem deſerere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam

Digitized by Google

etiam propter aliquod periculum perſonale imminens: cùm bonus Paſtor animam ſuã ponere teneatur pro ovibus ſuis. Si verò ſubditorum ſaluti poſſit ſufficienter in abſentia Paſtoris per alium provideri, tunc licet Paſtori, vel propter aliquod Eccleſiæ commodum, vel propter perſonæ periculum corporaliter gregem deſerere. Vnde *Auguſtinus in epiſtola ad Honoratum*. Fugiant de civitate in civitatem ſervi Chriſti, quando eorum quiſque ſpecialiter à perſecutoribus quæritur, ut ab aliis, qui non ita requiruntur, non deſeratur Eccleſia. Cùm autem omnium eſt commune periculum, hi, qui aliis indigent, non deſerantur ab his, quibus indigent.) Si enim pernicioſum eſt nautæ in tranquillitate navim deſerere, quantò magis in fluctibus? ut dicit *Nicolaus Papa, & habetur 7. q. 1. cap. Scifcitaris*.

Beatus autem Blaſius propter ſuam manſuetudinem, & ſanctitatem electus fuit in Epiſcopum Sebaſtæ civitatis à populo Cappadociæ majoris Armeniæ, quâ quidem epiſcopatum laudabiliter gubernavit, ſed ob Diocletiani perſecutionem in ſpeluncam fugiens ibi eremiticam vitam duxit: quia non poterat perſonaliter ſubditorum ſaluti intendere; animum tamen ſemper retinuit, intendendi eorum ſaluti, ſi opportunitas affuiſſet, & neceſſitas requiſiviſſet; & ſic cogitavit in hoc circunſpectionem Dei.

TERTIO. *Beatus Blaſius cogitavit circunſpectionem Dei per indigentium ſanitatem.* Sciendum, quòd homines mundi impediuntur à vera fidei credulitate quadrupliciter.

Primò. Ex ſuperbia. Nam infidelitas, ſecundùm quod eſt peccatum, oritur ex ſuperbia, ex qua contingit, quòd homo intellectum ſuum non vult ſubjicere regulis fidei, & ſano intellectui Patrum. Vnde ait *Gregorius lib. 31. moral. c. 31.* quòd ex inani gloria oriuntur novitatum præſumptiones.

Secundò. Ex pertinacia per hoc, quòd quis intendit quidem Chriſto aſſentire, & deficit in eligendis iis, quibus Chriſto aſſentiat: quia eligit ea, quæ non ſunt à Chriſto verè tradita, ſed ea, quæ ſibi propria mens ſuggerit; & ideo hæreſis eſt infidelitatis ſpecies, pertinens ad eos, qui Chriſti fidem profitentur, ſed eius dogmata corrumpunt. Dicit enim *Auguſtinus lib. de utilitate credendi cap. 1.* quòd Hæreticus eſt, qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatuſque ſui gratiâ, falſas, ac novas opiniones vel gignit, vel ſequitur.

Tertiò. Ex apoſtaſia. Vnde Proverb. 6. dicitur: *Homo apoſtata, vir inutilis, graditur ore perverſo: annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia ſeminat.* Quia enim fides eſt primum fundamentum ſperandarum rerum, & ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, ſublatâ fide nihil remanet in homine, quòd poſſit eſse utile ad ſalutem æternam; & propter hoc dicitur homo apoſtata vir inutilis. Fides etiam eſt vita animæ, ſecundùm illud Rom. 1. *Juſtus ex fide vivit*. Sicut ergo ſublatâ vitâ corporali omnia mẽbra, & partes hominis à debita diſpoſitione recedunt; ita ſublatâ vitâ juſtitiæ, quæ eſt per fidem, apparet inordinatio in omnibus membris: primò quidem in ore, per quod manifeſtatur cor, deinde in oculis, in inſtrumentis motus, atque in voluntate, quæ ad malum tendit. Et ex his ſequitur, quòd jurgia ſeminet, alios intendens ſeparare à fide, ſicut & ipſe receſſit.

Quartò. Ex calumnia. Nam quidam non ſolùm volunt credere, niſi videant ſigna; ſed videndo calumniantur, ut Judæi, videntes ſigna à Ieſu Chriſto facta, calumniabantur, dicentes Luc. 11. *In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Et Ioann. 9. *Non eſt hic homo à Deo, qui ſabbatum non cuſtodit*. Et Ægyptii cum Pharaone magis ac magis corda indurantes. Et tempore beati Dominici viſo miraculo de libello in igne illæſo. Ac tempore beati Petri Martyris viſo miraculo nubeculæ populum ab æſtu protegentis.

Sic Beatus Blaſius, ut veritatem fidei comprobaret, miris, ac ſtupendis miraculis illam confirmabat.

1. In aliquibus irrationabilibus. Nam aves ei pabulũ afferebant, ſicut Eliæ corvus. 3. *Reg.* 17. c. Feræ ad eum unanimiter confluebant; & uſquedum imponeret eis manus benedicens, non recedebant ab eo. Denique ſi quæ infirmabantur, ad eum continuò veniebant, & ſanitatem ad integrum reportabant. Item porcum mulieris pauperculæ, quem lupus violenter rapuerat, juſſu beati Blaſii continuò lupus veniens viduæ reddidit.

2. In aliquibus rationabilibus. Nam mulier unicum habens filium penè morientem, oſſe piſcis in eius gutture tranſverſo, ad beatum Blaſium attulit, rogans cum lacrymis, ut illum ſanaret. Sanctus verò Dei oravit, ut ille, & omnes, qui eius nomine aliquid

à Deo peterent, ſanitatis beneficium obtinerent, ſtatimque impoſitâ ſuper eum manu ſanatus eſt. Et ſic cogitavit circunſpectionem, id eſt, gratiam Dei ſibi donatam.

QVARTO. *Beatus Blaſius cogitavit circunſpectionem Dei per tormentorum varietatem.* Nam Eccleſia Dei ſemper fuit in tribulationibus, & perſecutionibus, quemadmodum 3. *quæſt.* 1. dicitur *cap. Nulli dubium eſt*, quia boni ſemper à malis perſequuntur, & tribulantur. Propter quod humiliemur ſub potenti manu Dei, ut liberet nos in tempore tribulationis. Nam diabolus non ceſſat circuire, quærens quē devoret, quos ex fidelibus perdat, & maximè illos, quos ardentiores in ſervitio Salvatoris, eique familiares invenerit. Dico familiares eos, quos ſibi ſacrati, & in ordine Apoſtolatus conſtitui voluit: Ipſi enim pro populo interpellant, & populi peccata comedunt: quia ſuis precibus, & oblationibus ea delent, atque conſumunt.) Hæc autem perſecutio patet multipliciter: videlicet in diabolo contra Adam, in Cain contra Abel, in Cham contra Noe, in Iſmael contra Iſaac, in Eſau contra Iacob, in Ægypto contra Iſrael, in Core contra Moyſen, in Saul contra David, in fratribus Ioſeph contra eum, in Herode contra Ioannem Baptiſtam, in Iudæis contra Chriſtum, in tyrannis contra Martyres.

Præcipuè verò hodie contra ſanctum Blaſium, qui ab iniquis gentibus multa genera tormentorum ſuſtinuit. Nam primò fuit carceri traditus, deinde fuſtibus cæſus, in ligno ſuſpenſus, pectinibus ferreis laniatus, inſuper in ſtagnum miſsus; ſed ad ſignum Crucis aqua arida, & fixa permanſit, in qua tamen 65. Pagani ſubmerſi ſunt. Demum decollatus cū duobus pueris, migravit ad Dominum. Prius verò eius occaſione ſeptem mulieres colligentes eius ſanguinē, cùm pectinibus ferreis laniebatur, laniatæ ſunt quoq; pectinibus ferreis, quæ lac pro ſanguine dederunt; tandē ab Angelo de cælo confortatæ per decollationem ad cælos migraverunt. Et ſic cogitavit circunſpectionem Dei.

QVINTO. *Beatus Blaſius cogitavit circunſpectionem Dei per orationis firmitatem.* Deus enim vult inferiora per ſuperiora juvari; & ideo oportet non ſolùm ſuperiores, ſed etiam inferiores Sanctos implorare, alioquin eſſet ſolius Dei miſericordia imploranda. Cōtingit etiam quandoque, quòd imploratio inferiorū Sanctorū efficacior ſit: vel quia devotiùs implorantur, vel quia Deus vult eorum ſanctitatem declarare, vel quia impetrant id, quod Deus vult fieri per orationes eorum; & hoc petunt, quod æſtimant eorum orationibus implendum ſecundùm Dei voluntatem; vel quia viventes meruerunt pro nobis orantes, ut eos invocantes obtineremus quod petimus.

Et ſic beatus Blaſius, antequam migraret ad Dominum, oravit, ut quicunque pro infirmitate gutturis, vel alia quacunque infirmitate eius patrocinia poſtularet, exaudiri continuò mereretur. Et ecce vox de cælis ad eum venit, quòd ſic fieret, ut oravit. Sic ergo cogitavit circunſpectionem Dei per gratiam. Amen.

SER-

SERMO XVIII.

IN FESTO

S. AGATHAE VIRGINIS, ET MARTYRIS.

Emit agrum illum, Matth. 13. cap.

BEatus Gregorius *lib. 9. moral. c. 9.* contemplans pulchritudinem cæleſtem ait: Pulchrum eſt hoc omne, quod quaſi in cæli facie de Divina diſpenſatione cernitur; ſed longè illud, & incomparabiliter pulchrius, ad quod inviſibiliter pervenitur. Ibi lumen intimæ contemplationis ſine interveniente cernitur umbra mutabilitatis. Ibi calor ſummi luminis ſine ulla obſcuritate torporis. Ibi inviſibiles Angelorum Chori quaſi aſtra in abditis emicant, quæ eò nunc ab hominibus videri nequeunt, quò flammâ veri luminis altiùs perfundũtur. Illuc Sanctorum animæ,& nunc corporibus exutæ, & poſtea corporibus reſtitutæ perveniunt, & quaſi in abditis aſtra occultantur.) Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtrum Beata Agatha emerit regnum æternæ felicitatis merito fructuoſo internæ charitatis?

AD hanc quæſtionem reſpondent tres Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt *Sanctus Auguſtinus lib. de Verbis Dom. ſermone 64.* dicens: Venale eſt regnum Dei. Eme, ſi vis. Nec multum exæſtues de re magna propter pretii magnitudinem. Tantum valet, quantum habes. Noli quærere quid habeas, ſed qualis ſis. Res iſta tantum valet, quantum es tu. Te da, & habebis illam. Sed malus ſum, inquies, & fortè me non accipit. Dando te illi, bonus eris. Vt huic fidei, promiſſionique te des, hoc eſt bonum eſſe.)

Secundus eſt *Sanctus Hieronymus in cap. 5. Epiſt. ad Galat.* (*& habetur in Can. 1. quæſt. 1.*) dicens: *Vide* quantum bonum eſt charitatis. Si ita fecerimus martyrium, ut noſtras velimus ab hominibus reliquias honorari:& ſi opinionem vulgi ſectantes intrepidi ſanguinem fuderimus, & ſubſtantiam noſtram uſque ad mendicitatem propriam dederimus: huic operi non tam præmium, quã pœna debetur, & perfidiæ magis tormenta ſunt,quàm corona victoriæ. Regnum cælorum non eſt dantis, ſed accipientis. Non eſt enim perſonarum acceptio apud Deum: ſed quicunque ſe talem præbuerit, ut regno cælorum dignus ſit, hoc accipiet, quod non perſonæ, ſed vitæ paratum eſt.)

Tertius eſt *Sanctus Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 23. art. 7.* dicens: Virtus ordinatur ad bonũ,bonum autem principaliter eſt finis.Nã ea, quæ ſunt ad finem, non dicuntur bona, niſi in ordine ad finem. Principale autem bonum hominis eſt Dei fruitio, ſecundùm illud Pſalm. *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt.* Et ad hoc ordinatur homo per charitatem; & ſic nulla vera virtus poteſt eſſe ſine charitate. Vnde Apoſtolus 1. Cor. 13. dicit: *Si diſtribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, & ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Hæc S. Thomas.*

Sciendum, quòd, ſicut una viſione videmus lumen, & coloratum; ſic una charitate diligimus Deum, & proximum in Deo. Vnde multa ſunt ſigna amoris, quo diligimus proximum ex charitate.

1. Quando quis patitur malum pœnæ, ne proximus committat malum culpæ, ut Ioſeph *Gen. 39. cap.* Et Suſanna *Daniel. 13.*

2. Quando quis affligitur corporaliter, & mẽtaliter,ne proximus puniatur æternaliter, ut Iere. 7.cap. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, &c. & cap. 14. & 15.*

3. Quando quis ſuſtinet temporalem tribulationem, ut proximo impetret temporis dilationem, ut Noe *Gen. 6.*

4. Quando quis cum peccatore converſatur, ut ille convertatur, ut Chriſtus, & Paulus. Nam convivere peccatoribus, infirmis quidem eſt vitandum propter periculum, quod eis imminet, ne ab eis ſubvertantur;

per-

perfectis autem, de quorum corruptione non timetur, laudabile eſt, quòd cum peccatoribus converſentur, ſcilicet ut eos convertant. Sic enim Dominus cum peccatoribus manducabat, & bibebat, ut habetur Matth. 9. cap.

5. Quando quis committit veniale materialiter, ut impediat mortale formaliter: figura de *Iudith* 13. *c.* Contingit enim aliquid propter aliquam circunſtantiam, non eſſe peccatum veniale, quod illâ circunſtantiâ ſublatâ peccatum veniale eſſet. Debet enim homo impedire damnationẽ proximi, quantũ poteſt, ſine detrimento propriæ ſalutis, quando ex cauſa rationabili illud facere poteſt.

6. Quando quis differt, vel occultat opus perfectionis, ne proximus in peccatum ruat: ſicut ſcandalum paſſivum in bonis ſpiritualibus, quæ non ſunt de neceſſitate ſalutis, aliquando procedit ex infirmitate, vel ignorantia; & huiuſmodi eſt ſcandalum puſillorum, & huiuſmodi opera ſpiritualia ſunt occultanda, vel etiam interdum differenda, ubi periculum non imminet, quouſque reddita ratione huiuſmodi ſcandalũ ceſſet, ſicut conſilia Chriſti, & miſericordiæ opera.

7. Quando quis occulta dona manifeſtat, ut proximum à peccato avertat, ut Stephanus *Act.* 7. *cap.* & Paulus 2. *Cor.* 12. *cap.*

8. Quando quis orat pro illo, qui prædeſtinatur, ut prædeſtinatio impleatur; ſicut Iſaac rogavit Dominũ pro Rebecca uxore ſua, & dedit conceptum Rebeccæ, *Gen.* 25. Ex illo autem conceptu natus eſt Iacob prædeſtinatus. Et 2. Pe. 1. dicitur: *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.*

9. Quando quis negligit ſpiritualem conſolationem propter proximi ædificationem, ut Ieremias, & Iſaias, ut habetur 8. *qu.* 1. *cap. In ſcripturis.* Vt Moyſes *Exo.* 24. *cap.*

10. Quando quis retardat Deitatis fruitivam ſatietatem propter proximi neceſſitatẽ, ut Apoſtolus Rom. 9. *Optabam anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Volebat enim ad tempus privari fruitione Divina ad hoc, quod honor Dei procuraretur in proximis.

11. Quando qui eligit abeſſe corporaliter, ut poſſit proximo magis prodeſſe ſpiritualiter, ut Chriſtus aſcendens in cælum, *Ioan.* 14. Et Beatus Dominicus moriens pro amplificatione ſui Ordinis.

12. Quando quis peccatum proximi occultat, ne converſionem impediat. Vnde *Auguſtinus lib. de Verbis Domini* exponens illud: *Corripe eum inter te, & ipſum ſolum*, dicit: Studens correctioni parce pudori: fortè enim præ verecundia incipit defendere peccatum ſuum, & quem vis facere meliorẽ, facis peiorem.) Vnde & Dominus peccatum Iudæ non publicavit, ſed obſcuris verbis eum admonuit.

13. Quando quis peccatum impii manifeſtat, ne ille plures à Deo avertat. Nam ſalus multitudinis eſt præferenda paci quorumcũque ſingularium hominum; & ideo quando aliqui ſua perverſitate multitudinis ſalutem impediunt, non eſt timenda eorum offenſio à Prædicatore, vel Doctore ad hoc, quòd multitudinis ſaluti provideatur. Ideo dicitur Matth. 15. quòd Diſcipulis Domino dicentibus: *Scis, quia Iudæi audito hoc verbo ſcandalizati ſunt*, reſpondit: *Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum. Cæcus autem*, &c.

14. Quando quis permittit malum amici temporale propter bonum ſpirituale; ſicut Chriſtus permiſit mortem Lazari amici ſui propter fidem Apoſtolorum confirmandam.

15. Quando ſuſtinet quis in ſe legem iniquam, ut vitet in populo ſeditionem nequam. Nam temporalia, quorum nos ſumus domini in tribuendo, ſi penes nos ea habeamus, vel non repetendo, ſi apud alios ſunt, propter ſcandalum quidem vitandum quandoque debemus dimittere: ſicut Eccleſia abſtinet à decimis exigendis in terris, in quibus non eſt conſuetum decimas ſolvere. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 87. *artic.* 1. *ad* 5.

16. Quando quis à cibo corporali abſtinet, ne proximum ſcandalizet, ſecundùm illud Rom. 14. *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt.* Et 1. Cor. 8. *Non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.*

17. Quando quis amittit jus proprium, ne proximus committat falſum juramentum. Si enim quis ſciat aliquem falsò juraturum, & cogit eum jurare, homicida eſt: ille enim ſuo perjurio ſe interimit, ſed iſte manum interficienti impreſſit.

18. Quando quis petit de libro vitæ deleri, ut poſſit proximo promereri, ſicut Moyſes, ut habetur *Exo.* 32.

19. Quando quis renuit humanam proſperitatem propter proximi neceſſitatem. Nam ſubinde homo tenetur exponere corpus proprium pro ſalute proximi, ſecundùm illud Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.*

20.

20. Quando quis ſuſtinet mortem corporalem propter proximi vitam ſpiritualem, ſicut Chriſtus, & ſancti Martyres, & præcipuè beata Agatha, quæ ſerventi charitate martyrii emit agrum illum.

Emit agrum illum

Per virginitatem. Per acerbitatem.
Per charitatem. Per pietatem.
Per ſtabilitatem. Per poteſtatem.
Per ſimplicitatem.

PRIMO. *Beata Agatha emit agrum illum æternæ felicitatis per virginitatem.* Licèt enim beata Agatha nõ habuerit virginitatem innatam, habuit tamen per gratiam acquiſitam. *Ambroſius.* Maior eſt victoria virginũ, quàm Angelorum: Angeli enim ſine carne vivunt, homines autem in carne triumphant.) Magnum ergo eſt, quòd fœmina in merito ſanctitatis æquiparetur viris. Canticorum 1. cap. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilavi te, amica mea.* Maius eſt, quod præponatur viris. Matth. 21. *Amen dico vobis, quòd meretrices præcedent vos in regnum Dei.* Maximum eſt, quòd æquiparetur Angelis. Canticorum 7. *Statura tua aſſimilata eſt palmæ.* Id eſt, celſitudini Angelicæ. Beata autem Agatha in merito ſanctitatis, & multis Sanctis æqualis extitit, & multos excelluit, & per virginitatem Angelis ſe ſociavit. Eius nempe virginitas commendabilis fuit quoad quatuor.

Primò. Quia conſervavit eam cum pulchritudine. Fuit enim valde pulchra, & ſpecioſa, cùm tamen ipſa pulchritudo multis mulieribus conſueverit eſſe cauſa ruinæ. Proverb. 11. *Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra, & fatua.*

Secundò. Eam ſervavit cum juventute, cùm tamen juvenilis ætas laſciva ſit. Eccleſ. 11. *Adoleſcentia, & voluptas vana ſunt.*

Tertiò. Servavit eam blanditiis ſolicitata, cùm tamen blanditiæ, & promiſſiones ſæpe inclinent animos puellarum.

Quartò. Servavit eam minis, & ſuppliciis exagitata. Vnde *Gregorius homil. 11. in Evang.* Quid nos barbati, & debiles in judicio dicemus, qui ire puellas ad regna cæleſtia per ferrum videmus? quos ita ſuperat, ſuperbia inflat, ambitio perturbat, luxuria inquinat.) Ex hac autem virginitate meruit quadruplicem dignitatem.

Primò. Meruit eſſe ſponſa Chriſti. 2. Cor. 11. *Deſpondi enim vos uni viro*, &c. In cuius figuram dicitur Levit. 21. de ſummo Sacerdote: *Virginem ducet uxorem.* Quia Chriſtus, qui eſt ſummus Sacerdos, non niſi virgines ſibi deſponſat. 3. Reg. 1. *Quæramus domino noſtro Regi adoleſcentulam virginem.*

Secundò. Meruit eſſe ſoror Angelorum. *Hieronymus.* Virginitas ſoror eſt Angelorum.) Vnde Angeli vocant eam ſororem, dicentes illud Canticorum 8. *Soror noſtra parva, & ubera non habet.*

Tertiò. Meruit eſſe comes viarum Chriſti. Apoc. 14. *Virgines enim ſunt, & ſequuntur Agnum, quocunque ierit.* Et Sap. 6. *Incorruptio facit proximum Deo.*

Quartò. Meruit protegi ſpecialiter à Chriſto. Pſalm. *Cuſtodit Dominus animas Sanctorum ſuorum*, nempe virginum. Canticor. 4. *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa.* Id eſt, cuſtoditus, & munitus.

SECVNDO. *Beata Agatha emit agrum illum per charitatem.* Quoniam ardentiſſimè Chriſtum dilexit; & in hoc aſſimilatur Angelis. Pſalm. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem urentem.* Cuius charitas apparuit quadruplici ſigno.

Primò. Quia propter eius amorem omnia terrena contemſit. Vnde ipſa dixit: Gratias tibi ago, Domine: quia abſtuliſti à me amorem ſeculi. Canticorum 8. *Si dederit homo omnem ſubſtãtiam domus ſuæ, pro dilectione*, &c.

Secundò. Quia Chriſtum ſemper in corde, & in ore habuit. Vnde ipſa dixit: Quandiu vixero, ipſum corde ſemper, & labiis invocabo. Matthæi 12. *Ex abundantia cordis os loquitur.*

Tertiò. Quia omnia mundi oblectamenta deſpexit. Vnde ipſa dixit: Domine Ieſu Chriſte, qui me creaſti, qui me ab infantia cuſtodiſti, qui corpus meum à pollutione ſervaſti. Proverb. ultimo. *Non extinguetur in nocte lucerna eius.*

Quartò. Quia pro Chriſto varia tormenta ſuſtinuit. Vnde ipſa dixit: Si feras mihi promittis, audito Chriſti nomine manſueſcunt. Si ignem adhibeas, de cælo mihi rorem ſalvificum Angeli miniſtrabunt. Si plagas ingeras, habeo Spiritum ſanctum, per quem deſpicio univerſa. Pſal. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

TERTIO. *Beata Agatha emit agrum il-*

illum per ſtabilitatem: quia fuit ſuper Chriſtũ fundata, & ſolidata. Vnde ipſa dixit: Mens mea ſupra petram fundata eſt, & in Chriſto ſolidata. Nam tyrannus voluit eam ſubvertere quadrupliciter.

1. Promiſſis alliciendo. Cùm enim eſſet nobiliſſimis orta natalibus in civitate Catania, ſpretâ ſeculi vanitate, Chriſti ancilla effecta, fideliſſimè, & devotiſſimè Deo ſerviebat; quæ cùm eſſet decora, & pulchra, noluit Sponſum præter Ieſum Chriſtum, dicens, hanc eſſe ingenuitatem ſummam in qua ſervitus Chriſti comprobatur. Vnde cùm de corruptela carnis à quadam matrona meretrice, Aphrodiſia nomine, graviter fuiſſet tentata, inventa eſt tanta caſtitatis amatrix, ut teſtimoniũ daretur ei, quòd faciliùs poſſet ferrum in plumbum converti, & ſaxa emolliri, quàm ab intentione chriſtianitatis, & caſtitatis mens eius revocari. Vnde ipſa dixit: Verba veſtra venti ſunt: promiſſiones veſtræ pluviæ. Eph. 3. cap. *In charitate radicati, & fundati.*

2. Minis deterrendo. Sed ipſa ait: Terrores veſtri flumina ſunt, quæ quantumcunque impingant, fundamenta tamen domus evertere non valebunt. Matth. 7. cap. *Deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit.* Fundata enim erat ſupra firmam petram.

3. Iaculis animum perforando. Sed ipſa fuit loricâ fidei induta. Eph. 6. *Induti loricâ iuſtitiæ.*

4. Tormentis affligendo. Sed ipſa fuit tota ſaxea, & adamantina effecta. Ezech. 3. *Vt adamantem, & ſilicem dedi faciem tuam.*

QVARTO. *Beata Agatha emit agrum illum per ſimplicitatem.* Nam magna ſimplicitate, & puritate ſuſtinuit pœnas, & ludibria, & hoc demonſtravit quadrupliciter.

Primò. Quia ſuſtinuit patienter propter Dilecti fidem, & amorem. Vnde dicitur: Agatha lætiſſimè. Et iſte eſt gradus neceſſitatis. Ideo ipſa dixit: Non poteſt anima mea in paradiſum introire, niſi diligenter corpus meũ feceris à carnificibus attrectari. Ecce patientia.

Secundò. Quia ſuſtinuit libenter. Vnde dicitur: Agatha lætiſſimè. Et iſte eſt gradus perfectionis. Ideo ipſa dixit: Ego enim his pœnis ſic delector, ſicut qui bonum nuncium audit. Ecce conſtantia.

Tertiò. Quia ſuſtinuit glorianter. Vnde dicitur: Glorianter ibat ad carcerem. Et iſte eſt gradus virtuoſitatis. Ideo ipſa dixit: Aut qui videt, quem diu deſideravit. Ecce devotio.

Quartò. Quia ſuſtinuit delectabiliter. Vnde dicitur: Et quaſi ad epulas invitata, agonem ſuum Domino precibus commendabat. Et iſte eſt gradus cæleſtis facultatis, ſcilicet quoad gratiam confirmantem. Ideo ipſa dixit: Aut qui multos theſauros invenit. Ecce delectatio. His quatuor gradibus apparuit eius ſimplicitas.

QVINTO. *Beata Agatha emit agrum illum per acerbitatem.* Nam paſſa fuit multa pro dilecto ſuo Sponſo, ſicut ille pro ea multa paſſus fuerat. Tyrannus enim pugnavit contra eam quadruplici acie.

Primò. Sicut Chriſtus tempore Paſſionis fuit in faciem alapis cæſus, conſputus, & velatus; ſic & ipſa fuit alapis acerrimè cæſa. Sed iſtud certamen vicit diligenti conſideratione. Ex quo enim illa facies fuit percuſſa, quæ eſt gloria Angelorum; ſic ipſa voluit faciem ſuam percuti, citò turpandam corroſione vermium immundorum.

Secundò. Sicut Chriſtus tempore Paſſionis fuit extenſus in Cruce, tanquam in patibulo; ſic & ipſa voluit extendi in equuleo ignominioſo. Sed iſtud certamen vicit conſideratione æternæ remunerationis, ſecundùm illud 2. Timot. 2. *Non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit*, &c.

Tertiò. Sicut Chriſtus fuit juxta cor in latere vulneratus; ſic & ipſa in pectore fuit ſauciata, dum ei mamilla fuit evulſa. Sed iſtud certamen vicit conſideratione Divinæ conſolationis dicens: Ego mamillas habeo integras intus in anima mea, quas ab infantia Domino conſecravi. Chriſtus enim per beatum Petrum Apoſtolum ei mamillam reſtituit. Iob 5. *Ipſe vulnerat, & medetur.*

Quartò. Sicut Chriſtus fuit clavis perforatus, & in fornace Crucis exuſtus; ſic & ipſa inter teſtas, & carbones fuit involuta. Sed iſtud certamen vicit conſideratione Divinæ protectionis. Nam terra tremuit, aer coruſcavit, aqua tyrannum abſorbuit, ignis erupit. Sap. 16. *Vindex eſt orbis iuſtorum contra inſenſatos.*

SEXTO. *Beata Agatha emit agrum illum per pietatem.* Ipſa enim fuit nobis data in advocatam quatuor modis.

In ſanationem. Sicut ipſa dixit Beatæ Luciæ: Lucia, quid à me petis. quod ipſa præſta-

re continuò poteris matri tuæ? &c.

2. In defensionem. Nam ipsa defendit patriam suam ab incendio ignis, à cultura dæmonis, à periculis universis.

3. In orationem. Nam ipsa pro nobis intercedit ardenti voto, juxta illud 2. Machab. 1. cap. *Et nunc hic sumus pro vobis orantes.*

4. In impetrationem. Ipsa enim grandi merito apud Deum pro nobis impetrat, quod devotè petimus. *Augustinus.* Immensa Dei bonitas pia Sanctorum merita nostra vult esse suffragia.) Propterea Angelus Domini portavit tabulam marmoream,& collocavit eam ad caput eius, in qua erat scriptum: Mentem sanctam, scilicet habuit quoad puritatem. Spontaneam, scilicet obtulit per sacrificii acerbitatem. Honorem Deo, nempe reddidit per fidei stabilitatem. Et patriæ liberationem, quam contulit per meritorum suorum fructuositatem.

SEPTIMO. *Beata Agatha emit agrum illum per potestatem.* Nam ipsa habuit potestatem grandem per miraculorum operationem quadrupliciter.

1. Super corpora: quia ea sanavit. Vnde ab inficiente infirmitate uberum innumerabiles mulieres curavit.

2. Super animas: quia eas convertit, &c.

3. Super Sanctos: nam Deus ad ipsam misit de cælo Angelos, & beatum Petrum Apostolum, &c.

4. Super creaturas corporales: nam Paganorum multitudo currens ad sepulcrum eius, tulerunt velum, quo opertum erat sepulcrum ipsius, & contra ignem posuerunt; qui mox extinctus fuit. Aerem,dum esset in carcere, splendore maximo coruscare fecit. Et sic de aliis per gratiam. Amen.

SERMO XIX.

IN FESTO

CATHEDRAE S. PETRI APOSTOLI.

Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Matth. 16. cap.

CYprianus Papa, *ut habetur* 24. q. 1. dicit: *Loquitur* Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Super unum ædificat Ecclesiam: & quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: sicut misit me Pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum sanctum; tamen ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit.) Super quo talem moveo quæstionem.

Vtrum Beatus Petrus plus ceteris Apostolis fuerit à Christo dilectus, qui maiori charitate fuit Ecclesiæ præfectus?

AD istam quæstionem respondent quatuor Doctores.

Primus est *Leo Papa, ut habetur dist.* 19. dicens: *Ita Dominus* noster Iesus Christus humani generis Salvator instituit, ut veritas, quæ antea legis, & Prophetarum præconio continebatur, per Apostolicam tubam in salutem universitatis exiret, sicut scriptum est: In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed huius muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret: ut ab ipso quasi quodam capite dona sua, velut in corpus omne diffunderet: ut exortem se ministerii intelligeret esse Divini, qui ausus fuerit à Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium individuæ unitatis assumptum id, quod ipse erat, voluit nominari dicendo: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; ut æterni templi ædificatio mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret, hâc Ecclesiam suam firmitate corroborans, ut illam nec humana

temeritas poſſet appetere, nec portæ inferi contra illam prævalerent.)

Secundus eſt *Anacletus Papa*, *ut habetur diſ.* 21. dicens: *In novo* Teſtamento poſt Chriſtum Dominum à Petro ſacerdotalis cœpit ordo; quia ipſi primò Pontificatus in Eccleſia Chriſti datus eſt, dicente Domino ad eum: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam; & tibi dabo claves regni cælorum. Hic ergo ligandi, ſolvendique poteſtatem primus accepit à Domino, primuſque ad fidem populum virtute ſuæ prædicationis adduxit. Ceteri verò Apoſtoli cum eodem pari conſortio honorem, & poteſtatem acceperunt, ipſumque Principem eorum eſſe voluerunt.)

Tertius eſt *Nicolaus Papa*, *ut habetur diſ.* 22. *cap. Omnes*, dicens: Illam verò Eccleſiam ſolus ipſe fundavit, & ſuper petram fidei mox naſcentis erexit, qui beato æternæ vitæ clavigero terreni ſimul & cæleſtis imperii jura commiſit. Et *cap. Sacroſancta*, dicitur ſic: Inter beatos Apoſtolos quædam fuit diſcretio poteſtatis. Nam licèt omnes eſſent Apoſtoli, Petro tamen conceſſum eſt à Domino (& ipſi inter ſe voluerunt idipſum) ut reliquis omnibus præeſſet Apoſtolis, & Cephas, id eſt, caput, & principium teneret Apoſtolatus.)

Quartus eſt *ſanctus Thomas parte prima*, *quæſt.* 20. *artic.* 4. dicens: Deus magis diligit meliora: quia Deum magis amare aliquid, nihil eſt aliud, quàm ei maius bonum velle. Voluntas enim Dei eſt cauſa bonitatis in rebus; & ſic ex hoc ſunt aliqua meliora, quòd Deus eis maius bonum vult. Vnde ſequitur, quòd meliora plus amet. Petrus autem fuit melior ceteris Apoſtolis: quia plus Chriſtum diligebat. Vnde Dominus ſciens hoc verum eſſe, interrogavit Petrum, dicens: Simon Ioannis, diligis me plus his? *Hæc Sanctus Thomas.*

Sciendum, quòd Chriſtus plus dilexit Petrum, quàm Ioannem quoad quatuor. Primò. Quia vita activa, quæ ſignificatur per Petrum, plus diligit Deum, quàm vita contemplativa, quæ ſignificatur per Ioannem: quia magis ſentit vitæ præſentis anguſtias, & æſtuantius ab eis liberari deſiderat, & ad Deum ire. Contemplativam verò vitam Deus plus diligit: quia eam magis conſervat. Non enim ſimul finitur cum vita corporis, ſicut vita activa.

Secundò. Quia Petrus plus dilexit Chriſtum in membris, & ſic etiam fuit à Chriſto plus dilectus; unde ei Eccleſiam commendavit. Ioannes verò plus dilexit Chriſtum in ſeipſo, & ſic etiam ab eo fuit plus dilectus; unde Matrem ei commendavit.

Tertiò. Quia Petrus plus dilexit Chriſtum quantùm ad quandam promptitudinem, vel fervorem. Ioannes verò plus fuit dilectus quantùm ad quædam familiaritatis indicia, quæ Chriſtus ei magis demonſtrabat propter eius juventutem, & puritatem.

Quartò. Quia Chriſtus plus dilexit Petrum quantùm ad excellentius donum charitatis. Ioannem verò plus quantùm ad donum intellectus. Vnde Petrus ſimpliciter fuit melior, & magis dilectus, Ioannes verò ſecundùm quid. In cuius ſignum dicit verbum propoſitum:

Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam

Per exaltationem. Per humiliationem. Per interpretationē. Per diſtinctionem. Per confirmationē. Per celebrationem. Per correctionem.

PRIMO. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam per exaltationem.* Pſalmiſta regius dicit: *Exaltent eum in Eccleſia plebis*, Et ſecundùm hoc aſſertum Sanctiſſima Trinitas exaltavit beatum Petrum quoad quatuor ſuper omnes Angelos.

Primò. In dominici Corporis conſecratione. Angelorum enim officium eſt Sacerdoti conſecranti aſſiſtere, & hoſtiam conſecratam Deo offerre. Petri autem, & Sacerdotum eſt panem in Corpus Chriſti convertere; quod nulli Angelo eſt donatum. Vnde non Angelis, ſed ſolis Sacerdotibus dictum eſt Luc. 22. cap. *Hoc facite in meam commemorationem.*

Secundò. In peccatorum remiſſione. Angelorū enim officium eſt, peccatorem ſuis inſpirationibus à peccato avertere, & ſuis orationibus eidem miſericordiam Dei implorare. Petri autem, & Sacerdotum eſt ſibi peccata remittere. Vnde non Angelis, ſed ſolis Sacerdotibus dictum eſt Ioann. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Et quia hoc officium ſolius Dei eſt (Iſa. 43. *Ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me*)

ideo

ideò dii vocantur. Pſal. *Ego dixi, dii eſtis*,&c.

Tertiò. In clavium collatione. Angelorum enim officium eſt animas ad cælum deducere. Petri autem,& Sacerdotum eſt ipſis animabus januam cæli aperire. Vnde non Angelis, ſed Petro dictum eſt Matth.16. *Tibi dabo claves regni cælorum: quodcunque ligaveris ſuper terram*,&c.

Quartò. In cauſarum diſcuſſione. Angelorum enim officium eſt, judicandos ad judicium colligere, collectos ab invicem ſeparare, ſeparatos malos in ignem projicere. Matthæi 13. *Sic erit in conſummatione ſeculi. Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis*. Petri autem, & Sacerdotum eſt ipſos judicare. Vnde non Angelis, ſed Petro dictum eſt Lucæ 22. *Sedebitis & vos, judicantes duodecim tribus Iſrael*, &c.

SECVNDO. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam per interpretationem*. Nam ad auctoritatem Petri pertinet determinare ea, quæ ſunt fidei, ut ab omnibus inconcuſsâ fide teneantur, ad quem majores, & difficiliores quæſtiones Eccleſiæ referuntur, ut dicitur *in decretis diſ.* 43. Vnde & Dominus Lucæ 22. dixit Petro, quem ſummum Pontificem conſtituit: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos*. Cuius ratio eſt: quia una debet eſſe fides totius Eccleſiæ, ſecundùm illud 1. Cor. 1. *Idipſum dicatis omnes: & non ſint in vobis ſchiſmata*. Quod ſervari non poſſet, niſi quæſtio de fide exorta determinaretur per eum, qui toti Eccleſiæ præeſt, ut ſic eius ſententia à tota Eccleſia firmiter teneatur.

Sciendum,quòd beatus Petrus tres ſapientiſſimos Doctores habuit, ſcilicet Patrem revelantem. Matth. 16. *Beatus es Simon Bar-Iona: quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus,qui in cælis eſt*. Filium inſtruentẽ. Ioann. 15. *Omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis*. Spiritum ſanctum infundentem. Ioann. 14. *Paracletus autem Spiritus ſanctus,quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*. Ideo ad ſedem magiſtralem Petri ſpectant quatuor.

Primò. Conciliorum convocatio,ut habetur *in decret. diſt.* 17. *per totum*.

Secundò. Scripturarum expoſitio. Marc. 16. *Prædicate Evangelium omni creaturæ*. Et 24. *quæſt.* 1. *cap. Non turbatur*, dicitur: Denique etſi aliis imperetur, ut laxent retia ſua, ſoli tamen ſancto Petro dicitur: Duc in altum. Hoc eſt in profundum diſputationum.) &c.

Tertiò.Scripturarum interpretatio. 2.Pet. 1. *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit*.

Quartò. Scripturarum modificatio. Vnde illud, quod dicitur Matthæi 19. *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*; ſic per ſedem Petri modificatur: conjunxit per conſenſum mentis, & copulam carnis.

TERTIO. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam per confirmationem*. Nam bonus Paſtor debet pro ovibus ſuis animam ſuã ponere,ſicut Chriſtus poſuit, *Ioann.*10. Vnde circa ſubditas oves debet ſervare quindecim.

1. Non debet mortem corporalem fugere,ſi poſſit prodeſſe. Vnde *Gregorius* dicit, *ut habetur* 7. *quæſt.* 1. *cap. Adverſitas*, §. *Hoc*. Cùm non Prælatorum tantùm, ſed totius Eccleſiæ ſalus quæritur,fides impugnatur,neceſſe eſt, ut ex adverſo aſcendant, & in die belli ſeipſos opponant murum pro domo Domini, & animas ſuas ponant pro ovibus ſuis: ut exemplo ſuæ paſſionis accendant, quos ſermone doctrinæ diutiùs confirmare nõ valent.)

2. Debet mortem pro ovibus tolerare. Vnde 7. *q.* 1. *cap. Sciſcitaris*,dicitur: Nos,qui tanquam arietes gregibns ducatum præbemus, imo qui & horum Paſtores ſumus, Deo Auctore cum eis in periculis pro viribus perſiſtere pro certo convenit.) Exemplum de Chriſto, qui Eccleſiam acquiſivit proprio Sanguine.

3. Propriam quietem debet poſtponere, ut patet 7. *quæſt.*1. *cap. Suggeſtum*. Et 8. *q.* 1. *cap. In ſcripturis*,dicit *Gregorius*: Paſtori ſanctæ Eccleſiæ dicitur: Simon Ioannis amas me? Paſce oves meas. Ex quibus verbis colligitur,quia,ſi is,qui valet, omnipotentis Dei renuit oves paſcere, oſtendit ſe Paſtorem ſummum minimè amare.

4. Cum miſericordia ſubditos corripere. Vnde *diſ.* 45. *cap. Diſciplina*, dicit *Gregorius*: Diſciplina, vel miſericordia multum deſtituitur, ſi una ſine altera teneatur. Sed circa ſubditos ſuos ineſſe debet Rectoribus, & juſtè conſolans miſericordia, & piè ſæviens diſciplina.) Exponit ibi tria exempla. Primum eſt de Samaritano, qui adhibuit vulneribus ſauciato vinum, & oleum, in vino notans diſcretionem juſtitiæ, in oleo verò compaſſionem miſericordiæ. Secundum exemplũ eſt de Moyſe, orante pro populo, qui ado-

Digitized by Google

ravit idolum, *Exo.* 32. *cap.* Tertium exemplum eſt de Iob, dicente: *Cumque ſederem quaſi Rex circunſtante exercitu, eram tamen mœrentium conſolator*, cap. 29.

5. Debet pro populo orationem fundere. Vnde *Alexander Papa*, *ut habetur* 1. *q.* 1. dicit: *Ipſi* Sacerdotes pro populo interpellant, & peccata populi comedunt, quia ſuis precibus, & oblationibus ea delent, atque conſumunt: qui quantò digniores fuerint, tantò faciliùs in neceſſitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur.)

6. Debet ad ſubditos viſitandos accedere. Vnde 1. Reg. 7. c. dicitur: *Iudicabat quoq; Samuel Iſraelē cunctis diebus vitæ ſuæ: & ibat per ſingulos annos circuiens Bethel, & Galgala, & Maſphat, & iudicabat Iſraelem in ſupradictis locis, revertebaturque in Ramatha: ibi enim erat domus eius*.

7. Debet peccata populi in ſe convertere. Vnde *Bonifacius Martyr*, *ut habetur* 11. *q.* 3. *cap. Anteceſſor*, dicit: Spiritualiter implevi ſacramentum, quia in conſenſum, & in conſilium ſacerdotum hypocritarum, & ſeductorum populorum in Germanicis partibus non venit anima mea, corporaliter autem ab eis omnino abſtinere non potui. Exemplū de David 2. Reg. 24. *Dixit David ad Dominum, cùm vidiſſet Angelum cædentem populum: Ego ſum, qui peccavi, ego iniquè egi: iſti, qui oves ſunt, quid fecerunt? Vertatur, obſecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei*.

8. Debet diſcordes in unum reducere. Vnde *diſ.* 90. dicitur: *Diſcordantes* clericos Epiſcopus vel ratione, vel poteſtate ad concordiam trahat.) Et *cap. Oblationes*, & *cap. Neque ad Cain*, & *cap. Studendum*, idem dicitur.

9. Debet ad ſubditos paternalem dilectionem habere. Vnde Iſa. 22. cap. dicitur: *In die illa vocabo ſervum meum Eliacim filium Helciæ, & induam eum tunicâ tuâ, & cingulo tuo confortabo eum, & poteſtatem tuam dabo in manu eius, & erit quaſi pater habitantibus Ieruſalem, & domui Iuda*.

10. Subditorum redemptionem debet ſolicitare, ut fecit Moyſes contra Pharaonem pro populo Dei, *Exo.* 6. 7. 8. 9.

11. Debet corda ſubditorum ad fletum provocare. Vnde 2. Eſdræ 8. cap. dicitur: *Flebat omnis populus, cùm audiret verba legis*, &c.

12. In ſui abſentia debet populo de gubernatore providere, ſicut fecit Moyſes, *Exo.* 24. & Chriſtus *Ioan.* 19. *capite*.

13. Debet populum ad Dei ſubjectionem inducere, ſicut fecit *Ioſue* 23. *cap.*

14. Debet populum à malis defendere, ſicut fecit Iudas, 1. *Machabæorum* 3. Et Ionathas, 1. *Machab.* 12. *capite*.

15. Debet populum in pace ſervare, ſicut fecit Onias, 2. *Machab.* 2. *cap.*

Beatus Petrus his modis per firmitatem conſtantiæ ſuum populum conſervavit: quia ſicut dicitur Proyer. 18. c. *Qui mollis, & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis*. Beatus Petrus non fuit mollis, ſed durus: quia non ceſſit, ſed fortiter ſuſtinuit omnem perſecutionem illatam. Act. 5. cap. *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilii*. Patet ex incarceratione eius per Theophilum Principem Antiochiæ. Non fuit diſſolutus, ſed colligatus cum Chriſto per charitatem firmatam. Ioan. ultimo cap. *Domine, tu ſcis, quia amo te*. Non fuit fractus, ſed ſolidus per perſeverantiam. Eccli. 50. *Quaſi vas auri ſolidum*, &c.

QVARTO. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam per correctionem*. Duplex enim eſt correctio. Vna, quæ eſt actus charitatis, quæ ſpecialiter tendit ad emendationem fratris delinquentis, ſcilicet per ſimpliceem admonitionem; & talis correctio pertinet ad quemlibet charitatem habentem, ſive ſit ſubditus, ſive Prælatus. Vnde 23. *quæſt.* 3. dicitur: *Tam Sacerdotes*, quàm reliqui fideles omnes, ſummam debent habere curam de his, qui pereunt, quatenus eorum redargutione, aut corrigantur à peccatis, aut ſi incorrigibiles appareant, ab Eccleſia ſeparentur.) Sed de illa non loquimur.

Alia eſt correctio, quæ eſt actus juſtitiæ, per quam intenditur bonum commune, quod non ſolùm procuratur per admonitionem fratris, ſed interdum etiam per punitionem, ut alii à peccato deſiſtant per timorem; & talis correctio pertinet ad ſolos Prælatos, qui non ſolùm habent admonere, ſed etiam punire corrigendo. Dicit enim *Hieronymus*: Sacerdotes ſtudeant illud Evangelium implere: *Si peccaverit in te frater tuus*, &c.

Beatus Petrus hanc correctionem exercuit. Primò. In hoc, quòd ſeverè malos reprehendit. Actor. 8. *Pecunia tua tecum ſit in perditionem*.

Secundò. In hoc, quòd ſeverè punivit, ſicut patet *Actor.* 5. in punitione Ananiæ, & Saphiræ.

Ter-

Tertiò. In hoc, quòd severè excommunicavit, ut patet in abscissione auriculæ servi summi Pontificis, *Lucæ* 22.

Quartò. In hoc, quòd potestatem ligandi, atque solvendi accepit à Domino: nam aperit cælum peccatori, Matth. 16. *Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis*. Infernum claudit, Ibidem: *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*. Spiritum sanctum dat. Actor. 8. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*. Peccata dimittit. Ioann. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Sanctorum merita communicat. 2. Cor. 2. *Cui autem aliquid donastis, & ego*, &c.

QVINTO. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam per humiliationem*. Vnde *Augustinus lib.* 14. *de civitate Dei cap.* 13. dicit: Audio dicere, superbis utile esse, ruere in aliquod apertum, manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant. Salubriùs enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, quàm sibi placuit, quando præsumpsit.) Et *Gregorius, ut habetur dis.* 50. dicit sic: *Considerandum* nobis est, cur omnipotens Deus eum, quem cunctæ Ecclesiæ suæ præferre dispositerat, ancillæ vocem perrimescere, & seipsum negare permisit. Quod nimirum magnæ actum pietatis dispensatione cognoscimus, ut is, qui futurus erat Pastor Ecclesiæ, in sua culpa disceret, qualiter aliis misereri debuisset. Prius itaque eum ostendit sibi, & tunc præposuit ceteris, ut ex sua infirmitate cognosceret, quàm misericorditer aliena infirma toleraret.) Et beatus *Ambros. ut eadem dis. habetur*, dicit sic: *Fidelior* factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse deflevit; atque ideo majorem gratiam reperit, quàm amisit. Tanquam enim bonus Pastor tuendum gregem accepit, ut qui sibi ante infirmus fuerat, fieret firmamentum omnibus; & qui ipse interrogationis tentatione nutaverat, ceteros fidei stabilitate fundaret. Denique pro soliditate devotionis Ecclesiarum petra dicitur, sicut ait Dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiã meam. Petra enim dicitur, eò quòd primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius corporis christianitatis compagem, molemque contineat.) Ex quo patet, quòd beatus Petrus per sui humiliationem in Pastorem totius Ecclesiæ à Christo institui meruit. Cuius humilitas apparuit in quatuor.

Primò. In hoc, quòd indignum se Christi præsentiâ reputavit. Lucæ 5. *Exi à me Domine: quia homo peccator sum*.

Secundò. In hoc, quòd se à Christo lavari recusavit. Ioann. 13. cap. *Non lavabis mihi pedes in æternum*.

Tertiò. In hoc, quòd minoribus humiliter obedivit. Act. 8. *Cùm audissent Apostoli, qui erant Ierosolymis, quòd recepisset Samaria verbum Dei; miserant ad eos Petrum, & Ioannem*.

Quartò. In hoc, quòd crucifigi ut Dominus renuit. Vnde ait: Quia non sum dignus in cruce esse, ut Dominus meus: crucem meam vertite, &c.

SEXTO. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam per distinctionem*. Cùm enim apud Antiochiam beatus Petrus fuisset captus, infideles ob Christi injuriam sibi sumitatem capitis abraserunt. Ceteri autem clerici videntes suum Pastorem sic in capite deformatum, idem sibi fieri fecerunt. Et sic Petrus postmodum voluit servari in gloriam, quod sibi fuerat illatum ad Christi injuriam. Vnde sæpiùs Deus de malis bona elicit. Hoc autem fecit quadruplici ratione.

Primò. Ratione distinctionis, scilicet ut per hoc signum laici à clericis discernantur. Olim Deus distinxit populum Iudæorum à populo Gentilium per circuncisionis signaculum. Sed convenientius est nostrum signaculum, quàm illorum. Illud enim fiebat in parte corporis verecunda; nostrum fit in parte corporis reverenda. Illud in membro generativo, quia dediti erant generationi filiorum; nostrum in membro ad cælum elevato; quia debemus esse intenti contemplationi cælestium. Illud cum dolore, & cum effusione sanguinis, nostrum cum exultatione, & lætitia cordis.

Secundò. Ratione significationis. Fit enim in superiore parte totalis rasio capillorum: quia inter Deum, & ipsos clericos nihil debet esse medium.

Tertiò. Ratione subtractionis. Nam eis, qui ad Divina ministeria applicantur, competit rasura, & tonsura in modum coronæ ratione figuræ: quia corona est signum regni, & perfectionis, cùm sit figuræ circularis. Illi autem, qui Divinis ministeriis applicantur, adipiscuntur regiam dignitatem, & perfecti in virtute esse debent. Competit etiam eis ratione subtractionis capillorum, & ex parte su-

ſuperiori per raſuram, ne mens eorum temporalibus occupationibus à contemplatione Divinorum retardetur; & ex parte inferiori per tonſuram, ne eorum ſenſus temporalibus obvolvantur.

Quartò. Ratione glorificationis. Nam de corona ſacerdotalis dignitatis perventuri ſunt ad coronam æternæ felicitatis.

SEPTIMO. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam per celebrationem.* In anima enim Sacerdotis eſt impreſſum quoddam ſignaculum, quod vocatur character, quod eſt omninò indelebile; habetque quatuor proprietates.

Primò. Animam Sacerdotis decorat plus, quàm lux ſolis ipſum ſolem: quoniam ſpirituales perfectiones ſunt illuſtriores corporalibus. Vnde ſi quis videret animam Sacerdotis hoc ſigno illuſtratam, omnia corporalia viderentur ei obſcura. Per hoc ſignaculum Sacerdos docet legem Dei. Malach. 2. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius; quia Angelus Domini exercituum eſt.*

Secundò. Animã Sacerdotis Deo aſſimilat. Licèt enim anima ſit ad imaginem Dei facta per naturam, tamen magis per iſtum characterem Deo aſſimilatur: quoniam beatus *Dionyſ.* appellat iſtum ordinem Deiformem. Per hoc ſignaculum Sacerdos habet orare apud Deum, primò pro ſe, deinde pro populo, ut habetur in *Leviticо*, & *in epiſtola ad Hebræos*.

Tertiò. Animam Sacerdotis ad conficiendum confortat. Si enim iſte character ab anima Sacerdotis deleretur, jam non poſſet conficere Corpus Chriſti, nec baptizare, nec alia Sacramenta miniſtrare. Per hoc ſignaculum Sacerdos offert ſacrificium in altari in memoriam dominicæ Paſſionis.

Quartò. Animam Sacerdotis ſignat. Nam benedicit populis, & purgat ſibi ſubditos à peccatis per impoſitionem manus, præcipuè in confeſſione.

In confirmationem horum beatus Petrus hodie celebravit primam Miſsam in Pontificalibus Antiochiæ, ut hìc habeamus gratiam, tandem gloriam. Amen.

SERMO XX.

IN FESTO

SANCTI MATTHIAE APOSTOLI.

Cecidit ſors ſuper Matthiam. Act. 1. cap.

THeophilus ſuper illud Luc. 17. *Non eſt inventus*, &c. dicit ſic: Nihil impedit, quemquam placere Deo, etiamſi de genere prophano præceſſerit, dummodo bonum gerat propoſitum. Nullus etiam natus de Sanctis ſuperbiat.) Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtrum beatus Matthias certà prædeſtinatione aſſumptus fuerit ad gradum Apoſtolatus, de quo Iudas ſui obſtinatione fuit prævaricatus?

AD iſtam quæſtionem reſpondent duo Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt *B. Auguſtin. lib. de corrept. & gratia cap.* 13. dicens: Prædeſtinatorum ita certus eſt numerus, qui nec augeri poteſt, nec minui. Tene ergo quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Si enim alius non eſt accepturus, niſi iſte perdiderit, certus eſt numerus.)

Secundus eſt *ſanctus Thomas parte prima quæſt.* 23. *artic.* 6. *ad primum dicendum*, dicens: Corona dicitur eſſe alicuius dupliciter. Vno modo ex prędeſtinatione Divina, & ſic nullus perdit ſuam coronam. Alio modo ex merito gratiæ. Quod enim meremur, quodammodo noſtrum eſt, & ſic aliquis ſuam coronam poteſt amittere per peccatum mortale ſequens. Alius autem illam coronam amiſsam accipit, in quãtum in locum eius ſubrogatur. Non enim permittit Deus aliquos cadere, quin

Digitized by Google

quin alios erigat, ſecundùm illud Iob 34. *Conteret multos, & innumerabiles, & ſtare faciet alios pro eis.* Sic enim in locum Angelorum cadentium ſubſtituti ſunt homines, & in locum Iudæorum ſubſtituti ſunt Gentiles. Subſtitutus autem in ſtatu gratiæ etiam quantùm ad hoc coronam cadentis accipit, quod de bonis, quæ alius fecit, in vita æterna gaudebit, in qua unuſquiſque gaudebit de bonis tam à ſe, quàm ab aliis factis. *Hæc Sanctus Thomas.*

Sciendum, quòd poſſunt deſignari, qui ceciderunt, in multiplici gradu. Primus fuit Lucifer, de quo dicitur Iſa. 14. cap. *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris?* Et Luc. 10. *Videbam ſatanam quaſi fulgur de cælo cadentem.* In cuius locum ſucceſſit natura humana. Vnde *Auguſtinus in Enchi. ut habetur 2. ſententiarum diſ. 9.* dicit: Superna Ieruſalem mater noſtra civitas Dei nullâ civium ſuorum numeroſitate fraudabitur, aut etiam uberiore fortaſsè copia regnabit. Neque enim numerum aut ſanctorum hominũ, aut immundorum ſpirituum novimus; in quorum locum ſuccedentes filii catholicæ Matris, in ea pace, de qua illi ejecti ſunt, ſine fine permanebunt.)

Secundus fuit primus parens damnatorum hominum, ſcilicet Cain, qui ſuis corruptionibus diluvio perierunt; in quorum locum ſucceſſit Seth cum electis ab eo deſcendentibus.

Tertius fuit Chanaan cum 31. Regibus ab eo deſcendentibus, qui omnes gladio occubuerunt; in quorum locum ſucceſſerunt Ioſue, & Duces, & Reges, electi à Deo in populo Hebræorum, *Ioſue 12. & 13.* Et 23. *quæſt. 5. §. Hinc notandum.*

Quartus fuit populus Chaldæorum adorantium creaturas, *Gen. 15.* In quorum locum ſucceſſit Abraham, & Iſaac, *Gen. ibid.*

Quintus fuit Eſau, & populus Edom, in quorum locum ſucceſſit Iacob, & duodecim Patriarchæ.

Sextus fuit Core, Dathan, & Abiron, & eorum complices, *Num. 16.* In quorum locum ſucceſſit Aaron, Eleazar, & ceteri Sacerdotes electi à Deo.

Septimus fuit Heli cum filiis ſuis Ophni, & Phinees, 1. *Reg. 4.* In quorum locum ſucceſſerunt Prophetæ Dei.

Octavus fuit Saul inobediens, in cuius locum ſucceſſit David, 2. *Reg. 2.*

Nonus fuit populus Hebræorum, *Iſa. 5. cap.* In quorum locum ſucceſſit populus Gentilis, ut Cornelius centurio, Latro in cruce, Chananæa, Samaritana, &c. Pſalm. *Populus, quem non cognovi, ſervivit mihi,* &c.

Decimus fuit Phariſæus cum ceteris ſcribis, *Luc. 7. & 18. cap.* In quorum locum ſucceſſerunt Apoſtoli, & publicani.

Vndecimus fuit Caiphas, & magiſtratus Iudæorum tempore Paſſionis Chriſti, *Ioan. 11.* In quorum locum ſucceſſerunt Doctores, & Martyres in novo Teſtamento.

Duodecimus fuit populus commeſſantium, & luxuriantium in templo Dei, 2. *Machab. 6. cap.* In quorum locum ſucceſſerunt ſanctæ Virgines ſequentes Chriſtum.

Decimus tertius fuit Iudas, de quo dicit Pſalm. *Fiant dies eius pauci.* In cuius locum ſucceſſit hodie ſanctus Matthias, de quo ſequitur: *Et Epiſcopatum eius,* ſcilicet Iudæ, *accipiat alter.* Ideo dicit verbum propoſitum? Cecidit ſors, ſcilicet gradus Apoſtolici, ſuper Matthiam,

Super Matthiam cecidit ſors

Sanctitatis. Familiaritatis. Acerbitatis.
Maturitatis. Poteſtatis.

PRIMO, *Super Matthiam cecidit ſors Sanctitatis*, Vnde de ipſo poteſt dici illud 1. Reg. 10. cap. *Certè videtis, quem elegerit Dominus, quòd non ſit ſimilis ei in omni populo.* In tam beata congregatione Diſcipulorum Chriſti nemo potuiſſet habitare, niſi valde ſanctus. Vnde *Chryſoſtomus* dicit, quòd quamdiu Iudas fuit in collegio Apoſtolorum, diabolus non fuit auſus ipſum invadere: Quando autem ab ipſis receſſit, in ipſum intravit.

Sanctitas beati Matthiæ habuit teſtimonium à quatuor. Primò. A Patre cæleſti; Matthias enim parvus interpretatur. Ad Patrem autem pertinet parvulos erudire. Matthæi 11. *Confitebor tibi, Domine, Pater cæli, & terræ: quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Etiam ad ipſum ſpectat parvulos confovere. Matth. 18. *Non eſt voluntas Patris veſtri, ut pereat unus ex his puſillis.*

Secundò. A Filio. Quia cùm Apoſtoli procederent ad electionem duodecimi Apoſtoli in locum Iudæ, & ſtatuiſſent duos præ ceteris, Chriſtus prælegit Matthiam.

Tertiò. A Spiritu ſancto, qui ipſum in Pen-

Pentecoſte in gratia confirmavit, & donis ſuis replevit.

Quartò, Ab Apoſtolorum collegio, qui eum cum Ioſeph in medio ſtatuerunt: ſi enim duos meliores habuiſſent, utique eos præelegiſſent. Propterea dicit Chriſtus Ioann. 15. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos: & poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* Nam in electorum prædeſtinatione, per quam firmatur eorum ſanctitas, concurrunt quatuor.

Primò. Amor Dei præveniens. Cuilibet enim exiſtenti Deus vult aliquod bonum. Vnde cùm amare nihil aliud ſit, quàm velle bonum alicui, manifeſtum eſt, quòd Deus, omnia, quæ ſunt, amat, non tamen eodem modo, ſicut nos. Quia enim voluntas noſtra non eſt cauſa bonitatis rerum, ſed ab ea movetur ſicut ab objecto, amor noſter, quo bonum alicui volumus, non eſt cauſa bonitatis ipſius, ſed econverſo bonitas eius vel vera, vel æſtimata provocat amorem, quo ei volumus & bonum conſervari quod habet, & addi quod non habet, & ad hoc operamur. Sed amor Dei eſt infundens, & creans bonitatem in rebus. Sap. 11. *Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Et ſic præamando præacceptat nos ſecundùm quid, non ſimpliciter: quia vita gratiæ non habet rationem finis, ſed rationem eius, quod eſt ad finem. Vnde ad vitam gratiæ non habet aliquis eligi, niſi in quantum vita gratiæ ordinatur ad vitam gloriæ; & propter hoc illi, qui habent gratiam, & decidunt à gloria, non dicuntur eſſe electi ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, prout ſcilicet de eis in ordinatione, & notitia Divina exiſtit, quòd ſunt habituri aliquem ordinem ad vitam æternam ſecundùm participationem gratiæ.

Secundò. Prædeſtinatio ſine merito noſtro præcedens. Nam effectus prædeſtinationis non habet aliquam cauſam ex parte noſtra: quoniam, quicquid eſt in homine ordinans ipſum in ſalutem, totum comprehenditur ſub effectu prædeſtinationis, etiam ipſa præparatio ad gratiam, quæ non fit, niſi per auxilium Divinum, ſecundùm illud Threnorum ultimo: *Converte nos Domine, ad te, & convertemur.* Ideo dicit Apoſt. ad Tit. 3. *Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit.* Ideo dicitur: *Non vos me elegiſtis*, ſcilicet amorem meum præveniendo, quoad primum: *Sed ego elegi vos*, quoad ſecundum.

Tertiò. Electio nos dignificans. Ideo dicitur: *Et poſui vos*, ſcilicet meos cooperatores, & adjutores. Aliquis autem dicitur juvari per alterum dupliciter. Vno modo in quantum ab eo accipit virtutem, & ſic adjuvari eſt infirmi; unde Deo non competit. Et ſic intelligitur illud Rom. 11. *Quis cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?* Alio modo dicitur aliquis adjuvari per aliũ, per quem exequitur ſuam operationem, ſicut dominus per miniſtrum; & hoc modo Deus adjuvatur per nos, in quantum exequitur ſuam operationem, ſecundùm illud 1. Corinth. 3. *Dei enim adiutores ſumus.* Nec hoc eſt propter defectum Divinæ virtutis, ſed utitur cauſis mediis, ut ordinis pulchritudo ſervetur in rebus, & ut etiam creaturis dignitatem cauſalitatis communicet.

Quartò: Electos gratiâ perfundens, ſcilicet gratiâ gratum faciente, juxta illud Ioannis 15. *Sine me nihil poteſtis facere*, quantùm ad meritum vitæ æternæ. Et *Auguſtinus* 3. *de Trini.* dicit, quòd Spiritus ſanctus inviſibiliter procedit ad ſanctificandum creaturam. Ideo dicitur: *Eatis, & fructum afferatis.* Et his modis prædeſtinatus eſt beatus Matthias in ſui electione, & electionis approbatione.

SECVNDO. *Super Matthiam cecidit ſors maturitatis*, quantùm ad eius electionem, quæ apparuit in quatuor.

Primò. In eligentium probitate. Apoſtoli enim habuerunt intentionem rectam, cùm ſtatuerunt Matthiam extraneum, & nulli Apoſtolorum propinquum: quia non amore carnali, ſed zelo Dei ducti ſunt. Habuerunt pacem, & concordiam: quia de centum viginti electoribus nemo diſcordavit. Habuerunt mentem devotam: quia orationibus inſtiterunt exemplo Moyſis, qui, cùm quæreret à principatu ceſſare, oravit dicens: *Dominus Deus Spirituũ omnis carnis provideat hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc*, &c. Numeri 27. cap. Habuerunt meritum vitæ, cùm eſſent Principes mundi, Ianitores cæli, & Iudices ſeculi. Pſalm. *Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham*, ſcilicet ad Matthiæ electionem. *Quoniam dii fortes terræ vehementer elevati ſunt.*

Secundò. In eligendi dignitate. Nam B. Matthias habuit magnanimitatem conſtantiæ. Ideo dicitur Act. 1. *Ex his viris.* A virilitate conſtantiæ dicitur vir, quando videns injuſtitiam non filet, quando videns adver-

veſſitatem non fugit. Ideo dicitur Eccleſ. 10. *Væ terræ, cuius Rex puer eſt*. Item habuit perfectionem ſapientiæ. Ideo dicitur: *Omni tempore, quo intravit, & exivit*, &c. Nullus enim alicuius negotii plenam notitiam habere poteſt, niſi ſciat eius principium, medium, & finem. Beatus verò Matthias omnium actuum Chriſti ſcivit principium, ſcilicet nativitatẽ; & medium, ſcilicet prædicationem; & finem, ſcilicet paſſionem, reſurrectionem, & aſcenſionem eius in cælum. Præterea habuit Dei approbationem. Tandem fecit in populo magnam ædificationem. Propterea dicitur Ierem. 3. c. *Dabo vobis Paſtores iuxta cor meum, qui paſcant vos ſcientiâ, & doctrinâ*.

Tertiò. In electionis ſynceritate. Apoſtoli enim inchoaverunt ipſam electionem ab exhortatione ſalutifera: quia Petrus utilem ſermonem præmiſit. Ideo dicitur: *Surgens Petrus in medio fratrum, dixit*, &c. Ab expoſitione pacifica: quia ſtatuerunt duos; & hoc unánimiter, & concorditer. Proſecuti ſunt ipſam cum oratione devota. Vnde orantes dixerunt: *Tu Domine, qui corda noſti omnium*, &c. Terminata eſt cum revelatione Divina. Vnde dicitur: *Et cecidit ſors ſuper Matthiam*. Secundùm enim *Dionyſium*, illa ſors fuit quidam ſplendor Divinus, per quem oſtendebatur, quòd erat in Apoſtolum ſumendus.

Quartò. In confirmationis ſtabilitate. Nam quidam de Apoſtolis prius fuerunt electi, & poſtmodum in Pentecoſte confirmati. Pſal. *Ego confirmavi columnas eius*. Quidam fuerunt electi, ſed nunquam confirmati, ſicut Judas. Quidam ſimul fuerunt electi, & confirmati, ſicut Matthias, qui ab Apoſtolis fuit electus, & mox à Spiritu ſancto confirmatus.

TERTIO. *Super beatum Matthiam cecidit ſors familiaritatis*: quia fuit multũ dilectus à Chriſto, quod patet ex quatuor ſignis.

Primò. Quia Chriſtus fecit eum contribulem ſuum. Fuit enim de tribu Iuda, ſicut & Chriſtus. Solent autem homines, qui ſunt de eadem cognatione, ſe invicem diligere. Eph. 5. *Nemo unquam carnem ſuam odio habuit*.

Secundò. Quia Chriſtus fecit eum compatriotam ſuum: fuit enim Bethlehemita, ſicut & Chriſtus. Solent homines ejuſdem patriæ ſpecialem ad invicẽ familiaritatẽ habere.

Tertiò. Quia Chriſtus inter ceteros Diſcipulos fecit ipſum Apoſtolum ſuum, cui revelavit ſecreta cæleſtia, & in fide ſolidavit.

Quartò. Quia Chriſtus fecit ipſum commilitonem ſuum, ut per orbem diſcurreret prædicando Evangelium, & baptizando, quem ſuum Sacerdotem inſtituit, ſicut & ceteros Apoſtolos.

QVARTO. *Super beatum Matthiam cecidit ſors acerbitatis*, quantùm ad martyrium. Primò enim fuit tractus per civitatem miſſo funè ad collum eius.

Secundò. Reperitur in nonnullis codicibus, eum crucis ſubjiſſe martyrium; attamen certius, Romanorum conſuetudine lapidatũ, ac demum capitis abſciſſione martyrii palmam obtinuiſſe.

QVINTO. *Super beatum Matthiam cecidit ſors poteſtatis*, quoad operationem miraculorum. Nam operatio miraculorum eſt manifeſtativa gratiæ gratum facientis, ſicut & donum prophetiæ, & quælibet gratia gratis data. Vnde 1. Cor. 12. gratia gratis data nominatur *manifeſtatio Spiritus*. Sic ergo Apoſtolis datus eſt Spiritus ſanctus ad operationem miraculorum: quia data eſt eis gratia gratum faciens cum ſigno manifeſtante, ſicut hodie B. Matthiæ.

Quædam enim atteſtantur ſuam miſericordiam. Cùm enim ducentum quinquaginta homines ex quadam potione venenoſa fuiſſent toxicati, omnes ſanavit, & ad fidem convertit.

Quædam atteſtantur ſuam juſtitiam. Cùm enim quidam obſtinati perſiſterẽt, & verbum Dei deriderent, dixit eis: Denuncio vobis, quòd in infernum deſcendetis, ſtatimque terra ſe aperuit, & ipſos vivos deglutivit.

Quædam atteſtantur ſuam potentiam: quia dæmones expellebat, & in infernum mittebat. Cùm enim quidam dæmon in forma pueri contra eum incitaret homines, protinus ipſum expulit, & in infernum demerſit.

Quædam atteſtantur ſuã fidem: quia quandam potionem toxicatam bibit, & in nullo eum læſit. Marci ultimo capite. *Signa autem eos, qui crediderint*, &c. *& bene habebunt*. Qui tandem obtinuit nobis gratiam. Amen.

SERMO XXI.

IN FESTO SANCTI THOMAE DE AQVINO DOCTORIS ECCLESIÆ.

Est Is lux mundi. Matth. 5. cap.

IOannes tertio capite dicit: *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem*. Super quo verbo talem moveo quæstionem.

Vtrum Beatus Thomas sapientiæ dono sic effulserit, ut lux Ecclesiæ dici meruerit?

AD istam quæstionem respondent duo Doctores.

Primus est Isaias 49. cap. dicens: *Ecce dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ*.

Secundus est Ioannes Apoc. 18. cap. dicens: *Et vidi alterum Angelum de cælo descendentem, habentem potestatem magnam, & terra illuminata est à gloria eius*.

Sciendum, quòd Deus ultra creationem rerum voluit varia esse in mundo ad eius pulchritudinem, & honorem.

Primò. Creaturarum multitudinem, & distinctionem. Nam distinctio rerum, & multitudo est ex intentione primi agentis, quod est Deus. Produxit enim res in esse propter suam bonitatem communicandam creaturis, & per eas repræsentandam. Et quia per unã creaturam sufficienter repræsentari non potest, produxit multas creaturas, & diversas, ut, quod deest uni ad repræsentandum Divinam bonitatem, suppleatur ex alio. Nam bonitas, quæ in Deo est simpliciter, & uniformiter, in creaturis est multipliciter, & divisim. Vnde perfectiùs participat Divinam bonitatem, & repræsentat eam totum universum, quàm alia quæcunque creatura. Et quia Divina sapientia est causa distinctionis rerum, ideo Moyses dicit res esse distinctas verbo Dei, quod est conceptiò sapientiæ. Et hoc est, quod dicitur Genes. 1. *Dixit Deus: Fiat lux, & facta est lux: & divisit Deus lucem à tenebris*.

Secundò. Deus voluit rerum inæqualitatem, & meliorationem. Nam optimi agentis est producere totum effectum suum optimum, non tamen, quòd quamlibet partem totius faciat optimam simpliciter, sed optimam secundùm proportionem ad totum: tolleretur enim bonitas animalis, si quælibet pars eius haberet oculi dignitatem. Sic ergo & Deus ipsum universum constituit optimum secundùm modum creaturæ, non autem singulas creaturas, sed unam aliâ meliorem. Et ideo de singulis creaturis dicitur Gen. 1. *Vidit Deus lucem, quòd esset bona*; & similiter de singulis. Sed de omnibus simul dicitur: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*. Et Eccli. 33. dicitur: *Quare dies diem superat, & iterum lux lucem, & annus annum à sole? A Domini scientia separata sunt*, &c.

Tertiò. Deus voluit in corpore mystico Ecclesiæ ordinum variationem. Nam diversitas statuum, & officiorum in Ecclesia ad tria pertinet.

1. Ad perfectionem ipsius Ecclesiæ. Sicut enim in rerum naturalium ordine perfectio, quæ in Deo simpliciter, & uniformiter invenitur, in universitate creaturatum invenirl non potuit, nisi difformiter, & multipliciter; ita etiam plenitudo gratiæ, quæ in Christo sicut in Capite adunatur, ad eius membra diversimodè redundat ad hoc, quòd corpus Ecclesiæ sit perfectum. Et hoc est, quod Apostolus dicit Eph. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum*.

2. Diversitas pertinet ad necessitatẽ actionum, quæ sunt in Ecclesia necessariæ. Oportet autem ad diversas actiones diversos homi-

nes

nes deputari ad hoc, quòd expeditiùs, & ſine confuſione omnia peragantur. Vnde Dominus dedit Moyſi ſeptuaginta ſenes populi in adjutorium, Numeri 11. c. Et Apoſtolus Rom. 12. dicit: *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi unum corpus ſumus in Chriſto.*

3. Hoc pertinet ad dignitatẽ,& pulchritudinem Eccleſiæ, quæ in quodam ordine conſiſtit. Vnde dicitur 3. *Reg.* 10. quòd videns Regina Saba omnem ſapientiam Salomonis, & habitacula ſervorum,& ordines miniſtrantium, *non habebat ultra ſpiritum*. Vnde Apoſtolus dicit 2. Timo. 2. *In magna domo non ſolùm ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia*. Et in *Pſalm.* dicitur in laudem Eccleſiæ, quòd eſt circumamicta varietate. Vbi dicit *Glo.* quòd doctrinâ Apoſtolorum, & confeſſione Martyrum, & puritate Virginum, & lamento pœnitentium ornatur Regina, videlicet Eccleſia.

Quartò. Deus voluit in Eccleſia Religionum exornationem. Nam ſtatus Religionis ordinatur ad perfectionem charitatis, quæ ſe extendit ad dilectionem Dei, & proximi. Ad dilectionem autem Dei directè pertinet vita contemplativa, quæ ſoli Deo vacare deſiderat. Ad dilectionem autem proximi pertinet vita activa, quæ deſervit neceſſitatibus proximorum. Sed opus vitæ activæ eſt duplex. Vnum, quòd totaliter conſiſtit in occupatione exteriori: ſicut eleemoſynas dare, hoſpites recipere, &c. Aliud eſt, quod ex plenitudine contemplationis derivatur: ſicut doctrina, & prædicatio. Vnde *Gregor. homil. 5. ſuper Ezech.* dicit, quòd de perfectis viris poſt contemplationẽ ſuam redeuntibus dicitur: *Memoriam ſuavitatis tuæ eructabunt.*) Et hoc præfertur ſimplici contemplationi. Sicut enim majus eſt illuminare,quàm lucere ſolùm; ita majus eſt contemplata aliis tradere, quàm contemplari. Dicitur enim *Extra de regul. & tranſeun. ad reli. cap. Licet*. Sicut majus bonum minori bono præponitur; ita communis utilitas ſpeciali utilitati præfertur.) Sic ergo ſummum gradum in Religionibus tenent, quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum, qualis eſt Religio fratrum Prædicatorum. Et in hac floruit ſanctus Thomas vitâ, & doctrinâ, velut lucerna ardens ſuper candelabrum poſita. Ideo de ipſo convenienter dicitur: Eſt Is lux mundi.

Eſt Is lux mundi

Ad ſapientiæ decorem. Ad vitæ honorem.
Ad viæ valorem.

PRIMO. *Beatus Thomas eſt lux mundi ad ſapientiæ decorem.*

Sciendum, quòd ſancta Mater Eccleſia ſignificatur per illam mulierem, de qua dicitur Apoc. 12. *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta ſole, & in capite eius corona ſtellarum duodecim, & luna ſub pedibus eius.* In hoc enim, quòd eſt amicta ſole, deſignatur decor ſapientiæ. Hic autem ſol, quo circundatur, eſt ſanctus Thomas emittens duodecim radios, habens ſapientiam duodecim Patrum veteris Teſtamenti ad decorem ſanctæ Matris Eccleſiæ, ex quibus meritò dicitur de eo: *Eſt Is lux mundi*. Vt verificetur prophetia ſanctiſſimi illius Anachoretæ, dicentis ad matrem eius: Gaude domina: quia concipies, & paries filium, Thomaſque vocabitur nomen eius. Hic erit magnus in ſcientia,& in vita,eritque frater Ordinis Prædicatorum.

Inter omnia verò hominum ſtudia ſapientiæ ſtudium eſt perfectius, ſublimius, utilius, & jucundius. Perfectius quidem, in quantum homo ſapientiæ ſtudio deditus veræ beatitudinis jam aliquam partem habet. Vnde Sapiens dicit: *Beatus vir, qui in ſapientia morabitur*, Eccli. 14. Sublimius autem eſt: quia homo per ipſum præcipuè ad Divinam ſimilitudinem accedit, qui omnia in ſapientia fecit. Vnde, quia ſimilitudo eſt cauſa dilectionis, ſapientiæ ſtudium præcipuè Deo per amicitiam conjungit. Propter quod Sap. 7. dicitur, quòd ſapientia *infinitus theſaurus eſt hominibus: quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei*. Vtilius autem eſt: quia per ipſam ſapientiam ad immortalitatis regnum pervenitur. *Concupiſcentia ſapientia deducet ad regnum perpetuum*, Sap. 6. Iucundius autem eſt: quia non habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam, & gaudium, *Sap.* 8.

Sed beatus Thomas ardentiſſimè huic ſtudio ſapientiæ inhæſit. Vnde 1. *contra Gentiles cap.* 2. dicit ſic: Aſſumptâ igitur ex Divina pietate fiduciâ ſapientis officium proſequendi, quamvis proprias vires excedat, propoſitum noſtræ intentionis eſt, veritatem, quam

fides catholica profitetur, pro noſtro modulo manifeſtare, errores eliminando contrarios. Vt enim verbis Hilarii utar: Ego hoc vel præcipuum vitæ meæ officium debere me Deo cõſcius ſum, ut eum omnis ſermo meus, & ſenſus loquatur.)

Inter Patres autem veteris Teſtamenti duodecim fuerunt, qui ad ſapientiæ ſtudium pervenerunt, quo decoratur ſancta Mater Eccleſia; qui tamen imperfectè hanc ſapientiam adepti ſunt, quam perfectiſſimè ſanctus Thomas habuit, qui Eccleſiam mirabiliter illuminavit. Vnde cantatur: Collaudetur Chriſtus Rex gloriæ, qui per Thomam lumen Eccleſiæ mundum replet doctrinâ gratiæ.

Primus fuit *Adam* in ſtatu innocentiæ in generis humani gubernatione. Nam ad gubernationem vitæ propriæ, & aliorum non ſolùm requiritur cognitio eorum, quæ naturaliter ſciri poſſunt, ſed etiam cognitio eorum, quæ naturalem cognitionem excedunt: eò quòd vita hominis ordinatur ad quendam finem ſupernaturalem; ſicut nobis ad gubernationem vitæ noſtræ, neceſſarium eſt cognoſcere, quæ fidei ſunt. Vnde & de his ſupernaturalibus primus homo tantam cognitionem accepit, quanta erat neceſſaria ad gubernationem vitæ humanæ ſecundùm ſtatum illum.

Sanctus autem Thomas confortatus in gratia per Spiritum ſanctum ipſum ſanctificantem ad gubernationem vitæ humanæ ſecundùm animam, obtulit librum de articulis fidei, & Eccleſiæ Sacramentis ad Vrbanum Papam Quartum. Secundùm verò corpus, librum de regimine, & regno ad Regem Cypri, & parvum tractatum ad Ducisſam Brabantiæ.

Secundus fuit *Noe* tempore diluvii in generis humani liberatione. Nam ſolus juſtus invenitur, cui propter juſtitiam ſuam ſeptem homines donantur: hic tantâ ſapientiâ floruit, ut mundum à periculo ſubmerſionis liberaverit.

Sanctus autem Thomas videns mundum periclitari erroribus, librum contra errores Gentilium, & contra errores Græcorum obtulit, & parvum tractatum contra errores infidelium addidit, ut ſic ſeptem Eccleſias ſeptiformi ſpiritu illuſtratas in unam fidem congregaret. Ideo dicit illud Proverb. 8. *Veritatem meditabitur guttur meum: & labia mea deteſtabuntur impium.*

Tertius fuit *Abraham* tempore Chaldæorũ in Trinitatis repræſentatione. Nam Ægyptii converſi erant ad idololatriã adorãtes creaturas; cumque Abrahã unum verum Deum prædicaret adorandum, miſſus eſt in ignem, quem tamen Deus ab incendio liberavit. Viderat enim tres viros deſcendentes per viam: tres vidit, & unum adoravit, *Gen. 18. cap.* In quo cognovit myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis.

Sanctus autem Thomas huic errori volens obviare, primum librum Sententiarum obtulit, & primam partem ſummæ Theologiæ, compendium Theologiæ ad fratrem Reginaldum ſocium ſuum, & expoſitionem ſuper Boethium de Trinitate, in quibus myſterium Trinitatis aperit. Ideo dicit illud Epheſ. 4. *Non amplius ambuletis, ſicut & Gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum.*

Quartus fuit *Iſaac* per repromiſſionem natus in redemptionis humanæ præfiguratione, in quo promiſſio facta eſt de Incarnatione Filii Dei: quia de eius ſemine naſci debebat; in quo etiam præfigurata eſt Paſſio Chriſti per eius immolationem, quæ tantùm in umbra cognovit.

Sanctus autem Thomas myſterium humanæ redemptionis abſconditum à ſeculis luculentiſſimè aperuit. Vnde ipſemet in principio tertiæ partis ſummæ Theologiæ dicit: Quia Salvator noſter Dominus Ieſus Chriſtus teſte Angelo, populum ſuum ſalvum faciens à peccatis eorum, viam veritatis nobis in ſeipſo demonſtravit, per quam ad beatitudinem immortalis vitæ reſurgendo pervenire poſſumus; neceſſe eſt, ut ad conſummationem totius Theologici negotii poſt conſiderationem ultimi finis humanæ vitæ, de ipſo omnium Salvatore, ac beneficiis eius humano generi præſtitis, noſtra conſideratio ſubſequatur.) Ideo obtulit tertium Sententiarum, & tertiam partem ſummæ Theologiæ, in quibus de myſterio redemptionis humanæ ſubtiliſſimè pertractat.

Quintus fuit *Iacob* in Sacramentorum cognitione. Nam fugiens à facie fratris ſui Eſau poſt viſionem ſcalæ, ædificavit altare Domino, fundens oleum deſuper; in quo præfigurabatur myſterium Sacramentorum Eccleſiæ: quia ſicut de latere dormientis formata eſt Eva; ſic de latere Chriſti in Cruce pendentis formata eſt Eccleſia. Scala autem, quam vidit Iacob, ſignificat Crucem Chriſti, ex qua profluxerunt Sacramenta Eccleſiæ, quæ ab ipſo Verbo incarnato efficaciam habent.

Sanctus autem Thomas myſterium Sacramen-

Digitized by Google

mentorum Eccleſiæ diſertiſſimè aperuit in 4. lib. Sententiarum, de quibus inſtruxit ſufficienter miniſtros Eccleſiæ. Ideo dicit illud Iſaiæ 54. *Ponam univerſos filios tuos doctos à Domino*.

Sextus fuit *Ioſeph* in panis proviſione. Nam, dum venditur in Ægypto, conſtituitur dominus Ægypti, & providet de frumento univerſo orbi; ſicut Chriſtus, dum venditur à Iuda, inſtituit Sacramentum Corporis, & Sanguinis ſui ad ſalutem totius generis humani.

Sanctus autem Thomas officium de tanto Sacramento inſtituit, atque confecit, quòd celebratur per univerſas Eccleſias. Vnde ſibi à Domino Ieſu Chriſto dictum eſt: *Bene ſcripſiſti de me Thoma: quam ergo mercedem pro tuo labore recipies?* Qui ait: *Domine, non aliam mercedem recipiam, niſi te ipſum*.

Septimus fuit *Moyſes* in legis Dei propoſitione. Nam in monte Sinai loquens cum Deo facie ad faciem, accepit legem à Deo in duabus tabulis, quam populo electo propoſuit, *Exod.* 24. Sed cunctas cæremonias legis non clarè intellexit: quia omnia in figura contingebant illis, ut dicitur 1. *Cor.* 10. Et Heb. 10. cap. *Vmbram habens lex futurorum bonorum* quoad cæremonias.

Sanctus autem Thomas & legem, & cæremonias diligentiſſimè expoſuit, pro quibus omnibus primam ſecundæ ſummæ Theologiæ obtulit.

Octavus fuit *David* in regiminis aprobatione. Nam in pſalterio ſuo tractavit de regimine Chriſti ſecundùm Divinitatem. Pſal. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo*. Et ſecundùm humanitatem. Pſal. *Virgam virtutis tuæ*, &c.

Sed Beatus Thomas, quæ in pſalterio parabolicè, & obſcurè à David prophetata erant, in ſua poſtilla ſuper pſalterio diligentiſſimè aperuit: ex eodem fonte Divinitatis utique ſecreta cæleſtia potavit, ſed abyſſum Divinitatis penetravit ultra David.

Nonus fuit *Salomon* in rerum naturalium cognitione. Nam interiori lumine fuit illuſtratus ad cognoſcendum ea, quæ non excedunt limites naturalis cognitionis; ſicut de eo dicitur 3. *Reg.* 4. quòd locutus eſt parabolas, & diſputavit ſuper lignis, & cedro, quæ eſt in Libano, uſque ad hyſſopum, quæ exit de pariete; & diſſeruit de jumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus, & hoc totum fuit ex Divina inſpiratione. Vnde præmittitur ibi: *Dedit Deus Salomoni ſapientiam, & prudentiam multam nimis*.

Sanctus autem Thomas omnium operum Dei cognitionem habuit; unde ſecundum librum ſententiarum obtulit, & quæſtiones de potentia Dei, & quæſtiones de ſpiritualibus creaturis. Ideo dicit illud Pſal. *Meditatus ſum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar*.

Decimus fuit *Iſaias* in Gentiũ vocatione. Nam graviter iniqua, & ſcelera arguit, peccanti populo futura mala prædicit, gratiam novi Teſtamenti à primo Salvatoris adventu uſque ad ultimum judicium de Eccleſia ſermone producit.

Sanctus autẽ Thomas quoad multiplicationem Eccleſiæ penes caput, & membra diſertiſſimè Iſaiam expoſuit. Cùm enim ad quendam paſſum prophetiæ ejuſdem ſibi valde dubium deveniſſet, ex revelatione Apoſtolica ſanctorum Petri, & Pauli fuit ſufficienter inſtructus.

Vndecimus fuit *Iob* in Divinæ providentiæ atteſtatione. Nam quidam Epicurei aſſerebant, Deum non curare de his inferioribus, dicentes: *Quoniam nubes latibulum eius, circa cardines cæli perambulat, nec noſtra conſiderat*. Vnde *Iob* 23. *cap.* conatus eſt oſtendere Divinam providentiam circa res humanas.

Sanctus autem Thomas obvolutas rationes, & ſententias in expoſitione ſuper Iob mirabiliter declaravit, ut de eo dicatur illud Pſalm. *Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis*.

Duodecimus fuit *Elias* in religionis obſervatione. Nam indutus pilis camelorum, auſterus pœnitentiâ, peccata arguens, legem Dei zelavit, & ſpiritum duplicem à Deo accepit, ſcilicet ad prophetandum, & miracula faciendum.

Sanctus autem Thomas, ut fideles animaret ad cultum Dei, librum de perfectione chriſtianæ religionis obtulit, & librum contra retrahentes à religione, ut ſic omnes fideles dicere poſſint illud *Tullii lib. de Academicis*: Nos, inquit, in noſtra urbe peregrinantes, errantesque tanquam hoſpites tui libri quaſi domum reduxerunt, ut poſſemus aliquando, qui, & ubi eſſemus, agnoſcere. Tu ætatem patriæ, tu deſcriptiones temporũ, tu ſacrorum jura, tu Sacerdotum, tu domeſticam, tu publicam diſciplinam, tu ſedium, regionum, locorum, tu omnium divinarum, humanarumque rerum nomina, genera, offi-

cia

cia, cauſas aperuiſti.) Vt meritò poſſit dici de eo: *Eſt It lux mundi*. Quoniam eſt ſol circundans ſanctam Matrem Eccleſiam, illuminans eam duodecim radiis, in duodecim Patribus veteris Teſtamenti deſignatis.

Primus radius eſt generis humani gubernatio in Adam.

Alter eſt humani generis liberatio in Noe.

Tertius eſt Trinitatis repræſentatio in Abraham.

Quartus eſt redemptionis humanæ præfiguratio in Iſaac.

Quintus eſt Sacramentorum præcognitio in Iacob.

Sextus eſt Euchariſtiæ proviſio in Ioſeph.

Septimus eſt legis Dei propoſitio in Moyſe.

Octavus eſt regiminis approbatio in David.

Nonus eſt rerum naturalium cognitio in Salomone.

Decimus eſt Gentium vocatio in Iſaia.

Vndecimus eſt Divinæ providentiæ atteſtatio in Iob.

Duodecimus eſt religionis obſervatio in Elia. Sicut enim ſol circuit duodecim ſigna cæli; ſic Beatus Thomas circuit duodecim Patres veteris Teſtamenti ad illuminationē ſanctæ Matris Eccleſiæ, ita ut verè dicatur de eo: *Eſt Is lux mundi* ad ſapientiæ decorem.

SECVNDO. *Beatus Thomas eſt lux mundi ad vitæ honorem.*

Sciendum, quòd ſancta Mater Eccleſia eſt illa ſponſa, de qua dicitur Apoc. 22. c. *Veni, oſtendam tibi ſponſam uxorem Agni. Et oſtendit mihi civitatem ſanctam Ieruſalem, deſcendentē de cælo à Deo habentem claritatem Dei. Lumen Dei ſimile lapidi pretioſo, & habebat murum magnum, & altum, habentem portas duodecim, & in ipſis nomina duodecim Apoſtolorum.* Hæc civitas eſt illa mulier, de qua dictum eſt ſuprà, quam circundabat ſol duodecim radiis, quæ habet in capite coronam duodecim ſtellarum: quia habet perfectiones, & virtutes duodecim Apoſtolorum.

Has autem perfectiones habuit ſanctus Thomas ad honorem ipſius Eccleſiæ, ut ſic vita ſancti Thomæ ſit corona duodecim ſtellarum in vertice Eccleſiæ.

Beatus *Petrus* floruit virtute ſapientiæ, cui dicitur Matthæi 16. *Beatus es Simon Bar Iona, quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt.* Beatus Thomas floruit ſapientiâ in ætate provectâ, & in infantia. Sicut enim beatus Ioānes Baptiſta in matris utero cognovit Sacramentum dominicæ Incarnationis, in eo, quòd exultavit ad ſalutationem factam Eliſabeth, ut dicitur *Luc.* 1. ſic Beatus Thomas poſitus à nutrice in balneo chartā continentem ſalutationem Angelicam ſibi de cælo à Deo miſſam manu accepit, & diligenter eam intuens legit, & deglutivit, ut dicat illud Pſalm. *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum: quia mandata tua deſiderabam.*

Beatus *Andreas* floruit virtute innocentiæ: quia fuit virgo mente, & corpore. Beatus Thomas floruit equidem virginitate, quam à Deo ſibi dari impetravit, quando duo Angeli cingulo caſtitatis renes eius ſtringentes dixerunt, eum à Domino fore clementiùs exauditum. Vnde poterat dicere illud 2. Cor. 12. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus ſatanæ, ut me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut diſcederet à me; & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea.*

Beatus *Iacobus maior* floruit virtute conſtantiæ: paravit enim ſe ad bibendum calicem paſſionis pro Chriſto, *Matth.* 20. Beatus Thomas maximæ conſtantiæ fuit ad perſeverandum in Religione fratrum Prædicatorum, licèt multipliciter fuiſſet à matre, & fratribus ſuis carnalibus vexatus, ut ab ea diſcederet, non ſine gravi moleſtia corporis; tandem Ordini poſt biennium fuit reſtitutus, ut poſſit dicere illud 2. Cor. 11. *Per feneſtram in ſporta dimiſſus ſum per murum.*

Beatus *Ioannes* floruit virtute benevolentiæ: quia mira charitate à Domino dilectus fuit. Vnde Petrus vidit illum Diſcipulum, *quem diligebat Ieſus*, Ioann. 2. cap. Beatus Thomas magis charitate compatiebatur peccatoribus, flens peccata eorum, velut peccata propria, ut poſſit dicere illud Iob 30. c. *Flebam ego ſuper eo, qui afflictus erat.*

Beatus *Thomas Didymus* floruit virtute veritatis: quia Sacramentum Reſurrectionis dominicæ credere noluit, donec de veritate fuit certificatus, ut dicitur *Ioann.* 20. *cap.* Beatus Thomas Aquinas ſuam ſcientiam non tam humano ingenio, quàm Divino oraculo habuit: quia quoties diſputare, legere, ſcribere, dictare voluit, prius ad orationis ſuffragium confugit. Vnde poterat dicere illud Gal. 1. cap. *Quod enangelizatum eſt à me, non eſt ſecundùm hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem Ieſu Chriſti.*

Bea-

B. *Iacobus minor* floruit virtute patientiæ: nam propter manſuetudinem ſuam dictus eſt frater Domini, ut dicitur *Gal. 1. cap.* B. Thomas in principio ſtudii ſui tantæ fuit taciturnitatis, ut ab omnibus vocaretur bos mutus: non enim acceperat licentiã à Deo loquendi quæ viderat, & audiverat, ut dicere poſſet illud 2. Cor. 12. *Audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Nam ſæpius orans elevabatur duobus cubitis à terra, tuncque mens eius rapiebatur in cælum, ubi addiſcebat, quæ docere debebat. In cuius ſignum tunc incepit loqui, quando Albertus Magnus legebat librum de Divinis nominibus, &c.

B. *Philippus* floruit virtute confidentiæ: putavit enim, quòd ad ſui defenſionem, & beatitudinem ſufficeret viſio Divinitatis, dicens illud Ioann. 14. *Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.* Beatus Thomas valde confiſus eſt in Domino: cùm enim cogeretur ad gradũ magiſterii ſuſcipiendum, omnẽ fiduciam in Domino poſuit; cumque neſciret quid pro themate aſſumeret, affuit ſenex in habitu Prædicatorũ, dicens ei: Confide: quia, quod petis, impetraſti: onus magiſterii aſſume, & pro tuo themate aſſume illud Pſal. *Rigans montes de ſuperioribus ſuis: de fructu operum tuorum ſatiabitur terra.*

B. *Bartholomæus* floruit virtute intelligentiæ: nam, ut *Dionyſius lib. de myſtica Theol. cap.* 1. dicit: Divinus Bartholomæus dicit, & copioſam eſſe Theologiam, & minimam: atque Evangelium amplum, & magnum, & rurſùs concilum.) Beatus Thomas tantâ intelligentiâ præditus erat, ut ſecreta myſteria ſacræ doctrinæ omnibus faceret pervia, & clara; unde in principio primæ partis dicit: Quia catholicæ veritatis Doctor non ſolùm provectos debet inſtruere, ſed ad eum etiam pertinet incipientes erudire (ſecundùm illud Apoſtoli 1. Cor. 3. *Tanquam parvulis in Chriſto lac potum dedi vobis, non eſcam*) propoſitum noſtræ intentionis in hoc opere eſt, ea, quæ ad chriſtianam Religionem pertinent, eo modo tradere, ſecundùm quòd congruit ad eruditionem incipientium.) Iuxta illud Iob 28. cap. *Profunda fluviorum ſcrutatus eſt: abſcondita in lucem produxit.* Hoc autem præcipuè apparet in expoſitione Epiſtolarum Divi Pauli, à quo cùm quæreret, an in eis verum habuiſſet intellectum, reſpondit: quantum quis vivens in corpore habere poſſit.

B. *Matthæus* floruit virtute reſignationis: nam cùm eſſet rebus, & curis temporalibus implicatus, unico verbo à Chriſto vocatus, omnia reliquit, & ſecutus eſt Chriſtum, *Matth. 9.* cap. Beatus Thomas, ut liberius vacaret contemplationi Dei, & ſacrarum Scripturarum, abjectis dignitatibus, & divitiis parentum, Ordinem Prædicatorum eſt ingreſſus; atque cùm Papa Clemens IV. ipsũ creaſſet Archiepiſcopum Neapolitanum, addens ei redditus monaſterii ſancti Petri, omninò renuit; unde poterat dicere illud Sapientiæ 7. *Præpoſui illam regnis, & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius.*

B. *Simon Chananæus* floruit virtute obedientiæ: nam Simon interpretatur obediens, in hoc imitatus Chriſtum, qui dixit: *Ego non veni, ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me.* Beatus Thomas Prælatis ſuis in omnibus obediens fuit. Nam dum ſcriberet Pariſiis opus Summæ Theologicæ, de mandato Prioris, invitatus à ſancto Ludovico Rege Franciæ, ad prandium acceſſit: cumque in menſa nihil guſtaret, ſed in contemplatione quadam perſiſteret meditabundus, excitatus ait: Nunc concluſum eſt contra Manichæos. Ideo poterat dicere illud Tobiæ 12. cap. *Videbar quidem vobiſcum manducare, & bibere, ſed ego cibo, & potu inviſibili utor.*

B. *Thaddæus* floruit pietate juſtitiæ, per quam multa miracula fecit, ut appareret juſtitia, & bonitas legis Chriſti. Beatus Thomas multis miraculis claruit, etiam cùm adhuc viveret. Nam quandam mulierem in die Paſchæ poſt ſuam prædicationem à fluxu ſanguinis curavit ad tactum cappæ ſuæ. Socium ſuum etiam à febre ſanavit, &c. ut poſſit dicere illud Act. 3. *Fides, quæ per Deum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrum.*

B. *Matthias* floruit virtute humilitatis: quia licèt eſſet aſſumptus ad gradum Apoſtolatus, ſemper tamen in humilitate permanſit. Beatus Thomas, quamvis ſanctus, & Doctor eſſet, non tamen renuit ſociare fratrem quendam converſum, & hoſpitem per Bononiam ipſum ſequendo, ut poſſit dicere illud 1. Cor. 9. cap. *Cùm eſſẽ liber ex omnibus, ſervum me feci omnium, ut plures lucrifacerem,* &c. His duodecim virtutibus B. Thomas exornavit coronã ſanctæ Matris Eccleſiæ, velut totidem ſtellis fulgentibus ad honorem vitæ, quemadmodum & Apoſtoli ipſam exornaverunt, ut ſic de eo dicatur: *Eſt Is lux mundi*, radiis fulgentibus in univerſa Eccleſia.

TER-

Digitized by Google

TERTIO. *Beatus Thomas eſt lux mundi ad viæ valorem.*

Sciendum, quòd diabolus multipliciter conatus eſt impugnare ſanctam Matrem Eccleſiam. Vnde *Auguſtinus lib. de vera religione cap. 5.* dicit: Neque in confuſione Paganorum, neque in purgamentis Hæreticorum, neque in languore Schiſmaticorum, neque in cæcitate Iudæorum quærenda eſt religio, ſed apud eos ſolos, qui Chriſtiani catholici, vel orthodoxi nominantur, id eſt, integritatis cuſtodes, & recta ſectantes. Hæc enim Eccleſia catholica per totum orbem validè, lateque diffuſa omnibus errantibus utitur ad profectus ſuos, & ad eorum correctionem, cùm evigilare voluerint. Vtitur enim Gentibus ad materiam operationis ſuæ, Hæreticis ad probationem doctrinæ ſuæ, Schiſmaticis ad documentum ſtabilitatis ſuæ, Iudæis ad comparationem pulchritudinis ſuæ.) His velut inſtrumentis conatus eſt diabolus depravare veritatem fidei catholicæ. Hi omnes ſignificantur per lunam propter defectum luminis, & variationem, quos ſancta Mater Eccleſia pedibus calcat; unde dicitur: *Et luna ſub pedibus eius.* Adjuvit autem ſanctus Thomas in ſua doctrina iſtorum errores ſupprimere, & calcare, & eos ad viam veritatis reducere, ut rectè dicatur de eo: *Eſt Is lux mundi.* Hi autem diſtincti ſunt in duodecim gradus.

Primi ſunt *Naturales*, qui varios errores induxerunt in principiis rerum naturalium. *Thales Mileſius*, qui fuit primus ex ſeptem ſapientibus Græciæ, poſuit aquam eſſe principium rerum naturalium. *Anaximander* hujus diſcipulus poſuit hoc immenſum omnium eſſe principium. *Anaximenes* huius auditor poſuit aerem eſſe principium. *Anaxagoras* poſuit intellectum quendam ſeparatum eſſe principium. *Archelaus* poſuit terram eſſe principium. *Empedocles* poſuit amicitiam, & litem elementorum eſſe principiũ, & interitũ omnium rerum naturalium. Et hæc principia colebant tanquam deos, ut declarat *Tullius libro primo de natura deorum.*

S. Thomas hos errores confutans, obtulit librum opuſculorum naturalium, in quo manifeſtat veritatem principiorum naturalium; propter quod dicunt illud Sapientiæ 5. *Ergo erravimus à via veritatis, & lumen iuſtitiæ non luxit nobis.* Nunc autem *eſt Is lux mundi.*

Secundi ſunt *Morales*, qui varios errores induxerunt, ſicut *Socrates*, qui poſuit, quòd homo habens ſcientiam peccare non poterat, ſed quicunque peccabat, propter ignorantiã peccabat: quia dixit omnes virtutes prudentias. Item poſuit, quòd in civitate omnia debent eſſe communia: ſcilicet poſſeſſiones, & officia debent eſſe perpetua. Et *Plato* hoc ipſum de uxoribus obſervari voluit.

Sanctus Thomas hos errores confutans, obtulit librum de quatuor virtutibus cardinalibus, in quo declarat, quid ſit tenendum circa iſta ſecundùm veritatem.

Tertii ſunt *Stoici*, qui varios errores induxerunt circa virtutes morales, ſicut *Pythagoras*, qui poſuit felicitatem in virtutibus, & quòd paſſio non poteſt cadere in virum ſapientem, ut proſequitur *Tullius in lib. de Tuſculanis quæſtionibus.*

Sanctus Thomas hos errores confutans, obtulit librum Ethicorum, in quo expoſuit veritatem eorum, quæ contingunt circa virtutes morales.

Quarti ſunt *Academici*, qui negaverunt hominem ſcire aliquid, ſicut *Plato*, *Speuſippus*, *Polemon*, *Arceſilas*, *Carneades*, qui voluerunt, quòd nihil poſſet ſciri certitudinaliter, ſed ad utrãque partem poſſet diſputari, ut dicit *Tullius lib. de Academicis.*

Sanctus Thomas hunc errorem confutans, obtulit librum quæſtionum quodlibetalium, in quo diſputat de omnibus rebus ad utramque partem, docens quid veri, ac certi tenendum ſit in ſingulis.

Quinti ſunt *Peripatetici*, qui negaverunt creationem, & mundum incepiſſe eſſe, ſicut *Ariſtoteles*, *Themiſtius*, *Xenophanes*, *Parmenides*, *Strabo Lampſacenus*, *Cleomedes*, *Proclus*, & plures, qui poſuerunt, quòd ex nihilo nihil fit.

Sanctus Thomas horum errores confutãs, obtulit fidelem expoſitionem ſuper libros Philoſophiæ naturalis, in quibus oſtendit veritates naturales non contradicere veritatibus theologicis.

Sexti ſunt *Epicurei*, qui voluerunt animam interire cum corpore, ſicut *Leucippus*, *Democritus*, *Ariſtippus*, qui felicitatem hominis poſuerunt in voluptatibus corporis, ut dicitur *Sapientiæ 2.*

Sanctus Thomas obtulit iſtis librum quæſtionum de anima, & quæſtiones de malo, in quibus declarat pœnas hominum pro peccatis, & gloriam ſempiternam pro virtuoſo vivere.

Septimi ſunt *Iudæi*, qui negant multas veritates circa fidem Chriſti, Angelorum officia, gra-

Digitized by Google

grátiam Incarnationis Christi.

Sanctus Thomas obtulit istis quæstiones de veritate, & quæstiones de Incarnatione Verbi, in quibus gratiam novi Testamenti mirabiliter declarat, & postillam super Ioannem.

Octavi sunt *Graci*, qui negant processionē Spiritus sancti à Filio, & multa circa potestatem Romani Pontificis.

Sanctus Thomas obtulit istis expositionē super primam decretalem, ultra librum contra errores Gentilium, in quo errores ipsorum elidit.

Noni sunt *Hæretici*, qui multa fingunt contra fidem catholicam, sicut *Origenes*, *Manichæus*, *Pelagius*.

Sanctus Thomas obtulit eis librum de articulis fidei, ad Magistrum Ordinis Prædicatorum, & quæstiones ad Lectorem Venetum, & quæstiones ad Lectorem Bisuntinum, in quibus omnibus eliminat hæreses istorum.

Decimi sunt *Rectores civitatum*, qui multos patiuntur defectus in illarum gubernatione.

Sanctus Thomas obtulit librum Politicorum, & OEconomicorum, in quibus docet modum gubernandi civitatem, & familiam.

Vndecimi sunt *Contemplativi*, in quibus contingit defectus ex contemplatione Divinorum, præcipuè secretorum cælestium.

Sanctus Thomas obtulit istis expositionem super Cantica Canticorum, & librum de substantiis separatis, in quibus & de Christo, & de Angelis multa disseruit; & expositionem super quatuor Evangelia ex dictis Sanctorū contextam, quam *Catenam auream* vocavit.

Duodecimi sunt *Activi*, præcipuè ministri Ecclesiæ, in quibus potest evenire error, quoad ministeria sua.

Sanctus Thomas obtulit illis expositionem super libros Dionysii, in quibus officia ministrorum Ecclesiæ declarantur secundùm ordines Angelorum. Omnes isti possunt verè dicere: quoniam sanctus Thomas *est lux mundi*.

Vnde cantat sancta Mater Ecclesia:

Exultet mentis tubilo,
Laudans turba fidelium,
Errorum pulso nubilo,
Per novi solis radium. &c.

Et sic patet, quòd lunam, nempe mundum subjecit pedibus sanctæ Matris Ecclesiæ. Psal. *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Propter quod hodie quadruplici coronâ est in gloria coronatus.

Prima corona est gloriæ in visione Divinæ essentiæ. Psal. *Gloriâ, & honore coronasti eum.* Hanc sibi dedit Pater dicens illud 1. Petri 5. cap. *Percipe immarcescibilem gloriæ coronam.* Quod significatum est in apparitione stellæ in modum cometæ per tres dies ante obitum eius.

Secunda est corona sapientiæ, quæ datur pro aureola Doctoribus, & hæc est corona aurea, de qua dicitur Eccli. 45. *Corona aurea super caput eius, expressa signo sanctitatis.* Hanc sibi dedit Filius, quod significatum est in ingressu eius ad scholas per associationem Pauli Apostoli.

Tertia est corona misericordiæ in operatione miraculorum, & hæc est corona de lapide pretioso, quam dedit sibi Spiritus sanctus, de quo dicitur Isaiæ 61. cap. *Spiritus Domini misit me: ut darem lugentibus coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu*, id est, sanitatem infirmis. Quod significatum est in fratre Ioanne Monacho monasterii, in quo sanctus Doctor obiit, qui cùm esset cæcus, in die obitus sancti Doctoris visum recepit.

Quarta est corona pudicitiæ, seu virginitatis, & hæc est corona florum, quam sibi dedit Beata Virgo, de qua dicitur Isaiæ 62. capite: *Eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.* Quod significatum est in visione beati Augustini, dicentis fratri Alberto de Brixia: Thomas mihi par est in gloria; sed virginitatis aureolâ me præcedit per gratiam Christi. Amen.

SERMO XXII.

IN FESTO SANCTI GREGORII PAPAE.

Eſt fidelis ſervus, & prudens. Matth. 24. cap.

BEatus Gregorius *in paſtorali parte 2. cap. 1.* dicit: Tantum debet actionem populi actio tranſcendere Præſulis, quantum diſtare ſolet à grege vita Paſtoris. Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtrum beatus Gregorius debuerit eſſe ſanctior, ut regimini Eccleſiæ eſſet aptior?

AD iſtam quæſtionem reſpondent duo Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt *Hormiſda Papa in Decret. diſt. 61. cap. In ſacerdotib.* dicens: In Sacerdotibus eligendis curam oportet eſſe perſpicuã. Irreprehenſibiles enim eſſe convenit, quos præeſſe neceſſe eſt corrigendis. Longâ debet vitam ſuam probatione demonſtrare, cui gubernacula committuntur Eccleſiæ.)

Secundus eſt *Sanctus Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 185. artic. 3.* dicens: Circa aſſumptionem alicuius ad Epiſcopatum, aliquid eſt conſiderandum ex parte eius, qui aſsumit, & aliquid ex parte eius, qui aſsumitur. Ex parte eius, qui aſsumit, vel eligendo, vel providẽdo, requiritur, quòd talẽ eligat, qui fideliter Divina miniſteria diſpenſet: quæ quidem diſpenſari debent ad utilitatem Eccleſiæ, ſecundùm illud 1. Cor. 14. *Ad ædificationem Eccleſiæ quærite, ut abundetis*. Non autẽ miniſteria Divina hominibus committuntur propter eorum remunerationem, quam expectare debent in futuro. Et ideo ille, qui debet aliquem eligere in Epiſcopum, vel de eo providere, nõ tenetur aſsumere meliorem ſimpliciter, quod eſt ſecundùm charitatem, ſed meliorem quoad regimen Eccleſiæ, qui ſcilicet poſſit Eccleſiam & inſtruere, & defendere, & pacificè gubernare. Vnde contra quoſdam *Hieronymus* dicit, quòd quidam non quærunt eos in Eccleſia columnas erigere, quos plus cognoſcunt Eccleſiæ prodeſſe, ſed quos vel ipſi amant, vel quorũ ſunt obſequiis deliniti, vel dediti, vel pro quibus majorũ quiſpiam rogaverit, & ut deteriora taceam, qui, ut clerici fierent, munẽribus impetrarunt.) Hoc autem pertinet ad acceptionem perſonarum, quæ in talibus eſt grave peccatum. Vnde ſuper illud Iacobi 2. *Fratres mei, nolite in perſonarum acceptione*, &c. dicit *Gla. Auguſtini*: Si hanc diſtantiam ſedendi, vel ſtandi ad honores Eccleſiaſticos referamus, nõ eſt putandum, leve eſſe peccatum, in perſonarum acceptione habere fidem Domini gloriæ. Quis enim ferat divitem eligi ad ſedem honoris Eccleſiæ, contempto paupere inſtructiore, & ſanctiore?) Ex parte autem eius qui aſsumit, non requiritur, quòd reputet ſe aliis meliorem, hoc enim eſſet ſuperbum, & præſumptuoſum; ſed ſufficit, quòd nihil in ſe inveniat, per quod illicitum ei reddatur aſsumere prælationis officium. Vnde licèt Petrus interrogatus eſſet, an Dominum plus ceteris diligeret, in ſua reſponſione non ſe prætulit ceteris, ſed reſpondit ſimpliciter, quòd Chriſtum amaret. Studium tamen illius, qui in dignitate eſt conſtitutus, debet ad hoc tendere, ut talem ſe exhibeat, ut ceteros & ſcientia, & ſanctitate præcellat. Vnde *Symmachus Papa, ut habetur 1. quæſt. 1. cap.* Viliſſimus computandus eſt, niſi ſcientiâ, & ſanctitate præcellat, qui eſt honore præſtantior. Sed non eſt ſibi imputandum, ſi ante prælationem non eſt excellentior. *Hæc Sanctus Thomas*.

Sciendum, quòd ad bonum publicum augendum concurrunt quatuor. Primò. Communitas, ut ſcilicet, qui eſt Paſtor, procuret bona communia, & non propria. 1. Cor. 13. *Charitas non quærit, quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti*. Hæc autem communitas exigit tria fundamenta: ſcilicet concordiæ unionem. Nam ſicut dicit *Philoſophus 9. Ethicorum*: Ad amicitiam non pertinet concordia in opinionibus, ſed concordia in bonis conferentibus ad vitam.) Et præcipuè in magnis: quia diſ-

diſsentire in aliquibus parvis, quaſi non videtur eſse diſsenſus. Exiſtente enim concordia in principalibus bonis, diſsenſio in aliquibus parvis non eſt contra charitatem. Sed pax vera non poteſt eſse niſi in bonis, & bonorum; pax autem malorum eſt pax non vera, ſed apparens. Ideo dicit *Auguſtinus* 19. *de civit. Dei cap.* 13. quòd pax hominum eſt ordinata concordia. Item exigit juſtitiæ adæquationem. Nam res diſtribui debent à communi in ſingulos, & commutari de uno in alium, & eſt quædam diſtributio laborioſorum operum, & commutatio. Similiter quando aliquis tradit rem ſuam alteri per recompenſationem alterius rei, ſicut accidit in emptione, & venditione. Rurſus exigit proprietatis oblivionem. Vnde *Tullius lib.* 1. *Officiorum* dicit: Scire debemus, quæ in terris gignuntur, ad uſum hominis creari omnia: homines autem hominum causâ fuiſse genitos, ut ipſi inter ſe alii aliis prodeſse poſſint; in hoc debemus naturam ducem ſequi, & communes utilitates in medium afferre. Qui reipublicæ præfuturi ſunt, duo Platonis præcepta teneant: Vnum, ut utilitatem civium ſic tueantur, ut quicquid agant, ad eam referant obliti commodorum ſuorum. Alterum, ut totum corpus reipublicæ curent, ne, dum unam partem tuentur, reliquas deſerant.)

Secundò. Concurrit commoditas, puta ſcientia in ſpeculabilibus. Vnde *Plato* dixit beatas fore reſpublicas, ſi eas aut ſapientes regerent, aut earum rectores ſapientiæ ſtuderent.) Item prudentia in agibilibus: quia prudentia eſt virtus maximè neceſsaria ad vitam humanam. Bene autem vivere conſiſtit in bene operari: ad hoc verò, quòd aliquis bene operetur, non ſolùm requiritur, quòd faciat, ſed etiam quomodo faciat, ut ſcilicet ſecundùm rationem rectam operetur, non autem ex impetu, aut paſſione. Rurſus ars in factibilibus: ut ars bellica, nautica, fabrilis, & ſic de ceteris artibus mechanicis.

Tertiò. Concurrit ſecuritas: puta lex naturalis, lex humana, & lex Divina. Pſal. *Lex Domini immaculata convertens animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis.* Et *Iſidorus lib. Etymol.* dicit, quòd lex eſt nullo privato commodo, ſed pro communi utilitate omnium conſcripta.

Quartò. Concurrit ſanctitas, cui tria expediunt: ſcilicet ſacrificia defenſiva. Nam per ſacrificia civitates defenſantur, ut tempore Moyſis *Exodi.* 17. *cap.* & tempore Joſue, *Joſue* 6. Et inimici debellati fuerunt, *Joſue* 10. Item pœnitentia reconciliativa, ut Ninive *Jonæ* 3. *cap.* Rurſus innocentia civitatum præſervativa, ut patet in decem juſtis tempore ſubverſionis Sodomæ, *Gen.* 18. *cap.* Et quia beatus Gregorius floruit, tũ ſanctitate vitæ, tum ſapientiâ doctrinæ, diligens communitatem fidelium, commoditatem, ſecuritatem, & ſanctitatem; ideo dicit verbum propoſitum:

Eſt fidelis ſervus, & prudens

Per humilitatem. Per patientiam.
Per vigilantiam. Per paupertatem.
Per confidentiam. Per pietatem.

PRIMO. *Beatus Gregorius eſt fidelis ſervus, & prudens per humilitatem.* Nam ſicut ex cæmento liquido, & ex lapidibus duris fit ædificium, ita etiam ex humilibus, & igne Divini amoris induratis fit ſpirituale ædificium. Vnde Dominus *Luca* 14. inducit ſimilitudinem de homine, qui vult turrim ædificare, quòd priùs ſedens computat ſumptus, qui ſunt ei neceſſarii, ſi habeat ad perficiendum, ne inſultetur ei: *Quia hic homo incepit ædificare, & non potuit conſummare.* Sumptus autem ad turrim ædificandam, ut *Auguſtinus in epiſtola ad Latum* dicit, nihil eſt aliud, quàm ut renunciet unuſquiſque omnibus, quæ ſunt eius. Materia autem huius ædificii eſt Chriſtus: quia *fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quòd eſt Chriſtus Jeſus.* Cui fundamento apponuntur Prophetæ, & Apoſtoli. Eph. 2. cap. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum.* Ad quod fundamentum pervenitur per humilitatem. Vnde *Auguſtinus.* Magnam fabricam vis conſtruere celſitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis.

Ad hoc ædificium Eccleſiæ volens pervenire beatus Gregorius, prius fecit fundamentum humilitatis, & hoc quadrupliciter.

1. In animo. Quia ſe peccatorem reputabat. Vnde Mauritio Imperatori, qui eum perſequebatur, ſic ſcripſit: Quia enim peccator ſum, credo, quòd omnipotentem Deum tantò vobis ampliùs placatis, quantò ſibi malè ſervientem affligitis.

2. In verbo, & doctrina. Nam primus in litteris ſuis ſervum ſervorum Dei ſe appel-

lavit. Etiam doctrinam ſuam vilem reputavit. Vnde dixit in epiſtola ad Innocentium Africæ præfectum: Si delicioſo cupitis pabulo ſaginari, beati Auguſtini opuſcula legite, & ad comparationem illius ſimilaginis noſtrum furfurem non quæratis.

3. In ſigno. Cùm enim quidam eremita vellet ſibi reverentiam exhibere, ipſe priùs ſe in terram proſtravit.

4. In honore injuncto. Eius quippe electio fuit invita ex parte ſui, & ideo fugit, & ſe abſcondit. Ex parte populi fuit voluntaria: quia omnes eum unanimiter elegerunt. Ex parte Dei fuit miraculoſa: quia, cùm latitaret, indicio columbæ manifeſtatus eſt.

SECVNDO. *B. Gregorius eſt fidelis ſervus, & prudens per vigilantiã.* Ipſe enim poteſt dicere illud Eccli. 33. *Ego noviſſimus evigilavi, & quaſi qui colligit racemos poſt vindemiatores. In benedictione Dei & ipſe ſperavi: & quaſi vindemians replevi torcular.* Gregorius enim interpretatur vigilans, & hoc quantùm ad quatuor.

Primò. Quantùm ad Deum per contemplationem; ideo ipſum Deum invenire meruit. Proverb. 8. cap. *Qui mane vigilaverint ad me, invenient me.* Meruit enim Chriſtum in peregrini ſpecie, & viſibili carne videre. Meruit videre Spiritum ſanctum in ſpecie columbæ ſuper caput eius manentem. Meruit videre beatam Virginem inter choros Angelorum jubilantium, & dicentium: *Regina cæli lætare*, & ſibi propitiam in peſtis propulſatione, quando ante imaginem Virginis turbulentia aeris fugit, & ſerenitas mira remanſit. Meruit videre Angelos orationes ſuas Deo offerentes, ſicut audivit ab Angelo, quem in forma peregrini ſuſcepit, & pauperis: Ego Angelus Dei ſum, & Dominus miſit me ad te, ut te protegam, & orationes tuas Deo offeram. Etiam vidit Angelum ſibi obſequentem. Nam in die Paſchæ, cùm apud ſanctam Mariam majorem Miſſam celebraret, & *Pax Domini* pronunciaret, Angelus alta voce reſpondit: *Et cum ſpiritu tuo.* Vnde Papa eadem die celebrat in dicta Eccleſia, & cùm dicit: *Pax Domini*, ſibi minimè reſpondetur in huius miraculi teſtimonium.

Secundò. Vigilavit quantùm ad ſe per vitæ perfectionem. Nam terrena deſpexit, cæleſtia ſuſpexit, mortem appetiit. Vnde in *Prologo dialogi* dicit: Infelix animus meus in monaſterio meminit qualis fuit: quomodo ei labentia cuncta ſubtererant, quòd nulla niſi cæleſtia cogitare conſueverat, quòd mortem quoque, quæ penè cunctis pœna eſt, ut ingreſſum vitæ, & laboris ſui præmium amabat.

Tertiò. Vigilavit quantùm ad proximum per ſolicitam proviſionem. Eccleſia enim Dei modò picta eſt in officio Eccleſiaſtico multiplici colore. Primum colorem appoſuit *Chriſtus*, dicens: *Hoc eſt Corpus meum.* Secundum appoſuerunt *Apoſtoli*, quando orationem Dominicam in Miſſa dicendam ordinaverunt. Tertium appoſuit *Ignatius*, qui Pſalmos per antiphonas dicendas ſtatuit. Quartum appoſuit *Hilarius*, qui *Gloria in excelſis Deo* compoſuit. Quintum appoſuit *Nicæna Synodus*, quæ ſymbolum maius inſtituit. Sextum appoſuit *Athanaſius*, qui fidem catholicam ſufficienter explicavit, dicens: *Quicunque vult ſalvus eſſe*, &c. Septimum adjunxit *Hieronymus*, qui Pſalterium per ferias diſtinxit, & *Gloria Patri* in fine Pſalmorum dicendum inſtituit. Octavum appoſuit *Ambroſius*, qui cantus, hymnos, & orationes fecit. *Gregorius* verò opus perfecit: quia totum officium Eccleſiæ ordinavit. Eccli. 47. *Stare fecit cantores contra altare.* Ordinavit hymnos; ideo ſequitur: *In ſono eorum dulces fecit modos.* Ordinavit Miſſam; ideo ſequitur: *Dedit in celebrationibus decus.* Ordinavit officium in ſeptem horis perpetuò decantandum; ideo ſubditur: *Ornavit tempora uſque ad conſummationem vitæ.* Ordinavit Antiphonarium in matutinis ſpecialiter decantandum; ideo ſubditur: *Ampliavit mane Dei ſanctitatem.* Ordinavit, quòd *Miſſa* vocetur: quia ſacra Hoſtia eſt nobis à Deo dupliciter miſſa: ſcilicet per Incarnationem in mundo, & per Sanctificationem in Sacramento. Et nos eam ſibi dupliciter mittimus ſcilicet per Paſſionem, quâ Deo reconciliamur, & per quotidianam oblationem, quæ pro nobis intercedit, ut Dei miſericordiam conſequamur. Ordinavit etiam, ut Miſſa in triplici lingua decantaretur: ſcilicet Græcâ, ut *Kyrie eleiſon* Hebræâ, ut *Amen*, & *Alleluia*: & Latinâ, ut alia, quæ leguntur; ut ſicut iſtæ tres linguæ in titulo Crucis poſitæ confeſſæ ſunt Chriſtum tunc morientem, ſic nunc ipſum laudarent in cælo regnantem. Ordinavit etiam, quòd in Miſſa fierent tres partes hoſtiæ conſecratæ, quarum una ponitur in calicem, & immergitur vino, & ſignificat Beatos, qui inebriantur ab ubertate domus Dei. Alia, & major, ſignificat fideles in mundo iſto, qui exponuntur multis acerbitatibus. Tertia, & minor,

Digitized by Google

nor, significat fideles in purgatorio, qui subjiciuntur magnis pœnalitatibus.

Quartò. Vigilavit quantùm ad Ecclesiam per utilem sacræ Scripturæ expositionem, ut dicatur de eo illud Gen. 49. *Nephtali cervus emissus, dans eloquia pulchritudinis*. Studuit enim in quinque libris, à quibus exemplar desumpsit in omnes libros suos: scilicet in libro creaturarum, in quibus vidit Dei potentiam, sapientiam, bonitatem: & juxta hunc disposuit libros suos, quibus instruxit rudiores, qui aliquando instruuntur verbis; ideo composuit quadraginta Homilias in Evangelia. Subinde instruuntur exemplis; ideo confecit Dialogum. Studuit in libro conscientiæ per vitiorum extirpationem, & virtutum plantationem, & juxta hunc edidit libros moralium. Studuit in libro scientiæ per pastoralis officii perfectam cognitionem, & ab isto desumpsit libros pastoralis regiminis. Studuit in libro vitæ, & inde collegit expositionem super Ezechielem. Studuit demum in libro gratiæ per omnium gratiarũ, & virtutum possessionem, & ab hoc elicuit ordinationem Officii Ecclesiastici.

TERTIO. *Beatus Gregorius est fidelis servus, & prudens per confidentiam*. Valde enim confidit in misericordia Dei, & hoc quatuor modis.

1. Per orationes suas ipsũ Deum ad misericordiam inclinando: quia Traiano pœnam æternam pepercit. Gen. 32. *Si contra Deũ fortis fuisti, quantò magis contra homines prævalebis?*

2. Ipsum Angelum placando. Cùm enim beatus Gregorius tempore pestis oraret, vidit Angelum gladium cruentatum tergentem, & reponentem.

3. Diabolum fugando. Nam falcem accensam de manu Petri Diaconi accipiens, os eius, & faciem exussit, & instar Æthiopis denigravit.

4. Purgatorium aperiendo, & animas ab eo citius liberando, ut patet de Missis, quas fecit celebrari pro fratre Iusto, &c. Hæ Missæ, cùm sint satisfactoriæ, non possunt nisi pro uno celebrari. Etiam non possunt dici nisi ab eo, qui aliter non est obligatus. Etiam Missa conventualis non est computanda in numero harum Missarum.

QVARTO. *Beatus Gregorius est fidelis servus, & prudens per patientiam*. Licèt enim langueret, semper tamen aut legebat, aut scribebat, aut dictabat, aut orabat. 2. Corinth. 12. *Cùm enim infirmor, tunc potens sum*. Sancti enim viri quando sunt infirmi corpore, sunt fortiores mente: infirmi ad amandum terrena, fortes ad amandum cælestia. Cùm enim orasset pro Traiano, Angelus dixit ei: Quia orasti pro damnato, duorum tibi optio datur: Aut in Purgatorio duobus diebus cruciaberis, aut omni tempore vitæ tuæ doloribus, & infirmitatibus affligeris. Qui præelegit toto tempore vitæ suæ vexari infirmitate, quod factum est; languores tamen suos patienter toleravit.

QVINTO. *Beatus Gregorius est fidelis servus, & prudens per paupertatem*. Quamvis enim multis divitiis abundaverit, in his tamen omnibus pauper fuit: quia omnia pauperibus erogavit. Proverb. 13. cap. *Est quasi dives, cùm nihil habeat: & est quasi pauper, cùm in multis divitiis sit*. Quod patet ex quatuor signis.

1. Sex monasteria in Sicilia construxit, & septimum in domo propria fundavit.

2. Indigentium nomina scripta habuit, & eis necessaria ministrabat; unde quotidie duodecim pauperes in mensa secum habebat.

3. Tribus millibus ancillis Dei pro quotidianis stipendiis octuaginta auri pondera annuatim offerebat.

4. Ex revelatione facta cuidam eremitæ, qui petens à Deo qualem gloriam in cælis haberet, responsum est ei, quòd æqualem cum beato Gregorio, qui divitias non amando, sed pauperibus erogando distribuit.

SEXTO. *Beatus Gregorius est fidelis servus, & prudens per pietatem*. Nam & justus fuit in puniendo, & pius in compatiendo. Talis debet esse qualitatis Prælatus, ut constituatur super familiam Christi, hìc per gratiam, tandem per gloriam. Amen.

SER-

SERMO XXIII.

IN FESTO SANCTI BENEDICTI ABBATIS.

Eius memoria in benedictione eſt. Eccli. 45. cap.

GEneſis 24. cap. dicitur: *Ingredere, benedicte Domini: cur foris ſtas? Præparavi domum, & locum camelis.* Super quo talem movco quæſtionem.

Vtrum Beatus Benedictus in viſione, quâ vidit totum mundum ſpecificè, viderit Divinam eſſentiam beatificè?

AD iſtam quæſtionem reſpondent duo Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt *Beatus Gregorius lib. 2. dialogorum cap.* 35. dicens, quòd beatus Benedictus vidit totum mundum in Divino lumine, non quod eſt Deus, ſed quod eſt ab ipſo derivatum, ſecundùm illud Pſal. *In lumine tuo videbimus lumen.*

Secundus eſt *Sanctus Thomas* 1. *quodlibet. q.* 1. *a.* 1. dicens ſic: Corpus corruptibile aggravat animam, ut dicitur *Sapientia 9. cap.* Summa autem elevatio mentis humanæ eſt, ut ad Divinam eſſentiam videndam pertingat; unde impoſſibile eſt, ut mens humana Dei eſſentiam videat, ut *Aug.* dicit 12. *ſuper Gen. ad litteram;* niſi huic vitæ mortali homo funditus intereat, vel ſic alienetur à ſenſibus, ut neſciat, utrum ſit in corpore, an extra corpus, ſicut de Paulo legitur 2. *Cor.* 12. Beatus autem Benedictus quando illam viſionem vidit, nec huic vitæ funditus mortuus erat, nec à corporeis ſenſibus alienatus; quod patet per hoc, quòd, dum adhuc in eadem viſione perſiſteret, alium ad idem videndum advocavit, ut *Gregorius* dicit. Vnde manifeſtum eſt, quòd Dei eſſentiam non vidit. *Hæc S. Thomas.*

Sciendum, quòd benedictio eſt triplex: ſcilicet naturæ, gratiæ, & gloriæ. Benedictio naturæ fuit in prima rerum creatione, quando benedixit nos Deus in primo parente, ut multiplicaremur naturaliter. Vnde Geneſ. 1. cap. dicitur: *Benedixit eis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Quæ quidem multiplicatio virtute huius benedictionis debebat eſſe cum innocentia. Vnde *Anſelmus* dicit *lib. de conceptu virginali*, quòd ſimul, cùm rationalem haberent animam, juſti eſſent, quos generaret homo, ſi non peccaſſet. Item hæc multiplicatio fuiſſet ſine mortalitate. Vnde *Auguſt. in lib. de quæſtionibus novi, & veteris Teſtamenti* dicit, quòd Deus fecit hominem, qui, quamdiu non peccaret, immortalitate vigeret, ut ipſe ſibi auctor eſset, aut ad vitam, vel ad mortem. Rurſus hæc multiplicatio fuiſſet ſine pœnalitate. Nam corpus hominis in ſtatu innocentiæ poterat præſervari, ne pateretur læſionem ab aliquo duro: partim quidem per propriam rationem, per quam poterat nociva vitare: partim etiam per Divinam providentiam, quæ ſic ipſum tuebatur, ut nil ei occurreret ex improviſo, à quo læderetur.

Benedictio gratiæ fuit in Divini Verbi Incarnatione. Tunc enim Deus Pater nos benedixit, quando ad nos Filium ſuum miſit, in quo omnes benedicimur, quantùm ad plenitudinem gratiæ. Gen. 22. cap. *In ſemine tuo*, id eſt, in Chriſto, *benedicentur omnes gentes.* Nam propter peccatum primi hominis triplex maledictio introivit in mundũ. Primò. Terræ ſterilitas. Gen. 3. *Maledicta terra in opere tuo: ſpinas, & tribulos germinabit tibi.* Secundò. Laboris anxietas. Vnde dicitur ibidem: *In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* Tertiò. Doloris multiplicabilitas. Vnde dicitur ibidem: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries*, &c. Chriſtus in hunc mundum veniens loco innocentiæ perditæ attulit gratiam. Ioann. 1. *Gratia, & veritas per Iſum Chriſtum facta eſt.* Locò mortis attulit vitam. Ioann. 10. cap. *Ego veni, ut vitam habeant.* Locò pœnalitatis attulit immortalitatẽ, cuius exemplar apparuit in Reſurrectione ipſius. Ideo dicitur 1. Cor. 15. *In Chriſto omnes vivificabuntur.*

Be-

Digitized by Google

Benedictio gloriæ dabitur nobis in fine mũdi, quantùm ad corpus, & animam ſimul. Matth. 22. cap. *Erunt homines, ſicut Angeli Dei in cælo.* Nam ad beatitudinem conſequẽdam concurrunt duo: ſcilicet natura, & gratia. Ipſa verò perfectio beatitudinis, quæ eſt perfectio totius univerſi, puta perfecta beatitudo Sanctorum, erit in fine mundi. Sed iſta conſummatio præceſſit cauſaliter: quantùm ad naturam quidem, in prima rerum inſtitutione; quantùm ad gratiam verò, in Incarnatione Chriſti. Sicut autem in ſeptimo die fuit conſummatio naturæ, in Incarnatione Chriſti conſummatio gratiæ, (cùm moriens in Cruce dixit: *Conſummatum eſt*, Ioannis 19. cap.) ſic in fine mundi erit conſummatio gloriæ, *Matth. 13. cap.* Hanc triplicem benedictionem habuit beatus Benedictus, prout fuit ſibi oſtenſum in illa viſione, quâ vidit totum mundum. Ideo dicitur, quòd

Eius memoria eſt in benedictione

Angelorum. Apoſtolorũ. Electorum.
Patriarcharum. Martyrum. Confeſſorũ. Contemplativorum.
Prophetarũ. Virginum. Activorum.

PRIMO. *Memoria beati Benedicti eſt in benedictione Angelorum.* Horum benedictio eſt hominum cuſtodia, circa quos agunt quatuor.

Primò. Aſſiſtunt homini, ne à diabolo ſuffocetur, & in profundum inferni demergatur.

Secundò. Illuminant hominem, ut ſe, & peccatum ſuum agnoſcat, & ut proximum delinquentem charitativè corripiat.

Tertiò. Excitant hominem, ut ad Deum convertatur, & hoc per contritionem, & ne ulterius in peccatum recidat.

Quartò. Orationes hominum Deo præſentant, ut patet de Raphaele, qui dixit Tobiæ cap. 12. *Quando tu orabas cum lacrymis, ego orationem tuam obtuli coram Domino.*

Beatus Benedictus iſta officia Angelorum ſe habuiſſe demonſtravit. 1. Aſtitit Placido puero, & monacho, quem raptu fluvii à ſubmerſione liberavit.

2. Illuminavit monachos, eos charitativè corripiendo, quòd ſibi vinum veneno mixtum obtuleraut, quia diſtrictiùs regulam ſervari volebat.

3. Excitavit Florentium Presbyterum, ut à malitia ſua ceſſaret, qui virum Dei perſequebatur.

4. Monachum ab oratione exeuntem ſic conſtantem reddidit, ut deinceps dæmon non fuerit auſus illum ab oratione diſtrahere, ut ſic quilibet iſtorum dicere poſſit illud Actor. 12. cap. *Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum*, &c.

SECVNDO. *Memoria beati Benedicti eſt in benedictione Patriarcharum.* Inter hos fuerunt præcipuè quatuor, quorum veſtigia eſt ſecutus.

Primus eſt *Abrahам*, de quo dicitur Gen. 12. cap. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtravero tibi, faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus.* Vbi Dominus hortatur beatum Benedictum ad mundi contemptum, & ad Religionis ingreſſum, quæ duo plenè obſervavit. *Gregorius lib. 2. dial. ab initio.* Deſpectis ſtudiis, relictâ domo, rebuſque patris, ſoli Deo placere deſiderans, ſanctæ converſationis habitum quæſivit.

Secundus eſt *Lot*, de quo dicitur *Gen. 19.* quòd Angeli Lot extra Sodomam poſuerunt, præcipientes, ne poſt tergum reſpiceret, & ne in omni loco circa regionem maneret. Sic Angeli beatum Benedictum eduxerunt de Sodoma mundi, ne cum mundanis habitaret etiam corporaliter. Et in hoc, quòd præceperunt, ne poſt tergum aſpiciat, dederunt intelligere, ne rediret ad mundum etiam mentaliter.

Tertius eſt *Iacob*, qui in deſerto triplicem benedictionem obtinuit ab Angelo, *Gen. 32.* Vnam: quia nervus femoris emarcuit, id eſt, concupiſcentia debilitata fuit. Alteram: quia nomen mutavit, ſcilicet Iſrael, id eſt, videns Deum. Poſtremam: quia contra Deum fortis fuit, ut dixit ei Angelus.

Hanc triplicem benedictionem habuit beatus Benedictus in deſerto Religionis: ſcilicet carnis incorruptionem, ut patet de merula, quæ ante eius faciem volitabat; cumque magna carnis concupiſcentia eum tentaret, ſigno Crucis edito, mox nudum ſe inter ſpinas, & vepres projecit, ut ſic per vulnus corporis vulnus ſanaret mentis. Deuter. 33. cap. *Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat ſuper caput Ioſeph.* Rubus, qui ardebat, & non comburebatur, eſt caſtitas, quæ à concupiſcentia non ſuperatur. Habuit cæleſtium contempla-

tio-

tionem, ut patet quando nutricem ſuam occultè fugiens, in quendam locum venit in Campania, qui diſtat Romá 40. milliaribus, ubi tribus annis incognitus hominibus permanſit, excepto quodam monacho nomine Romano, qui ſibi ſedulè neceſſaria miniſtrabat. Gen. 27. cap. *In pinguedine terræ, & in rore cæli deſuper erit benedictio tua*. Habuit devotam orationem, quæ Deum vincit, ut patet de capiſterio fracto, ad eius orationem redintegrato. Oſee 12. *Invaluit ad Angelum, & confortatus eſt: flevit, & rogavit eum*.

Quartus eſt *populus Iſrael*, qui ex Ægypto exiens venit in deſertum, de deſerto in terram promiſſionis, in qua primos fructus terræ comedit, deinde pervenit in Ieruſalem. Sic beatus Benedictus de mundo tenebroſo pervenit ad deſertum pœnitentiæ, & inde ad guſtum cæleſtis gratiæ, tandem ad contemplationem ſupernæ patriæ. Et ſicut in deſerto Deus miniſtravit populo Iſrael manna; ſic beato Benedicto per Romanum monachum neceſſaria ſubminiſtravit, licèt diabolus tintinabulum fregerit.

TERTIO. *Memoria Beati Benedicti eſt in benedictione Prophetarum*. Inter hos fuerunt præcipuè quatuor.

Primus fuit *Moyſes*, cum quo magnam ſimilitudinem habet B. Benedictus. Nam ſicut ille Ægyptum, ſic iſte mundum deſeruit; ecce nocivi derelictio. Sicut ille deſertum, ſic iſte clauſtrum petiit; ecce proficui electio. Sicut ille Iudæos in deſertum, ſic iſte monachos in eremum deduxit; ecce multitudinis gubernatio. Sicut ille legem, ſic iſte regulam tradidit; ecce populi inſtructio. Sicut ille tentationes populi, ſic iſte tentationes diaboli ſuperavit; ecce tentationum ſubjugatio. Sicut ille multis, & ſtupendis miris, ſic iſte crebris miraculis claruit; ecce miraculorum operatio.

Secundus fuit *David*, qui habuit ſpiritum prophetiæ, quoad præterita, præſentia, & futura; unde factus eſt Rex ſuper populum Iſrael. Sic Beatus Benedictus ſpiritu prophetiæ viguit, cognoſcens occulta, & præſentia, ſicut patet in monacho ſibi ſerviēte de ſuperbia tentato; unde factus eſt princeps monachorum.

Tertius fuit *Elias*, qui latens in ſpelunca paſtus eſt à Deo miniſterio corvi deferentis ei panes, & carnes. Sic B. Benedictus poſt mortem Romani monachi, refectus eſt in die Paſchæ, dum latitaret in ſpecu, per quendam Sacerdotem à Deo miſſum.

Quartus fuit *Eliſeus*, qui ſtans in cellula ſua, cognovit, quid egerat Giezi puer eius in via cum Naaman Syro, ut dicitur 4. *Reg.* 5. Etiam cùm quidam materiam ſuccidiſſet, & caderet ferrum ſecuris in aquam, tulit Eliſeus manubrium, & ferrum enatavit, ut dicitur 4. *Reg.* 6. *cap.* Sic B. Benedictus ſpiritu prophetico cognovit monachos extra monaſterium comediſſe. Similiter, cùm circa monaſteriū eius quidam falce vepres abſcinderet, ferrum de manubrio proſiliens in quendam lacum profundum cecidit; cumque ille de hoc nimis anguſtiaretur, vir Dei manubrium in lacu poſuit, & mox ferrum enatavit.

QVARTO. *Memoria Beati Benedicti eſt in benedictione Apoſtolorum*. His aſſimilatur in quatuor.

Primò. In humilitatis ſubjectione. Vnde dicitur Matth. 18. cap. quòd acceſſerunt Diſcipuli ad Ieſum dicentes: *Quis putas maior eſt in regno cælorum? Et advocans Ieſus parvulum, ſtatuit eum in medio eorum*, &c. Sic B. Benedictus juxta numerum duodecim Apoſtolorum totidem gradus humilitatis diſtinxit, & in vita ſua obſervavit.

Secundò. In Eccleſiarum fundatione. Nam Apoſtoli diſcurrentes per mundum, novas Eccleſias fundaverunt, & Chriſto dedicavērunt. Sic beatus Benedictus juxta numerum duodecim Apoſtolorum totidem monaſteria conſtruxit, & ea monachis replevit.

Tertiò. In prolis propagatione. Nam Apoſtoli ſua prędicatione multos filios genuerunt Chriſto ſpiritualiter. 1. Corinth. 4. cap. *In Chriſto Ieſu per Evangelium ego vos genui*. Sic beatus Benedictus per regulam ſuam innumerabiles filios genuit. Deuteron. 33. cap. *Benedictus in filiis Aſer, ſit placens fratribus ſuis*. Multos enim filios ſpiritualiter generavit, generatos temporalibus ſubſidiis enutrivit, nutritos ad officia, & abbatias promovit.

Quartò. In miraculorum operatione. Nam quædam miracula fecit in elementis, ſcilicet in igne purgatorii, ſicut quando pro monialibus defunctis oravit. In igne phantaſtico, quem ſuis meritis extinxit. In aere, quando lucem cæleſtem aſpexit. In aqua, quando Placidum puerum liberavit. In terra, quando aquam de terra produxit. In cælo, quando animam ſororis in ſpecie columbæ aſcendentem vidit. In morte hominis, quando mo-

Digitized by Google

monachum, quem diabolus ex ruina parietis oppreſſerat, liberavit. Poſt mortem hominis, quando monachum, qui ad parentes viſitandos ſine benedictione iverat, adjuvit, & ſic de aliis.

QVINTO. *Memoria beati Benedicti eſt in benedictione Martyrum.* Quamvis enim non fuerit Martyr effectu, ardentiſſimè tamen deſideravit martyrium affectu, quod patet in quadruplici ſigno.

1. Ex ferventi devotione, per jugem dominicæ Paſſionis recordationem. Pſal. *Intingatur pes tuus in ſanguine.*

2. Ex monumenti apertione: fecit enim ſibi monumentum aperiri, quod indicat moriendi alacritatem. Iob 3. cap. *Gaudent vehementer, cùm invenerint ſepulcrum.*

3. Ex loci veneratione: fecit enim ſe conferri in Eccleſiam, ut proteſtaretur Dei bonitatem propter beneficia recepta.

4. Ex Divina revelatione: prædixit enim diem ſui obitus, & Sacramentum Euchariſtiæ devotiſſimè ſuſcepit.

SEXTO. *Memoria beati Benedicti eſt in benedictione Confeſſorum.* Horum quippe vitam imitatus eſt quoad quatuor.

1. In compaſſione. *Gregorius lib. 2. dial. cap. 1.* Benedictus religioſus, & pius puer, cùm nutricem ſuam flere conſpiceret, illius dolori compaſſus eſt.) Et ideo meruit divinam miſerationem. Matth. 5. *Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.*

2. In oratione; ideo meruit exaudiri. Eccli. 3. *In oratione dierum exaudietur.*

3. In electione; ideo meruit divinâ ſapientiâ impleri. 1. Timot. 4. *Attende lectioni, & exhortationi, & doctrinæ.*

4. In efficaci locutione; ideo meruit plures Deo lucrari. *Gregorius ibidem.* Dum ei cibos deferebant corporis, ab eius ore in ſuo pectore verba referebant vitæ.) Patet ex miraculo dolii, quod impletum eſt oleo tempore illius magnæ famis, &c.

SEPTIMO. *Memoria Beati Benedicti eſt in benedictione Virginum.* Fuit enim virgo mente, & corpore. *Gregorius.* A pueritia cor ſenile geſſit, ætatem quidem moribus tranſiens, nulli animum ſuum voluptati dedit.) Iſtud patet quadruplici ſigno.

1. Quia fuit talis in ſenectute, qualis in juventute. Nam perſeveravit in eadem fortitudine operis. Pſal. *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam.*

2. Quia perſeveravit in eadem alacritate mentis. Proverb. 17. cap. *Animus gaudens ætatem floridam facit.*

3. Quia fuit in eodem calore amoris. Cantic. 8. cap. *Fortis eſt, ut mors, dilectio.*

4. Quia ſemper profecit in Dei cognitione. Vnde mundana, & tranſitoria ſibi diſplicuerunt. Iſaiæ 58. *Implebit Dominus ſplendoribus animam tuam.*

OCTAVO. *Memoria beati Benedicti eſt in benedictione Electorum.* Nomen enim eius ſicut ceterorum Sanctorum eſt magnificatum quadrupliciter.

1. Quia ſemper eſt coram oculis Divinæ Majeſtatis. Pſal. *Honorabile nomen eorum coram illo.*

2. Quia in honore habetur ab Angelis. 2. Reg. 7. cap. *Fecit tibi nomen grande iuxta nomen magnorum.*

Quia eſt ſcriptum in cælis. Luc. 10. *Gaudete: quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.*

4. Quia honoratur ab omnibus Eccleſiis. Eccli. 44. cap. *Sapientiam Sanctorum narrent populi, & laudem eorum nunciet Eccleſia.*

NONO. *Memoria beati Benedicti eſt in benedictione Contemplativorum.* Sicut enim lucerna accenſa extinguitur aut per negligẽtiam, aut nimiam abundantiam, aut per nimiam penuriam; ſic contemplationem mentis quidam perdunt per negligentiam, ut virgines fatuæ, *Matth. 25. cap.* Quidam per nimiam abundantiam. Pſal. *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum.* Quidam per adverſitatem illatam. Eccli. 21. *Cor fatui quaſi vas confractum, & omnem ſapientiam non tenebit.*

Beatus autem Benedictus fuit expeditus ad ambulandum, ne torpeſceret per negligentiam. Ideo dicitur Deuter. 33. cap. *Ferrum, & æs calceamentum eius.* Fuit enim calceatus ære: quia non marceſcebat per proſperitatem nimiam. Fuit etiam calceatus ferro, ut eſſet firmus contra adverſitatem illatam; unde quia fuit in contemplatione aſſiduus, meruit cæleſtibus revelationibus illuſtrari. Pſal. *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.* In cuius ſignum viſio quædam, utique certa, monſtrata eſt uni fratri moranti in cella, & alteri longè poſito. Viderunt namque viam palliis ſtratam, atque innumeris coruſcam lampadibus à cella ſancti Benedicti verſùs Orientem uſque ad cælum tendentem. Cumque in venerando habitu vir deſuper clarus aſſiſtens, cuius eſſet via, quam cernerẽt, inquiſiviſſet, quod cùm neſcire ſe dicerent, ait: Hæc eſt via, quá dilectus Domini Be-

nedictus cælum aſcendit. Sicque certificati ſunt ambo pariter.

DECIMO. *Memoria Beati Benedicti eſt in benedictione Activorum.* Nam erectus inter manus diſcipulorum vitam finivit. Quidam enim moriuntur jacentes, qui bonis operibus vacaverunt. Quidam proſtrati, qui per peccatum corruerunt. Quidam claudi, qui fidem ſine operibus habuerunt. Quidam ab infirmitate ſanati ſunt, qui poſt peccatum ad pœnitentiam redierunt. Quidam erecti, ſicut viri ſancti, qui à peccato ſunt liberati, bonis operibus pleni, & intentione recti. Has differentias tangit Apoſtolus Hebr. 12. cap. *Remiſſas manus, & genua ſoluta erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris; ut non claudicans quis erret, magis autem ſanetur.*

Beatus autem Benedictus in ſignum rectitudinis ſuæ activitatis, inter diſcipulorum manus imbecillia membra ſuſtentans, erectis in cælum manibus ſteit, & ultimum ſpiritum inter verba orationis efflavit. Ideo, ut dicitur Iſa. 33. cap. *Regem in decore ſuo videt*, ſcilicet Ieſum Chriſtum, per infinita ſecula. Amen.

SERMO XXIV.

IN FESTO ANNVNCIATIONIS DOMINICAE.

Quomodo fiet iſtud? Luc. 1. cap.

BEatus Bernardus *in quadam epiſtola* dicit: Nemo hominum novit, nec noſcere poteſt ad plenum, quid boni ad gratiam, quid congruentiæ ad ſapientiam, quid decoris ad gloriam, quid commodi ad ſalutem penes ſe ipſam continet huius venerandi myſterii, ſcilicet humanæ redemptionis, inſcrutabilis altitudo.) Super quo talem moveo quæſtionem.

Virum ad generis humani poſt lapſum reparationem congruum fuerit ſubſequi Verbi Dei Incarnationem?

AD iſtam quæſtionem reſpondent tres Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt *beatus Auguſtinus lib. 13. de Trinitate cap.* 10. dicens: Oſtendamus non alium modum poſſibilem Deo defuiſſe (cuius poteſtati omnia æqualiter ſubjacent) ſed ſanandæ miſeriæ noſtræ convenientiorem alium modum non fuiſſe.)

Secundus eſt *Damaſcenus in principio tertii libri* dicens: Per Incarnationis myſterium monſtratur ſimul bonitas, ſapientia, juſtitia, & potentia Dei, vel virtus. Bonitas quidem: quoniam non deſpexit proprii plaſmatis infirmitatē. Iuſtitia verò: quoniā homine victo non aliū facit vincere tyrannū, neque vi eripit ex morte hominem. Sapientia verò: quoniam invenit difficillimi doctiſſimam ſolutionem. Potentia verò, ſive virtus infinita: quia nihil eſt maius, quàm Deum fieri hominem.)

Tertius eſt *Sanctus Thomas tertia parte qu.* 1. *artic.* 2. *ad* 2. dicens: Aliqua ſatisfactio poteſt dici ſufficiens dupliciter. Vno modo perfectè, quia eſt condigna per quandam adæquationem ad reparationem commiſſæ culpæ; & ſic hominis puri ſatisfactio ſufficiens eſſe non potuit pro peccato: tum quia tota natura humana erat per peccatum corrupta, nec bonum alicuius perſonæ, vel etiam plurium poterat per æquiparantiam totius naturæ detrimentum recompenſare: tum etiam, quia peccatum contra Deum commiſſum quandam infinitatem habet ex infinitate Divinæ majeſtatis: tantò enim offenſa eſt gravior, quantò major eſt ille, in quem peccatur, ſeu delinquitur. Vnde oportuit ad condignam ſatisfactionem, ut actio ſatisfacientis haberet efficaciam infinitam, utpote Dei & hominis exiſtens. Alio modo poteſt dici ſatisfactio ſufficiens imperfectè, ſcilicet ſecundùm acceptationem eius, qui eſt eâ contentus, quamvis non ſit condigna; & hoc mo-

modo ſatisfactio puri hominis eſt ſufficiens. Et quia omne imperfectum præſupponit aliquid perfectum, à quo ſuſtentetur; inde eſt, quòd omnis puri hominis ſatisfactio efficaciam habet à ſatisfactione Chriſti. *Hæc S. Thomas*.

Sciendum, quòd congruum fuit Deum incarnari propter duo. *Primò*. Propter remotionem mali, propter quatuor cauſas.

Primò. Quia per hoc homo inſtruitur, ne ſibi diabolum præferat, & eum veneretur, qui eſt auctor peccati. Vnde *Auguſtinus* 13. *de Trinitate cap.* 17. Cùm ſic Deo conjungi potuit humana natura, ut fieret una perſona, ſuperbi illi maligni ſpiritus, non ideo ſe audeant homini præponere, quia non habent carnem.)

Secundò. Quia per hoc inſtruimur, quanta ſit dignitas humanæ naturæ, ne eam inquinemus peccando. Vnde *Auguſtinus lib. de vera religione cap.* 16. Demonſtravit nobis Deus, quàm excelſum locum inter creaturas habeat humana natura in hoc, quòd hominibus in vero homine apparuit. Et *Leo Papa ſermone* 1. *de Nativitate*. Agnoſce, ò Chriſtiane, dignitatem tuam, & Divinæ conſors factus naturæ noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire. Memento, cuius ſis capitis, & cuius corporis membrum. Reminiſcere, quoniam erutus de poteſtate tenebrarum, translatus es in Dei lumen, & regnum.)

Tertiò. Quia ad præſumptionem hominis tollendam, gratia Dei nullis meritis noſtris præcedentibus in homine Chriſto in nobis commendatur, ut dicit *Auguſtinus* 13. *de Trini. cap.* 17. Et ſic ſuperbia hominis, quæ maximum impedimentum eſt, ne inhæreat Deo, per tantam Dei humilitatem redarguatur, atque ſanetur, ut *Auguſtinus dicit ibidem*.

Quartò. Ad liberandum hominem à ſervitute peccati, quod quidem, ut dicit *Auguſtinus* 13. *de Trini. cap.* 13. fieri debuit ſic, ut diabolus juſtitiâ hominis Ieſu Chriſti ſuperaretur, quod factum eſt Chriſto ſatisfaciente pro nobis. Homo autem purus ſatisfacere non poterat pro toto humano genere: Deus autem ſatisfacere non debebat; unde oportebat Deum, & hominem eſſe Ieſum Chriſtum. Vnde *Leo Papa ſermone* 1. *de Nativitate*. Suſcipitur à majeſtate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, ut, quod noſtris remediis congruebat, unus, atque idem Dei, & hominum mediator, & mori ex uno, & reſurgere poſſet ex altero. Niſi enim eſſet verus Deus, non afferret remedium: niſi eſſet verus homo, non præberet exemplum.)

Secundò. Congruum fuit Deum incarnari, propter promotionem hominis in bono.

1. Quantùm ad fidem, quæ magis certificatur ex hoc, quòd ipſi Deo loquenti credit. Vnde *Auguſtinus* 11. *de civi. Dei cap.* 2. Vt homo fidentius ambularet ad veritatem, ipſa veritas Deus Dei Filius homine aſſumpto, conſtituit, atque fundavit fidem.)

2. Quantùm ad ſpem, quæ per hoc maximè erigitur. Vnde *Auguſtinus* 13. *de Trinit. c.* 10. Nihil tam neceſſarium fuit ad erigendam ſpem noſtram, quàm ut demonſtraretur nobis, quantum diligeret nos Deus. Quid verò huius rei iſto indicio manifeſtius, quàm quod Dei Filius noſtræ naturæ dignatus eſt inire conſortium?)

3. Quantùm ad charitatem, quæ maximè per hoc excitatur. Vnde *Auguſtinus lib. de catechizandis rudibus cap.* 4. Quæ major cauſa eſt adventus Domini, niſi ut oſtenderet Deus dilectionem ſuam in nobis? Si amare pigebat, ſaltem reamare non pigeat.)

4. Quantùm ad rectam operationem, in qua nobis exemplum ſe præbuit. Vnde *Auguſt. in quodam ſerm. de Nativit. Domini* ait: Homo ſequendus non erat, qui videri poterat, Deus ſequendus erat, qui videri non poterat. Vt ergo exhiberetur homini, & qui ab homine videretur, & quem homo ſequeretur, Deus factus eſt homo.) Et ſic plenam participationem Divinitatis, quæ verè eſt hominis beatitudo, & finis humanæ vitæ, poſſideret. Vnde Deus aſſumendo carnem, ſuam majeſtatem non minuit, ſed ex hoc nobis appropinquare voluit per Incarnationem, ut magis nos ad ſe cognoſcendum attraheret. Vnde patet, quomodò fiet iſtud, ſcilicet tam altum Sacramentum Incarnationis.

Fiet iſtud

Iuſtorum conſilio.
Angelorum miniſterio.
Virginis arbitrio.
Devotorum obſequio.

PRIMO. *Fiet iſtud Sacramentum Incarnationis Iuſtorum conſilio*. Quoniam diabolus, humani generis inimicus, veritatis ad-

Digitized by Google

versarius, caput scelerum, princeps omnium vitiorum, suasor malarum cogitationum, inventor mortis, & pater omnium malorum, insatiabilis homicida, invidens homini, calido stercore in oculos dormientis immisso, ipsum miserum hominem excæcavit, multis bonis, atque virtutibus spoliavit pariter & peremit, scilicet naturalibus, & gratuitis, atque in sui servitutem captivavit; super quo putabat se exercere potestatem perpetuò, eò quòd per inobedientiam cecidisset (quia qui facit peccatum, servus est peccati; & à quo quis superatus est, eius & servus est:) noverat tamen Deum omnipotentem suæ voluntatis arbitrio hominis morbo exhibere posse medicinam, & remedium, non tamen, nisi per eum, qui solveret damna fraudis commissæ; ideo concludebat, quòd neque Deus, qui pati non debet, neque homo, qui impotens erat, satisfacere poterat. Propterea mirabatur, quòd sacra Scriptura pronunciaret Christum venturum, nesciens, quod ex homine, qui pati potest, & ex Deo, qui est omnipotens, possit constitui unus Redemptor. Imo in superbia semper crescens deridebat multùm Sanctos, qui erant in limbo, & frequenter super flumina Babylonis interrogabat verba cantionum à captivis, dicens: Eligite ex vobis virum, qui descendat mecum ad singulare certamen: veniat, & liberet vos. Insuper exprobrabat fidelitatem Sanctorum in observantia legis Dei, & dicebat: Vanus est omnis, qui servit Deo. Et quod emolumentum, quia servivistis ei? Vbi sunt dii vestri, in quibus habebatis fiduciam? Surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant. Talia improperabat Sanctis assiduè in illa magna valle miseriæ; ubi perseverabant gemitibus sauciati, cùm se noscerent de plateis supernæ Sion exules filios Evæ.

Collegerunt tandem concilium Patriarchæ, & Prophetæ, ut pro pace acquirenda legationem dirigerent Deo suo.

David ergo exurgens in medio eorum dixit: Congregate illi Sanctos eius, qui ordinaverunt testamentum eius super sacrificia. Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua. Sic enim dixit Deus: Invoca me in die tribulationis; eruam te, & honorificabis me. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.

Placuit dictum David, & habitâ diligenti inquisitione, elegerunt quatuor Patres magnæ sanctitatis: scilicet *Isaiam*, *Ieremiam*, *Iob*, *& David*, quos statuerunt in medio, & dixerunt: Hi sunt viri misericordiæ, in quibus perseverat bona hæreditas. Nam Isaias futura rerum in Christo, & in Ecclesia prævidit, Domino revelante. Ieremias sanctificatus est in utero matris à Deo, & in Prophetam gentibus datus est. Iob erat vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, cui similem in terra non invenit Deus. David verò testimonium habuit à Deo dicente: Inveni hominem secundùm cor meum. Isti sunt viri sancti, quos elegit Dominus in charitate non ficta, & dedit illis prudentiam, & virtutem. Pergant itaque in spiritu ad Dominum, & orantes pro salute omnium, & flentes dicant: Exaudiat Dominus orationes nostras, & reconcilietur nobis, nec nos deserat in tempore malo. Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum tuum super nos, & misereatur nostri.

His dictis perrexerunt isti quatuor viri ad Dominum pro salute generis humani deprecaturi.

Primò surrexit Isaias purgatis labiis, & humiliter sic exorsus est 64. *cap.* Vtinam dirumperes cælos, & descenderes, ut notum fieret Nomen tuum inimicis tuis: à facie tua gentes turbarentur. Ecce tu iratus es, quia peccavimus, & facti sumus, ut immundus, omnes nos: quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ. Non est, qui invocet Nomen tuum, & consurgat, & teneat te. Et nunc Domine, Pater noster es tu, nos verò lutum; tu fictor noster, & opera manuum tuarum omnes nos. Sion civitas sancta tua deserta facta est. Ierusalem desolata est, domus sanctificationis, & gloriæ nostræ. Ne irascaris, Domine, satis, & ne ultra memineris iniquitatis nostræ. Ecce, respice Domine. Populus tuus omnes nos. Omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas. Nũquid super his continebis te, Domine? Tacebis, & affliges nos vehementer?

Tunc Deus Pater respondit *Isaiæ* dicens illud 65. *cap.* Ecce ego ad gentem, quæ non invocavit Nomen meum. Expandi manus meas tota die ad populũ incredulũ, qui graditur in via non bona post cogitationes suas. Populus, qui provocat me ad iracundiam ante faciem meam semper. Qui dicunt: Recede à me, non appropinques mihi; quia im-

Digitized by Google

immundus es. Ecce ſcriptum eſt coram me: Non tacebo, ſed reddam, & retribuam in ſinum eorum iniquitates veſtras, & iniquitates patrum veſtrorum ſimul.

Reſumptis viribus *Iſaias* dixit illud 57. c. Iuſtus perit, & non eſt, qui recogitet in corde ſuo: & viri miſericordiæ colliguntur, & non eſt, qui intelligat: à facie enim malitiæ collectus eſt juſtus. Veniat ergo pax, & requieſcat in cubili ſuo.

Iratus Dominus reſpondit illud, quod ibi ſequitur: Super quem dilataſti os tuum, & ejeciſti linguam? Nunquid vos filii ſceleſti, & ſemen mendax? Nunquid ſuper his non indignabor?

Territus autem *Iſaias* fugit à facie Domini, & ad ſuos reverſus cum lacrymis ait: Obſtupeſcite populi mei: conturbamini confidentes: exuite vos, & confundamini: plangite ſuper regionem deſiderabilem: quoniam non eſt pax impiis, dicit Dominus.

Secundò perrexit Ieremias ad Dominum, loquenſque verba pietatis cum planctu, ait: Recordare Domine, quid acciderit nobis. Intuere, & reſpice opprobrium noſtrum. Pupilli facti ſumus abſque patre: matres noſtræ quaſi viduæ. Patres noſtri peccaverunt, & non ſunt; & nos iniquitates eorum portavimus. Servi dominati ſunt noſtri: non fuit, qui redimeret de manu eorum. Defecit gaudium cordis noſtri: verſus eſt in luctum chorus noſter. Cecidit corona capitis noſtri: væ nobis, quia peccavimus. Tu autem, Domine, in æternum permanebis: ſolium tuum à generatione in generationem. Quare in perpetuum oblivisceris noſtri? Derelinques nos in longitudine dierum? Converte nos, Domine, ad te, & convertemur: innova dies noſtros, ſicut à principio. Sed projiciens repuliſti nos: iratus es contra nos vehementer.

Tunc Dominus reſpondit, dicens illud *Ieremiæ* 15. *cap.* Si ſteterint Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum. Ejice illos à facie mea, & egrediantur. Tu reliquiſti me: retrorſum abjiſti. Et extendam manum meam ſuper te, & interficiã te.

Reſumptis viribus dixit iterum *Ieremias* illud 8. *cap.* Dolor meus ſuper dolorem, in me cor meum mœrens. Ecce vox clamoris filiæ populi mei de terra longinqua. Nunquid Dominus non eſt in Sion? aut Rex ejus non eſt in ea? aut non eſt medicus ibi? Quare non eſt obducta plaga filiæ populi mei?

Iratus Dominus reſpondit illud *Ieremiæ* 11. *cap.* Tu ergo noli orare pro populo iſto, & ne aſſumas pro eo laudem, & orationem: quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me, in tempore afflictionis eorum.

Dixit iterum *Ieremias* illud 15. *cap.* Domine Deus, Prophetæ dixerunt eis: Non videbitis gladium, ſcilicet pœnæ inferni: & fames, ſcilicet divinæ viſionis, non erit in vobis: ſed pacem veram dabit in loco iſto.

Reſpondit Dominus Ieremiæ: Falsò Prophetæ vaticinantur vobis in nomine meo. Non miſi eos, & non præcepi eis, nec locutus ſum ad eos. Viſionem mendacem, & divinationem frandulentam, & ſeductionem cordis ſui prophetant vobis. Idcirco in gladio, & fame conſumentur Prophetæ illi, & populi, quibus prophetaverunt.

Territus autem *Ieremias*, fugit à facie Domini, & ad ſuos reverſus cum lacrymis, ait: Deducant oculi mei lacrymas per diem, & noctem, & non taceant: quoniam contritione magna contrita eſt virgo filia populi mei, plagâ peſſimâ vehementer.

Tertiò perrexit Iob ad Dominum, loquens amaritudines cordis ſui, & dicens illud 6. *cap.* Quis det, ut veniat petitio mea! & quod expecto, tribuat mihi Deus? Sed tamen ad Omnipotentem loquar, & vias meas in conſpectu eius arguam, & ipſe erit Salvator meus. Quare tacens conſumor? Duo tantùm ne facias mihi, & tunc à facie tua non abſcondar: Manum tuam longè fac à me, & fortitudo tua non me terreat. Voca me, & ego reſpondebo tibi. Sed quantus ego ſum, qui reſpondeam ei, & loquar verbis meis cũ eo? Et hæc ſit mihi conſolatio, ut affligens me non parcat, nec contradicam ſermonibus ſuis. Quæ eſt enim fortitudo mea, ut ſuſtineam? Aut quis finis meus, ut patienter agam? Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea eſt. Ecce non eſt auxilium mihi in me. Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis ſuæ mole me premat. Proponat æquitatem contra me, & tunc perveniet ad victoriam judicium meum.

Tunc Dominus reſpondit *Iob*, dicens illud 38. *cap.* Quis eſt iſte, involvens ſententias ſermonibus imperitis? Nunquid irritum facies judicium meum, & condemnabis me, ut tu juſtificeris? Quis reſiſtere poteſt vultui meo? Aut quis dedit mihi ante, ut reddam ei? Omnia, quæ ſub cælo ſunt, mea ſunt. Non par-

paream ei, & verbis potentibus,& ad deprecandum compoſitis.

Reſumptis viribus *Iob* humiliter, ut molli ſermone frangeret iram Dei, ait 42. *cap.* Scio, quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio. Ideo inſipienter locutus ſum, & quæ ultra modum excedunt ſcientiam meam. Idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla, & cinere.

Iratus Dominus reſpondit *Iob* durè, dicens *illud* 8. *cap.* Vſquequò loqueris talia, & ſpiritus multiplex ſermonis oris tui? Nunquid Deus ſupplantat judicium? aut Omnipotens ſubvertit, quòd juſtum eſt? Nunquid Deo comparari poteſt homo, etiam cùm perfectæ fuerit ſcientiæ? Quid prodeſt Deo, ſi juſtus fueris? Aut quid ei confers, ſi immaculata fuerit via tua? Nunquid timens arguet te, & veniet tecum in judicium, & non propter malitiam tuam plurimam, & infinitas iniquitates tuas?

Territus autem *Iob* fugit à facie Domini,& ad ſuos reverſus cum lacrymis, ait: Cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum. Pereat dies, in qua natus ſum: & nox, in qua dictum eſt: Conceptus eſt homo! Quare non in vulva mortuus ſum,egreſſus ex utero non ſtatim perii? Quare data eſt miſero lux, & vita his, qui in amaritudine animæ ſunt?

Quartò perrexit David cum pſalterio ad Dominum, & ait: Ad te, Domine, clamabo: Deus meus ne ſileas: ne quando taceas à me, & aſſimilabor deſcendentibus in lacum. Deus meus clamabo per diem, & non exaudies. Ecce propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis. Vbi ſunt miſericordiæ tuæ Domine, ſicut juraſti David in veritate tua? Tu dixiſti: Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum. Exurge, quare obdormis Domine: exurge, & ne repellas in finẽ. Educ de carcere animas noſtras, ut confiteamur nomini tuo, Domine. Exurge Domine, adjuva nos, & redime nos.

Reſpondit Dominus *David* dicens: Quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem: eruet animam ſuam de manu inferi? Interroga patrem tuum: quoniam iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo: aſtitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit. Dilexit malitiam ſuper benignitatem: iniquitatem magis, quàm loqui æquitatem. Dilexit omnia verba præcipitationis. Ecce mater tua parturiit injuſtitiam:concepit dolorem,& peperit iniquitatem. Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foveam,quam fecit. Convertetur dolor eius in caput eius: & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet.

Reſumptis viribus ait *David*: Tibi, Domine, derelictus eſt pauper: orphano tu eris adjutor. Deſiderium pauperũ exaudivit Dominus: præparationem cordis eorum audivit auris tua. Quoniam requirens ſanguinem eorum recordatus es: non es oblitus clamorem pauperum. Vt quid, Domine, repuliſti in finem: iratus eſt furor tuus ſuper oves paſcuæ tuæ? Memor eſto congregationis tuæ: quam poſſediſti ab initio.

Reſpondit Dominus dicens: Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere: quia, quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita.

Territus autem *David* fugit à facie Domini, & ad ſuos reverſus cum lacrymis, ait: Laboravi in gemitu meo, laboravi clamans: raucæ factæ ſunt fauces meæ. Defecerunt oculi mei, dum ſpero in Deum meum: quoniam abjectus ſum à facie oculorum eius. Factus ſum tanquam vas perditum: quoniam audivi vituperationem juſtorum in circuitu.

Tunc omnes cœperunt planctum magnũ: omnis maritus ſumpſit lamentum, & quæ ſedebant in toro maritali, plangebant: ſpes omnium contrita eſt, & tota poſteritas Adæ induit confuſionem. Sic ergo plorabant in illa valle miſeriæ, & tenebrarum, afflicti vehementer in mendicitate, & ferro, induti confuſione.

Sancti Patres convocato iterum conſilio, quid agendum foret, quomodò fiet iſtud tam profundum myſterium humanæ redemptionis, locuti ſunt per *David*, dicentem: Intellexi à Domino: quoniam in æternum ſervabo David miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi. Et ponam in ſeculum ſeculi ſemen eius: & thronum eius ſicut dies cæli. Et dixerunt: Nunc clamemus in cælum, & miſerebitur noſtri Deus noſter.

Tunc ſubjunxit *Iſaias*: Viſiones Prophetarum multiplicatæ ſunt: quoniã egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, &c. Ecce enim Virgo concipiet, & pariet filium: & vocabitur Nomen eius Emmanuel.

Ieremias. Novum faciet Dominus ſuper terram: mulier circundabit virum.

Iob.

Iob. Vidi ſolem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè: & lætatum eſt cor meum in abſcondito.

David. Surge, Domine, in requiem tuam: tu, & arca ſanctificationis tuæ. Sacerdotes tui induantur ſalutari: & Sancti tui exultatione exultabunt.

Sancti Patres. Quæramus ergo adoleſcentulam Virginem, & ſpecioſam, & ſtet coram Rege, & foveat eum: dormiatque in ſinu eius, & calefaciat dominum noſtrum Regem. 3. *Reg.* 1. *cap.* Et ſic reconcilietur nobis, & faciat pacem.

Reſpondit *Salomon* dicens: Mulierem fortem quis inveniet?

Cui *David* ait: Iuravit Dominus David veritatem, & non fruſtrabitur eum: de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.

Reſpondit *Salomon* illud *Cantic. 6. cap.* Vide, ut pulchra ſit, ſuavis, & decora, ſicut Ieruſalem: terribilis, ut caſtrorum acies ordinata.

Cui *David* ait: Os meum loquetur ſapientiam: & meditatio cordis mei prudentiam. Et ait ad ſanctos Patres: Voce mea ad Dominum clamabo: voce mea ad Dominum deprecabor. Effundam in conſpectu eius orationem meam: & tribulationem meam ante ipſum pronunciabo. Aperiam in parabolis os meum: loquar propoſitiones ab initio. Benedicam Dominum in omni tempore: ſemper laus eius in ore meo. In Domino laudabitur anima mea: audiant manſueti, & lætentur. Magnificate Dominum mecum: & exaltemus Nomen eius in idipſum. Exquiram Dominum, & exaudiet me: & ex omnibus tribulationibus meis eripiet me. Vos autem benedicite Deum: & enarrate omnia mirabilia eius. Confitemini ei coram omnibus viventibus: quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam.

Reſponderunt *Sancti Patres*, & dixerunt: Mittat tibi Dominus auxilium de ſancto: & de Sion tueatur te. Memor ſit Dominus ſacrificii tui: & holocauſtum tuum pingue fiat. Tribuat tibi ſecundùm cor tuum: & omne conſilium tuum confirmet. Lætabimur in ſalutari tuo: & in Nomine Dei noſtri magnificabimur. Impleat Dominus omnes petitiones tuas. Exaudiat te Dominus in die tribulationis noſtræ.

Tunc *David* in ſpiritu ſecus cælum aſcendens ait: Aperite mihi portas juſtitiæ; & ingreſſus in eas confitebor Domino.

Dixerunt *Angeli* ad ſe invicem: Veniunt legati ex Ægypto, præveniamus eos, ut ſciamus, quid quærunt à Deo. Et *Michael Archangelus* ait: Quis eſt homo, qui vult vitam: diligit dies videre bonos? ſcilicet redemptionis humanæ.

David autem timens, ne ſibi ſolitò moleſtus fieret, humiliter reſpondit dicens: Obſecro Domine, deſine ab ira, & relinque furorem: noli æmulari, ut maligneris.

Dixit ei *Michael*: Revela per me Domino viam tuam: & ſpera in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.

Reſpondit *David* dicens: Eructabit cor meum verbum bonum: dicam ego opera mea Regi. Quis ex vobis deducet me in civitatem munitam? Nonne ipſe Deus, qui repulit nos? Ipſe dabit nobis auxilium de tribulatione.

Dixit ei *Michael*: Vide ne diutius graves Regem ſermone prolixo. Tu ſcis: quoniam vir linguoſus non dirigetur in hac terra.

Reſpondit *David* dicens: Lingua mea calamus ſcribæ, velociter ſcribentis.

Tunc ibant *Angeli* charitate præventi ad Dominum, & dicebant: Memento Domine David, & omnis manſuetudinis eius.

Et ad illos ait Dominus: Inveni David ſervum meum: oleo ſancto meo unxi eum. Et veritas mea, & miſericordia mea cum ipſo: & in Nomine meo exaltabitur cornu eius.

Reverſi ſunt *Angeli* ad David dicentes: Quaſi proximum, & quaſi fratrem noſtrum, ſic te propoſuimus coram Domino. Veni ergo, & accede ad Deum, & illuminare: & facies tua non confundetur. Oculi Domini ſuper juſtos: & aures eius in preces eorum. Clamaverunt juſti: & Dominus exaudivit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. Iuxta eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde: & humiles ſpiritu ſalvabit.

Reſpondit *David* ad Michaelem Archangelum: Factus ſum ſicut homo non audiens: imo ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus. Vide, Domine, ne ſileas: ne quando diſcedas à me, cùm fuero in conſpectu Dei: quoniam advena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes patres mei.

Dixit illi *Michael*: Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, quâ gradieris: firmabo ſuper te oculos meos. Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua: quoniam miſeri-

Digitized by Google

ricordia,& veritas præcedent faciem tuam.

Introductus ergo *David* tranſiens de Hierarchia in Hierarchiam, de ordine in ordinẽ, pervenit ad tribunal Dei,ubi reſidebat ſancta Trinitas Perſonarum in unitate Deitatis;quã cùm aſpexiſſet,proſtratus humiliter adoravit, dicens: Benedicat nos Deus Deus noſter, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ. Cumque elevaſſet oculos,& aſpiceret loci amœnitatem,ait: Quàm dilecta tabernacula tua,Domine virtutum! Concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini. Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei: magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Beati, qui habitant in domo tua, Domine: in ſecula ſeculorum laudabunt te.

Et ait Dominus ad *David*: Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: dilata os tuum, & ego implebo illud. Poſtula à me, & dabo tibi.

David autem cadens in faciem ſuam, iterum adoravit eum, dicens: Speciosus formâ præ filiis hominum: diffuſa eſt gratia in labiis tuis. Ecce Domine: draco iſte, quem formaſti, ad illudendum nobis, quanta malignatus eſt inimicus in Sancto? Omnia te expectant, ut des illis eſcam in tempore. Quia miſericordiam, & veritatem diligit Deus: gratiam, & gloriam dabit Dominus. Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui ſperat in te. Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſimè: & veni ad liberandum nos,Domine Deus virtutum. Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus: omnia indurata ſunt nobis. Emitte verbum tuũ, & liquefacies ea: & ſitientibus nobis ad te, Deum fontem vivum, ſtabit ſpiritus tuus, & fluent aquæ gratiarum. Stabit autem Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate, quam tibi deſponſabis in gaudio. Adducentur Regi virgines poſt eam: proximæ eius afferentur tibi in lætitiâ, & exultatione.

Et ait Dominus ad *David*: Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis. Cui dicit: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui; & concupiſcet Rex decorem tuum. Deus in medio eius non commovebitur: adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Reſpondit *David*: Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua. Narrabo Nomen tuum fratribus meis: in medio Eccleſiæ juſtorum laudabo te.

Reverſus autem *David* ad ſuos cum gaudio ait: Qui timetis Deum laudate eum: univerſum ſemen Iacob glorificate eum. Timeat eum omne ſemen Iſrael: quoniam non ſprevit, neque deſpexit deprecationem pauperis. Nec avertit faciem ſuam à me: & cùm clamarem ad eum, exaudivit me. Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, omnes, qui ſperatis in Domino.

Deinde factum eſt conſilium magnum ante tribunal pacis inter miſericordiam, veritatem, & juſtitiam ſuper myſterio humanæ redemptionis.

Primò locuta eſt *Miſericordia*,dicens: Piũ eſt homini miſero, non valenti per ſe ſurgere, miſericorditer ſubvenire: quoniam miſericordiæ Domini multæ ſunt nimis, & miſericordia Domini ab æterno, & uſque in æternum ſuper timentes eum. Et loquens ad Dominum, ait: Tu exurgens miſereberis Sion: quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus. Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo: Dominus de cælo in terram aſpexit, ut audiret gemitus compeditorum, ut ſolveret filios interemptorum.

Secundò locuta eſt *Veritas*, dicens: Domine Deus virtutum, quis ſimilis tibi? Potens es Domine, & veritas tua in circuitu throni tui eſt. Sed tu dixiſti homini: In quacunque die comederis ex eo, morieris. Cùm ergo ſis Deus, & non mentiaris (quia non eſt Deus ut homo, ut mentiatur;) ergo iſta redemptio fieri non poteſt.

Reſpondit *Miſericordia*,dicens: Si maledixiſti terræ in opere Adæ, ſaltem poteſt fieri novus homo,cui nihil de Adam proveniat, & ſic per eum poterit fieri redemptio iſta. Nunquid in æternum projiciet Deus, aut non apponet, ut complacitior ſit adhuc? Aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet à generatione in generationem? Aut obliviſcetur miſereri Deus? Aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas?

Veritas ait: Verumtamen univerſa vanitas omnis homo vivens. Si novus homo fieret, non majorem fiduciam in eo haberem, quàm in protoplaſto. Vnde ad hanc redemptionem faciendam nec homo, nec Angelus eſt idoneus.

Miſericordia reſpondit: Facienda eſt hæc miſericordia propter me,ſi nõ propter Adã.Imo tu,

tu, quæ pio affectu conjũcta mihi es, quæ mihi nunquã defuiſti, viſita mecũ miſerũ hominem, deprime diaboli tyrannidem, qui tuum hominem ſeducendo, contra te injuriosè egit.

Veritas ait: Verè tibi non conſentire aſperum, & crudele foret; imo nec à me quicquam exigeres, quod non ſubitò concederem.

Iuſtitia videns veritatem miſericordiæ conſenſiſſe, ait: Quid facis, ò Veritas? Vide, quoniam nullatenus tibi dimittam, donec ſatisfeceris uſque ad minimum quadrantem.

Filius Dei, cui datum eſt omne judicium à Patre, auditis allegationibus utriuſque partis, dixit: Iuſtitia dicit: Perii, ſi Adam non moriatur. Miſericordia dicit: Perii, ſi Adam miſericordiam non conſequatur. Hæc eſt ergo diffinitiva ſententia ſuper hoc: *Fiat mors bona, & habebit utraque, quod petit.*

Obſtupuerunt omnes in verbo ſapientiæ, & dixerunt: *Quomodo fiet iſtud?* Mors eſt crudeliſſima, imo amariſſima: quoniam mors peccatorum peſſima. Quomodo ergo erit bona?

Iudex ait: Mors eſt crudeliſſima peccatoribus, juſtis verò bona. Nonne mors erit bona, ſi ſolvet debitum Adæ? Si aperiet januam paradiſi?

Quæ reſponderunt: *Quomodò fiet iſtud?*

Iudex ait: Si moriatur quis ex charitate, qui non ſit dignus mori. Sermo iſte bonus viſus eſt, utpote fidelis, & omni acceptione dignus; ſi poterit inveniri innocens, qui velit mori ſuo beneplacito, & non ex debito, aut malo ſuo merito.

Veritas circuit per totum orbem terræ, & nemo inventus eſt mundus à ſorde, nec infans unius diei ſuper terram. Miſericordia cælum omne perluſtrat, & in Angelis minorem invenit charitatem. Tandem redeunt *Miſericordia*, & *Veritas*, quæ obviaverunt ſibi, anxiæ plurimum, quòd non invenerant ſecundùm latam ſententiam. Tunc *Iuſtitia*, & *Pax* oſculatæ ſunt. Et *Pax* ait: Vos neſcitis quicquam, nec cogitatis: quoniam omnes homines declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Hoc enim eſt judicium: Qui tulit ſententiam, & dedit conſilium, ipſe ferat & auxilium.

Filius Dei audito judicio pacis ait: Vt video, mihi onus ſatisfaciendi pro homine per mortem imponitur.

Tunc *Pater* ait: Omnia in ſapientia fecimus, mundum creando; ſic omnia in ſapientia faciemus, mundum reparando.

Reſpondit *Filius*: In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui. Anunciabo juſtitiam tuam in Eccleſia magna. Non abſcondam miſericordiam tuam, & veritatem à cõcilio multo. Holocauſtũ & pro peccato nõ poſtulaſti, tunc dixi: Ecce venio. Et ſic patet, quomodo in tertio conſilio diffinitum eſt, quomodò fiet iſtud tam altum Sacramentum Incarnationis.

SECVNDO. *Fiet iſtud Sacramentum Incarnationis Angelorum miniſterio.* Pater æternus ait Filio: Legatum oportet nos mittere ad Sponſam, qui eam animet ad conſenſum, ne ſecreta conjugia abnuat devota Virgo, cuius pudor illæſus maneat; atque ei epiſtolam, & mandata dirigere.

Reſpondit Filius dicens: Ita Pater: quoniam ſic placitum eſt ante te.

Pater autem (prout tradit *B. Io. Chryſoſt. in orat. de Annunc. to. 5. fol. 909.*) Veni, inquit, ò Angele, adminiſter eſto myſterii, ſecreto miraculo famulare. Vt ad perveſtigationem Adami, qui oberravit, deſcendam, à meis compellor miſerationibus. Peccatum enim, qui ad imaginem meam efformatus erat, exoletum reddit, mearumque manuum opificium putridum effecit, inobſcuravit pulchritudinem, quam informavi. Lupus meum pecus depaſcitur, deſertus eſt incola paradiſi. Lignum vitæ à romphæa flammea cuſtoditur, & locus deliciarum concluſus eſt. Miſeret me illius, qui victus eſt, & victorem hoſtem vincire ſtatui. Sic tamen id faciam, ut omnes cælorum Virtutes lateat; tibi uni hoc credo ſecretum. Proficiſcere ad Virginem, abi ad animatam civitatem, de qua dixit Propheta: *Glorioſa dicta ſunt de te, civitas Dei.* Abi ad portam Orientalem: abi ad habitaculum Verbo meo dignum. Abi ad alterum in terris cælum: abi ad nubem vacuam, meique adventus imbrem illi ſignifica. Perge ad Sanctuarium mihi præparatũ, perge ad Incarnationis meæ thalamum, perge ad nuptiale cubiculum meæ ſecundùm carnem generationis. Loquere ad aures ſpiritalis arcæ, præpara mihi aditum auditus. Sed vide, ne Virginis animum offendas, aut perturbes. Modeſtè illi Sanctuario te ſiſte, primam illi vocem lætitiæ funde. Tu dicito Mariæ: *Ave gratia plena*, ut ego miſereat Evæ, ærumnis, ac malis cumulatæ. Hæc cùm

Digitized by Google

audiſſet Angelus, ſic,ut conjicere eſt, apud ſe ratiocinabatur: Mira ſanè res iſta,verbum hoc mentem cujuſvis excedit. Qui Cherubin eſt ipſis formidabilis, quem Seraphin intueri non poſſunt, quem omnes Angelicæ virtutes comprehendere nequeunt, qualem congreſſum pollicetur? Puellæ ſuæ ipſius Perſonæ præſentiam denunciat, vel potiùs ingreſſum per auditum illi promittit, & qui Evam condemnavit, ad eius filiam cohoneſtandam uſque adeo incitatur. Præpara,inquit,mihi ingreſſum auditus: & venter incomprehenſibilem poteſt comprehendere, verè tremendum hoc myſterium! Hæc cùm apud ſe cogitaret Angelus, Dominus ad ipſum ait: Quid percelleris,ac perturbaris,ò Gabriel? Nonne haud ita pridem à me ad Zachariam Pontificem miſſus es? Nonne illi felicem nuncium nativitatis Ioannis attuliſti? Nonne Sacerdoti fidem adhibere recuſanti ſilentii pœnam inflixiſti? Nonne ſenem vocis privationem damnaſti? Nonne tu pronunciaſti, ego verò confirmavi? Nonne annunciationem tuam opus ipſum continuò conſecutum eſt? Nonne concepit ſterilis? Nonne uterus obedivit? Nonne infirmitas ſterilitatis abſceſſit? Nonne naturæ torpor aufugit? Nunquid ſegetibus ea nunc abundat, quæ frugibus penitus antea carebat? Num impoſſibile apud me eſt omne verbum? Quomodo ergo te dubitatio invaſit?: Quid ergo rursùs Angelus ad hæc? Domine,inquit, lapſus naturæ ſanare, perturbationum tempeſtatem ſedare, mortificationem membrorum ad vitalem revocare virtutem, vim liberos pariendi imperare, naturæ ſterilitatem in membris jam exoletis extinguere, ſtipulam ſenectute confectam in formam herbeſcentem tranſmutare, tellurem infœcundam ſtatim reddere manipulorum feracem, opus eſt à tua potentia de more perfectum. Teſtis eſt Sara,poſt illam Rebecca, & rurſus Anna, quæ moleſto ſterilitatis morbo ſervierunt, & à te ſunt in libertatem vindicatæ. Virginem verò nullo viri uſam congreſſu peperiſſe, legibus naturæ ſublimius eſt, & tuum puellæ adventum nunciare. Cæli, terræque te fines non capiunt, quo pacto ergo te uterus capiet virgineus? Tum ad eũ Dominus:Quomodo,inquit,me cepit Abrahæ tabernaculum? Cui Angelus: Quippe qui pelagus habuit hoſpitalitatis. Deinde conſidera,Domine: Illic viſus es à Patriarcha in tabernaculo juxta viam poſito, & pertranſiiſti,qui omnia comples. Quomodo *Maria* tulerit ignem Divinitatis,thronus non incenditur fulgore colluſtratus, & ferre te poteſt obſtupefacta Virgo? Sanè quidem ſi læſit ignis rubum in deſerto, lædet omninò & *Mariam* adventus meus. Sin autem ignis ille, qui Divini ipſius ignis ex homine præſentiam adumbrabat,rubum quidem rigabat, minimè autem incendebat; quid exiſtimas de veritate dicendum, quæ non in flamma ignis, ſed in ſpecie pluviæ deſcendet? Tum verò poſtea rem imperatam peregit Angelus, & ad Virginem ingreſſus, eam his verbis compellavit: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum*. Non jam amplius diabolus contra te: nam ubi primùm hoſtis vulnus inflixit, ibi medelam medicus apponit: unde initium egreſſus mors habuit, inde vitæ ingreſſum vita fabricavit. Per mulierem mala oriuntur, per mulierem bona ſcaturiunt. *Ave gratiâ plena*. Noli erubeſcere tanquam damnationis cauſa: mater enim eius, qui damnavit, per gratiam redderis. Ave gratiâ plena. Salve, quæ mundo in viduitate jacenti ſponſum paris impolluta. Ave gratiâ plena, quæ in utero matris mortem ſubmergis. Ave templum Dei animatum. Ave cælo, ac terræ par habitaculum. Ave ſpatioſum incomprehenſibilis naturæ receptaculum. Quæ cùm ita ſint, ægrotantibus medicus advenit, in tenebris ſedentibus juſtitiæ ſol apparuit, tempeſtate jactatis anchora, portuſque tranquillus, ſervis implacabili odio diſjunctis legatus eſt natus,& pacis vinculum,captivis Redemptor appulit, bello vexatis firma ineffabilis gaudii, & charitatis protectio. *Hactenus Chryſoſtom.* Et ſic patet, quomodo fiet iſtud tam altum Sacramentum dominicæ Incarnationis Angelorum miniſterio.

TERTIO. *Fiet iſtud tam altum Sacramentum dominicæ Incarnationis Virginis obſequio.* Vnde Divus *Auguſtinus in ſermone* 14. *de Natali Dom.* introducit beatam Virginem ſic loquentem: Eram, inquit Maria, in domo mea puella Iudæa, ex ſemine David Regis generata. Adulta facta ſum, & deſponſata ſum conjugi, & placui alteri, non interveniente adulterio, ſed intercedente Spiritu ſancto. Deſponſata ſum homini Iudæo, & placui homini Deo. Deſponſavit me vir Iudæus, & amavit me Chriſtus Deus. Ignoravit quidem Ioſeph ſponſus meus, quòd me adamaſſet Deus meus, & putavit, quòd de adulterio imprægnatus eſſet venter meus, Nanque ignorante Ioſeph ſponſo meo venit

ad

Digitized by Google

ad me quidã magnus Chriſti Paranymphus, non Patriarcha primus, aut Propheta egregius, ſed Gabriel ille Archangelus, facie rutilans, veſte coruſcans, ingreſſu mirabili, aſpectu terribili, & viſitavit me, &c. *Hæc ille*.

B. Virgo in domo conſiſtens erat aſſociata duodecim puellis virtuoſis, quæ notantur implicitè in Evangelio hodierno, inſtruentes eam in tam alto Sacramento.

Prima fuit domina *Secreta*, quæ inſtruebat beatam Virginem, ut meditaretur ea, quæ continebantur in illo *Pſalmo*: Benedixiſti, Domine, terram tuam: avertiſti captivitatem Iacob. Remiſiſti, &c. Mitigaſti, &c. Converte nos, &c. Nunquid in æternum, &c. Deus tu converſus, &c. Oſtende nobis Domine, &c. Et ait domina *Secreta*: O ſi veniret Angelus Gabriel, qui ſecreta myſteria Dei nobis revelaret! Hic enim tria magna habet officia. Primò aſſiſtit ante Deum. Lucæ 1. cap. *Ego ſum Angelus Gabriel, qui aſto ante Deum.* 2. Eſt victor in præliis. Vnde Gabriel præliis præpoſitus eſt; ideo fortitudo Dei interpretatur, ut dicit *Gloſſa Dan.* 8. c. 3. Revelat ſecreta. Dan. eod. cap. *Gabriel, fac iſtum intelligere viſionem.*

Cumque ſic meditaretur, ecce Angelus Gabriel, miſſus à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, pulſabat ad oſtium, ſtatimque domina *Secreta* cucurrit ad oſtiũ, nec ſubitò aperuit, ſed per ſphærulam aſpiciens, ait: Deo gratias. Et Angelus ait: Semper. Interrogavit domina *Secreta*: Pacificus ne ingreſſus tuus? Reſpondit Angelus: Ego ſum Gabriel Angelus miſſus nunciare totius mundi ſalutem, deferens Adæ revocationis conſcriptum, miſſus ad animatum Regis Angelorum palatium, præparare mundum Sponſo thalamum, miſſus miles, referans Regis ſecretum, quod cognoſcitur fide, & non diſcuſſione, quod Deificè glorificatur, & non inveſtigatur: miſſus ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo David, & nomen Virginis Maria. Beata Virgo ait: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus; quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, & ſuper Sanctos ſuos, &c. Et tunc domina *Secreta* aperuit oſtium.

Secunda fuit domina *Intelligentia*, quæ inſtruebat beatam Virginem, ut peteret intellectum eorum, quæ legebat; unde ipſa dicebat: Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam: quoniam declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis. Et ſubitò Angelus ingreſſus ad eam ait: *Ave gratiâ plena: Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus.* Ave Sponſa Dei Genitrix immaculata. Ave animatum templũ Dei. Ave ſacrarium Spiritus ſancti. Dominus tecum in utero. Dominus tecum in auxilio.

Tertia fuit domina *Erubeſcentia*, quæ inſtruxit beatam Virginem, ne ſtatim reſponderet; ideo, cùm audiſſet, *turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio.* Quia pudicitia habet verecundiam honeſtatis. Turbata eſt in introitu Angeli, cogitans, quòd ſic benedixerit ei, quæ modeſtum retinens apud ſe propoſiti ſancti ſilentium, & incognitum habens virile colloquium, ſtupet Angelo ſalutante, ſibique taliter benedicente; non tamen eſt auſa prævenire loquentem. Turbata eſt enim nõ turbatione impatientiæ, ſed verecundiæ, & pavoris, & admirationis, propter immenſitatem luminis: quia *expaveſcit Virgo de lumine*, propter novam, & inſolitam ſalutationem.

Quarta fuit domina *Taciturnitas*, quæ inſtruebat beatam Virginem, ut cogitaret intra ſe altitudinem conſilii Divini ſuper ſalutem generis humani. O annunciatio mirifica! O ſalutatio peregrina! plenitudinis copiam portans, & virgineum corpus illuſtrans. Præveniens itaque judicem Præco tam præclarus, & mitis, feſtinus properat, ut in ſacrario virginitatis ſuſcipi poſſit Deus Majeſtatis. *Cogitabat* ergo beata Virgo, *qualis eſſet iſta ſalutatio*; quia de plenitudine ipſius debebant accipere univerſi: captivi redemptionem, triſtes conſolationem, peccatores veniam, juſti gratiam, Angeli lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filius Dei carnis humanæ ſubſtantiam.

Quinta fuit domina *Timoroſa*, quæ inſtruebat beatam Virginem, ne citò aſſentiret his verbis. Salutat Angelus puellam, viri ſalutationis ignaram, territur Virgo novitate verborum, ad quam Angelus: *Ne timeas Maria.* Ne, inquit, aſpectu meo, Mater Domini mei, terrearis. Ego conceptionis tuæ miniſter adveni, non ut virginitatem amittas interveni. Ipſe me miſit ad te, qui eſt naſciturus ex te. Ideo dicit domina *Timoroſa*: Hic eſt bonus Angelus confortans, & lætificans.

Sexta fuit domina *Honeſta*, quæ inſtruebat

Digitized by Google

beatam Virginem, ut ſtaret oculis depreſſis ad terram, cum multa modeſtia. Tanta enim fuit honeſtas eius, ut nemo unquam tentationem ullam carnis de ea habuerit. Nihil enim in Maria torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum; non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior. *Ne timeas Maria*. Nec expaveſcas Virgo partum, neque metuas, neque formides multùm inexperta: tantùm crede, & concepiſti: ama, & peperiſti. *Quoniam inveniſti gratiam apud Deum*. Quam gratiam? Dei, & hominum pacem, mortis deſtructionem, vitæ reparationem. *Concipies enim, & paries Filium*. Non cujuslibet meriti hominem, ſed totius ſeculi Salvatorem. Recole, Maria, in libro Iſaiæ Prophetæ Virginem, quam parituram legiſti: gaude, & exulta: quia tu eſſe meruiſti: tu ibi præfigurata es Virgo. Ecce tu in utero concipies, non de viro, ſed de Spiritu ſancto. Gravida eris, & incorrupta manebis. Paries quidem Filium, & virginitatis non patieris detrimentum. Efficieris gravida, & eris Mater ſemper intacta.

Septima fuit domina *Prudentia*, quæ inſtruebat beatam Virginem, ut ſic prudenter reſponſionem temperaret, quòd hoc fieri poſſe non dubitaret, ſed de modo fiendi interrogaret, ideo ipſa ait: *Quomodo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco.* Habebo filium, & neſcio virum: portabo fœtum, quæ fugio partum. Quomodò vacuo utero generabo? Vnde præbebo lac labiis infantis ſugere poſtulantis?

Octava fuit domina *Virginitas*, quæ inſtruebat beatã Virginem, ut quod ſemel Deo devoverat, perpetuò obſervaret. Propterea Angelus ait: *Noli expaveſcere*. Noli de tuæ virginitatis permanentia ſolicitudinem gerere. Intacta manebis, de prole gaudebis. Sine conjunctione mortalis viri efficieris nurus Altiſſimi. Proinde non eſt, quod metuas, ſed eſt, quod gaudeas. Tunc enim dolor ſequeretur partum, ſi præcederet libido conceptum. Nunc verò *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*. Id eſt, refrigerabit tibi ſub umbraculo Spiritus ſancti, ne in fervorem concupiſcentiæ labaris. Erit in te conceptio, & non concupiſcentiæ libido. Non enim erit æſtus, ubi umbram faciet Spiritus ſanctus.

Nona fuit domina *Obedientia*, quæ beatam Virginem inſtruebat tam grandi Sacramento aſſenſum præbere, dicens: O beata Maria, ſeculum omne captivum tuum deprecatur aſſenſum. Te Deus nuncio ſuæ fidei aſſiſtere fecit: noli morari, Virgo, nuncio. Feſtinanter reſpõde verbum, & ſuſcipe Filiũ. Tunc Maria ſic ſalutata, ſic confortata, ſic de magnifica Prole lætificata, ſic de pudore certificata, ait: *Ecce*. Statim ſurrexit, genua in terram fixit, terram oſculata fuit, oculos ad cælum levavit, brachia ad cælum extendit, & ſic cum magno gaudio dixit: *Ecce*. In quo notatur prõptitudo obedientiæ.

Decima fuit domina *Humilitas*, quæ inſtruebat beatam Virginem, ut de ſe non alta ſaperet, dicens: O veneranda, ò prædicanda Virginitas! Ab Angelo Mater Domini appellaris, ſed te ancillam Domini confitearis. Ideo ipſa ait: *Ecce ancilla Domini*. Tanquam diceret: Paratum eſt cor meum, Deus: quia intactus permanet uterus meus. Reſpexit enim humilitatem ancillæ ſuæ. Venit ergo manſuetus implens cælos, tranſiliens per humilem ad ſuperbos, cælos non derelinquens, ut inflatos tumore ſuperbiæ appoſito humilitatis remedio mitis medicus ipſe curaret. Venit enim manſuetus, & mitis, ſedens ſuper nubem levem, id eſt, ſuper Mariam humilem.

Vndecima fuit domina *Deſideroſa*, quæ inſtruebat beatam Virginem, ut adimpleret deſiderium ſanctorum Patrum, dicentium illud Iſa. 45. cap. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant juſtum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem*. Nam deſiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis eorum audivit auris tua. Ideo ipſa ait: *Fiat mihi*.

Duodecima fuit domina *Fidelis*, quæ inſtruebat beatam Virginem, ut verbis Angeli crederet. Vnde ipſa ait: *Contingat mihi, ò Gabriel Archangele, ſecundùm verbum tuum*. Veniat ad cubiculum ſuum, qui in ſole poſuit tabernaculum ſuum. Oriatur mihi Virgini permanenti Sol juſtitiæ, in cuius pennis æterna permanet ſanitas, cui perpetua caſtitate floreſcens, mea perduret integritas. Egrediatur ſicut ſplendor Iuſtus, & Salvator ut lampas accendatur. Procedat jam Sponſus de thalamo ſuo; quia ſecura facta ſum de propoſito meo. Necdum revertitur nuncius, & virginalem thalamum ingreditur Chriſtus. Efficitur ſub typo prægnans beata Dei Genitrix, & cuncta per ſecula prædicatur. Sine mora, ut aſſenſus Virginis panditur, cæleſtis

Spon-

Digitized by Google

Sponſus immaculatum corpus ingreditur. Et qui toto mundo non capitur, Puellæ intactæ membris infunditur. Credidit monita, quod audivit: meruit ſanctificata, quod credidit. Denique tantum ſe ad cæli faſtigia ſublevavit, ut Verbum apud Deum in principio, id eſt, Dei Filium de ſumma cæli arce ſuſciperet. Et ſic patet, quomodo fiet iſtud tam altum Sacramentum dominicæ Incarnationis Virgini s arbitrio.

QVARTO. *Fiet iſtud tam altum Sacramentum dominicæ Incarnationis devotorum obſequio*. Mox enim, ut beatiſſima Virgo Angelo aſſenſum præbuit, Spiritus ſanctus in eam deſcendit, quæ Filiũ Dei concepit, Tunc populus ſanctorum Patrum, qui erat in limbo, viderunt lucem magnam. Iſaiæ 9. cap. *Populus, qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis*. Et lætati ſunt gaudio magno.

Surrexerunt autem quatuor Prophetæ cõfortantes, & animantes omnes, qui erant in limbo.

1. Surrexit Moyſes, & ait: *Manna deſcendit de cælo*. Gaudeant omnes eſurientes.

2. David dicens: *Exortum eſt in tenebris lumen rectis corde, miſericors, & miſerator, & iuſtus Dominus*. Gaudeant omnes ægrotantes.

3. Salomon dicens: *De vinea cæli botrus erupit*. Gaudeant omnes ſitientes.

4. David dicens: *Lapis ſine manibus de monte præciſus eſt*. Gaudeant fideles credentes. Miſerunt autem legatos ad beatam Virginem, qui gratias egerunt, & benedixerunt eam una voce dicentes: *Tu gloria Ieruſalem, tu honorificentia populi noſtri: quia feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum, eò quòd caſtitatem amaveris. Ideo manus Domini confortavit te, & ideo benedicta eris in æternum*, Iudith 15. cap. Et ait Maria: *Magnificat anima mea Dominum*, &c. uſque: *Abraham, & ſemini eius in ſecula*. Amen.

SERMO XXV.

IN FESTO

SANCTI AMBROSII EPISCOPI

DOCTORIS ECCLESIÆ.

Inextinguibile eſt lumen illius. Sap. 7. cap.

BEatus Auguſtinus *lib. 20. de civit. Dei cap. 15.* dicit: Qui non ſunt inventi in libro vitæ ſcripti, miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Liber iſte prædeſtinationem ſignificat eorum, quibus dabitur vita. Neque enim neſcit eos Deus, nec in hoc libro legit, ut ſciat; ſed potiùs ipſa eius præſcientia, quæ falli non poteſt, liber eſt vitæ, in quo ſcripti ſunt, qui ante ad vitam prædeſtinati ſunt.) Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtrum beati Ambroſii ſapientia infallibilis fuerit de libro vitæ inextinguibilis?

AD iſtam quæſtionem reſpondent duo Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt *beatus Auguſtinus enarrat. in pſal. 68. concione ſecunda*, dicens: *Deleantur de libro vitæ*: non ſic accipere debemus, quòd quenquam Deus ſcribat in libro vitæ, & deleat illum. Si homo dixit: Quod ſcripſi, ſcripſi, de titulo, ubi ſcriptum erat Rex Iudæorum; Deus quenquam ſcribet, & delebit? Præſcius eſt, prædeſtinavit omnes ante mundi conſtitutionem, regnaturos cum Filio ſuo in vita æterna. Hos, quos conſcripſit, ipſos continet liber vitæ.

Secundus eſt *S. Thomas parte prima quæſt. 24. artic. 3.* dicens: Illi, qui ſunt ordinati ad habendum vitam æternam ex prædeſtinatione Divina, ſunt ſimpliciter ſcripti in libro vitæ: quia ſunt ibi ſcripti ut habituri vitam æternam in ſe ipſa, & iſti nunquam delentur de libro vitæ.)

Sciendum, quòd liber vitæ accipitur ſex modis. 1. Pro prædeſtinatione. Nam liber

vitæ

vitæ in Deo dicitur metaphoricè ſecundùm ſimilitudinem à rebus humanis acceptam. Eſt enim apud homines conſuetum, quòd illi, qui ad aliquid eliguntur, conſcribantur in libro, utpote milites, vel conſiliarii, qui olim dicebantur patres conſcripti. Omnes autem prædeſtinati eliguntur ab ipſo Deo ad vitam æternam habendam. Iſta ergo prædeſtinatorum conſcriptio dicitur liber vitæ. Dicitur autem metaphoricè aliquid conſcriptum in intellectu alicuius, quod firmiter in memoria tenet, ſecundùm illud Proverb. 3. c. *Ne obliviſcaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum cuſtodiat.* Et poſt pauca ſequitur: *Deſcribe ea in tabulis cordis tui*. Nam & in libris materialibus aliquid conſcribitur, ad ſuccurrendum memoriæ. Vnde ipſa Dei notitia, quâ firmiter retinet, ſe aliquos prædeſtinaſſe ad vitam æternam, dicitur liber vitæ. Nam ſicut ſcriptura libri eſt ſignum eorum, quæ fienda ſunt; ita Dei notitia eſt ſignum quoddam apud ipſum eorum, qui perducendi ſunt ad vitam, ſecundùm illud 2. Timoth. 2. cap. *Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc. Novit Dominus, qui ſunt eius.* Et *Gloſſa* ſuper illud Pſal. *Deleantur de libro viventium*, dicit: Liber iſte eſt notitia Dei, quâ prædeſtinavit ad vitam, quos præſcivit.

2. Accipitur liber vitæ pro ſacra Scriptura. Nam liber vitæ hoc modo ſumitur pro conſcriptione eorum, quæ ducunt in vitam, ſicut agendorum. Et ſic novum, & vetus Teſtamentum dicitur liber vitæ. Dicitur enim Eccli. 24. *Hæc omnia liber vitæ.* *Glo.* Id eſt, novum, & vetus Teſtamentum. Baruch 4. cap. *Hic eſt liber mandatorum Dei.* Deut. 31. *Tollite librum iſtum, & ponite eum in latere arcæ fœderis.*

3. Pro notitia meritorum, & demeritorum. Vnde *Auguſtinus lib. 20. de civitate Dei* cap. 14. dicit, quòd liber vitæ eſt quædam vis Divina, quâ fiet, ut cuique opera ſua bona, vel mala in memoriam reducantur. Et ſic conſcriptio jam factorum dicitur liber vitæ, ſicut etiam liber militiæ dici poteſt, vel in quo ſcribuntur electi ad militiam, vel in quo traditur ars militaris, vel in quo recitantur facta militum; unde Danielis 7. cap. dicitur: *Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt.*

4. Pro fama ſanctitatis. Eſt enim conſuetum in Scriptura, ut quid dicatur fieri, quando innoteſcit, & ſecundùm hoc aliqui dicuntur eſſe ſcripti in libro vitæ, in quantum homines opinantur eos ibi ſcriptos propter præſentem juſtitiam, quam in eis vident. Iob 31. *Librum ſcribat ipſe, qui iudicat*, &c.

5. Pro gratiâ. Nam vita gratiæ non habet rationem finis, ſed rationem eius, quod eſt ad finem. Vnde ad vitam gratiæ non dicitur aliquis eligi, niſi quantùm vita gratiæ ordinatur ad gloriam; & propter hoc illi, qui habent gratiam, & decidunt à gloria, non dicuntur eſſe electi ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, prout ſcilicet de eis in ordinatione, & notitia Divina exiſtit, quòd sût habituri aliquem ordinem ad vitam æternam ſecundùm participationem gratiæ. Pſalm. *In libro tuo omnes ſcribentur.*

6. Pro ordinatione in vitam æternam. Nam liber gloriæ importat conſcriptionem quandam, ſive notitiam electorum ad vitam. Eligitur autem aliquis ad id, quod non competit ſibi ſecundùm ſuam naturam; & iterum, id, ad quod eligitur aliquis, habet rationem finis: non enim miles eligitur, aut conſcribitur ad hoc, quòd armetur, ſed ut pugnet, quod eſt proprium officium, ad quod militia ordinatur. Finis autem ſupra naturam exiſtens eſt vita gloriæ. Vnde propriè liber vitæ eſt vita gloriæ.

Eodem modo quis poteſt deleri de libro vitæ ſex modis oppoſitis. 1. Propter peccatum. Exodi 32. cap. *Qui peccaverit, delebo eum de libro meo.* Figura diluvii, *Gen. 6.*

2. Propter legis tranſgreſſionem. Figura de Moyſe, qui propter idololatriam populi fregit tabulas legis, *Exodi 32. cap.*

3. Propter condemnationem: quia notitiâ præteritorum meritorum non habent ad gloriam. Pſal. *Nomen eorum deleſti in æternum, & in ſeculum ſeculi.*

4. Propter diffamationem, ſcilicet quando apparet, vel in hoc ſeculo, vel in futuro, quòd ab hac vita gloriæ exciderunt. Pſal. *Vt lutum platearum delebo eos.*

5, Propter deſperationem. Nam aliqui eliguntur ad vitam gratiæ, & non ad vitam gloriæ, ut patet per illud, quod dicitur Ioann. 6. cap. *Nonne ego elegi vos duodecim, & unus ex vobis diabolus eſt.*

6. Vt ab ordinatione Divina quis non deleatur, agat feliciter, & virtuosè, & perſeveret: quia non deleri de libro vitæ ponitur inter præmia juſtorum, ſecundùm illud Apocal. 3. *Qui viverit, ſic veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ.* Eſt enim liber vitæ conſcriptio ordinatorum in vitam æter-

Digitized by Google

æternam, ad quam ordinatur aliquis ex duobus: ſcilicet ex prædeſtinatione Divina, & hæc ordinatio nunquam deficiet: quia, ut dicit *Auguſtinus libro* 20. *de civitate Dei capite* 15. Præſcientia Dei, quæ falli non poteſt, liber vitæ eſt. Et ex gratiâ: quicunque enim habet gratiam, ex hoc ipſo dignus eſt vitâ æternâ; & hæc ordinatio deficit interdum: quia aliqui ordinati ſunt ex gratia habita ad habendum vitam æternam ex prædeſtinatione Divina; aliqui tamen deficiunt per peccatum mortale, & tales, qui ſic ordinati ſunt ad habendum vitam æternam, non ex prædeſtinatione Divina, ſed ſolùm ex gratia dicuntur eſſe ſcripti in libro vitæ, non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid: quia ſunt ibi ſcripti, ut habituri vitam æternam, non in ſeipſa, ſed in ſua cauſa, ſcilicet ſi perſeverabunt in gratia, & tales poſſunt deleri de libro vitæ, ut deletio non referatur ad notitiam Dei, quaſi Deus aliquid prius præſciat, & poſtea neſciat, ſed ad rem ſcitam, quaſi ſcilicet Deus aliquem ſciat prius ordinari in vitam æternam, & poſtea non ordinari, cùm deficit à gratia. Quia verò liber vitæ eſt notitia prædeſtinationis, & prædeſtinatio non reſpicit vitam gloriæ, niſi ſecundùm quod ordinatur ad gloriam (non enim ſunt ſimpliciter prædeſtinati, qui habent gratiam, & deficiunt à gloria) illi ergo ſunt ſimpliciter ſcripti in libro vitæ, qui habent gratiam in præſenti, & gloriam in futuro. In quorum numero ponitur beatus Ambroſius; ideo dicitur, quòd inextinguibile eſt lumen illius, ſcilicet quantùm ad prædeſtinationem, & conſcriptionem eius in libro vitæ, ſcilicet æternæ gloriæ. Pſal. *Quoniam apud te eſt fons vitæ; & in lumine tuo videbimus lumen*, ſcilicet æternæ felicitatis.

Inextinguibile eſt lumen illius

Imitatione Divinali.
Probatione naturali.
Proteſtatione morali.
Fruitione ſempiternali.

PRIMO. *Inextinguibile eſt lumen beati Ambroſii in imitatione Divinali.* Si enim comparemus vitam eius famoſioribus viris, qui fuerunt in lege Dei, ſuper omnes eſt præcipuus.

Primus eſt *Abel*, qui floruit virtute pudicitiæ, & virginitatis. Vnde *Auguſtinus lib.* 1. *de mirabilibus ſacræ Scripturæ cap.* 3. dicit: Iuſtitia triplex in Abel fuit. Prima virginitas, non generando. Secunda ſacerdotium, munera placita Deo offerendo. Tertia martyrium, fideliter moriendo.

Beatus Ambroſius virginitatem perpetuam cuſtodivit. Nam *Hieronymus* refert ipſum dixiſſe: Virginitatem non ſolùm efferimus, ſed cuſtodimus. Cuius quatuor fuerunt ſigna.

Primum: quia de virginitate libenter diſſeruit. Matth. 12. cap. *Bonus homo de bono theſauro* (cordis ſui) *profert bona.*

Secundum: quia virginitatem mirabiliter commendavit. *Chryſoſtomus*. Cùm audis aliquem de Deo loquentem, intellige, quòd cor illius amore Dei repletum eſt. Qui libidinis theſaurum habet in corde, de puellis dicere delectatur, & audire.

Tertium: quia de virginitate libros compoſuit, in quibus animat, & hortatur alios ad virginitatem. 1. Cor. 7. capite. *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do.*

Quartum: quia aliquid indecorum dicere, vel audire erubuit. Vnde ipſe ait *in lib. de officiis*: Non ſolùm autem hæc ab oculis abſcondamus, verùm etiam eorum indicia, uſuſque membrorum ſuis appellationibus nũcupare indecorum putemus.) In his ſupergreſſus eſt Abel; Ideo inextinguibile eſt lumen illius.

Secundus eſt *Abraham*, qui floruit virtute fidei. Nam *credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam*. Beatus Ambroſius fidem Chriſti acerrimè defendit. Vnde ipſe ait, cùm Imperator peteret Baſilicam, ut habetur 23. *quæſt.* 8. *cap. Convenior*: Prius eſt, ut animam mihi, quàm fidem auferat. Vnde de ipſo poteſt dici illud Cantic. 4. cap. *Favus diſtillans labia tua*.

Eius fidei quatuor fuerunt ſigna. Primum. Hæreticos coercendo, ut patet de illo, qui pulſus eſt in exilium, credens placere Iuſtinæ Imperatrici, ſi citiùs raptum Ambroſium in exilium deportaret.

Secundum. Hæreticos miraculis convertendo, ut patet de illo acerrimo diſputatore Hæretico, qui, cùm vidiſſet Angelum loquentem ad aures Ambroſii, ſtatim converſus eſt.

Tertium. Hæreticos ſuâ doctrinâ ad fidem catholicam reducendo, ut patet de beato Auguſtino, quem ſuis prædicationibus ad fidem reduxit.

Quar-

Digitized by Google

Quartum. Dæmones fugando,& exterrendo, ut patet de dæmoniaco ingrediente Mediolanum, quem dæmon dimiſit, egredientem invaſit. Interrogatus de hoc dæmon, ait: Ambroſium timui.

Tertius eſt *Moyſes*, qui floruit virtute pietatis. Nam compatiens populo idololatranti cum lacrymis oravit Dominum, dicens: *Aut dele me de libro tuo, in quem me ſcripſiſti, aut parce huic populo.*

Beatus Ambroſius ardebat igne charitatis. Pſal. *Inflammatum eſt cor meum*. Propter quam commovebatur ad lacrymas,quarum in eo fuerunt quatuor genera.

Primum. Lacrymæ orationis: quoniam fervore cordis accenſus cum lacrymis orabat Dominum. Vnde, ut habetur 23. *quæſt.* 8. *cap. Non pila*, ipſe de ſeipſo ait: Non pila quærunt ferrea, non arma Chriſti milites. Coactus repugnare non novi: ſed dolor, fletus, orationes, lacrymæ fuerunt mihi arma adversùs milites. Talia enim ſunt munimenta Sacerdotis. Aliter nec debeo, nec poſsum reſiſtere.)

Secundum. Lacrymæ devotionis præ æternorum deſiderio.Cùm enim ei alicuius ſancti Sacerdotis, vel Epiſcopi obitus nunciabatur, ſic amariſſimè flebat, ut vix conſolari valeret. Cùm autem interrogaretur, cur viros ſanctos, qui ad gloriam proficiſcebantur, ſic fleret, ajebat: Ne putetis me flere, quia receſſerunt,ſed quia me præceſſerunt; & quia difficilè inveniuntur eorum officiis digni.

Tertium. Lacrymæ doloris pro alienis peccatis. Nam,cùm aliquis lapſum ſibi confitebatur, ſic amariſſimè flebat, quòd illum flere ſimiliter compellebat.

Quartum. Lacrymæ compaſſionis pro aliorum injuriis. Vnde, ut habetur 23. *quæſt.* 8. *cap. Convenior*, dicit de ſeipſo: Adversùs arma, milites Gothos quoque, lacrymæ meæ mea arma ſunt.)

Quartus eſt *Aaron*, qui floruit virtute honeſtatis, propter quam meruit dignitatem ſacerdotii. Eccli. 45. *Exceſſum fecit Aaron fratrem eius. Statuit ei teſtamentum æternum, & dedit illi ſacerdotium gentis, & beatificavit illum in gloria.*

Beatus Ambroſius fuit tantæ honeſtatis,& ſanctitatis in vita, ut mereretur eligi ad ſtatum prælationis in Eccleſia Dei, juxta illud Iſa. 52. cap. *Ecce intelliget ſervus meus, exaltabitur, & elevabitur, & ſublimis erit valde.* Cuius electio commendatur à quatuor.

1. Quia fuit à Deo inſpirata. Nam vox miraculosè inſonuit, dicens Ambroſium Epiſcopum; cùm inter Arrianos, & Catholicos eſſet diſcordia, quis deberet eligi in Epiſcopum Mediolanenſem. Heb. 5. cap. *Nemo ſumit ſibi* (ſacerdotii) *honorem, niſi qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.*

2. Quia fuit à Deo certificata. Nam terra, ſupra quam ſtabat B. Ambroſius, eum ſuper omnes levavit, ut dicit *Ray. in ſumma lib.* 3. *Rubricà de Neophytis*. §. 14. *in fine*.

3. Quia fuit ab electoribus unanimiter celebrata. Nam, cùm in diſcordia multa eſſent,protinus in Ambroſium conſenſerunt.

4. Quia fuit à Superiori cum gaudio confirmata. Nam cùm miſſa eſſet relatio ad clementiſſimum Imperatorem Valentinianum, ſummo gaudio accepit, quòd judices à ſe directi ad ſacerdotium peterentur, & ſic eius electio fuit confirmata.

Quintus eſt *David*, qui floruit virtute humilitatis, ut patet 2. *Reg. 6. cap.*

Beatus Ambroſius fuit tantæ humilitatis, quòd non ſolùm fugit, ne poſſet inveniri, ſed etiam tria ſe habere ſimulavit, quæ ſunt prælationis officio inimica. 1. Crudelitatem. Nam tribunal conſcendit, & contra conſuetudinem ſuam tormenta perſonis adhiberi juſſit. Eccli. 4. *Noli eſſe ſicut leo in domo tua.* 2. Phyſicam vanitatem. Nam Phyſicam profiteri voluit. 1. Cor. 2. *Loquimur non in doctis humanæ ſapientiæ verbis*. 3. Infamiam,& inhoneſtatem. Nam publicas mulieres publicè ad ſe venire fecit, ut ex hoc à ſua intentione populum revocaret. 1. Tim. 3. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe*.

Sextus fuit *Salomon*, qui floruit virtute ſapientiæ, & claritatis. Nam fuit vir plenus ſapientiâ, ut patet *Sap. 7. cap.*

Beatus Ambroſius maximâ habuit ſapientiam, quod apparet ex quatuor.

1. Quia, cùm Romæ traditus eſſet artibus liberalibus, ad plenum eruditus eſt. Proverb. 14. cap. *Acceptus eſt Regi miniſter intelligens*.

2. Quia eius ſapientia fuit profunda. Vnde *Hieronymus de viris illuſtribus* dicit ſic de eo: Ambroſius ſuper profundorum pennas raptus, quò magis profundum ingreditur, fructum de alto capere videtur.

3. Quia eius doctrina fuit placens, & pulchra. Vnde *Auguſtinus lib.* 1. *de nuptiis, & concupiſcentia cap.* 35. Pelagius Hæreſiarcha ſic laudat Ambroſium, ut dicat: Beatus Ambro-

Digitized by Google

broſius Epiſcopus, in cuius præcipuè libris Romana lucet fides, quaſi Scriptorum inter Latinos flos quidam emicuit.

4. Quia eius doctrina fuit Dei laude, & fide plena. Vnde *Hieronymus* dicit de eo: Eius omnes ſententiæ fidei, & Eccleſiæ, & omnium virtutum firmæ ſunt columnæ. Et *Auguſtinus libro 9. confeſ. cap. 7.* tradit, quòd cùm Iuſtina Ambroſium perſequeretur hæreſis ſuæ cauſâ, excubabat pia plebs in Eccleſia, mori parata cum Epiſcopo ſuo; at ipſe inſtituit hymnos, & Pſalmos decantari, ne populus mœroris tædio contabeſceret.

Septimus fuit *Elias*, qui floruit virtute abſtinentiæ,& parcitatis, ut patet 3. *Reg.* 19. c. qui jejunavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

Beatus Ambroſius tantæ abſtinentiæ fuit, quòd quotidie, niſi in ſabbato, & die dominica, & in feſtis præcipuis, jejunabat. Vnde *libro* 2. *Eccleſiaſtica hiſtoria* dicitur de eo: Adversùs Reginæ furorem non ſe manu defenſabat, aut telo, ſed jejuniis, & continuatis vigiliis ſub altari poſitus per obſecrationes defenſorem ſibi, atque Eccleſiæ Deũ parabat.) Sic etiam Elias fecit, fugiens à facie Iezabel uxoris Regis Achab, ut patet 3. *Reg.* 19. *cap.* Ecce quomodo inextinguibile eſt lumen ſanctitatis, & virtutis Beati Ambroſii in imitatione Divinali.

SECVNDO. *Inextinguibile eſt lumen ſanctitatis beati Ambroſii in probatione naturali.* Nam ſi comparemus virtutes eius Philoſophis naturalibus, ipſe ſuperexcedit eos multipliciter.

Primus eſt *Diogenes*, qui commendatur de veritate, de quo ait *Valerius Maximus libro* 4. *cap.* 3. quòd Syracuſi cùm olera lavanti Ariſtippus dixiſſet: ſi Dionyſio adulari velles,iſta non ederes; imo,inquit,ſi tu iſta edere velles, Dionyſio non adulareris.

Beatus Ambroſius conſtans fuit in defenſione catholicæ veritatis. Vnde *libro* 11. *Eccleſiaſtica hiſtoria* dicitur, quòd Iuſtina, mater Valentiniani Imperatoris, Arrianæ hæreſeos alumna, conturbare cœpit Eccleſiarum ſtatum, comminari Sacerdotibus de repulſu, & exilio, niſi Ariminenſis conſilii decreta revocarent; quo bello Eccleſiæ murum, & turrim validiſſimum pulſabat Ambroſium.

Secundus fuit *Socrates*, qui floruit moralitate,de quo dicit *Valerius libro* 3. *capite* 4. Socrates non ſolùm hominum conſenſu, verùm etiam Apollinis oraculo ſapientiſſimus judicatus eſt, qui primus animum ſuum in intima conditionis humanæ, & in ſeceſſu pectoris repoſitos affectus ſcrutari coegit.

Beatus Ambroſius mores hominum informabat. Nam inter cetera docuit beatum Auguſtinum tria ad mores ſpectantia. 1. Ne cuiquam uxorem peteret, ne ſcilicet poſtmodum ipſi inter ſe malè conveniant,& ſibi maledicant. 2. Ne aliquibus militiam exercere conſuleret, ne ipſi calumniam, & rapinam exerceant. 3. Ne ad convivia invitatus accederet, ne ibi temperantiæ nomen perdat. Etiam ſe exemplum bonorum operum omnibus exhibebat. Ad Titum 2. *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum.*

Tertius fuit *Plato*, qui floruit ſermonis venuſtate, de quo dicit *Valerius libro* 1. *capite* 6. quòd dormientis in cunis parvuli labellis apes mel inſeruere, quâ re auditâ, prodigiorum interpretes ſingularem eloquii ſuavitatem ore eius emanaturam dixerunt.

Beatus Ambroſius altiori prodigio dotatus eſt. Cùm enim adhuc eſſet infans,& dormiret, examen apum os eius,& faciem ſic replevit, ut quaſi in alveolum ſuum intrarent pariter,& exirent. Iudic. 14. cap. *Examen apum in ore eius.*

Quartus fuit *Ariſtoteles*, qui floruit ingenii ſubtilitate. Nam plures libros naturales, & morales Philoſophiæ ad excitanda humana ingenia edidit, ſubtiliſſimis rationibus confirmans veritatem.

Beatus Ambroſius quanta ſubtilitate intellectus fulſerit, Iob 28. cap. teſtatur, dicens: *Profunda fluviorum ſcrutatus eſt.* Vtiles quoque libros edidit ad fidei firmitatem, & ſalutis humanæ felicitatem,quos Spiritu ſancto dictante complevit: nam Spiritus ſanctus in ſpecie ignis, & in modum ſcuti os eius intrare viſus eſt.

Quintus fuit *Demoſthenes*, qui floruit cauſarum intelligibilitate. Nam liberavit mulierem ab infeſto petitore ſuâ prudentiâ, ut dicit *Valerius libro* 7. *cap.* 3. *de aſtutia.*

Beatus Ambroſius Romæ literis eruditus, cùm cauſas Prætoris ſplendidè peroraret, à Valentiniano Imperatore anno Domini 381. ad regendam Liguriam, Æmiliamque provincias directus eſt.

Sextus fuit *Pythagoras*, qui floruit auctoritate. Nam,ut dicit *Valerius libro* 8. *capite* 15. Pythagoræ tanta auctoritas ab auditoribus tributa eſt,ut,quæ ab eo acceperant, in diſputationem ducere nefas æſtimarent. Qui etiam

Digitized by Google

interpellati ad reddendam cauſam, hoc ſolùm reſpondebant eum dixiſſe: Magnus honos, ſed ſchola tenus.

Beatus Ambroſius magnæ fuit auctoritatis: nam antiqui Doctores, ſicut Auguſtinus, verba ſua pro grandi auctoritate habebant. Vnde *Auguſtinus ad Ianuarium, ut habetur diſ.* 12. *cap. Illa autem*, dicit: Mater mea Mediolanum me conſecuta invenit Eccleſiam ſabbato non jejunantem: cœperat fluctuare quid ageret. Tunc ego conſului de hac re beatiſs. mem. virum Ambroſium. At ille ait: cùm Romam venio, jejuno ſabbato: cùm Mediolani ſum, non jejuno. Sic etiam & tu, ad quam fortè Eccleſiam veneris, eius morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quenquam tibi. Et ſubdit *Auguſtinus ad Ianuarium epiſt.* 118. *cap.* 2. Ego de hac ſententia etiam atque etiam cogitans, ita ſemper habui, tanquam eam cæleſti oraculo acceperim.

Septimus fuit *Anaxagoras*, qui floruit ſtudioſitate. Nam, ut dicit *Valerius lib.* 8. *cap.* 7. diutinâ peregrinatione propter Philoſophiæ ſtudium completâ domum rediens, deſertis poſſeſſionibus ait: Non eſſem ego ſalvus, niſi iſtæ periiſſent.

Beatus Ambroſius, cùm avaritiam in hominibus creſcere conſpiceret, & maximè in his, qui erant in poteſtatibus conſtituti, apud quos omnia pretio vendebantur, necnon & in his, qui erant ſacris miniſteriis deputati, vehementer ingemuit, & ſe de huius ſeculi ærumna liberari inſtantiùs exoravit. Sciebat enim, quòd ſtatus divitiarum eſt valde periculoſus, & in hoc ſeculo, & in futuro, quem vehementer fugiebat, dubitans, ne cum divitibus cohabitans, iram Domini incurreret, ut patet de illo divite hoſpite in Tuſcia, à quo cùm receſſiſſet, à terra ſubitò abſorptus eſt.

TERTIO. *Inextinguibile eſt lumen Beati Ambroſii in proteſtatione morali.* Nam ſi geſta eius comparentur ad mores antiquorum, præcipuus inter eos invenietur multipliciter.

Primus fuit *Valerius Poplicola*, qui floruit paupertate. Nam, ut dicit *Valerius lib.* 4. *cap.* 4. iſte finito regio imperio initium conſulatus accepit, & tres conſulatus acceptiſſimè rexit, & tantæ fuit paupertatis, quòd patrimonium eius ad impenſas exequiarum ſuarum defecit.

Beatus Ambroſius maximæ fuit liberalitatis, cùm omnia, quæ habebat, pauperibus erogaret; unde refertur de ipſo, quòd Imperatori petenti Baſilicam ſic reſpondit, *ut habetur* 23. *quæſt.* 8. *cap. Convenior*: Si à me peteret, quod meum eſset, id eſt, fundum meum, argentũ meum, jus hujuſmodi meum, non me refragraturum, quanquàm omnia, quæ mea ſunt, eſſent pauperum.)

Secundus fuit *Cato Vticenſis*, qui floruit rigiditate, ut tradit *Plutarch. Boethius lib.* 1. *de conſolatione*, & *Salluſtius in Catilinario*. Nam vitia hominum rigidè expugnabat, & condemnabat.

Beatus Ambroſius fuit rigidiſſimus in objurgatione vitii, & omnis iniquitatis. Vnde legitur in *hiſtoria tripartita*, quòd, cùm Theodoſius Imperator quoſdam innocentes occid mandaſſet, Ambroſius durè ipſum redarguit ab introitu Eccleſiæ ſuſpendit, & publicam pœnitentiam eidem injunxit. Ad Titum 2. *Argue cum omni imperio*.

Tertius fuit *Scipio Naſica*, qui floruit conſilii ſalubritate. Nam Carthaginem æmulam Romani imperii nolebat deſtrui, ne Romani prolaberentur ad vitia, ut dicit *Auguſtinus lib.* 1. *de civitate Dei* 30. *cap.* Etiam ludos ſcenicos ſuo conſilio abſtulit, ut dicit *Valerius*.

Beatus Ambroſius librum de officiis edidit, in quo ea, quæ ad benè, beateque vivendum attinent, copiosè diſſeruit. Etiam magno conſilio uſus eſt, cùm quendam flagitioſum tradidit ſatanæ in interitum carnis, ne talia deinceps perpetraret.

Quartus fuit *Scipio Africanus minor*, qui floruit ſtrenuitate, præcipuè contra Annibalem in devincenda Carthagine. Non enim timuit exercitum copioſiſſimum Africanorũ, ſed grandi animo ſe illi objecit, quem devicit, ut dicit *Valerius lib.* 2. *cap.* 7.

Beatus Ambroſius fuit ſtrenuus in defenſione Eccleſiaſticæ libertatis. Vnde (ut dicitur 23. *quæſt.* 8. *cap. Convenior*) cùm Imperator Valentinianus quandam Baſilicam uſurpare vellet, Ambroſius ſic reſpondit: Noli gravare te Imperator, ut putes te in ea, quæ Divina ſunt, imperiale jus ullum habere. Tributum Cæſaris eſt, non negatur. Eccleſia Dei eſt: Cæſari utique non debet adjici.

Quintus fuit *Paulus Aemilius*, qui floruit magnanimitate. Optabat enim, ut adverſa fortuna vim ſuam potiùs in domum eius converteret, ut ſic reſpublica ſalva fieret; unde ipſe ait, ut *Valerius refert lib.* 5. *cap.* 10. Cùm

in

in maximo proventu felicitatis noſtræ (Quirites) timerem, ne quid mali fortuna moliretur ; Iovem optimum maximum , Iunonemque Reginam,& Minervam precatus ſum, ut ſi quid adverſi populo Romano immineret , totum in meam domum converteretur. Quapropter bene ſe habet res : annuendo enim votis meis id egerunt, ut vos potiùs meo caſu doleatis , quam ego veſtro ingemiſcerem . *Hæc ille* .

Beatus Ambroſius fuit magnanimus in adverſitatis perpeſſione . Nam ipſe dixit, ut habetur 23. *quæſt.* 8. *cap. Convenior* ipſe à comitibus,& tribunis, ut Baſilicæ fieret matura traditio , dicentibus Imperatorem jure ſuo uti , eò quòd in eius poteſtate eſſent omnia . Reſpondi : Si patrimonium petitur,invadite; ſi corpus,occurram . Vultis in vincula rapere? Vultis in mortem? Voluptati eſt mihi . Non ego me vallabo circunfuſione populorum, nec altaria tenebo vitam obſecrans , ſed pro altaribus gratiùs immolabor .) Et ſic ſuperavit Imperatorem, cui grandi animo reſtitit .

Sextus fuit *Fabius Maximus*,qui floruit ſeveritate . Nam,ut dicit *Valerius libro* 2. *cap.*7. Hic habens clementiſſimum ingenium , ad tempus depoſitâ clementiâ , ſeveriore ſeveritate uſus fuit . Nam habitâ victoriâ contra hoſtes,omnes illos,qui confugerant ad eos de præſidiis Romanorum,acriter,& ſeverè punivit, manus illorum præcidens , ut ceteros exterreret .

Beatus Ambroſius maximæ ſeveritatis extitit . Cùm enim in quandam civitatem pro quodam Epiſcopo ordinando iviſſet , & eius electioni Iuſtina Imperatrix , & alii Hæretici contradicerent, & virgo quædam Arriana ipſum per veſtem traxiſſet,ut cæſus cum injuria de Eccleſia pelleretur,ſeveriùs eam corripuit, quæ in craſtinum mortua eſt ; quod factum omnes perterruit .

Septimus fuit *Metellus*, qui floruit religioſitate . Nam, ut dicit *Valerius libro* 8. *cap.* 13. Poſt conſulatia imperia Pontifex maximus creatus tutelam cæremoniarum per 22. annos non tremulâ manu geſſit .

Beatus Ambroſius tantâ religioſitate fulſit , ut cùm in extremis laboraret , & comes Italiæ , qui tunc Mediolani erat, deliberaſſet cum ſuis , ut Ambroſius Dominum precaretur,quatenus ſibi vitam prorogaret, ne Italiæ interitus immineret,reſpondit : Non ita inter vos vixi,ut mori timeam,vel me pudeat: cùm bonum Dominum habeamus. Ecce quomodo inextinguibile eſt lumen eius quoad vitam moralem .

QVARTO. *Inextinguibile eſt lumen beati Ambroſii fruitione ſempiternali* . Nam de ſua gloria potuit eſſe ſecurus : quoniam Honoratus *Epiſcopus Vercellenſis* ex præcepto Dei ad ipſum venit, & ſibi Sacramentum dominici Corporis dedit, & cùm tali Viatico tranſivit : manus enim in modum crucis expandens, ſpiritum ſuum Domino commendavit . Eius felicitatis quatuor ſigna fuerunt . Primum . Super eum Spiritus ſanctus apparuit in ſpecie ignis. Secundum. A multis viſus eſt in cælum aſcendere . Tertium . A multis viſus eſt in cathedra fulgentiſſima ſedere . Quartum . A multis viſa eſt ſtella ſplendida ſuper corpus eius reſidere ; quæ omnia deſignant : quoniam inextinguibile eſt lumen ſuæ æternæ felicitatis , quam nobis concedat Chriſtus Ieſus Dominus noſter . Amen .

SERMO XXVI.

IN FESTO SANCTI GEORGII MARTYRIS.

Perfectus inventus est. Eccli. 31. cap.

APostolus ad Ephesios quarto capite dicit: *Unicuique data est gratia secundùm mensuram donationis Christi.* Super quo talem moveo quæstionem.

Utrum beatus Georgius maiorem gratiam à Christo adeptus fuerit, quàm alius, qui cum ipso pro fide militaverit?

AD istam quæstionem respondent tres Doctores novi Testamenti.

Primus est *Andreas Cretensis in sermone de eodem Sancto* dicens: Fuit hic & nomine, & re Georgius. Hic tanquam rosa in mediis spinis id temporis exortus est, tanquam lilium suavem pietatis odorem efflans, in medio idololatriæ cœno effloruit. Velut cupressus, in campo rubis ac sentibus horridos ut oliva fructifera in deserto, utque palma dulces reddens fructus olim amaros: ut luna plena, tristissima nocte: ut facula, obscurâ caligine, iis præferens lucem, qui in impietatis pelago errarent: ut stella matutina, in medio atrarum nubium: ut sol denique, lætum, densa caligine, splendorem emittens. Quòd si etiam, unde sit ortus, ac generis nobilitatem quæris; res ipsæ, velut missâ voce clamant, Dei filium hunc esse, ac supernæ illius Ierusalem, quæ libera est. *Quotquot* enim *receperunt eum*, inquit Discipulus ille Virgo, *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credant in Nomine eius:* cujusmodi fuit Georgius, qui generis sui nobilitatem factis comprobavit. *Hæc ille.*

Secundus est *beatus Ambrosius in præfatione* dicens: Georgius fidelissimus miles Christi, dum christianitatis professio silentio tegeretur, solus inter christicolas Dei Filium est confessus; cui & tantam fidei constantiam gratia Divina concessit, ut & tyrannicæ potestatis præcepta contemneret, & innumerabilium non formidaret tormenta pœnarum. O felix, & inclytus Domini præliator, quem non solùm temporalis regni blanda non pervasit promissio, sed persecutore deluso simulacrorum eius in abyssum portenta dejecit!)

Tertius est *Sanctus Thomas prima secundæ quæst. 112. artic. 4.* dicens: Habitus duplicem magnitudinem habere potest. Vnam ex parte finis, vel objecti, secundùm quod una virtus dicitur aliâ nobilior, in quantum ad majus bonum ordinatur. Aliam verò ex parte subjecti, quòd magis, vel minus participat habitum inhærentem. Secundùm ergo primam magnitudinem gratia gratum faciens non potest esse major, & minor: quia gratia secundùm sui rationem conjungit hominem summo bono, quod est Deus. Sed ex parte subjecti gratia potest suscipere magis, vel minus, prout scilicet unus perfectiùs illustratur à lumine gratiæ, quàm alius. Cuius diversitatis aliqua ratio est ex parte præparantis se ad gratiam: qui enim se magis ad gratiam præparat, pleniorem gratiam accipit. Sed ex hac parte non potest accipi prima ratio huius diversitatis: quoniam præparatio ad gratiam non est hominis, nisi in quantum liberum arbitrium eius præparatur à Deo. Vnde prima causa huius diversitatis accipienda est ex parte ipsius Dei, qui diversimodè suæ gratiæ dona dispensat ad hoc, quòd ex diversis gradibus pulchritudo, & perfectio Ecclesiæ consurgat: sicut etiam diversos gradus rerum instituit, ut esset universum perfectum. Vnde Apostolus Ephes. 4. postquam dixerat: *Unicuique data est gratia secundùm mensuram donationis Christi*, enumeratis diversis gratiis, subjungit: *Ad consummationem Sanctorum in ædificationem Corporis Christi. Hæc Sanctus Thomas.*

Sciendum, quòd gratia potest sumi quadrupliciter. Primò. Pro dilectione alicuius, sicut consuevimus dicere, quòd iste miles habet gratiam Regis, & Rex habet eum gratũ. Et quia bonum creatum creaturæ provenit

ex

ex voluntate Divina ; ideo ex dilectione Dei, quâ vult creaturæ bonũ, profluit aliquod bonum in creatura. Vnde quamlibet dilectionem Dei ſequitur aliquod bonum creatum in creatura ; non tamen dilectioni æternæ coæternum. Sap. 11. cap. *Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti*. Secundùm quam dilectionem eſſe naturale rebus creatis Deus largitur, & illud conſervat. *Gregorius 16. moralium cap.* 18. Omnia in nihilum decciderent, niſi manus Omnipotentis ea in eſſe conſervaret. Et hæc gratia extenditur ad bonos, & malos. Matth. 5. cap. *Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos : & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos*.

Secundò. Pro dilectione ſpirituali, ſecundùm quam Deus trahit creaturam rationalem ſupra conditionem naturæ ad participationem Divini boni. Et ſecundùm hanc dilectionem dicitur Deus aliquem diligere ſimpliciter: quia ſecundùm hanc dilectionem vult Deus ſimpliciter creaturæ bonum æternum, quod eſt ipſe. Et ſic homo dicitur gratiam Dei habere, in quantum habet aliquod ſupernaturale donum à Deo proveniens, quæ vocatur gratia prædeſtinationis, prout Deus gratuitè, & nõ ex meritis aliquos prædeſtinavit, ſive præelegit. Eph. 1. ç. *Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ*. Et iſta vocatur gratia gratum faciens, non quod faciat gratum effectivè, ſed formaliter : quia per hanc homo juſtificatur, & dignus efficitur vocari Deo gratus. Col. 1. cap. *Dignos nos fecit in parte ſortis Sanctorum in lumine*. Et hæc gratia eſt quædam lux animæ, mentem illuminans ad benè operandũ ſecundùm legem Dei. Vnde *Auguſtinus lib. de natura, & gratia cap.* 22. dicit : Prævaricatorem legis diguè lux deſerit veritatis, quâ deſertus utique fit cæcus. Et ſuper illud Pſal. *Vt exhilaret faciem in oleo*, dicit *Glo.* Gratia eſt nitor animæ, ſanctum concilians amorem.

Tertiò. Pro aliquo dono gratis dato, ſicut conſuevimus dicere : Hanc gratiam tibi facio. Et ſecundùm hanc gratiam unus homo cooperatur alteri ad hoc, quòd ad Deum reducatur, huiuſmodi autẽ donũ vocatur gratia gratis data. Rom. 11. cap. *Si autem gratia, iam non ex operibus : alioquin gratia non eſſet gratia*. Hæc gratia revocat liberum arbitrium à malo, & præparat ad bonum, ſcilicet cùm homo reducit ſe in ſeipſum, & examinat conſcientiam propriam, & conſiderat, quid operatur circa ſalutem propriam, quid circa opera miſericordiæ, qualiter fuit creatus, & ad quid fuit creatus, qualiter fuit redemptus, quam retributionem accipiet pro meritis ; & ſic compungitur in mente ſua, & diſponit ſe ad emendationem prioris malæ vitæ. Pſalm. *Laboravi in gemitu meo : lavabo per ſingulas noctes lectum meum : lacrymis meis ſtratum meum rigabo*.

Quartò. Pro recompenſatione beneficii gratis dati, ſecundùm quòd dicimur agere gratias pro beneficiis: nam ex beneficiis gratis exhibitis gratiarum actio conſurgit.

Sunt autem quinque effectus gratiæ gratũ facientis in nobis. Primus eſt, ut anima ſanetur. Secundus. Vt bonum velit. Tertius. Vt bonum, quod vult, efficaciter operetur. Quartus. Vt in bono perſeveret. Quintus. Vt ad gloriam perveniat. Vnde *Auguſtinus lib. de natura, & gratia cap.* 32. dicit: Prævenit, ut ſanemur : ſubſequitur, ut ſanati vegetemur. Prævenit, ut vocemur : ſubſequitur, ut glorificemur.) Et talis gratia eſt à tribus. 1. A Deo, tanquam ab efficiente. Pſal. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*. 2. A gratia gratis data, tanquam ab excitante, & promovente. 1. Cor. 12. *Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem*. 3. A libero arbitrio acceptante, & conſentiente. Nemo enim eſt, qui ultra generale auxilium, & gratiam quoad bona naturæ non habeat gratiam gratis datam, per quam ſæpius promovetur, & excitatur ad bonum: quia verò nõ ſequitur illum influxum ; ideo non recipit gratiam gratum facientem. Si enim mens humana diſponeret ſe ad recipiendum gratiam gratũ facientem, poſtquam eſt mota per gratiam gratis datam, ſubitò haberet eam. Vnde *Auguſtinus de verbis Apoſtoli ſerm.* 15. dicit : Qui fecit te ſine te, non juſtificabit te ſine te.

Quia verò beatus Georgius hanc gratiam præ aliis Chriſtianis, qui erant tunc temporis, præaccepit ; ideo dicitur, quòd per eam perfectus inventus eſt.

Perfectus inventus eſt

In munitione.	In expugnatione.
In obſervatione.	In paſſione.
In eruditione.	In glorificatione.

PRIMO. *Beatus Georgius perfectus inventus eſt in munitione*. Nam ſtrenuum militem decet habere munitionem, & copiam armaturæ convenientis. Epheſ. 6. *Induite*

vos

vos armaturam Dei, ut possitis stare adversùs insidias diaboli. Vbi ponit quatuor genera armaturæ, quibus fuit munitus B. Georgius.

Primò. Habuit loricam justitiæ. Sicut enim lorica ex omni parte munit, sic ex omni parte beatus Georgius fuit justitiâ munitus. A superiori per Dei, & proximi dilectionem, ab inferiori per omnium temporalium abjectionem; à dextris servando in prosperis temperantiam, à sinistris habendo in adversis patientiam; ante pericula præcavendo, retrò Dei beneficia rememorando.

Secundò. Habuit galeam. Caput enim est mens, galea est spes æternæ salutis. 1. Thessal. 5. *Induti galeam spem salutis*. Hebr. 6. cap. *Confugimus ad tenendam propositam spem*.

Tertiò. Habuit scutum fidei. Dicitur enim fides scutum: quia ibi constringuntur omnia diaboli tela. Ephes. 6. cap. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*. Tum quia est tantùm in sinistra, id est, in vita præsenti; & non in dextra, id est, in futura vita. Tum quia est de Deo, in quo sunt tres anguli, id est, tres Divinæ Personæ: & tamen est unum scutum, id est, unus Deus.

Quartò. Habuit gladium spiritus, quod est verbum Dei. Istum enim gladium habuit valde acutum per fervorem, valde limatum per vitæ splendorem, evaginatum ad vulnerandos bonos per amorem, & ad feriendos malos per erroris, & idololatriæ destructionem, repositum per discretionem. Ezech. 21. cap. *Gladius exacutus est, & limatus*.

SECVNDO. *Beatus Georgius perfectus inventus est in observatione*. Nam strenuum militem decet certare pro honore domini sui. 2. Tim. 2. cap. *Labora sicut bonus miles Iesu Christi*. Strenuus miles Christi debet fideliter militare, & pugnare pro Domino suo. Ille enim est fidelis miles Iesu Christi, qui certat pro honore ipsius. Ibid. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit*. Legitimè autem certat, qui certantium regulam observat, quæ habet quatuor capitula.

Primum est, ut ab omnibus nocivis, id est, peccatis, & terrenis abstineat. 1. Corinth. 9. cap. *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet*.

Secundum est, ut non segniter, sed fortiter pugnet. Ibid. *Sic pugno, non quasi aerem verberans*.

Tertium est, ut usque ad mortem in certamine perseveret. Eccli. 4. c. *Vsque ad mortem certa pro justitia*.

Quartum est, ut in certamine non suum, sed Dei honorem intendat, sicut fecit Ioab, dicens ad David 2. Reg. 12. cap. *Congrega reliquam partem populi*, &c. *ne nomini meo asscribatur victoria*.

Beatus Georgius ista quatuor capitula diligenter observavit. Nam omnia terrena contempsit, quemadmodum Christus, qui paupertatem semper dilexit. Matth. 8. capite: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet*. Etiam fortiter dimicavit, quemadmodum Christus semper laboravit, in infantia, in Ægyptum fugiendo, in juventute continuè prædicando, in morte pœnas sustinendo. Psal. *Pauper sum ego: & in laboribus à juventute mea*. Insuper usque ad mortem in prælio perseveravit. Nam consideravit conditionem militis: nomen enim militis est nomen officii, & exercitii. Iob 7. cap. *Militia est vita hominis super terram*. Et 2. Timot. 4. *Tu vero vigila, in omnibus labora*. Præterea Dei honorem in omnibus attendit. Nam consideravit magnitudinem mercedis. 1. Cor. 3. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem*. Sap. 3. *Bonorum laborum gloriosus est fructus*.

TERTIO. *B. Georgius perfectus inventus est in eruditione*. Nam strenuum militem decet habere scientiam artis militaris, quæ acquiritur quadrupliciter.

Primò. Per alienam eruditionem, scilicet sacræ Scripturæ. Eph. 6. cap. *Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare*.

Secundò. Per frequentem militantium considerationem, scilicet Christi, & Militum eius. Iac. 5. *Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis*.

Tertiò. Per crebram congressionem. Iudic. 3. *Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem*.

Quartò. Per jugem tentationem. Iac. 1. cap. *Beatus vir, qui suffert tentationem*, &c. Eccli. 34. capite: *Qui non est tentatus, quid scit?*

Beatus Georgius habuit robur virtutis, propter animum robustum ad aggrediendū, qui in medium hostium prosiliens, exclamavit: *Omnes dii Gentium dæmonia: Dominus autem cælos fecit*. Sciebat enim, quòd formidolosi de prælio Dei ejiciuntur, ut habetur *Deuteron. 20. cap.* Etiam habuit generosum

Digitized by Google

ſum animum ad Chriſtum ſequendum. Nam Regem Libyæ provinciæ de quatuor inſtruxit: ſcilicet, ut Eccleſiarum Dei curam haberet, Sacerdotes honoraret, Divinum officium libenter audiret, & ſemper pauperum memor eſſet. Inſuper habuit manum robuſtam ad aggrediendũ,& vincendũ. Gen.49.c. *Manus tua in cervicibus inimicorum tuorũ*. Vt patuit,quãdo(prout quidam antiqui tradunt) draconẽ compeſcens,filiã Regis Libyæ à faucibus eius liberavit (Pſ. *Conculcabis leonem,& draconem:*)& in eadẽ provincia baptizavit viginti millia hominum exceptis parvulis, & mulieribus. Præterea habuit dorſum robuſtum ad ſuſtinendum: quia multa tormenta patientiſſimè ſuſtinuit. Pſalm. *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores*.

QVARTO. *Beatus Georgius perfectus inventus eſt in expugnatione*. Sancti viri vincunt fallacias diaboli, ſicut elephantes vincunt draconem,qui inſidiatur eis,& hoc quadrupliciter.

Primò. Aquam roſtro mediante in faciem draconis projiciendo. Sic ſancti viri vincunt diabolum, quando aquam lacrymoſæ orationis contra ipſum proiiciunt. Matth. 17. cap. *Hoc genus damoniorum non eiicitur, niſi in oratione, & ieiunio*.

Sic beatus Georgius Dominum exoravit, ut templum cum idolis ſic omninò deſtrueret, quatenus ad ſui laudem, & populi converſionem nihil de eo penitus remaneret. Statimque ignis de cælo deſcendens templum cum diis, & ſacerdotibus concremavit, terraque ſe aperiens omnes eorum reliquias deglutivit. Exodi 15. cap. *Submerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus*. Pſal. *Contribulaſti capita draconum in aquis*.

Secundò. Caput eius conterendo. Elephas enim caput draconis plantâ conterit, & tunc draco terribilem ſibilum emittit. Mich. 1. *Faciam planctum velut draconum*.

Sic ſancti viri virtutem diaboli à fundamentis enervant. Habacuc 3. cap. *Percuſſiſti caput de domo impii*. Et beatus Georgius facto ſigno Crucis hauſit venenum illæſus; quo viſo, magus,qui ſibi illud paraverat,cecidit ad pedes eius, veniam lamentabiliter petens, & ſe Chriſtianum fieri poſtulavit, quem mox Dacianus decollari fecit. Gen. 3. *Ipſa conteret caput tuum*.

Tertiò. Dorſum opponendo. Elephas enim diligenter ventrem cuſtodit, & dorſum draconi opponit.

Sic beatus Georgius contra Dacianum dorſum oppoſuit, dum Alexandram uxorem eius contra eum convertit, & Chriſtianã effecit. Threnorum 3. cap. *Dabis eis ſcutum cordis laborem tuum*.

Quartò. Mole corporis opprimendo. Sæpe enim contingit, quòd, cùm draco caudâ ſtringendo pedes elephantis, eum ad terram trahit,& ipſe elephas ſuper draconem cadẽs, mole corporis eum extinguit.

Sic beatus Georgius capitis abſciſſione martyrium complevit, ſed ignis de cælo cecidit, & Dacianum cum miniſtris conſumpſit. Ierem. 46. cap. *Fortis impegit in fortem, & ambo pariter ceciderunt*.

QVINTO. *Beatus Georgius perfectus inventus eſt in paſſione*. Nam duos actus memoriâ dignos fecit pro amplitudine fidei Chriſtianæ, quibus rectè poteſt aſſimilari duobus Ducibus famoſiſſimis Gentilibus.

Primus fuit *Curtius* animo, & genere nobiliſſimus adoleſcens, qui pietate erga patriam ſic accenſus fuit, ut militaribus inſigniis ornatus, equum conſcendens, calcaribus præmens,ſe ſe præcipitem in voraginem,atque hiatum terræ dederit, quo facto, patriam à ſubmerſione liberavit.

Hìc intermitto applicationem, quam Author facit de dracone à ſancto Georgio miraculosè perempto: quia S.Concilium Nicænũ hiſtoriam nominat apocrypham.

Secundus fuit *Codrus* ultimus Rex Athenienſium,qui,cùm haberet grave bellum cum Dorienſibus, oraculo Apollinis Delphici cognovit Athenas fore victrices,ſi eo prælio ipſe moreretur,qui mox habitu mutato, in medium hoſtium ſe injecit, quo mortuo, civitas liberata eſt.

Sic etiam cùm fides Chriſti in provincia Libyæ gravem perſecutionem pateretur à Daciano præſide, beatus Georgius tactus dolore cordis intrinſecùs, Divina revelatione monitus, omnia, quæ habebat, diſperſit pauperibus, militarem habitum abjecit,Chriſtianorum habitum induit, & ſe occidendum pro fide Chriſti libenter obtulit.

Paſſus eſt autem quadruplex genus martyrii. 1. Equulei extenſionem, totius corporis laniationem, viſcerum effuſionem, ſalis confricationes, quod genus martyrii ſatis fuit in beato Vincentio.

2. In ſartagine plumbi liquorem, ut cum tali oleo aſſaretur, quod genus martyrii ſatis fuit in Laurentio.

3. Ro-

Digitized by Google

3. Rotam acutis gladiis undique circunſeptam, quod genus martyrii ſatis fuit in Catharina.

4. Tractum ad colla indomitorum equorum per totam civitatem, ſed in his omnibus non potuit ſuperari. Hebr. 11. cap. *Fortes facti ſunt in bello*. Tandem capitis abſciſſione martyrium complevit, & fides Chriſti in illa provincia plurimum profecit.

SEXTO. *Beatus Georgius perfectus inventus eſt in glorificatione*. Deus enim glorificatur in conſilio Sanctorum: quia glorioſus eſt in Sanctis ſuis, faciens prodigia. Nam non deſerit ſervos ſuos, quorum eſt protector in tempore tribulationis; ſicut fecit hodie beato Georgio, quem adjuvit quadrupliciter.

Primò. Videns ipſum tam crudeliter laceratum, pietate commotus, ad ipſum venit, & dulciter confortavit. Oſee 11. cap. *Conversum eſt in me cor meum*.

Secundò. In carcere filium cujuſdam, cæcum, ſurdum, & mutum perfectè ſanavit. Etiam quendam in tumulo jacentē diu mortuum prēsēte Daciano in Nomine Ieſu Chriſti reſuſcitavit. Ioann. 14. cap. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet*.

Tertiò. Imminente eius paſſione oravit Dominum, ut, quicunque implorarent ipſius auxilium, petitionis ſuæ ſalutarem conſequerentur effectum. Et ecce Divina vox ad eum venit dicens, quòd ſic fieret, ut poſtulavit. Oſee 12. *Invaluit ad Angelum, & confortatus eſt: flevit, & rogavit eum*.

Quartò. Per ſuam paſſionem regnum cæleſte ſibi acquiſivit. Matth. 11. cap. *Regnum cælorum vim patitur: & violenti rapiunt illud*; ad quod nos perducat Ieſus Chriſtus. Amen.

SERMO XXVII.

IN FESTO

SANCTI MARCI EVANGELISTAE.

In medio Eccleſiæ aperuit os eius. Eccli. 15. cap.

BEatus Hieronymus *in quadam Glo. ſupra Marcum* dicit: Marcus Evāgeliſta ſeminat poſt Matthæū, fremit ut leo, volat ut aquila, didicit ut homo, immolat ut Sacerdos, irrigat ut flumen, floreſcit ut ager, fervet ut vinum.) Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtrum beatus Marcus per miraculoſam illuſtrationem ſupremæ veritatis acceperit cognitionem?

AD iſtam quæſtionem reſpondent duo Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt beatus *Hieronymus in prologo ſuper Marcum*, dicens: Marcus Evangeliſta Dei electus, & Petri in baptiſmate filius & diſcipulus, Leviticus genere, & Sacerdos, in Italia ſcripſit Evangelium. Qui initium Evāgelii ſui de vocibus Prophetarum præſumens, præcurſorem Chriſti Ioannem, Malachiæ, id eſt, Angeli teſtimonio comprobans, Verbum carnem factum voce Iſaiæ deſignans, principium Evangelicæ prædicationis inſtituit, & invenit in verbo vocis, quod in conſonantibus, id eſt, in genealogiis Dei, & hominis præviderat.)

Secundus eſt ſanctus *Thomas prima ſecundæ quæſt. 109. art. 1.* dicens: Cognoſcere veritatem eſt uſus quidam, vel actus intellectualis luminis: quia ſecundùm Apoſtolum Eph. 5. *Omne, quod manifeſtatur, lumen eſt*. Vſus autem quilibet quendam motum inportat, largè accipiendo motum, ſecundùm quod intelligere, & velle motus quidam eſſe dicuntur, ut patet per *Philoſoph. 3. de anima*. Videmus autem in corporalibus, quòd ad motum non ſolùm requiritur ipſa forma, quæ eſt principium motus, vel actionis, ſed etiam requiritur motio primi moventis. Primum autem movens in ordine corporalium eſt corpus cæleſte. Vnde ignis, quantumcunque habeat perfectum calorem, non alteraret, niſi per motionem cæ-

le-

lestis corporis. Manifestum est autem, quòd, sicut omnes motus corporales reducuntur in motum cælestis corporis, sicut in primum movens corporale; ita omnes motus tam corporales, quàm spirituales reducuntur in primum movens simpliciter, quod est Deus. Et ideo quantumcunq; natura aliqua corporalis, vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur à Deo; quæ quidem motio est secundùm suæ providentiæ rationẽ, & nõ secundùm necessitatem naturæ, sicut motio cælestis corporis. Non solùm autem à Deo est omnis motio, sicut à primo movente, sed etiam ab ipso est omnis formalis perfectio, sicut à primo actu. Sic igitur actio intellectus, & cuiuscunque entis creati dependet à Deo quantùm ad duo. Vno modo in quantum ab ipso habet perfectionem, sive formam, per quam agit: alio modo in quantum ab ipso movetur ad agendum. Vnaquæque autem forma indita rebus creatis à Deo, habet efficaciam respectu alicuius actus determinati, in quem potest secundùm suam proprietatem: ultra autem non potest, nisi per aliquam formam superadditam, sicut aqua non potest calefacere, nisi calefacta ab igne. Sic ergo intellectus humanus habet aliquam formam, scilicet ipsum intelligibile lumen, quod est de se sufficiens ad quædam intelligibilia cognoscenda, ad ea scilicet, in quorum notitiam per sensibilia possumus pervenire. Altiora verò intelligibilia intellectus humanus cognoscere non potest, nisi fortiori lumine perficiatur, sicut lumine fidei, vel prophetiæ, quod dicitur lumen gratiæ, in quantum est naturæ superadditum. Sic ergo ad cognitionem cuiuscunque veri indiget homo auxilio Divino, ut intellectus à Deo moveatur ad suum actum: non autem indiget ad cognoscendam veritatem in omnibus nova illustratione, superadditâ naturali illustrationi, sed in quibusdam, quæ excedunt naturalem cognitionem. Tamen quandoque Deus miraculosè per suam gratiam aliquos instruit de his, quæ per naturalem rationem cognosci possunt; sicut & quandoque miraculosè facit quædam, quæ natura facere potest. *Hæc Sanctus Thomas.*

Sciendum, quòd ad totius Ecclesiæ utilitatem Deus sui gratiâ contulit septem dona.

Primum est arcanorum cognitio propheticâ revelatione. Considerandum est enim, ut dicit *Sanctus Thomas secunda secundæ quæst.* 171. *artic.* 3. quòd, quia prophetia est de his, quæ procul à nostra cognitione sunt, tantò aliqua magis propriè ad prophetiã pertinẽt, quantò longius à cognitione humana existũt. Horũ autẽ est triplex gradus, quorũ unus est eorum, quæ sunt procul à cognitione huius hominis, sive secundùm sensum, sive secundùm intellectum, non autem à cognitione omnium hominum: sicut sensu cognoscit aliquis homo, quæ sunt sibi præsentia secundùm locum, quæ tamen alius humano sensu, utpote sibi absentia, non cognoscit. Et sic Eliseus propheticè cognovit, quæ Giezi discipulus eius in absẽtia fecerat, ut habetur 4. *Reg.* 5. Et similiter cogitationes cordis unius alteri propheticè manifestantur, ut dicitur 1. *Cor.* 14. Et per hunc modum etiam ea, quæ unus scit demonstrativè, alii potest propheticè revelari. Secundus autem gradus est eorum, quæ excedunt universaliter cognitionem omnium hominum, non quia secundùm se non sint cognoscibilia, sed propter defectum cognitionis humanæ, sicut mysterium Trinitatis, quod revelatum est per Seraphin dicentia: *Sanctus. Sanctus. Sanctus.* &c. ut habetur *Isa.* 6. Vltimus autem gradus est eorum, quæ sunt procul ab omnium hominum cognitione: quia in seipsis non sunt cognoscibilia, ut contingentia futura, quorum veritas non est determinata. Et quia quod est universaliter, & secundùm se, potius est eo, quod est particulariter, & per aliud; ideo ad prophetiam propriissimè pertinet revelatio eventuum futurorum, unde & nomen prophetiæ sumi videtur. Vnde *Gregorius* dicit *super Ezech. hom.* 1. quòd, cùm ideo prophetia dicta sit, quòd futura prædicat, quando de præterito, vel de præsenti loquitur, rationem sui nominis amittit.) Si ergo de prophetia loquamur, in quantum ordinatur ad fidem Deitatis, sic quidem crevit excellentius, quàm ante. Nam in tempore gratiæ super revelatione facta Apostolis de fide Vnitatis, & Trinitatis, fundatur tota fides Ecclesiæ secundùm illud Matth. 16. *Super hanc petram*, scilicet confessionis tuæ, *ædificabo Ecclesiam meam*. Etiam quantùm ad fidem Incarnationis Christi quantò aliqui fuerunt Christo propinquiores, pleniùs instructi sunt; & ideo quolibet tempore instructi sunt homines de agendis, secundùm quòd erat expediens ad salutem electorum: quia, ut dicitur Prover. 29. *Cùm defecerit prophetia, dissipabitur populus. Hæc Sanctus Thomas.*

Beatus Marcus cognitionem arcanorum prophetica revelatione habuit, cùm Evangelium conſcripſit.

Secundum eſt arcanorum revelatio apertâ viſione. Nam viſio prophetica non eſt viſio ipſius Divinæ eſſentiæ, nec in ipſa Divina eſſentia vident prophetæ ea, quæ vident, ſed in quibuſdam ſimilitudinibus ſecundùm illuſtrationem Divini luminis, ut dicit *Dionyſ. 4. cap. caleſtis Hierarchiæ*. Tamen Moyſes, & Paulus in raptu viderunt Divinam eſſentiam, ut dicit *Auguſtinus lib. de videndo Deum*.

Beatus Marcus, licèt audierit à Petro Evãgelium, quod ſcripſit, creditur tamen, quòd raptus fuerit ad contemplationẽ Divinæ eſſentiæ, quando Aquileiæ iterum Evangelium ſcripſit; unde totus reſolvebatur, & abſtrahebatur à sẽſibus, & immobilis reddebatur, quãdo contingebat eum ſcribere, non enim niſi in Eccleſia illud ſcripſit. Ad ſe autem reverſus memor prioris viſionis mira dulcedine, & devotione totus lacrymis perfundebatur; & ſic non tam ex auditu à Petro, quàm ex clara contemplatione Divinitatis, & humanitatis Chriſti ſcripſit Evangelium in Aquileja.

Tertium eſt arcanorum inſinuatio mirâ locutione. Nam ſicut dicitur 1. Cor. 12. *Manifeſtatio ſpiritus datur ad utilitatem*, ſcil. Eccleſiæ. Ideo Apoſtoli ſufficienter fuerunt inſtructi divinitus in linguis omnium Gentiũ, quantum requirebatur ad fidei doctrinam. Vnde *Gloſſa Act.* 2. dicit, quòd majori miraculo factum eſt, quòd ipſi omnium linguarum generibus loquerentur: quia hoc pertinebat ad perfectionem ſcientiæ ipſorum, per quam non modò loqui, ſed etiam intelligere poterant, quæ ab aliis dicebantur.

Beatus Marcus repletus Spiritu ſancto linguis omnium Gentium loquebatur. Nam Evangelium, quod ſcripſit Romæ, Græco ſermone ſcripſit; quod autem ſcripſit Aquileiæ, Latino ſermone dictavit, cùm tamen ipſe linguâ Hebræâ loqueretur.

Quartum eſt arcanorum comprobatio miraculorum operatione. Nam Spiritus ſanctus ſufficienter providet Eccleſiæ in his, quæ ſunt ad ſalutem utilia. Sicut autem oportet, quòd notitia, quam quis divinitus accipit, in notitiam aliorum deducatur per donum linguarum, & per gratiam ſermonis; ita neceſſe eſt, quòd ſermo prolatus confirmetur ad hoc, ut credibilis fiat, hoc autem fit per operationem miraculorum, ſecundùm illud Marci ult. *Sermonem confirmante ſequentibus ſignis*.

Beatus Marcus virtutes innumeras egit; qui veniens primò Aquileiam, curavit à lepra Arnulphum filium illuſtris viri, & primarii, ſcilicet, Vlphi, quos cum innumera multitudine ad fidem Chriſti convertit, & baptizavit.

Quintum eſt arcanorũ acceptatio intrinſecâ permutatione. Nam Spiritus ſanctus non deficit in aliquo, quod pertinet ad Eccleſiæ utilitatem; ideo providit, ut aliquis ſic efficaciter loquatur, quòd auditores flectat ad implendum ea, quæ verbis ſignantur; ad quod quidem efficiendum Spiritus ſanctus utitur linguâ hominis quaſi quodam inſtrumento; ipſe autem eſt, qui perficit operationem interius. Vnde *Gregorius in homil. Pentecoſt.* dicit, quòd, niſi corda auditorum Spiritus ſanctus repleat, vox docentium ad aures corporis in caſum ſonat.

B. Marcus ſic efficaciter locutus eſt, quòd non ſolũ Aquileiam, ſed etiã Alexandriam fidei Chriſti ſubjugavit. Vnde *Joſephus* Hiſtoricus Iudæorum dicit, quòd in primo ingreſſu eius maxima multitudo in fide Chriſti, & devotione, & continentiæ obſervatione adunata eſt. Deinde ivit in Ægyptum, ubi idola deſtruxit, maximam multitudinem convertit, & virtutes multas fecit. Inde venit Cyrenem, & Pentapolim, ubi cæcos illuminavit, mortuos ſuſcitavit; quos baptizavit, & in fide Chriſti confirmavit.

Sextum eſt arcanorum proteſtatio animæ gratificatione. Nam homo peccando Deum offendit, offenſa autem non remittitur alicui, niſi per hoc, quòd animus offenſi pacatur offendenti; & ideo ſecundùm hoc peccatum nobis remitti dicitur, quòd Deus nobis pacatur, quæ quidem pax conſiſtit in dilectione, quâ Deus nos diligit. Dilectio autem Dei, quantùm eſt ex parte actus Divini, eſt æterna, & immutabilis; ſed quantùm ad effectum, quem nobis imprimit, quandoque interrumpitur, prout ſcilicet ab ipſo quandoque deficimus, & quandoque iterum recuperamus. Effectus autem Divinæ dilectionis in nobis, qui per peccatum tollitur, eſt gratia, quâ homo fit dignus vitâ æternâ, à qua peccatum mortale excludit; & ideo non poſſet intelligi remiſſio culpæ, niſi eſſet infuſio gratiæ, & propter hoc Spiritus ſanctus providit Eccleſiæ de Sacramento pœnitentiæ, per quod poſſet quis gratiam perditam recuperare.

Beatus Marcus diligentiſſimè curavit, ut vi-

Digitized by Google

vitiis, & erroribus detentos ad pœnitentiam adduceret, ut gratiam Spiritus ſancti acquirerent. Vnde *Petrus Damianus* de eo dicit: Tantam ei Deus apud Alexandriam prærogavit gratiam, ut omnes, qui tunc ad fidei rudimenta confluerent, mox per continentiam, & ſanctæ converſationis inſtantiam, tanquam ad monaſticæ perfectionis faſtigium pervolarent.

Septimum eſt arcanorum illuſtratio gratuita reductione. Nam gratia gratis data, ordinatur ad hoc, quòd homo alteri cooperetur, ut reducatur ad Deum: homo autem ad hoc operari non poteſt interius movendo (hoc enim ſolius Dei eſt) ſed ſolùm exterius docendo, vel perſuadendo; & ideo gratia gratis data pertinet ad ea, quibus homo indiget, ut alterum inſtruat in rebus Divinis, quæ ſunt ſupra rationem. Non omnia autem beneficia, quæ nobis conceduntur divinitus, gratiæ gratis datæ dicuntur, ſed ſolùm illa, quæ excedunt facultatem naturæ; ſicut quòd piſcator abundet ſermone ſapientiæ, & ſcientiæ, & hujuſmodi, non tantùm in ſe ipſo rectè ſentiendo de Divinis, ſed etiam alios inſtruendo, & contradicentes revincendo.

Beatus Marcus tantâ ſapientiâ effulſit, quòd Hermagoram civem Aquileienſem ad fidem Chriſti convertit, & ſecum Romam adduxit, ut eum B. Petrus in Epiſcopū Aquileienſē conſecraret. Suſcepto itaque Hermagoras Pontificatus officio, cùm Aquilejenſem Eccleſiam optimè gubernaſſet, tandem ab infidelibus capitur, & ibidem martyrio coronatur. Ecce quomodo Beatus Marcus in medio Eccleſiæ aperuit os ad ſuſcipienda dona Dei, quibus meritò fieret utilis toti collegio Eccleſiæ catholicæ, ad ſeminandum fidem Chriſti.

Aperuit os eius

Ad mundanorum derelictionem.
Ad altiſſimorum contemplationem.
Ad reorum converſionem.
Ad tormentorum perpeſſionem.
Ad Venetorum gubernationem.
Ad ſupplicandorum impetrationem

PRIMO. *Beatus Marcus aperuit os, id eſt, intellectum, ad mundanorum derelictionem.* Sciendum, quòd inter gravia peccata, quæ regnabant in mundo, erat peccatum infidelitatis. Ioann. 16. cap. *Arguet mundum de peccato, quia non credunt in me.* Vnde *Auguſtinus* exponens illud *Ioann. Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent*, dicit: Magnum quoddam peccatum ſub generali nomine vult intelligi: hoc enim eſt peccatum infidelitatis, quo tenentur cuncta peccata.) Omne enim peccatum formaliter conſiſtit in averſione à Deo. Vnde tantò aliquod peccatum eſt gravius, quantò per ipſum homo magis ſeparatur à Deo. Sed per infidelitatem homo maximè à Deo elongatur: quia nec veram Dei cognitionem habet; per falſam autem cognitionem ipſius non appropinquat ei, ſed magis ab ipſo elongatur, nec poteſt eſſe, quòd Deum cognoſcat, qui falſam de eo opinionem habet: quia id, quod ipſe opinatur, non eſt Deus; unde manifeſtum eſt, quòd peccatum infidelitatis eſt maius omnibus peccatis, quæ contingunt in perverſitate morum; quod patet in ſeptem generibus peccatorum.

1. Infidelitas eſt gravius peccatum, quàm ſuperbia. Nam celſitudo, quam ſuperbus inordinatè appetit, ſecundùm ſuam rationem non habet maximam repugnantiam ad bonum virtutis: quia etiam ex bono virtutis conſurgit. Vnde *Auguſtinus* dicit, quòd ſuperbia etiã bonis operibus inſidiatur, ut pereant. Et Pſal. dicit: *In via hac, qua ambulabam, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi.* Et ideo motus ſuperbiæ occultè ſurrepens, non habet maximam gravitatem. Sed peccatum infidelitatis gravius redditur, cùm ex contemptu divinæ Majeſtatis procedat.

2. Infidelitas eſt gravius peccatum, quàm invidia. Non enim invidia eſt maximum peccatorum: quia, dum quis vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc adipiſci valeat, tabeſcit. Sed infidelitas eſt quædam invidentia fraternæ gratiæ, ſecundùm quam aliquis dolet de ipſo augmento gratiæ Dei, & non ſolùm de bono proximi; & ſic eſt peccatum in Spiritum ſanctum: quia per hanc invidentiam quodammodo homo invidet Spiritui ſancto, qui in ſuis operibus glorificatur.

3. Infidelitas eſt gravius peccatum, quàm avaritia. Nam omne peccatum ex hoc ipſo, quod eſt malum, conſiſtit in quadam corruptione, ſeu privatione alicuius boni; & ſic ex parte boni, quod per peccatum contemnitur, vel corrumpitur, quantò maius eſt, tantò peccatum gravius eſt; & ſecundùm hoc peccatum infidelitatis, quod eſt contra Deum, eſt graviſſimum; & ſub hoc eſt peccatum, quod

eſt contra perſonam hominis, ſub quo eſt peccatum, quod eſt contra res exteriores, quæ ſunt ad uſum hominis deputatæ, quod videtur ad avaritiam pertinere.

4. Infidelitas eſt gravius peccatum, quàm ebrietas. Nam ex hoc dicitur aliquid eſſe malum, quod privat bonum; unde quantò majus eſt bonum, quod privatur per malum, tantò malum gravius eſt. Manifeſtum eſt autem, quòd bonum Divinum eſt magis, quàm bonum humanum; & ideo peccata, quæ ſunt directè contra Deum, ut puta infidelitas, erunt graviora peccato ebrietatis, quod directè opponitur bono rationis humanæ.

5. Infidelitas eſt gravius peccatum, quàm deſperatio. Nam infidelitas provenit ex hoc, quòd homo ipſam Dei veritatem non credit, deſperatio autem ex hoc, quòd homo non ſperat ſe bonitatem Dei adepturum. Unde infidelitas eſt contra Deum, ſecundùm quod in ſe eſt, deſperatio autem ſecundùm quod eius bonum participatur à nobis. Ideo maius peccatum eſt, ſecundùm ſe loquendo, non credere Dei veritatem, quàm non ſperare conſequi gloriam ab ipſo; & ita infidelitas eſt gravius peccatum, quàm deſperatio.

6. Infidelitas eſt gravius peccatum, quàm odium Dei. Nam ipſa infidelitas non habet rationem culpæ, niſi in quantum eſt voluntaria; & ideo tantò eſt gravior, quantò eſt magis voluntaria. Quòd autem ſit voluntaria, provenit ex hoc, quòd aliquis habet odio veritatem, quæ proponitur: veritas enim odium parit. Aliquis autem odit Deum, in quantum eſt actor pœnarum; ſed multi odiunt pœnas, qui tamen eas patienter tolerant ex reverentia Divinæ juſtitiæ. Unde *Auguſtinus* dicit 10. *confeſſ.* quòd mala pœnalia Deus tolerare, & jubet, non amari.

7. Infidelitas eſt gravius peccatum, quàm excuſatio peccati. Nam infidelitas eſt quædam blaſphemia contra Deum, blaſphemiæ autem opponitur confeſſioni fidei; & ideo habet in ſe gravitatem infidelitatis, & aggravatur peccatum, ſi ſuperveniat deteſtatio voluntatis. Excuſatio autem peccati eſt quædam circumſtantia aggravans omne peccatum; unde patet, quòd infidelitas ſecundùm genus ſuum eſt maximum peccatum, & præcipuè Gentilium, qui in pluribus errant: infidelitas enim eorum maximè repugnat fidei. Quia verò Judæi ſuſceperunt figuram fidei in veteri lege, quam malè interpretantes corrumpunt; ideo ipſorum infidelitas eſt gravius peccatum, quàm infidelitas Gentilium, qui nullo modo legem Moyſis ſuſceperunt.

Beatus Marcus omnia iſta prævidens relictâ domo, & cogitatione mundana, atque infidelitate Judæorum cum beato Petro Romã profectus eſt; unde ſecutus eſt eum tanquam ovis paſtorem ſuum. 1. Petri 2. cap. *Converſi eſtis ad Paſtorem animarum veſtrarum*. Tanquam diſcipulus magiſtrum ſuum. Proverb. 1. cap. *Audiens ſapiens ſapientior erit*. Et tanquam filius patrem ſuum. 1. Petri ult. cap. *Salutat vos Marcus filius meus*. Fuit enim filius beati Petri: quia ipſum propriis manibus baptizavit baptiſmo fluminis. Unde factus eſt purus per ablationem culpæ originalis, quem Spiritus ſanctus priùs baptizaverat baptiſmo flaminis per ablationem culpæ actualis, qui tandem à Chriſto baptizatus eſt baptiſmo ſanguinis per ablationem omnis miſeriæ, & pœnalitatis; unde factus eſt puriſſimus. Proverb. 25. cap. *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſſimum*.

SECUNDO. *Beatus Marcus aperuit os, id eſt, intellectum ad altiſſimorum contemplationem*. Sciendum, quòd oporteat nos aſcendere ad contemplationem Divinæ Majeſtatis, dum in hoc mundo ſumus. Pſal. *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum. Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion*. Sunt autem octo gradus huius aſcenſus ſecundùm illud Ezechiel. 40. cap. *Octo gradus erant, quibus aſcendebatur per eum, & in octo gradibus aſcenſus eius*. Hos gradus enumerat Petrus 2. Petri 1. dicens: *Vos autem curam omnem ſubinferentes miniſtrate in fide virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem fraternitatis amorem, in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc enim, ſi vobiſcum adſint, & ſuperent, non vacuos, nec ſine fructu vos conſtituent in Domini noſtri Jeſu Chriſti cognitione*. Ubi ponit tres virtutes in nobis quantùm ad boni introductionem, tres alias ad mali expulſionem, & duas alias ad meritoriam operationem.

Reſpectu boni prima virtus eſt fides vivificans: quia *accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quòd credentibus in ſe, remunerator ſit*, Hebr. 11. cap.

Secunda eſt conſtantia fortificans, ne per tentationes decidat. Eccli. 2. cap. *Fili, accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem*.

Ter-

Tertia eſt ſcientia, vel diſcretio dirigens. Nam ſecundùm *Ber.* Diſcretio non ſolùm eſt virtus, ſed etiam auriga virtutum, ſine qua virtus vitium eſt.

Reſpectu mali abjiciendi ſunt tres virtutes. Prima eſt abſtinentia malis reſiſtens. 1. Theſ. 4. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis vos à fornicatione, & ſciat unuſquiſque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore.*

Secunda eſt patientia ipſa mala ſufferens. Heb. 10. cap. *Patientia nobis neceſſaria eſt: ut voluntatem Dei facientes reportemus magnam promiſſionem.*

Tertia eſt pietas compatiens. 1. Timot. 4. *Exerce te ipſum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt, pietas autem ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.*

Reſpectu verò meritoriæ operationis ſunt duæ virtutes neceſſariæ, ſcilicet dilectio fraternalis proximum zelans, & charitas Deum amans. Nam *in his duobus mandatis univerſa lex pendet, & Prophetæ.*

Beatus Marcus his octo gradibus in Deum aſcendit; propterea factus eſt teſtis Chriſti, & notarius Spiritus ſancti.

De Chriſto erant teſtificanda quatuor. Primò. Humanitas, & de hac teſtimonium perhibuit Matthæus, qui eius genealogiam contexuit; ideo in figura hominis deſcribitur.

Secundò. Divinitas, & de hac teſtimonium perhibuit Ioannes, qui altiſſimè volavit, dicens: *In principio erat Verbum.* Ideo in figura aquilæ ponitur.

Tertiò. Paſſio, & de hac Lucas teſtimonium perhibuit, qui eam apertius explanavit; ideo in figura vituli, qui offerebatur in ſacrificium, deſignatur.

Quartò. Reſurrectio, & de hac teſtimonium perhibuit Marcus, qui ipſam elegantèr conſcripſit; ideo in ſpecie leonis figuratur: quia leunculus ad clamorem patris die tertia ſuſcitatur. De his quatuor teſtibus dicitur Ezech. 1. cap. *Similitudo autem vultus eorum, facies hominis, & faciei leonis à dextris ipſorum quatuor: facies autem bovis à ſiniſtris ipſorum quatuor: & facies aquilæ deſuper ipſorum quatuor.* Et Apocalyp. 4. cap. dicitur: *Primum animal eſt ſimile leoni, ſecundum animal ſimile vitulo, & tertium animal habens faciem quaſi hominis, & quartum animal ſimile aquilæ volanti*, &c.

TERTIO. *B. Marcus aperuit os, id eſt, intellectum ad rerum converſionem.* Sciendũ, quòd Paulus vas electionis ad tertium cælum raptus Marcum ſibi utilem in miniſterium prædicationis aſſeruit, 2. Timot. ult. cap. dicens: *Marcum aſſume, & adduc tecum: eſt enim mihi neceſſarius in miniſterium.* Vbi manifeſtè oſtendit, quàm profundus fuerit in Divina ſapientia, quàm gratioſus in doctrina, quàm perfectus in vita, quàm magnanimus, & fortis in defenſione fidei catholicæ.

Mundus enim erat contra Deum munitus; ideo Paulus cupiebat Marcum ſecum habere, ut tanquam duo pugiles mundum contra Deum munitum faciliùs expugnarent. Eccleſ. 4. cap. *Melius eſt duos eſſe ſimul, quàm unum.*

Mundus erat tenebroſus; ideo cupiebat ipſum habere ſecum, ut tanquam duo luminaria mundum amplius illuſtrarent. Gen. 1. cap. *Fecit Deus duo luminaria magna.* Quoniam uterque ſapientiam à Deo didicerat: Paulus per raptum, Marcus per Spiritus ſancti revelationem. Eccli. 15. cap. *Implevit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ, & intellectus.*

Mundus erat aridus; ideo cupiebat ipſum habere ſecum, ut tanquam duo flumina paradiſi mundum aridum amplius irrigarent. Pſalm. *Flumen Dei repletum eſt aquis.* Magnus fluvius ex ore Pauli emanavit, quando in cælum raptus ſuâ doctrinâ in Epiſtolis mundum fœcundavit. Magnus fluvius ex ore Marci emanavit, quando ſuâ doctrinâ in Evangelio mundum irrigavit, quando Patris teſtimoniũ ſuper Chriſtũ introduxit, *c.* 1. Quãdo Chriſtum nos ad humilitatem exemplo pueri exhortantem adduxit, *cap.* 9. Quando ad dilectionem Dei, & proximi nos induxit, *cap.* 12. Quando nos à malis abſtinere inſtruxit, *cap.* 8. Quando præſumptuoſos per comminationem pœnæ perterruit, *cap.* 13. Quando leves per firmitatem conſtantiæ admonuit, *cap.* 4. Quando ſuperbiam à mentibus noſtris evulſit, *cap.* 14. Quando peſtem avaritiæ radicitus extirpavit, *cap.* 6. Quando morbum luxuriæ fugavit, *cap.* 9. Quando perfectionem miſericordiæ in nobis plantavit, *cap.* 7. Et ſic mundum ad virtutes durum emollivit, & inflexit, ut ſic poſſit dicere illud Ioann. 17. cap. *Pater, manifeſtavi Nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi.*

QVARTO. *B. Marcus aperuit os, id eſt, intellectum ad tormentorum perpeſſionem.*

Scien-

Sciendum, quòd, ſicut leo eſt fortiſſimus beſtiarum, & ad nullius paven occurſum; ſic beatus Marcus inter tormentorum ſupplicia fuit imperterritus, cujus paſſio fuit valde acerba, ut patet ex quatuor.

Primò. Quia fuit bis per civitatẽ funè ligato ad collum eius tractus; unde dicebant: Trahamus bubulum ad locum bubuli, id eſt bubulci. Erat enim locus extra civitatem Alexandriæ juxta mare, qui ſic vocabatur, in quo fuit conſtructa Eccleſia à Chriſtianis in honorem beati Marci.

Secundò. Fuit toto corpore laceratus.

Tertiò. Fuit totus ſanguine cruentatus.

Quartò. Fuit in carcere recluſus. In his omnibus imitatus eſt Chriſtum; qui funè ad collum fuit ad Crucem tractus, totus in Cruce laceratus, totus Sanguine rubicatus, & ad columnam flagellatus.

Tunc meruit B. Marcus in hac acerbitate quadruplicem conſolationem. 1. Divinam confortationem. Nam ipſe Dominus Ieſus Chriſtus eum viſitavit, eumque confortavit dicens: Pax tibi Marce Evangeliſta meus. Noli timere: quia ego ſum tecum, ut eruam te.

2. Angelicam conſolationem. Nam Angelus ad eum in carcerem venit, & ipſum multipliciter conſolatus fuit, dicens: Ecce nomen tuum in cælo ſcriptum eſt, ſocioſque factus es ſupernarum Virtutum.

3. Miraculoſam protectionem. Nam cũ Pagani vellent corpus eius combutere, ſubitò aer turbatur, grando exoritur, tonitrua intonant, fulgura coruſcant, ita ut quilibet evadere niteretur, & ſanctum corpus ibidem intactum reliquerunt.

4. Glorioſam veneratiomem. Nam Chriſtiani corpus eius rapuerunt, & in Eccleſia cum omni reverentia ſepelierunt. Sed quia ſic dulciter confortatus eſt; ideo in ſua paſſione oſtendit ſigna ſuæ devotionis, quemadmodum Chriſtus. Nam Chriſtus gratias egit Deo Patri. Luc. 22. *Accepto calice gratias egit*, &c. Oravit etiam pro ſuis crucifixoribus dicens: *Pater ignoſce illis*, &c. Oravit pro ſe ipſo dicens: *In manus tuas commendo ſpiritum meum.* Eodem modo B. Marcus, dum per civitatem traheretur, gratias Deo referebat, pro ſuis occiſoribus exorabat, ſeipſum Deo recommendabat, dicens: *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Et ſic ſpiritum exhalavit.

QVINTO. *Beatus Marcus aperuit os, id eſt, intellectum ad Venetorum gubernationem.* Vnde *Petrus Damianus* ait: Beata es, ò Alexandria, triumphali ſanguine purpurata. Felix & tu Italia, corporis huius theſauro dives effecta.) Nam Veneti corporis huius dignitatem conſiderantes ipſum Venetias tranſtulerunt, ubi Eccleſiam miræ pulchritudinis eius nomini fabricaverunt. Et quia nobilitatem, & dignitatem ſuam Veneti à beato Marco denominari voluerunt; ideo circa hoc videnda ſunt duo: Primum, unde ſumatur nobilitas. Alterum, utrum regimen Venetorum ſumat dignitatem, eò quòd per nobiles, & primarios ſuæ civitatis adminiſtretur? Ambæ hæ titulo ſancti Marci inſigniuntur.

Primò, videndum eſt, unde ſumatur nobilitas, à qua per maximè Veneti dicuntur nobiles. Triplex enim eſt nobilitas: ſcilicet minima, & materialis, & hæc eſt nobilitas ſanguinis, quæ omnibus eſt communis. Vnde *Seneca epiſtola* 44. dicit: Plato ait: neminem Regem non ex ſervis eſſe oriundum, neminem non ſervum ex Regibus. Omnia iſta longa varietas miſcuit, & ſurſum deorſum fortuna verſavit. Quis ergo generoſus? Ad virtutem bene à natura compoſitus. Hoc unum intuendum eſt. Alioquin, ſi ad vetera revocas, nemo non inde eſt; ante quod nihil eſt. A primo mundi ortu uſque in hoc tempus perduxit nos ex ſplendidis, ſordidiſque alternata ſeries.) Hæc enim nobilitas eſt ad bonum excitativa. Vnde *Seneca epiſtola* 39. Habet enim hoc optimum in ſe generoſus animus, quòd concitatur ad honeſta. Neminem excelſi ingenii virum humilia delectant, & ſordida: magnarum rerum ſpecies ad ſe vocat, & extollit. Quemadmodum flamma ſurgit in rectum, jacere, ac deprimi non poteſt, non magis quàm quieſcere; ita noſter animus in motu eſt, eò mobilior, & actuoſior, quò vehementior fuerit. Sed felix, qui ad meliora hunc impetum dedit! Ponet ſe extra jus, ditionemque fortunæ; ſecunda temperabit, adverſa commiuuet, & aliis admiranda deſpiciet.)

Alia eſt nobilitas major, & formalis, quæ omnibus eſt poſſibilis. Vnde *Seneca epiſtola* 44. Bona mens omnibus patet; omnes ad hoc ſumus nobiles. Non rejicit quenquam philoſophia, nec eligit: omnibus lucet. Patritius Socrates non fuit: Cleanthes aquam traxit, & rigãdo hortulo locavit manus: Platonem non accepit nobilem philoſophia, ſed fecit. Quid eſt quare deſperes, his te poſſe fic-

fieri parem? Omnes hi majores tui ſunt, ſi te illis geris dignum. Geres autem, ſi hoc protinus tibi perſuaſeris, à nullo te nobilitate ſuperari. Omnibus nobis totidem ante nos ſunt: nullius non origo ultra memoriam jacet. Non facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus. Nemo in gloriam noſtram vixit: nec quod ante nos fuit, noſtrum eſt. Animus facit nobilem: cui ex quacunque conditione ſupra fortunam licet ſurgere.)
Et Ovidius lib. de nuce canit:

Nobilitas hominis mens, & Deitatis imago.
Nobilitas hominis virtutum clara propago.
Nobilitas hominis humilem relevare iacentem.
Nobilitas hominis mentem frenare furentem.
Nobilitas hominis mihi turpia nulla timere.

Tertia eſt nobilitas ex utraque compoſita, quæ conſiſtit in virtuoſorum parentum imitatione. Vnde *Ariſtoteles* 2. *lib. Rhetorica* dicit: Nobilitas eſt honorabilitas progenitorum, nobile quidem ſecundùm genus virtutis.) Et *Polycraton lib.* 4. Ingenuitas eſt virtus, & antiquatæ divitiæ. Nobiles eſſe videntur, quibus coexiſtunt progenitorum virtus, & divitiæ. Nobilitas, & virtus in paucis eſt.)

Circa hanc nobilitatem eſt triplex genus nobilium. Primum genus eſt eorum, qui ſua virtute à rebus à ſe clarè geſtis domum, & familiam ſuam nobilitant. Vnde *Philoſophus* 4. *Ethicorum* dicit: Nobiles dignificantur honore. Et *Valerius lib.* 3. *cap.* 4. dicit: Humili loco nati virtute ad ſummam dignitatem conſurgunt, & generoſiſſimarum imaginum fœtus poſt ſe relinquunt.) Illud patet per multa exempla, quæ ipſe ibidem ponit: puta de Tullio Hoſtilio, qui licèt agreſti tugurio natus fuerit, tamen imperium Romanum tertius rexit. Patet de Tarquinio Priſco, qui cùm eſſet ortus Corinthi ex mercatore vilis conditionis, tamen ſuis claris virtutibus quintus Rex Romanorum effectus eſt, cui in imperio ſucceſſit Tullius Servius homo infimæ nativitatis. Propterea *Tullius in Invectiva contra Salluſtium* dicit: Sanctius eſt, me meis rebus bene geſtis florere, quàm majorum opinioni inniti, ſicque vivere, ut ſim poſteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum.) Et *Ovidius lib. de ponto* dicit:

. . . . Non cenſus, nec clarum nomen avorum,
Sed magnum probitas, ingenuumque facit.

Et *Boethius lib.* 3. *de conſol.* Ineſt dignitas propria virtuti, quæ protinus in eis, quibus fuerit adjuncta, transfunditur.) Etiam in principio Synagogæ Deus non elegit Reges ex nobilibus; imo primum Regem, ſcilicet Saul de poſt aſinas aſſumpſit. Secundum, ſcilicet David de poſt fœtantes accepit. In tempore gratiæ elegit ignobiles. 1. Cor. 1. cap. *Videte vocationem veſtram fratres: quoniam non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, ut confundat ſapientes: & quæ infirma ſunt mundi, elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, ut ea, quæ ſunt, deſtrueret, ut non glorietur omnis caro in conſpectu eius.* Ideo dicit *Seneca*: Pulchrum eſt reſpondiſſe nobilitati: pulchrum eſt etiam humilius genus factis illuſtraſſe: laudabile eſt homini à ſtatu ſuo ſurgere, caput eſſe generis ſui, & decus.)

Secundum genus nobilium eſt eorum, qui à progenitoribus ſuis nobilitatem accipiunt, quam tamē claris rebus à ſe geſtis illuſtrant. Vnde *Boethius lib.* 3. *de conſol.* Videtur eſſe nobilitas quædam laus veniens de meritis parentum. Si quid eſt in nobilitate bonum, id eſſe arbitror ſolum, ut impoſita nobilibus neceſſitudo videatur, ne à majorum virtute degenerent.) Et *Seneca* dicit: Ad hoc tantùm nobilitatis memineris, ut cum claritate generis morum ſanctitate contendas, & cum nobilitate corporis animi nobilitate proficias.) Et *Hieronymus* ait: Nihil aliud video in nobilitate appetendum, niſi quòd nobiles quadam nobilitate aſtringuntur, ne ab antiquorum probitate degenerent.)

Tertium genus nobilium eſt eorum, qui illuſtres ſanguine à progenitoribus relinquuntur, à quibus morum perverſitate degenerant. Vnde *Seneca Epiſtola* 41. Quid enim eſt ſtultiùs, quàm in homine aliena laudare? Quid eo dementiùs, qui ea miratur, quæ ad alium transferri protinus poſſunt? Non faciunt meliorem equum aurei fræni. In homine quoque id laudandum eſt, quod ſuum eſt. Familiam formoſam habet, & domum pulchram: multum ſerit, multum fœnerat: nihil horum in ipſo eſt, ſed circa ipſum. Lauda in illo quod nec eripi poteſt, nec dari; quod proprium hominis eſt. Quæris quid ſit? Animus, & ratio in animo perfecta. Rationale enim animal eſt homo. Conſummatur itaque bonum eius, ſi id adimplevit, cui naſcitur.)
Et Tragœdiâ primâ dicit:

Qui genus iactat ſuum, aliena laudat.

Et

Et Ovidius Metamorph. lib. 13.

Nam genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra voco. Et Iuvenalis lib. 3. ſaty. 2.
Stẽmata quid faciunt, quid prodeſt, Pontice longo
Sanguine cenſeri?
Tota licèt veteres exornent undique cera
Atria, nobilitas ſola eſt, atque unica virtus.
Vſque adeo miſerum eſt alienæ incumbere famæ.
Malo pater tibi ſit Therſites, dummodo tu ſis
Aeacidæ ſimilis, Vulcaniaque arma capeſſas,
Quàm te Therſita ſimilem producat Achilles.

De hoc genere nobilium ſatis commemorat *Valerius lib. 3. cap. 5. per totum.*

Verus autem nobilis debet in ſe habere ſex virtutes præcipuas. 1. Cordis magnitudinem, ſeu magnanimitatem, de qua dicitur 3. *Ethicorum*, quòd magnanimitas eſt circa magnos honores, ſcilicet ut ſtudeat facere ea, quæ ſunt digna honore; non ſic tamen, quòd pro magno æſtimet humanum honorem. Vnde illi, qui contemnunt honores hoc modo, quòd pro eis adipiſcendis nihil inconveniens faciunt, nec eos nimis appretiant, laudabiles ſunt. Si quis autem hoc modo contemneret honores, quòd non curaret facere ea, quæ ſunt digna honore, hoc vituperabile eſſet. In homine enim invenitur aliquid magnum, quod ex dono Dei poſſidet; & aliquis defectus, qui competit ei ex infirmitate naturæ. Magnanimitas igitur facit, quòd homo ſe magis dignificet ſecundùm conſiderationem donorum, quæ poſſidet ex Deo: ſicut ſi habet magnam virtutem animi, magnanimitas facit, quòd ad perfecta opera virtutis tendat. Et ſimiliter dicendum eſt de uſu cujuslibet alterius boni, puta ſcientiæ, vel exterioris fortunæ. Humilitas autem facit, quòd homo ſeipſum parvipendat ſecundùm conſiderationem proprii defectus.

Beatus Marcus tantæ fuit humilitatis, ut pollicem ſibi amputaverit, ne ad ordinem ſacerdotii poſſet humano judicio promoveri; veruntamen diſpoſitio Dei, & auctoritas ſancti Petri prævaluit, quæ ipſum Alexandriam Epiſcopum deſtinavit, quo munere acceptato, mira, ſummoque honore digna ibi peregit.

2. Verus nobilis debet habere arbitrii libertatem. Vnde *Tullius in lib. de Paradoxis* dicit: Nunquid ille liber eſt, cui mulier imperat? cui leges imponit, præſcribit, jubet, vetat quod ei videtur? nec ille imperanti aliquid negare poteſt, vel audet recuſare? Ego illum non modò ſervum, ſed etiam nequiſſimum ſervum appellandum puto, licèt ampliſſimâ familiâ natus ſit. Omnis animi debilitas, & humilis, & fracta cupiditas, ſervitus eſt. Quid eſt libertas? Poteſtas vivendi, ut velis. Quis autem vivit, ut vult? Qui rectè vivit, qui gaudet officio, qui nec legibus quidem propter metum paret, ſed eas ſequitur, & colit; qui nihil facit, nihil dicit, nihil cogitat, niſi libenter, ac liberè. Soli ergo ſapienti convenit, ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus.) Et Proſper Epigr. 83.

Libertas nulla eſt melior, maiorve poteſtas,
Quàm ſervire Deo, cui bene ſervit amor.
Abſque jugo poſita eſt ditionis amica voluntas;
Quæ viget affecta, nongemit imperio.

Beatus Marcus tanquam verè nobilis (quia de nobili progenie, ſcilicet Levitica ortus) hac arbitrii libertate uſus eſt. Mox enim, ut Alexandriam eſt ingreſſus, ſubitò calceamentum eius ruptum eſt, atque ſolutum, quod ſpiritu intelligens, ait: Verè expeditum fecit Dominus iter meum; nec me ſatanas impedire poterit, quem ab operibus mortuis Dominus jam abſolvit. Hæc enim ſumma ingenuitas eſt, in qua ſervitus Chriſti comprobatur, cui ſervire regnare eſt.

3. Verus nobilis debet habere recognitionis affabilitatem. Nam ſicut ingratitudo eſt ſignum ruſticitatis, ita beneficiorum recognitio, ſeu recompenſatio eſt ſignum nobilitatis. Vnde *Seneca epiſtola* 81. Omnia facienda ſunt, ut quam gratiſſimi ſimus: noſtrum enim hoc bonum eſt. Grati conſcientia niſi in animum divinum, fortunatumque non pervenit. Gratus ſum, non ut alius mihi libentiùs præſtet, priori irritatus exemplo, ſed ut rem jucundiſſimam, ac pulcherrimam faciam.)

Beatus Marcus tanquam verè nobilis accepto beneficio calceamenti reſarciti à quodam calcifice, re, & animo non ſolùm æquavit, ſed etiam vicit. Nam & ſanitatem illi præſtitit, & ipſum cum tota familia ad Chriſtum converſa baptizavit.

4. Verus nobilis debet habere coactionis refrænabilitatem. Nam militibus datur enſis, quo uti debent in hoſtes patriæ, ut ſic refrænent eorum violentam coactionem. Vnde *Tullius libro primo Tuſculanarum quæſtionum.* Quæ melior in hominum genere natura, quã eorum, qui ſe natos ad homines juvandos, & conſervandos arbitrantur? Et *libro 3. de officiis* dicit: Magis quoque ſecundùm naturam eſt pro omnibus, ſi fieri poſſit, conſervandis, atque juvandis, maximos labores, moleſtiaſque ſuſcipere, quàm vivere in ſolitudine,

non

Digitized by Google

non ſolùm ſine ullis moleſtiis, ſed etiam in maximis voluptatibus, & omnium rerum copiis. Vnum omnibus debet eſſe propoſitum, ut eadem ſit utilitas uniuſcujuſque, & univerſorum.)

Beatus Marcus, cùm in Alexandria procuraſſet ſalutem omnium, audiens, quòd Sacerdotes templorum ei inſidias paraverant, mortem pro fide Chriſti ſuſtinere non recuſavit, ſed ultro ſe obtulit, tanquam ſacrificium mundum, & acceptabile Deo, ut fideles in fide Chriſti confirmarentur, & infideles à vi ſuæ coactionis refrænarentur.

5. Verus nobilis debet habere virilem benignitatem. Nam non decet nobilem fœminea rabies, ſed virilis manſuetudo, & clementia. Vnde *Tullius lib.* 1. *de officiis* dicit: *Nihil eſt laudabilius, nihil magno,& præclaro viro dignius placabilitate, & clementiâ.*

Beatus Marcus, cùm per civitatem traheretur, mira benignitate uſus eſt, cùm pro inimicis ſuis Dominum exoravit.

6. Verus nobilis debet habere ſtrenuam liberalitatem. Vnde *Tullius lib.* 2. *de officiis* dicit: Beneficentiæ,ac liberalitatis duplex eſt ratio. Aut enim operâ impenditur indigentibus,aut pecuniâ. Facilior quidem poſterior, locupleti præſertim; ſed prima lautior, ac ſplendidior, & viro forti, claroque dignior, ac pluribus utilior: nam ſecunda ex arca, prima ex virtute depromitur.)

Beatus Marcus uſque ad finem vitæ ſeipsũ impendit commodis animarum, & miraculorum prodigiis, & prædicationum eloquiis, & eximiis provocabat exemplis. Ecce quomodò beatus Marcus fuit verè nobilis, juxta ſex proprietates nobilis, quæ deſignantur in ſex litteris ſui nominis.

Nobilitatem ſanguinis, & animi (quoad iſtas ſex proprietates) Veneti ſub vexillo Beati Marci ſui Gubernatoris, & obſervaverunt, & obſervant, ut patet per ſingula.

Quantùm ad regimen Venetorum videnda ſunt tria. 1. Quot ſunt ſpecies principandi. 2. Quæ iſtarum eſt perfectior. 3. In qua illarum ſpecierum eſt regimen Venetorum.

Ad declarationem primi ſciendum, quòd *Philoſophus* 3. *lib. Politicorum* ponit tres ſpecies principales principandi. Prima ſpecies eſt regimen regni, in quo unus principatur ſecundùm virtutem, ſcilicet intendendo bonum communitatis. Vnde *Tullius lib.* 1. *de officiis* dicit: Scire debemus, quæ in terris gignuntur, ad uſum hominum creari omnia, homines autẽ hominum causâ fuiſſe genitos, ut ipſi inter ſe alii aliis prodeſſe poſſent. In hoc ergo debemus naturam ducem ſequi, & communes utilitates in medium afferre. Fundamentum enim primum amicitiæ eſt, ne cui noceatur, deinde ut communi utilitati ſerviatur. Qui Reipublicæ præfuturi ſunt, duo Platonis præcepta teneant. Vnum,quòd utilitatem civium ſic tueantur, ut quicquid agatur,ad eam referant, obliti commodorum ſuorum. Alterum, ut totum corpus Reipublicæ curent, ne, dum unam partem tuentur, reliquam deſerant. Tutela enim, & procuratio Reipublicæ ad eorum utilitatem, qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus eſt commiſſa, gerenda eſt. Magnitudo autem animi remotâ communitate, & conjunctione humanâ, feritas quædam fit, & inhumanitas.) Et *Seneca epiſtola* 90. dicit: Antiquitùs rector animo eligebatur; ideoque ſumma felicitas erat gentium, in quibus non poterat potentior eſſe, niſi melior.) Exemplum 1. *Reg.* 15. de Saule, qui quamdiu fuit bonus populo Dei, remanſit Rex: poſtquam autem ad tyrannidem declinavit, privatus fuit regno juſſu Dei.

Secunda ſpecies principatus eſt regimen nobilium, ſeu optimatum principantium ſecundùm virtutem, & vocatur Ariſtocratia, id eſt, poteſtas nobilium, & optimatum, in qua aliqui pauci principantur. Vnde *Tullius Philipp.* 1. dicit: Nos nobiles magis quædam ſpectare decet, non pecuniam quidem, non opes violentas, & minimè ferendam potentiam, ſed charitatem civium, & gloriam concupiiſſe.) Et *Iſidorus lib. Ethymologiarum*: Moyſes gentis Hebrææ primus omnium Divinas leges ſacris litteris explicavit. Phoroneus Rex Græcis primus leges, judiciaque conſtituit. Mercurius Trimegiſtus primus leges Ægyptiis tradidit. Solon primus leges Athenienſibus edidit. Licurgus primus Lacedæmonibus jura ex Apollinis auctoritate confinxit. Pompilius, qui Romulo ſucceſſit in regno, primus leges Romanis tradidit. Deinde cùm populus ſeditioſos magiſtratus ferre non poſſet, Decemviros legibus ſcribendis creavit, qui leges ex libris Salomonis in Latinum ſermonem translatas duodecim tabulis expoſuerunt. Et tunc optimates, qui proconſules, poſtea ſenatores dicebantur, principatum Reipublicæ tenuerunt.)

Tertia ſpecies principatus eſt regimen po-

populi ſecundùm virtutem, Nam populus ita agitur ab aliis per præceptum, quòd tamen agit, & movet ſeipſum per liberum arbitrium; & ideo requiritur in eo quædam rectitudo regiminis, per quam ſeipſum dirigat in obediendo principatibus, & hoc regimen vocatur Politia.

Inter iſtos principatus primus eſt optimus propter quatuor rationes. 1. Quia repræſentat Divinum regimen, quo totus mundus ab uno Creatore gubernatur. 2. Quia repræſentat ordinationem naturæ, per quam omnis multitudo, & difformitas ad aliquod unum gubernans reducitur, ſicut omnia mobilia ad unum primum mobile cælum. 3. Quia ex hoc regimine faciliùs juſtitia legis implenda mandatur. 4. Quia, cùm plures principantur, frequenter inter eos diſſenſio oritur, ac per hoc pacis unitas per ipſos diviſos impeditur.

Advertendum tamen, quòd iſte principatus eſt optimus, ſi ſit ſecundùm virtutem: tamen propter magnam poteſtatem, quæ uni conceditur, de facili regnum degenerat in tyrannidem, niſi ſit perfecta virtus eius, cui talis poteſtas conceditur: quia ſicut dicit *Philoſophus 10. Ethicorum:* Non eſt niſi virtuoſi bene ferre bonas fortunas: perfecta autem virtus in paucis invenitur.) Sicut enim tale regimen eſt optimus principatus, niſi degeneret; ſic tyrannis, quæ eſt huius regiminis corruptio, eſt peſſimus principatus: illud enim eſt peſſimum, quod optimum tollit. Vnde *Tullius de officiis* dicit: Nulla eſt nobis ſocietas cum tyrannis, ſed ſumma diſtinctio. Hoc enim genus peſtiferum, atque impium à communitate hominum eſt exterminandũ. Sicut enim membra ſanguine, & ſpiritu carentia aliorum membrorum corruptiva ab eis ſunt amputanda; ſic iſta hominis feritas, & immanitas beluæ à communi hominum ſocietate ſegreganda.)

Qualis autem debeat eſſe Rex, ut virtuosè regat, declarat Dominus Deuter. 17. cap. dicens: *Cùm fuerit conſtitutus Rex, non multiplicabit ſibi equos, non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum eius, neque argenti, & auri immenſa pondera. Poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba, & cæremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt. Nec elevetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem dextram, vel in ſiniſtram, ut longo tempore regnet ipſe, & filii eius ſuper Iſrael.* Quod exponens *beatus Auguſtinus lib. 5. de civitate Dei cap. 24.* dicit: Neque vos Chriſtianos quoſdam Imperatores ideo felices dicimus, quoniam vel diutius imperaverunt, vel Imperatores filios morte placida reliquerunt, vel hoſtes Reipublicæ domuerunt, vel inimicos cives adversùm ſe inſurgentes, & cavere, & opprimere potuerunt. Hæc enim, & alia huius ærumnoſæ vitæ, vel munera, vel ſolatia, quidam excultores dæmonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum Dei, quò pertinent iſti. Et hoc ipſius miſericordiâ factum eſt, ne ab illo iſta, qui in eum crederent, velut ſumma bona deſiderarent. Sed felices eos dicimus, ſi juſtè imperant, ſi inter linguas ſublimiter honorantium, & obſequia nimis humiliter ſalutantium non extolluntur, ſed ſe eſſe homines meminerunt: ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultum maximè dilatandum, Majeſtatique eius famulam faciunt: ſi Deum timent, diligunt, colunt: ſi plus amant illud regnum, ubi non timent habere conſortes: ſi tardiùs vindicant, faciliùs ignoſcunt: ſi eandem vindictam pro neceſſitate regendæ, tuendæque Reipublicæ, non pro ſaturandis inimicitiarum odiis exerunt: ſi eandem veniã non ad impunitatem iniquitatis, ſed ad ſpem correctionis indulgent: ſi, quod aſperè coguntur plerumque decernere, miſericordiæ lenitate, & beneficiorum largitate compenſant: ſi luxuria eis tantò caſtigatior, quantò poſſit eſſe liberior: ſi malunt cupiditatibus pravis, quàm quibuslibet gentibus imperare. Et ſi hæc omnia faciunt, non propter inanis gloriæ ardorem, ſed propter charitatem felicitatis æternæ: ſi pro peccatis ſuis humilitatis, & miſerationis, & orationis ſacrificium Deo ſuo vero immolare non negligunt. Tales Chriſtianos Imperatores felices eſſe, interim ſpe, poſtea re ipſa futuros dicimus, cùm id, quod expoſcimus, advenerit. *Hæc Auguſtinus.*

Conditiones autem tyranni declarat Dominus 1. Reg. 8. cap. dicens: *Hoc erit ius Regis, qui imperaturus eſt vobis: Filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites, & præcurſores quadrigarum ſuarum: conſtituet ſibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum, & fabros armorum, & curruum ſuorum. Filias quoque veſtras faciet ſibi unguentarias, & focarias, & pannificas. Agros quoque veſtros, & vi-*

Digitized by Google

vineas, & oliveta optima tollet, & dabit ſervis ſuis. Sed & ſegetes veſtras, & vinearum redditus addecimabit, ut det eunuchis, & famulis ſuis. Servos etiam veſtros, & ancillas, & iuvenes optimos, & aſinos auferet, & ponet in opere ſuo. Greges quoque veſtros addecimabit, voſque eritis ei ſervi.

Secundus principatus, ſcilicet poteſtas optimatũ, & nobilium regentiũ ſecundùm virtutẽ deficit à primo, in quo unus præficitur: ſed ſuperat, & eſt melior, & perfectior, quã principatus populi. Cùm enim optimates bonum Reipublicæ attendunt, faciliter in unum conveniunt, ac per hoc unitatem pacis in politia conſervant; & quamdiu in bono communi conveniunt, tamdiu legalis obſervantia ſub eis principantibus viget. Vnde *Valerius lib. 7. cap.* 2. dicit: Imperium noſtrum non tam robore corporum, quàm vigore animorum incrementum, ac tutelam ſui comprehendit. Et *Tullius lib.* 1. *de officiis:* Omnium ſocietatum præſtantior, nulla firmior, quàm cum boni viri moribus ſimiles familiaritate conjuncti ſunt. Nihil enim amabilius eſt, nec copulatius, quàm morum ſimilitudo bonorum. In quibus enim eadem ſtudia ſunt, eædemque voluntates, in his fit, ut altero quiſque delectetur, ac ſeipſo; efficiturque illud, quod Pythagoras ultimum in amicitia putavit, ut unus fiat ex pluribus. Privatum autem oportet æquo jure cum civibus vivere; neque ſubmiſſum, & abjectum, neque efferentem, tum in Republica ea velle, quæ tranquilla, & honeſta ſint: talia enim ſentire bonum civem dicere ſolemus.)

Corrumpitur autem, & pervertitur hic principatus, quãdo nobiles, & optimates proſtituuntur vitiis, & ſceleribus. Vnde *Salluſtius in Catilinario* dicit: Plurima majores noſtros magnos fecerunt, quæ nobis nulla ſunt: ſcilicet domi induſtria, foris juſtitia, animus in conſulendo liber, neque delicto, neque libidini obnoxius. Pro his autem nos habemus luxuriam, atque avaritiam; publicè egeſtatem, privatim opulentiam. Inter bonos, & malos diſcrimen nullum: omnia virtutis præmia ambitio poſſidet: domi voluptati, foris aut pecuniæ ſervitur, aut gratiæ.) Et *Seneca lib.* 5. *de beneficiis*. Beneficia in ſcelus verſa ſunt, & ſanguini eorum non parcitur, pro quibus ſanguis fundendus eſt. Humili ſe, ac depreſſo loco putat ſtare, quiſquis non ſupra Rempublicam ſtetit.)

Qualia autem beneficia optimatum circa Rempublicam fuerint, patet. Fuit enim in eis pia ſolicitudo pro Republica. Fuit ad ipſam vehemens dilectio. Pro ſalute illius fervida æmulatio, terrenorum omnium contemptus ſive deſpectio, terribilium & arduorum aggreſſio, periculorum & laborum perpeſſio, mortis libens ſuſceptio, & necis charorum ſuorum, ſicut filiorum, & cognatorum occiſorum pro Republica minimè lamẽtatio. Moriendi potiùs, quàm Rempublicam devaſtandi omnimoda deliberatio: quia in eis vigebat ſolius Reipublicæ ſalutis optatio, & bona patriæ auxiſſe, & mala in ſe tranſferre voluiſſe, ut declarat *Valerius lib. 6. c. 6.* ubi narrat de pietate antiquorum virorum in patriam. Vnde *Tullius in Rhetorica* dicit: Quoniam omnia commoda provenerunt ex patria, nullum incommodum pro patria tolerare eſt grave putandum.

Tertius principatus, ſcilicet populi, licèt ad tempus poſſit eſſe ſecundùm virtutem, deficit tamen multum à perfectione regiminis, eò quòd populus communiter parum prudẽtiæ participat, quæ maximè ad regimen requiritur. Aliquando tamen contingit populum meliùs regere, quàm unum, vel paucos; quod tunc maximè contingit, quando populus, qui eſt pacis avidus, diu ſuſtinuit regimen tyrannicum, per quod gravatus, & expoliatus, mortuo vel ejecto tyranno, dominium ſibi politiæ uſurpat. Et quamdiu facta tyrannica in memoria populi habẽtur, tamdiu poteſt eſſe talis principatus ſecũdùm virtutem, maximè ſi aliquorum prudentum conſiliis innitatur. Non tamen putandum eſt, tale regimen diu poſſe in rectitudine ſubſiſtere: populus enim rudis eſt, potiùs paſſionum impetum ſequens, quàm ratione utens; & ideo neceſſe eſt, tandem ipſum perverti in pernicioſa ſcandala, & ad multas inſanias devenire. Vnde *Seneca epiſtola* 29. dicit: Nunquam volui populo placere. Nam quæ ego ſcio, non probat populus; quæ probat populus, ego neſcio. Quomodò enim placere populo poteſt, cui non placet virtus? Malis artibus popularis favor quæritur: ſimilem te illis facias oportet. Non probabunt, niſi agnoverint.) Et *epiſtola* 7. dicit: Vtique quò major eſt populus, cui commiſcemur, hoc periculi plus eſt. Nihil verò tam damnoſum bonis moribus, quàm in aliquo ſpectaculo deſidere: tunc enim per voluptatem faciliùs vitia ſurrepunt. Quid me exiſtimas dicere? Avarior redeo, ambitioſior, luxu-

rioſior ? Imo verò crudelior, & inhumanior, quia inter homines fui. Vita quæcunque vulgo placent, quæcunque caſus tribuit. Subducendus populo eſt tener animus, & parum tenax recti : fæilè tranſitur ad plures. Quid tu accidere his credis, in quos publicè factus eſt impetus ? Neceſſe eſt, aut imiteris, aut oderis. Vtrumque autem devitandum eſt, ne vel ſimilis malis ſias, quia multi ſunt: neve inimicus multis, quia diſſimiles ſunt. Recede in te ipſum, quantum potes, populus honeſti diſſuaſor eſt. Non oportet id facere, quod populus. Res ſordida eſt, & trita, vulgari viâ vivere. Nec rationem patitur, nec æquitate mitigatur, nec prece flectitur populus.) Et *epiſtola 99.* dicit : Populus nullius rei bonæ auctor eſt, & in omnibus eſt inconſtantiſſimus. Videt aliquem ſortem in luctu ſuo ? impium vocat, & efferatum. Videt aliquem collabentem, & corpori affuſum ? effœminatum ait, & enervem.)

Quia verò pax multitudinis maximè conſervatur, quandò omnes in principatu aliquam partem habent ; ideo perfectiſſimum regimen eſt, quod ex tribus ſupradictis integratur : ſic enim unuſquiſque avidiùs Rempublicam amat, & ardentiùs ſtatuta conſervat. Si ergo aliqui in populo ſapientiores ab ipſo in Principes, vel Præfectos eliguntur, & hi ulterius unum in Regem præficiunt vel Ducem, qui tam eis, quàm populo præſit, iſte eſt Principatus optimus : quoniam ſub ipſo Principe ſunt aliqui principantes ſecundùm virtutem, unde in ea omnia regimina conveniunt. Conſtat enim ex Democratia, id eſt, poteſtate populi, in quãtum ad ipſum pertinet electio Principum. Iterum ex Ariſtocratia, in qua aliqui optimates principantur, qui prædicto modo electi poteſtatem habent eligendi unum. Iterum ex regno, in quantum unus à prædictis optimatibus electus, tam eis, quàm populo præficitur. Hæc utique politia in lege Divina fuit inſtituta : nam ex populo aliqui ſapientiores in principes eligebantur. Vnde Deut. 1. cap. Dixit Moyſes ad populum : *Date ex vobis viros ſapientes, & gnaros, quorum conſervatra ſit probata in tribubus veſtris, ut ponam eos vobis Principes.* Et hæc erat quædam ſpecies politiæ popularis, in quantum hi majores à populo eligebantur. In quantum verò hi Principes populum gubernabant, inferiores cauſas judicantes, erat quædam ſpecies politiæ optimatum. In quantum verò unus præficiebatur omnibus, quaſi ſingulariter præſidendo, erat quædam ſpecies regni.

Inter omnes autem politias Chriſtianorũ politia Venetorum ad hoc regimen perfectiſſimum appropinquat. Nam in ea circiter quadringenti tã ex nobilibus, quàm ex honorabili populo ad conſilia publica admittuntur, per quos aliqui prudentiores in creatione ſui Principis eliguntur : & hi aliquem ex ſuis nobilibus eligunt, quem in Ducem omnibus præficiunt. Prædictus autem Dux ſic à majoribus electus, unà cum ſex, quos conſiliarios vocant, & 40. quos quaſi populi Anciano habent, politiam gubernat. Nec hi, qui cum Duce civitatem regunt, iidem ſemper permanent, ſed ſinguli de conſilio ſtatutis temporibus ad prædicta officia conſiliariè, & variè per electionem omnium aſſumuntur ; & ſic quilibet de prædictis ad conſilium electis partem aliquam habet in politia, quæ ex tribus regiminibus aliquid participat. Nam in quantum unus omnibus eſt præfectus, regimen regni dici poteſt. In quantum verò aliqui majores ipſum Ducem eligunt, & cum ipſo politiam regunt, ipſi vel alii diverſis temporibus ad hoc electi, regimen optimatum dici poteſt. In quantum verò prædicti majores Ducis electores conſiliarii, vel 40. à toto conſilio eliguntur, aliquid de politia populi participant : ſunt enim in dicto conſilio non ſolùm majores nobiles, ſed etiam multi de populo honorabiliores.

Hæc autem Venetorum gens tantâ pace, ac ſecuritate fruitur, quòd nullus unquam inde intuitu partis expellitur. Advenientes, & profugi ibi tuti ſervantur. Nullus alterius oppreſſor, nullus alieni habitaculi eſt invaſor, ſecura ſunt omnia. Homicidia, vel humani ſanguinis effuſiones, aut nunquam, aut rarò ibi audiuntur. Nulli hominum ſubdi patitur dicta gens, ſummâ gaudens libertate. Ducem verò, quem ſibi conſtituit, tantâ ſtatutorum obſervatione coarctat, ut non plus poſſit Præfectus, quam velit præficiens. Homines in marinis aquis, quibus ſunt undique circunſepti, ædificia ſtupendâ pulchritudine, ſumptuoſitate, numeroſitate conſtruxerunt. Vſibus maris cum periculis, & laboribus pro neceſſariis vitæ juventutem erudiunt, ætatem verò maturam actibus Reipublicæ impendunt. Procolentibus agros remiges habent, & pro bove navigium. Omnia mercantur nummo, etiam

ſu-

ſubinde potum aquæ. Nullus inde natus alterius eſt ſervus, nec etiam mercenario pacto conductus, ſed unuſquiſque patriæ libertatem ſibi vendicans propriam, victum proprio labore quærit.

In bellis navalibus audaciſſimi, atque peritiſſimi, olim pro Republica miranda, ac laude digna fecerunt. Victualia à multis regionibus eis deportantur, & ipſi merces, quas à remotis partibus deferunt, ad multas provincias tranſmittunt. In veſtibus ſplendidi, in cibo temperatiſſimi per ebrietates mercandi uſus impediatur, aut ſtatus politiæ turbetur, tabernas non habent.

Magni Eccleſiarum ſunt cultores, & Divini honoris amatores, ut patet in ſtupendo, & mirabili templo ſancti Marci. Pauperibus ſunt benefici. Multa pauperum hoſpitalia, & inſignia ſanctimonialium monaſteria annualibus, & quotidianis eleemoſynis tam publicis, quàm privatis nutriunt. Decedentes decimam pecuniæ, in qua omnia fere ipſorum bona conſiſtunt, indigentibus, & Divinum cultum colentibus derelinquunt. Catholici ſunt, & ab omni labe prorſus immunes. Inhumana, & enormia crimina non habent. A convicinorum moribus ſunt penitus alieni. Fenerator ibi nullus eſſe permittitur. Leges communes non ſequuntur, ſed ſecundùm ſtatuta propria vivunt, miro modo politiæ negotiis accommoda, nec tamen à jure aliena. Vbi ſtatuta deſunt, ad proprias conſuetudines ſe convertunt. Fideliſſimi ſunt Reipublicæ, quam unuſquiſque in opulentia, & honore tenere ſtudet; ſed & ipſa Reſpublica ſuos cives etiam plebeios magnis libertatibus, & ſingularibus immunitatibus conſervat, & tuetur. Si quis in aliena patria gravatur, mox curam adhibet, ſive ducalibus ſcriptis, ſive nunciis publicis, ſeu repreſſaliorum terroribus, ne eum à gravamine liberet. Honorabiles cives divitiis tenues officii vel rectoriæ proviſione ſublevare nititur. Multos de communibus proventibus nutrit. Ecce Venetorum gubernatio, quàm eximia!

SEXTO. *Beatus Marcus aperuit os, id eſt, intellectum ad ſupplicandorum impetrationem.*

Sciendum, quòd ipſius ſuffragia, & beneficia plures impetraverunt. Quidam enim obtinuerunt temporalia ad ſuſtentationem, ſicut patet in miraculo facto in Apulia, ubi ſterilitas magna erat.

Quidã obtinuerunt ſpiritualia ad juſtificationem, ſicut patet in miraculo Sarraceni naufragium patientis, qui ad baptiſmum convolavit.

Quidã obtinuerunt cæleſtia ad glorificationem, ſicut patet in miraculo religioſi, ad cuius obitum ſanctus Marcus convenit, & in cælum eius animam deportavit.

Quidam obtinuerunt corporalia ad ipſorum ſanationem, ſicut patet de milite de ponte cadente, & de eo, qui de campanili ſancti Marci cecidit, quos ſanitati reſtituit per Ieſum Chriſtum. Amen.

SER-

SERMO XXVIII.

IN FESTO SANCTI PETRI MARTYRIS.

Plantatio Roſæ in Iericho. Eccli. 24. cap.

PRoverbialiter dicitur: Trenta foglie hà la Roſa. Sed Beatus Petrus martyr fuit Roſa. Vnde *Dominus Innocẽtius Papa in littera Canonizationis eius* dixit: De Prædicatorum Ordine florido prodiit Roſa rubens, quæ à regalibus oblata conſpectibus intulit ſuavitatem odoris. Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtrum Beatus Petrus martyr tantò in gloria ſit dignioris coronationis, quantò in hac vita habuit actum maioris perfectionis?

AD iſtam quæſtionem reſpondent duo Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt *beatus Auguſtinus lib. de ſancta virginitate cap. 46.* dicens: Martyrium pro fide Chriſti ſuſceptum incomparabiliter præferendum eſt ſanctæ virginitati, etiam ſi illa inviolabiliter conſervetur propter Agni immaculati honorem.

Secundus eſt *Sanctus Thomas ſecunda ſecundæ quæſtione 124. articulo 3.* dicens: De aliquo actu virtutis poſſumus loqui dupliciter. Vno modo, ſecundùm ſpeciem ipſius actus, prout comparatur ad virtutem proximè elicientem ipſum; & ſic non poteſt eſse, quòd martyrium, quod conſiſtit in debita tolerantia mortis, ſit perfectiſſimus inter virtutis actus: quoniam tolerare mortem, non eſt laudabile ſecundùm ſe, ſed ſolùm ſecundùm quod ordinatur ad aliquod bonum, quod conſiſtit in actu virtutis, puta ad fidem, & dilectionem Dei; unde ille actus virtutis, cùm ſit finis, melior eſt. Alio modo poteſt conſiderari actus virtutis, ſecundùm quod comparatur ad primum motivum, quod eſt amor charitatis. Et ex hac parte præcipuè aliquis actus habet, quòd ad perfectionem vitæ pertineat: quia ut Apoſtolus dicit Col. 3. *Charitas eſt vinculum perfectionis.* Martyrium autem inter omnes actus virtuoſos maximè demonſtrat perfectionem charitatis: quia tantò magis oſtenditur aliquis aliquam rem amare, quantò pro ea rem magis amatam contemnit, & rem magis odioſam eligit pati. Manifeſtum eſt autem, quòd inter omnia alia bona præſentis vitæ maximè amat homo ipſam vitam, & econtrario maximè odit ipſam mortem, & præcipuè cum doloribus corporalium tormentorum, quorum metu etiam bruta animalia à maximis voluptatibus abſtrahũtur, ut *Auguſtinus* dicit *lib. 83. quæſtionum.* Et ſic martyrium inter ceteros actus humanos eſt perfectior ſecundùm ſuum genus, ſecundùm illud Ioann. 15. cap. *Maiorem charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Hæc Sanctus Thomas.*

Sciendum, quòd diabolus conatus eſt expugnare fidem Chriſti quadrupliciter. Primò. Per potentiam tyrannorum, contra quos miſit Deus ſanctos Martyres, qui eos ſuperaverunt per patientiam. Luc. 21. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.*

Secundò. Per falſam ſapientiam Philoſophorum, & Hæreticorum, contra quos miſit Deus Doctores, qui eos ſuperaverunt per veram ſapientiam. Phil. 2. *In medio nationis pravæ & perverſæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo.*

Tertiò. Per ſimulatam vitam fratrum falſorum, contra quos miſit Deus diverſos Ordines religioſorum, qui eos confundant per ſolidam, & ſanctã vitam. Pſ. *Aſtitit Regina*, id eſt militans Eccleſia, *à dextris tuis*, per ſanctam vitam: *in veſtitu deaurato*, per ſynceram charitatem, *circundata varietate*, per Religionum diverſitatem.

Quartò. Per apparentiã falſorũ miraculorũ, contra quã miſit Deus fideles teſtes veritatis. Act. 1. *Eritis mihi teſtes in Ieruſalem*, &c. Et Marci ult. *Illi autem profecti, prædicaverunt ubique Domino cooperante, & ſermonem*

con-

Digitized by Google

confirmante ſequentibus ſignis.

Licèt autem S. Mater Eccleſia paſsa fuerit diverſis temporibus iſta certamina, tamen tempore beati Petri martyris ſimul hæc fuerunt congeſta per Hæreticos velut diaboli inſtrumenta. Tunc enim erant magni ſeculari potentiâ, diabolicâ ſapientiâ, ſimulatores ſanctitatis, ſectantes diabolica figmenta, qui aliquando videbantur aliqua falſa operari miracula, ſecundùm illud 2. Timo. 3. *Quemadmodum Iannes, & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & hi reſiſtunt veritati.*

Iſta certamina ſuperavit gloriosè beatus Petrus martyr, cui ſancta Mater Eccleſia dicit 1. Tim. 6. *Certa bonum certamen fidei: apprehende vitam æternam.* Et hoc quatuor modis.

1. Per Apoſtolicæ ſedis legationem, & ſic confringebat eorum potentiam. Pſal. *Confringam illos, nec poterunt ſtare: cadent ſubtus pedes meos.*

2. Per ſervidam prædicationem, & ſic annihilabat eorum falſam ſapientiam. Pſalm. *Præcinxiſti me virtute ad bellum: & ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me.*

3. Per virtutum exornationem, & ſic diſperdebat eorum ſimulatam, & deceptoriam vitam. Pſalm. *Inimicos meos dediſti mihi dorſum: & odientes me diſperdidiſti.*

4. Per miraculorum coruſcationem, & ſic oſtendebat eorum falſa commenta. Pſal. *Clamaverunt, nec erat, qui ſalvos faceret.* Ideo Dominus *Innocentius IV. in litera Canonizationis eius* dicit: Erubeſcant fallaces Hæretici, quòd ſua fallacia commenta vileſcunt, & convaleſcant Apoſtolica documenta. Propterea dicebat beatus Petrus martyr: Chriſti bonus odor ſumus: aliis odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem, ſcilicet Hæreticis; inter quos tanquam Roſa inter ſpinas fuit plantatus. Ergo plantatio Roſæ in Iericho, id eſt, inter Hæreticos, ad debellandos, & confundends eos. Ideo dicitur:

Trenta foglie hà la Roſa

In fidei defenſione.
In Chriſti imitatiõne.
In ſui remuneratione.

PRIMO. *Trenta foglie hà la Roſa in fidei defenſione.* Sicut enim Synagoga in veteri Teſtamẽto habuit triginta ſanctos Patres, qui ſuis claris virtutibus legem Dei defenderunt, ne infideles illam conculcarent (ſecundùm illud Eccli. 44. cap. *Laudemus viros gloriosos, & parentes noſtros in generatione ſua: homines magni virtute, & prudentiâ ſuâ præditi, nunciantes virtute prudentiæ populis ſanctiſſima verba: homines divites in virtute pulchritudinis ſtudium habentes, qui gloriam adepti ſunt, & habentur in laudibus*) eodem modo alma Mater Eccleſia in novo Teſtamento Chriſti fundata Sanguine noviſſimo tempore enixa eſt beatum Petrum martyrẽ, qui triginta virtutibus, tanquam totidem foliis Roſæ inſertis, fidem Chriſti acerrimè defendit, pro qua mortem pati avidiſſimè peroptavit, ut patebit.

Primum folium huius noſtræ Roſæ eſt *Abel ſanctificatio*. Nam, ut dicit *Gregorius in regiſtro, & habetur* 14. *qu.* 5. *cap. Scriptum eſt*. Reſpexit Deus ad Abel, & ad munera eius. Dicturus quippe: quia Dominus reſpexit ad munera, præmiſit ſolicitè: quia reſpexit ad Abel: quia non offerens à muneribus, ſed munera ab offerente placuerunt.) Et *Auguſtinus, ut habetur de pœnitentia diſt.* 5. *cap. Conſideret*, dicit ſic: Reſpexit enim Dominus ad Abel, & ad munera eius. Sed prius dixit ad Abel, quàm ad munera. Sumens enim mentem, quam cognovit humilem, puram, remuneravit eius largitatis munera.)

Sicut ergo mens Abel ſanctificata fuit à Deo, qui erat fundamentum legis Dei, & initium; ſic anima beati Petri martyris ſanctificata fuit à Deo, & in gratia confirmata. Signum enim ſanctificati, & confirmati in gratia eſt, ut non peccet deinceps mortaliter, quod quidem ſibi conceſſum eſt. Vnde *Innocentius in litera Canonizationis eius* dicit: Beatus Petrus ab infantia virginitatem, & innocentiam ab omni mortali peccato uſque ad mortem ſervavit. Ideo cantat Eccleſia in hymno dicens:

Petrus flos pulchritudinis,
Et virtutum ſacrarium:
Nullum mortalis criminis
Senſit unquam contagium.

Et hoc quidem convenienter: quoniam illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat, & diſponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei, ſecundùm illud 2. Corinth. 3. *Idoneos nos fecit miniſtros novi Teſtamenti*. Et cùm beatus Petrus martyr ad hoc eſſet electus, ut fidem Chriſti, & Eccleſiam catholicã contra hæreſes defenderet; ideo talem obtinuit gratiam, per quam diligentiùs id exequeretur.

Se-

Secundum folium huius noſtræ fragrantis Roſæ eſt *Enoch juſtificatio*. Nam, ut dicitur Hebr. 11. *Enoch non inveniebatur: quia tranſtulit eum Deus*. Ante translationem eius teſtimonium habebat, placuiſſe Deo. Sicut enim Enoch translatus eſt in paradiſum terreſtrē; ſic beatus Petrus martyr translatus eſt ab infidelibus Hæreticis ad ſanctam Matrem Eccleſiam, quæ eſt paradiſus terreſtris. Vnde *beatus Auguſtinus libro* 13. *de civitate Dei cap.* 21. dicit: Poſſunt hæc etiam in Eccleſia intelligi, ut ea meliùs accipiamus, tanquam prophetica indicia præcedentia futurorum. Paradiſum ſcilicet ipſam Eccleſiam, ſicut de illa legitur in Cantico canticorum: quatuor autem flumina paradiſi, quatuor Evangelia: ligna fructifera, Sanctos: fructus eorum, opera eorum: lignum vitæ Sanctum Sanctorum, utique Chriſtum: lignum ſcientiæ boni, & mali, proprium voluntatis arbitrium.)

In hunc paradiſum, ſcilicet ſanctam Matrem Eccleſiam translatus eſt beatus Petrus martyr per baptiſmalem juſtificationem: quia non fuit baptizatus baptiſmo Hæreticorum, ſed baptiſmo Chriſtianorum, ne inobediens reputaretur, & ut character cum ceteris ſignaretur, ut Chriſto corporaliter conformaretur, ut in numero fidelium computaretur, ut in donis gratiæ promoveretur, ne ceteris Sacramentis Eccleſiæ privaretur.

Tertium folium huius noſtræ odoriferæ Roſæ eſt *Noe præſervatio*. Vnde dicitur Heb. 11. *Noe accepto reſponſo aptavit arcam in ſalutem domus ſuæ*. Sed Noe per gratiam, quam accepit à Deo, præſervavit ſolùm octo animas, ſecundùm illud 1. Petri 3. *In diebus Noe, cùm fabricaretur arca, pauci, id eſt, octo animæ ſalvæ factæ ſunt*. Noe autem erat tunc ſexcentorum annorum.

Sed beatus Petrus martyr, eùm eſſet ſeptem annorum, ingreſſus arcam catholicæ fidei, diſputans cum patruo ſuper articulos fidei, invincibilibus rationibus ipſum confudit, & maximam multitudinem Hæreticorum ad Chriſti fidem convertit, quos præſervavit à diluvio damnationis. Et licèt proceſſerit ab Hæreticis, tamen ab eorum erroribus extitit alienus; ſicut de Noe legitur *Gen.* 5. Proceſſit enim ab eis, ſicut lux à tenebris. 2. Cor. 4. *Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere*. Sicut lilium à ſpinis. Cant. 2. *Sicut lilium inter ſpinas*. Vnde *Innocentius in littera Canonizationis eius* dicit: Candido Sanctorum collegio novum munditiæ lilium eſt exortus; ſicut ſtella micans à nebulis. Vnde dicitur *ibidem*: Gaudeat inſignis Ordo Prædicatorum, quòd ex eo prodiit ſtella micans. Iſte eſt arcus poſitus in nubibus, qui eſt ſignum fœderis fidei catholicæ, & ſublevationis ſanctæ Matris Eccleſiæ.

Quartum folium huius noſtræ ſuavis Roſæ eſt *Abrahæ religio*: Vnde dicitur Heb. 11. *Abraham obedivit in locum exire, quem acceptarus erat in hæreditatem*. Cui dictum eſt a Domino Gen. 12. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtravero tibi*.

Sicut autem Abraham reliquit cuncta ad juſſum Domini; ſic B. Petrus martyr relictâ domo, cognatione, & patriâ, profectus eſt Bononiam, & ibi intravit Religionem fratrum Prædicatorum, quæ eſt inſtituta ad prædicandum, & confeſſiones audiendum. Vnde *Abbas Neſtorius in collationibus Patrum* dicit: Quidam eligentes ægrotantium curam, alii interceſſionem, quæ pro miſeris, atque oppreſſis impenditur, exequentes, alii doctrinæ inſtantes, aut eleemoſynas pauperibus largientes, inter magnos, ac ſummos viros pro affectu ſuo, ac pietate viguerunt.) Tantò autem celebrior eſt Religio Prædicatorum, quantò magis per eam procuratur ſalus animarum, quod pertinet ad obſequium Dei, cui nullum ſacrificium eſt acceptius, ut dicit *Gregorius ſuper Ezech.* Majus etiam eſt, ſpiritualibus armis contra errores Hæreticorum, & tentationes dæmonum fideles defendere, quàm corporalibus armis populum fidelem tueri. Et de beato Petro martyre *Innocentius in littera Canonizationis eius* dicit: Noctem poſt dormitionem brevem in ſtudiis lectionum, & aliis ſacris vigiliis occupabat. Dies autem impendebat commodis animarum, prædicationibus, vel confeſſionum audientiæ, aut impugnationi hæreſum inſiſtendo, juxta illud ad Titum 1. *Amplectentem eum, qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem: ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere*, &c.

Quintum folium huius noſtræ Roſæ eſt *Iſaac profeſſio*, in quo maximè viguit obedientia. Vnde *B. Auguſtinus lib.* 16. *de civitate Dei cap.* 32. Iſaac, ſicut Dominus Crucem ſuam, ita ſibi ligna ad victimæ locum, quibus fuerat imponendus, ipſe portavit.) Et in hoc apparuit maxima eius obedientia. In re-

Digitized by Google

religione autem ſummum tenet obedientia: quia, ut *Gregorius* 35. *moral. cap.* 12. dicit: Obedientia victimis jure præponitur: quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur.) Nam illud, quod fit ex obedientia, eſt magis Deo acceptum, quàm illud, quod fit per propriam voluntatem, ſecundùm quod dicit *Hieronymus ad Ruſticum monachum*: Ad id tendit oratio, ut doceam te non tuo arbitrio dimittendum.

Beatus Petrus martyr maximæ obedientiæ fuit, ſicut *in littera Canonizationis eius Dominus Innocentius* dicit: Ingreſſus autem Ordinem fratrum Prædicatorum, converſatione conſpicuus, ſpectabilis famâ, opinione mirabilis, devotione gratus, humilitate lenis, obedientiâ placidus, benignitate ſuavis, pietate compatiens, patientiâ conſtans, charitate præſtabilis, & in cunctis morum maturitate fuit compoſitus.)

Sextum folium huius noſtræ Roſæ eſt *Iacob contemplatio*. Nam fugiens à facie fratris ſui Eſau perſequentis ipſum, parumper in via obdormivit, viditque Dominum innixum ſcalæ, cui Dominus locutus eſt, & conſolatus eſt, ut dicitur *Gen.* 28. *cap.*

Sic B. Petrus martyr ob perſecutiones graves Hæreticorum, & maximè ſuorum attinentium, qui eum accuſaverant Provinciali, quòd magna, & gravia ſcandala perpetraverat in civitate Bononienſi, in dedecus ipſorum, compulſus eſt ire Æſium, non ſine acri pœnitentia. Cumque videret pullulare hæreſes in civitate illa, nec poſſet obviare, ut optabat, cum lacrymis coram Crucifixo orans ait: Domine, qui noſti omnia antequam fiant, tu ſcis, quoniam nihil egi eorum, quæ iſti adversùm me mentiuntur. Diſrumpe igitur illos, & da pacem ſuſtinentibus te, ut ſervi tui fideles inveniantur. Tunc Crucifixus vertens caput in aliud latus ait: *Et ego Petre, quid feci?* Et ſic confortatus eſt.

Septimum folium huius noſtræ Roſæ eſt *Ioſeph purificatio*. Nam fugiens uxorem Putipharis, quæ ipſum ad adulterium invitabat, caſtitatem ſuam illibatam conſervavit, ut dicitur *Gen.* 39. *cap.* quem tamen ipſa falsò accuſavit, quòd vi ipſam opprimere voluit.

Sic B. Petrus martyr, dum oraret devotiùs in cella coram imagine Crucifixi, ac diceret illam orationem: Deus innocentiæ reſtitutor, & amator, dirige tuorum corda ſervorum, ut ſpiritus tui fervore concepto, & in fide inveniantur ſtabiles, & in opere efficaces: & dum virginitatem ſuam, & agones ſuos Virgini commendaret; audivit beatam Virginem duabus comitatam puellis, dicentem ſibi: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*. Statimque accuſatus eſt Priori, quòd cum mulieribus tota nocte colloquebatur, qui tamen infamiam purgavit.

Octavum folium hujus noſtræ Roſæ eſt *Iuda confeſſio*, de quo dicitur Gen. 49. *Iuda, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum: adorabunt te filii patris tui*.

Iudas, qui confitens interpretatur, beatum Petrum martyrem deſignat, qui fidem Chriſti confeſſus eſt, non tantùm in vita, ſed etiam in morte, quem omnes fratres ſui laici, nec non fideles clerici religioſi laudant propter pugnam victorioſam, quam habuit contra Hæreticos. Cùm enim quidam Hæreticus garrulus contra eum nimis inſtaret, ille Deum oravit, ut aut eum converteret, aut linguâ privaret, ſtatimque mutus effectus eſt, quia veritatem fidei confiteri noluit.

Nonum folium huius noſtræ Roſæ eſt *Moyſis dilectio*, qui ob charitatem, quam gerebat ad populum Dei, confidenter dixit Domino: *Aut dele me de libro tuo, in quem me ſcripſiſti, aut parce huic populo*, Exod. 32. Vnde miſericordiam obtinuit.

Sic beatus Petrus martyr quotidie orabat, ut Deus non aliter permitteret ipſum mori, quàm pro fide Chriſti. Vnde dicitur *in litera Canonizationis eius*: Fervens quoque amator fidei, ſic animo ſuo illam impreſſerat, quòd quæque ipſius verba, & opera virtute fidei redolebant.) Et ſicut Moyſes ſtetit coram Pharaone pro libertate populi Dei; ſic beatus Petrus martyr ſe oppoſuit Hæreticis pro libertate Eccleſiæ catholicæ. Nam Hæretici libertatẽ Eccleſiæ nitebantur auferre, & ipsã in ſervitutem redigere. Galat. 2. *Propter ſubintroductos falſos fratres, qui ſubintroierunt, explorare libertatem noſtram*.

Decimum folium huius noſtræ Roſæ eſt *Aaron prædicatio*. Nam Moyſes, cùm eſſet impeditioris linguæ, petivit à Domino auxilium eloquentis viri, qui ſibi eſſet præſidio ad convincendum Pharaonem, cui datus eſt Aaron, ut dicitur *Exo.* 4. *cap.*

Sic ſummus Paſtor Eccleſiæ vexillum fidei catholicæ tradidit beato Petro martyri, quem fecit generalem Inquiſitorem, ad inquirendos,

dos,& debellandos Hæreticos in partibus Italiæ. Et ſicut beatus Laurentius Sixto Papæ obedivit, cui Divini verbi reſponſa commiſerat; ſic beatus Petrus martyr ex obedientia ſanctæ Romanæ Eccleſiæ fidei catholicæ Divini verbi curam aſſumpſit, pro quibus non dubitavit mori. Vnde in *littera Canonizationis eius* dicitur: Pro defenſione nanque fidei, & obedientia Romanæ Eccleſiæ Vir ille venerabilis acerrimam mortem tulit.) Et quantò ſanguis beati Petri martyris fuerit dignior, & pretioſior, ſanguine animalium immolatorum per Aaron ſummum Sacerdotẽ; tantò hoſtia, quam obtulit, fuit Deo acceptior, quia ſeipſum obtulit. Et hoc fuit, ac ſi Chriſtus iterum ſeipſum obtuliſſet propter unionem eius per charitatem cum beato Petro.

Vndecimum folium huius noſtræ Roſæ eſt *Phinees defenſio*, de quo dicitur 1. Machab. 2. cap. *Phinees zelando zelum Dei accepit teſtamentum ſacerdotii aterni*. Quia, ut dicitur Numeri 25. *Cùm vidiſſet Phinees quendam virum Iſraelitam, intrantem ad ſcortum Madianitam, arrepto pugione perfodit ambos ſimul, virum ſcilicet, & mulierem*.

Sic beatus Petrus martyr zelans fidem catholicam, & perſequens Hæreticos, dicebat eis, quòd de tota ſacra Scriptura teſtimonia ſua proferrent, & ipſe pro ſe, & contra eos tantùm unum militem, ſcilicet Paulum aſſumeret, qui dicit: *Sumite gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei*. Hoc gladio, nempe verbo Dei, perfodit Hæreticos, & hæreſim eorum, ſecundùm illud 1. Pe. 3. *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe & fide*.

Duodecimum folium huius noſtræ Roſæ eſt *Ioſue expugnatio*, de quo dicitur Eccli. 46. cap. *Fortis in bello Ieſu Nave expugnare hoſtes, ut conſequeretur hæreditatem Iſrael. Aut non in iracundia eius impeditus eſt ſol, & facta eſt una dies quaſi duo? Invocavit Altiſſimum potentem in oppugnando inimicos undique, & audivit illum magnus & ſanctus Deus*.

Sic beatus Petrus martyr, cùm quendam Hæreſiarcham coram populo Mediolani examinaret velut Dux, & Inquiſitor, & maximus æſtus cunctos afficeret, præmiſſo ſigno Crucis, & oratione ad Deum fuſa, mox nubes deſcendit, quæ refrigerium toti populo præſtitit, &c.

Decimumtertium folium huius noſtræ Roſæ eſt *Gedeonis liberatio*, cui cùm eſſet dictum: Vade, quoniam in hac fortitudine tua liberabis Iſrael de manu Madian; cumque hæſitaret, quia pauciſſimos habebat ſecũ, audivit: *Dominus tecum, virorum fortiſſime*, ut patet Iudi. 6.

Sic B. Petrus martyr tanquam vir cæleſtis, à Deo miſſus ad convincendos Hæreticos, magnam fortitudinem,& gratiam à Deo impetravit. Cui Pater dedit conſtantiam ad reſiſtendum, Filius ſapientiam ad convincendum, Spiritus ſanctus gratiam ad convertendum, ut patet de Hæretico, qui coram tabula, in qua erat imago beati Petri martyris depicta recipientis martyrium, furibundus inſiliit, & mutus effectus abjurans hæreſim, & confitens peccata ſua corde, liberatus eſt.

Decimumquartum folium huius noſtræ Roſæ eſt *Samſonis mortificatio*, qui plures occidit moriens, quàm vivens; unde dixit: *Moriatur Samſon cum Philiſthais*, ut patet Iudi. 16.

Sic B. Petrus martyr velut granum mortificatum multum fructum attulit, dum per paſſionem ſuam multos Hæreticos ad fidem Chriſti convertit, ſicut in publica prædicatione prædixit: Ego deterius eis faciam mortuus, quàm vivus, quod verbum in dies verificatur. Ideo cantat ſancta Mater Eccleſia: *Dum Samſonis vulpes quærit* (id eſt, Hæreticos, quos velut alter Samſon perquirit, & perſequitur) *Ab iniquis capitur: caput ſacrum lictor ferit, iuſti ſanguis funditur: ſic triumphi palmam gerit, dum pro fide moritur*, &c.

Decimumquintum folium huius noſtræ Roſæ eſt *Samuelis illuminatio*. Nam,ut dicitur 1. Reg. 3. cap. *Factum eſt, ut Heli iaceret in loco ſuo, & oculi eius caligaverant, nec poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur. Samuel autem dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei*.

Sic B. Petrus martyr, velut alter Samuel fidelis Propheta Domini, dormiebat ſepultus in templo, & Eccleſia catholica fratrum Prædicatorum de Mediolano, qui erat lucerna ardens, & lucens per fidei manifeſtationem, quam Hæretici videre non poterant, donec ipſam extinxerunt per mortem. Sed non erat extincta: quoniam vehementer ardebat in conſpectu Domini; cuius ſignum eſt, quòd lampades frequenter divinitùs ſunt accenſæ ad ſepulcrum eius, nullo ſuffragante humano auxilio. Propterea *in littera Ca-*

nc-

nonizationis eius dicitur : Ad ſancti Petri tumulum frequens lux deſcendit , in cuius laudis titulum lampades accendit.) Namque poſt mortem ipſius lampades ad ſepulcrum eius venerabile dependentes , pluries per ſe ipſas abſque omni humano ſtudio , & miniſterio divinitùs ſunt accenſæ . Conveniens enim erat , ut , quoniam igne , ac lumine fidei claruerat , etiam valde excellenter ſingulare de ipſo ignis & luminis miraculum demonſtraretur .

Decimum ſextum folium huius noſtræ Roſæ eſt *Nathan reprehenſio* , de quo dicitur 2. *Reg.* 12. quòd, cùm argueret David de peccato ſuo , & iſte cognoſcens peccatum ſuum diceret : *Peccavi Domino* ; dixit Nathan : *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum : non morieris* .

Sic cùm quidam Hæreticus ſanctitatem , & miracula ſancti Petri martyris, & fidem ſanctæ Matris Eccleſiæ depravaret , ſumpto quodam ſub oſtentatione bolo , ſenſit mox ipſum ſuo gutturi ſic inhærentem,ut illũ educere,vel inducere non valeret . Cui S. Petrus martyr viſibiliter apparens, eumq; vehementer arguens de hoc , quòd fidem Chriſti , & ſanctam Matrem Eccleſiam catholicam ſic vilipenderet, & oppugnaret, illicò pœnitentẽ effecit ; qui ſentiens vicinæ mortis eventum, facto voto , quòd ab hujuſmodi reſipiſceret, fuit protinus, illo ejecto, liberatus .

Decimum ſeptimum folium huius noſtræ Roſæ eſt *David liberatio* . Nam, ut dicitur 1. *Reg.* 16. *cap.* Invaſit ſpiritus Dei malus Saul: David autem pſallebat manu . Quamdiu David pſalterio pulſabat , Saul non vexabatur . Licèt enim eſſet inimicus David , tamen beſicio eius liberabatur à ſpiritu malo .

Sic beatus Petrus martyr cujuſdam nobilis , licèt Hæretici , & inimici fidei catholicæ filium , præ nimio , & horribili tumore gulæ nec loqui , nec ſpirare valentem , levatis ad Deum manibus , & Crucis ſuper eo facto ſignaculo , ſuperpoſitâ cappâ velut pſalterio loco infirmo , perfectiſſimè ſanavit tam in anima,quàm in corpore, ne deinceps ſpiritus perfidiæ illum nequiter exagitaret .

Etiam dum Gaufredus de Como haberet de panno tunicæ ſancti Petri martyris, ut cõvinceret Hæreticum quendam , pannum ipſum in ignem projecit, qui protinus ignem extinxit . Quod videns Hæreticus , ad fidem Chriſti converſus eſt .

Decimum octavum folium huius noſtræ Roſæ eſt *Salomonis gubernatio* , de quo dicitur Eccli. 47. cap. *Surrexit filius ſenſatus , & propter illum dereliquit omnem potentiam inimicorũ . Salomon imperavit in diebus pacis , cui ſubiecit Deus omnes hoſtes . Eruditus eſt in iuventute ſua,& impletus eſt quaſi flumen ſapientiâ* .

Sic beatus Petrus martyr velut fidei pugil egregius Hæreticorum dogma peſtiferum in vita ſua plurimum eradicavit . Poſt mortem autem ſuam eius meritis , & coruſcantibus miraculis fuit à Deo extirpatum , ut quamplurimi errorem ſuum reliquerint, & ad gremium ſanctæ Matris Eccleſiæ convolaverint, ita ut civitas Mediolanenſis , & comitatus ejuſdem , ubi tot Hæreticorum conventicula reſidebant, in tantum ſit purgata , ut aliis expulſis , aliis ad fidẽ Chriſti converſis , nullus ibidẽ audeat aliquatenus apparere . Plures etiam ex eis maximi & famoſi Prædicatorum Ordinẽ ſunt ingreſſi, qui uſque nunc cunctos Hæreticos , & fautores fervore mirabili perſequuntur .

Decimum nonum folium huius noſtræ Roſæ eſt *Eliæ ſuſcitatio*, de quo dicitur Eccli. 48. cap. *Surrexit Elias Propheta quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat: qui ſuſtulit mortuum ab inferis, de ſorte mortis, in verbo Domini Dei* . Hic etiam , ut dicitur 3. *Regum* 18. *cap.* cùm aer eſſet clarus , nec ulla nubes in eo appareret , oravit ad Dominum , & ſtatim nubes aſcendit de mari .

Sic B. Petrus martyr fuit velut ignis , de quo dicit *Innocentius in littera Canonizationis eius* : Tunc clariùs fidei lampas lucet , cùm ardentes lucernæ Martyrum ſuppliciorum incendiis corporaliter extinguuntur . Quod planè , & liquidò patuit in ipſius beati Petri martyris paſſione: quia poſt glorioſum , & recolendum eius martyrium ſic ſuorum multitudine , & eminentia miraculorum fides reſplenduit , quòd quamplurimi Hæretici , eorumque credentes ipſius fidei tot , & tantorum oſtenſione ſignorum agnita veritate ad illius lumen de ſuorum errorũ tenebris properè redierunt .) Inter cetera miracula , hoc de ipſo fertur , quod cùm mulier quædam in Flandria peperiſſet tres filios mortuos , & jam quartum filium etiam mortuum peperiſſet , devotiſſimè ſe B. Petro martyri devovit , quem ſuis meritis à mortuis ſuſcitavit .

Conſimile accidit Senonis in provincia Franciæ : cùm enim puella quædã in flumine raptim ſubmerſa eſſet , & mortua , meritis

beati Petri martyris eſt priſtinæ vitæ reſtituta; quod ſignum viderunt omnes populi, qui erant in Eccleſia fratrum Prædicatorum, ubi parentes eius emiſſo voto ſuſcitatam gaudioſè receperunt.

Vigeſimum folium huius noſtræ Roſæ eſt *Eliſei ſubventio*, de quo dicitur Eccli. 48. cap. *Eliſeus in diebus ſuis non pertimuit Principem, & in potentia nemo vicit illum: in vita ſua fecit monſtra, nec ſuperavit illam verbum aliquod*. Duo enim præcipua fecit Eliſeus in vita ſua. Primum. Cùm ipſe deſcenderet Bethel, pueri parvi egreſſi de civitate illudebant ei, quos maledixit, & duo urſi laceraverunt eos, ut dicitur 4. *Reg.* 2. c. Secundum, Sanavit Naaman Syrum à lepra, ut dicitur *ibidem* 5. *capite*.

Sic beatus Petrus martyr, dum prædicaret Ceſenæ in Italia in platea civitatis, quidam nobiles juvenes, quorum domus erat contigua palatio dominii, cùm eſſent Hæretici, jaciebant lapillos contra Sanctum prædicantē, quorum malignitatem ſæpius increpans nihil profecit, tandem publicè illi domui maledixit, quæ ſtatim corruit, & quadraginta duos viros, qui intus erant, pariter interemit. Deinceps autem nunquam domus prædicta reparari potuit, cùm pluries attentatum fuiſſet, etiam uſque in præſentem diem.

Similiter cùm quidam deſperatus nomine Roba omnia in ludo perdidiſſet, & dæmones invocaſſet, vexatus ab eis miſerabiliter, etiam uſque ad mortem, tandem meritis beati Petri martyris perfectè curatus pœnitentiam egit ſalutarem.

Præterea multi à variis languoribus, & diverſis infirmitatibus curati ſunt, bibentes aquam intinctam reliquiis B. Petri martyris.

Etiam frater Ioannes Polonus Ordinis noſtri, dum Bononiæ quartanâ laboraret, tandem in feſto beati Petri martyris, quo erat ſermocinaturus ad clerum, devotiſſimè ſe devovens, meritis Sancti eſt pleniſſimè ſanatus.

Vigeſimum primum folium huius noſtræ Roſæ eſt *Ezechiæ ſanatio*. Nam, ut dicitur Eccli. 48. cap. *Fecit Ezechias, quod placuit Deo, & fortiter ivit in via David patris ſui. In diebus ipſius retrò rediit ſol, & addidit Regi vitam*.

Sic beatus Petrus martyr, cùm quidā nautæ caligine noctis inter maris procellas penè naufragarēt, ad invocationem eorū in antenna cum luminaribus accenſis apparuit, omnique obſcuritate fugatâ, nox illa tam caligineſa in diem clariſſimum commutata fuit, mare quievit, ventus ceſſavit, & tempeſtas, ſanique, & incolumes nautæ ipſo die Ianuam pervenerunt.

Præterea cùm quidam magiſter Grammaticæ in provincia Teutoniæ apud Trajectum plurimum detraheret ſanctitati beati Petri martyris de quodam ſanguine, qui miraculoſè apparuerat in digitis quarundam mulierum filantium in feſto prædicti martyris, gravibus febribus correptus, vicinus morti cum deſperatione medicorum, totum ſe Deo, & ſancto Petro devovens, mox ſanatus eſt.

Vigeſimum ſecundum folium huius noſtræ Roſæ eſt *Ioſiæ ampliatio*, de quo dicitur Eccli. 49. cap. *Memoria Ioſiæ in compoſitione odoris. Ipſe eſt directus divinitùs in pœnitentia gentis, & tulit abominationes impietatis, & gubernavit ad Dominum cor ipſius, & in diebus peccatorum corroboravit pietatem*. Idem dicitur 4. *Reg.* 23. *cap.*

Sic beatus Petrus martyr, ut ampliaret fidem Ieſu Chriſti, abſtulit abominationes dæmonum vexantium, & inducentium plures ad peccatū. Patet hoc de Euphemia diœceſis Mediolanenſis, quæ ſeptem annis à dæmonibus vexata, maximè diebus dominicis, & feſtivis, cùm Miſſa celebraretur, meritis ſancti Petri martyris eſt perfectè ſanata.

Etiā de Nerbona ſeptem annis à dæmonibus agitata, & Hæretico quodam, qui Conradus de Landriano vocabatur, maximo quidē mago nō valente eam tenere; quæ meritis ſancti Petri martyris liberata eſt; & magus abjuratâ omni hæreſi, & incantationibus dæmoniorum, ad fidem catholicam converſus eſt.

Vigeſimum tertium foliū huius noſtræ Roſæ eſt *Ieremiæ prænunciatio*, de quo dicitur Eccli. 49. cap. *Malè tractaverant illum, qui à ventre matris conſecratus eſt Propheta*.

Sic beatus Petrus martyr conſecratus à Deo Propheta, Spiritu ſancto plenus, quatuor prædixit. 1. Tranſiens cum fratre Gerardo Tridentino juxta quoddam caſtrum Hæreticorum nomine Gather per annum ante paſſionem ſuam, dixit illi ſocio: Iſtud caſtrum deſtruetur pro fide, & Nazarius, & Deſiderius duo epiſcopi Hæreticorum, qui ibi ſepulti ſunt, comburentur in curia ipſius caſtri, quod ita evenit miniſterio fratrum Inquiſitorum contra Hæreticos.

2. Dum in dominica in ramis palmarum beatus Petrus martyr prædicaret Mediolani, ubi

Digitized by Google

ubi erat maxima multitudo virorum, & mulierum, dixit alta voce: Scio pro certo, quòd Hæretici tractant mortem meam, & pro morte mea pecunia est jam depositа, sed faciant quod volunt: quia deterius faciam eis mortuus, quàm vivus; qui infra mensem ab eis occisus est.

3. Dum quædam matrona nomine Girolda 14. annis à spiritibus immundis fuisset obsessa, & nullius auxilio juvari posset, tandem veniens ad sanctum Petrum martyrē postulavit eius suffragia, cui Sanctus respondit: Confide filia: quia, etsi modo quod postulas impetrare non vales, non multò post à me plenariè obtinebis, quod & factum est; nam post passionem eius prædicta mulier accedens ad sepulcrum B. Petri martyris, perfectè fuit liberata.

4. Dum ipse Como Mediolanum pergeret, & tunc pateretur quartanam, & locii dicerent ei, quòd non possent Mediolanum pervenire, Sanctus respondit: Apud sanctum Simplicianum oportet nos hospitari; quod & factum est. Nam, cùm eius sacrum corpus deferretur, propter nimiam populi frequentiam non potuerunt illud Mediolanum deducere, sed apud sanctum Simplicianum deposuerunt, & ibidem illa nocte remanlit.

Vigesimum quartum folium huius nostræ Rosæ est *Ezechielis revelatio*, de quo dicitur Eccli. 49. cap. *Ezechiel, qui vidit conspectum gloriæ, quam ostendit illi in curru Cherubim.*

Sic B. Petro martyri revelatum est, quàm glorioſum locum inter agmina beatorum spirituum Christus sibi paraverat. Imo sæpius in spiritu raptus vidit plurima secreta Dei; quæ prædicaturus erat fidelibus Christianis, cuius gloriam Deus revelavit multis personis; præcipuè autem cuidam devotissimæ monialı in monasterio de Ripulis apud Florentiam eo die, quo martyrizatus fuit.

Vigesimum quintum folium huius nostræ Rosæ est *Zorobabelis restauratio*, de quo dicitur Eccli. 49. cap. *Quomodò amplificemus Zorobabel? Nam & ipse quasi signum in dextera manu Israel.* Hic restauravit urbem sanctam Ierusalem, ut dicitur 1. *Esdræ. 3. cap.*

Sic B. Petrus martyr restauravit conventum Atrebatensem Ordinis nostri. Nam cùm mercatores quidam in civitate Atrebatensi haberent juxta conventum nostrum maximā struem lignorum venalium, in quibus ignis erat suc census, & ventus impelleret flammas in conventum, nec posset ab incendio ullo modo salvari, apportatis reliquiis B. Petri mart. cum maxima devotione, flamma incendii in aliud latus deflexit, & conventus illæsus omnino permansit, exceptâ quadam Cruce, quæ erat in summitate Ecclesiæ, quam ignis succenderat ante apportationem prædictarum reliquiarum.

Vigesimum sextum folium huius nostræ Rosæ est *Esdræ readificatio*, de quo dicitur Eccli. 49. cap. *In diebus suis ædificavit domum, & exaltavit templum sanctum Domino, paratum in gloriam sempiternam.*

Sic B. Petrus martyr ædificavit plures conventus Ordinis nostri in diversis partibus Christianitatis: puta Parmæ, atque Cesenæ. Et Trajecti civitate Teutoniæ, cùm quidam fratres deducerent lapides pro ædificāda Ecclesia navigio, & navis adhæsisset cuidam litori, adeo ut nullo modo moveri posset inde, Supprior apposita manu ad navim, & leviter ipsam impellens, ait: In nomine sancti Petri martyris, in cuius honorem lapides istos deferimus, vade. Statimque navis velocissimè se movit, & de litore integra recessit.

Vigesimum septimum folium huius nostrę Rosæ est *Nehemiæ devotio*, de quo dicitur 2. Esdræ 8. cap. *Dixit autem Nehemias universo populo: Dies sanctificatus est Domino Deo nostro: nolite lugere, & nolite flere. Gaudium enim Domini est fortitudo vestra.* Qui confitebantur peccata sua, & adorabant Dominum Deum suum, & Dominus de cælo exaudivit eos in misericordiis multis.

Sic B. Petrus martyr sua passione consecravit diem suam Domino, in qua magnum gaudium attulit plebi Domini. Cùm enim summus Pontifex Innocentius IV. B. Petrum sanctorum Martyrum Catalogo adscripsisset, fratres Mediolanum ad capitulum convenerunt. Volentes autem eius corpus ad altiorem locum transferre, cùm plus quàm per annū sub terra jacuisset, ita decorum, & integrum repertum est, ac si eadem die fuisset sepultum. Fratres igitur supra magnum pulpitum juxta plateam corpus eius cum magna reverentia deduxerunt, & ibidem omni populo est ostensum, & ab eo devotissimè honoratum.

Similiter cùm quædam Comitissa ad beatum Petrum martyrem specialem devotionem haberent, & in eius vigilia jejunarent, & interessent vesperis vigiliæ ipsius, & faculam quandam accensam ad altare eius ponerent,

ex-

Digitized by Google

extincta à Sacerdote, divinitùs eſt iterum, ac tertiò accenſa.

Vigeſimum octavum folium huius noſtræ Roſæ eſt *Simonis Onia filii impetratio*, de quo dicitur Eccli. 50. *Qui curavit gentem ſuam,& liberavit eam à perditione, & iteravit orationem ſuam, volens oſtendere virtutem Dei.*

Sic beatus Petrus martyr apud Deum pro nobis advocare non deſinit, de quo poteſt exponi illud 2. Machab. 15. *Hic eſt fratrum amator,& populi Iſrael: hic eſt,qui multum orat pro populo, & univerſa ſancta civitate.* Patet ex miraculis eius multis, quibus præſtat beneficia ſanitatis. Nam à morbo caduco liberavit quendam puerum: etiam ab eodem morbo caduco liberavit quandam mulierem religioſam in Francia: alios à podagra, alios à febre quartana, alios à continuis febribus, alios à tumore gulæ, alios à fractura inteſtinorum, &c.

Vigeſimum nonum folium huius noſtræ Roſæ eſt *Iudæ Machabæi reductio*, de quo dicitur 1. Machab. 3. cap. *Similis factus eſt leoni in operibus ſuis: & perſecutus eſt iniquos perſcrutans eos: & qui conturbabant populum ſuum, ſuccendit eos flammis: & repulſi ſunt inimici eius præ timore eius: & nominatus eſt uſque ad noviſſimum terræ, & congregavit pereuntes.*

Sic B. Petrus martyr tanquam leo, & prædicator fervidus,atq; fidei zelator,altè & ubique rugiebat, intrepidus hæreſum damnator, vitiorum rigidus ſemper extirpator,veritatis lucidus doctor, & amator. Nam Hæreticus quidam nomine Opizo deridens ſanctitatem beati Petri martyris, accedēs ad altare ipſius Sancti, accepit duos denarios, & ſociis ait: Bonū eſt, ut perpotemus iſtos. Statimq; immobilis factus, privatus uſu manuū, & omniū membrorū, ſe devovit abjuraturū omnē ſuam hæreſim. Reſtitutus itaq; ſanitati,cognoſcens virtutem ſancti Petri martyris hæreſim abjuravit, & ad fidem catholicam ſe reduxit.

Trigeſimum folium huius noſtræ Roſæ eſt *Eleazari paſſio*, qui ait, ut dicitur 2. Mach. 6. cap. *Adoleſcentibus exemplum forte relinquam, ſi prompto animo, ac forti pro graviſſimis, & ſanctiſſimis legibus honeſta morte perfungar. Et iſte quidem hoc modo vitā deceſſit, non ſolùm iuvenibus, ſed & univerſæ genti memoriam mortis ſuæ ad exemplum virtutis, & fortitudinis derelinquens.*

Sic beatus Petrus martyr pro fide Chriſti mori optabat. Vnde *Innocentius in littera Canonizationis eius* dicit: In Ordine fratrum Prædicatorum triginta ferè annorum ſpatio, fultus catervâ virtutum,fide præambulâ, ſpe aſtante, comite charitate, ſic prævaluit, & profecit circa ipſius defenſionem fidei, pro qua totus ardebat, quòd contra illius diros hoſtes mente intrepida, ferventique ſpiritu continuum certamen exercens, ſuum tandem agonē diutinum victrice ſuperante martyrio feliciter conſummavit. Et ſic Petrus firmus in petrâ fidei petrâ demum paſſionis alliſus,ad petram Chriſtum dignè laureādus aſcendit.Cùm enim de civitate Cumana,ubi fratrum ſui Ordinis Prior erat, Mediolanum pergeret pro exequenda Inquiſitione contra Hæreticos ſibi ab Apoſtolica Sede commiſſa, ſicut in publica prædicatione prædixerat, quidam de ipſorum Hæreticorum credentibus prece illorum inductus, & pretio, iter ſalutaris propoſiti proſequentem funeſtus inſiliit in agnum utique lupus, ferus in mitem, in pium impius, furibundus in manſuetum, in modeſtum effrænis, prophanus in Sanctū, præſumit inſultum, exercet conatum, mortē intentat. Sacrum autem illius caput crudeliter impetens, diris in ipſum impreſſis vulneribus, & ſauciato ſanguine juſti enſe venerandum illum non divertentem ab hoſte, ſed exhibentem ſe protinus hoſtiam, & cæſoris ſuſtinentē in patiētia truces ictus, dimiſit ſpiritu petente ſuperna in ipſo loco paſſionis occiſum. Ipſo quoque ſacrilego percuſſuras in Chriſti miniſtrum geminas inculcante, ille non querula voce murmurans, ſed ſufferens omnia patienter ſuum Domino ſpiritum commendabat,dicens: In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum. Symbolum etiam cœpit dicere fidei, cuius nec in hoc articulo deſiit eſſe Præco. Sed cùm adhuc Martyr Domini palpitaret, cultellum crudelis lictor arripuit, & per latera eius transfixit. *Hac ibi.*

Qui autem in vicinis laborabant, abſcindentes ramuſculos arborum, & vitium, ſimiliter herbam ſecantes, videbant ſanguinem ex illis fluere, & mirantes, quidnam hoc eſſet, pervenerunt ad locum paſſionis; propter quod factus eſt maximus concurſus populorum venerantium Chriſti Martyrem, qui eſt velut *flos Roſarum in diebus vernis*. Et ſic patet, qualiter trenta foglie hà la Roſa, ſcilicet beatus Petrus martyr, quem ſummo honore hodie veneratur Eccleſia.

SECVNDO. *Trenta foglie hà la roſa in Chriſti imitatione*. Nam beatus Petrus mar-

Digitized by Google

martyr imitatus eſt Chriſtum, pro cuius fide ſitiebat ardentiſſimè calicem paſſionis in triginta perfectionibus.

1. In generatione. Sicut enim Chriſtus ſine labe peccati natus eſt de peccatoribus, ut peccata tolleret; ſic beatus Petrus martyr natus eſt de Hæreticis ſine contagio hæreſis, ut hæreſim expugnaret. Vnde dicitur: *Puer in fide clarauit, parentum carens nebulâ.*

2. In ſanctificatione. Sicut enim Chriſtus ſanctificatus eſt Spiritu ſancto ſuperveniente; ſic beatus Petrus martyr ſanctificatus eſt, & in gratia confirmatus, ne unquam mortaliter peccaret.

3. In regeneratione. Sicut enim Chriſtus baptizari voluit, licèt non haberet immunditiam peccati originalis; ſic beatus Petrus martyr baptizatus eſt, cuius baptiſmi vigore, & ab originali macula mundatus, & ad præcipua Spiritus S. chariſmata diſpoſitus fuit.

4. In diſputatione. Sicut enim Chriſtus duodēnis in medio Doctorū diſputavit; ſic beatus Petrus martyr cùm eſſet ſeptennis, cum patruo de fide diſputabat, quem convicit ſicut Chriſtus Doctores.

5. In ſubjectione. Sicut enim Chriſtus ſe ſubjiciebat diſciplinæ parentum uſque ad ætatem legitimam; ſic beatus Petrus martyr ſubjiciebatur parentibus ſuis, intendens tamen ſtudio fidei catholicæ.

6. In vitæ inſtitutione. Sicut enim Chriſtus inſtituit novam legem, in qua peccatores ſalvos faceret; ſic beatus Petrus martyr elegit ſibi novam religionem, in qua Hæreticos ad fidem Chriſti converteret.

7. In prædicatione. Sicut enim Chriſtus venit in hunc mundum, ut ſua prædicatione ſecreta Patris ſui doceret; ſic beatus Petrus martyr intravit Ordinem Prædicatorum, ut ſecreta fidei prædicando aperiret.

8. In corporis maceratione. Sicut enim Chriſtus 40. diebus, & noctibus in deſerto jejunavit; ſic beatus Petrus martyr in juſtificationibus Domini exercebatur aſſiduè in jejuniis, vigiliis, abſtinentiis, diſciplinis, ut ſic à ſpiritualibus nequitiis tutus eſſet.

9. In integritatis conſervatione. Sicut enim Chriſtus virginitatem ſemper dilexit, & exaltavit; ſic B. Petrus M. virginitatē mentis & corporis illibatam ſemper conſervavit.

10. In peccatorum ſuſceptione. Sicut enim Chriſtus nunquam ſprevit peccatores ad ipſum converſos, ſed benignè ipſos ad gratiam ſuſcepit; ſic B. Petrus martyr Hæreticis ad fidem Chriſti converſis ſemper indulſit.

11. In obſtinatorum damnatione. Sicut enim Chriſtus obſtinatos Phariſæos acerrimè damnavit; ſic beatus Petrus martyr Hæreſiarchas obſtinatos audaciſſimè confudit, & ſuperavit.

12. In languentium ſanatione. Sicut enim Chriſtus liberaliter languentes ad eum venientes ſanavit; ſic beatus Petrus martyr, dum viveret, plurimis languidis ſanitatem impetravit.

13. In officii adminiſtratione. Sicut enim Chriſtus humiliter pedes Diſcipulorum lavit, cùm eſſet Magiſter & Dominus eorum; ſic Beatus Petrus martyr, licèt eſset Prior Comanus, tamen humiliter fratribus ſuis miniſtravit.

14. In temporalium abdicatione. Sicut enim Chriſtus, cùm eſset dives, egenus propter nos fieri voluit; ſic B. Petrus martyr, licèt eſſet ex nobilibus, & divitibus parentibus, propter Chriſtum omnia contempſit, & paupertatem aſsumpſit.

15. In paſſionis præfiguratione. Sicut enim Chriſti Paſſio præfigurata fuit in Abel, quem occidit Cain ex invidia, ira, & avaritia; ſic Beatus Petrus martyr ex invidia, ira, & avaritia Hæreticorum occiſus fuit; invidebant gratioſo prædicatori, iraſcebantur valido expugnatori, concupiſcebant avaritiâ & mercede conducti, ad ipſum occidendum.

16. In voluntaria paſſione. Sicut enim Chriſtus oblatus eſt, quia ipſe voluit; ſic B. Petrus martyr paſſionem ſuam præſcivit, nec tamen vitavit, imo hanc ſæpiùs à Deo poſtulavit.

17. In capitis vulneratione. Sicut enim Chriſtus fuit vulneratus in capite, quando ipſum ſpinis Iudæi coronaverunt; ſic beatus Petrus martyr cruciatus fuit in capite, quando Hæretici diris ictibus ipſum in capite percuſserunt.

18. In cordis infixione. Sicut enim Chriſtus paſsus eſt in corde, quando lanceâ ipſum transfixerunt; ſic B. Petrus martyr in latere cordis fuit transfoſsus.

19. In ſanguinis effuſione. Sicut enim Chriſti venas aperuerunt, & totus ſanguis effluxit; ſic beatus Petrus martyr in vulnerum multiplicatione copioſum ſanguinem effudit.

20. In oratione. Sicut enim Chriſtus ſuis crucifixoribus indulſit; ſic B. Petrus martyr non maledixit, non murmuravit, ſed pro ſuis

ſuis occiſoribus exoravit.

21. In commendatione. Sicut enim Chriſtus ſuum ſpiritum Patri commendavit, dicens: *In manus tuas commendo ſpiritum meum*; ſic beatus Petrus martyr ſpiritum ſuum Domino commendavit, dicens: *In manus*, &c.

22. In confeſſione. Sicut enim Chriſtus omnia legalia conſummata eſſe proteſtatus eſt, dicens: *Conſummatum eſt*; ſic B. Petrus martyr veritatem fidei profeſsus eſt, dicens: *Credo in Deum*, &c.

23. In diſtributione. Sicut enim Chriſtus in Cruce teſtamentum fecit, in quo omnia diſtribuit liberaliter; ſic beatus Petrus martyr, quod parum habuit, totaliter diſtribuit, ſcilicet animam Domino commendando, & corpus pro fide Chriſti morti exponendo; mundum autem jam contempſerat cum concupiſcentiis ſuis.

24. In devotione. Sanguis Chriſti clamat peccatorum devotionem, dicens: *Intinguatur pes tuus in Sanguine*. Sanguis B. Petri martyris clamat ſui imitationem. 1. Machab. 6. cap. *Elephantis oſtenderunt ſanguinem uvæ, & mori, ad acuendos eos in prælium*.

25. In converſione. Sanguis Chriſti clamat peccatorum converſionem, dicens: *Quæ utilitas in Sanguine meo?* &c. & tunc plures in paſſione Chriſti converſi ſunt, ſcilicet Longinus, Centurio, & alii, qui percutientes pectora ſua revertebantur Ieruſalem, *Matth.* 27. Sanguis beati Petri martyris clamat ad Hæreticos, petens eorum converſionem. Iſaiæ 34. cap. *Tabeſcent montes à ſanguine eius*.

26. In compaſſione. Sanguis Chriſti clamat ad totum mundum, petens compaſſionē. Threnor. 1. cap. *O vos omnes, qui tranſitis*, &c. Sanguis beati Petri martyris clamat ad totum mundum, petens ſui venerationem. Hebr. 11. cap. *Fide celebravit Paſcha, & ſanguinis effuſionem*.

27. In manifeſtatione. Sanguis Chriſti clamat ad terram, petens ſui manifeſtationē. Iob 16. c. *Terra, ne operias ſanguinem meum*. Sanguis beati Petri martyris clamat, petens ſui revelationem. Iſa. 26. cap. *Revelabit terra ſanguinem ſuum*.

28. In remiſſione. Sanguis Chriſti clamat ad Patrem, petens peccatorum remiſſionem. Hebr. 12. cap. *Acceſſiſtis ad ſanguinis aſperſionem melius loquentem, quàm Abel*. Sanguis beati Petri martyris clamat ad Deum, petens ſui remunerationem. Apoc. 6. *Vſquequo Domine, ſanctus, & verus, non vindicas ſanguinem noſtrum?*

29. In miraculoſa operatione. Sanguis Chriſti fecit terram tremere, lapides frangere, monumenta mortuos reddere. Sanguis beati Petri martyris terruit, & commovit Hæreticos obſtinatos, & duros in hæreſi confregit, ad fidem catholicam deducendo; conſcientias eorum aperuit, ad confeſſionem compellendo.

30. In glorificatione. Sanguis enim Chriſti aperuit nobis januam regni cæleſtis. Heb. 10. cap. *Habemus fiduciam in introitu Sanctorum per Sanguinem ipſius*. Sanguis etiam beati Petri martyris multis perverſis impetravit glorificationem, & beatitudinem cæleſtem, quos ſuſcitavit à morte ad vitam, qui condignam egerunt pœnitentiam, ut verè dicere poſſit illud Iob 23. cap. *Veſtigia eius ſecutus eſt pes meus*. Et Ioannes Apoc. 1. cap. dicit: *Vidi ſimilem Filio hominis*. Ecce quomodo trenta foglie hà la Roſa, id eſt, beatus Petrus martyr in Chriſti imitatione.

TERTIO. *Trenta foglie hà la Roſa in ſui remuneratione*. Nam beatus Petrus martyr hodie coronatus ſerto Roſarum, inter choros ſanctorum ſpirituum glorioſus reſidet; ideo cantat ſancta Mater Eccleſia:

Adeſt triumphus nobilis,
Feſtumque cœli curiæ:
Quo Roſa delectabilis
Offertur Regi gloriæ.

Hæc Roſa habet triginta folia, id eſt, triginta beatitudines in gloria.

Primum folium eſt, quia habet gloriam Virginum. Nam fuit virginali munditiâ præditus. Apoc. 3. cap. *Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis*.

2. Folium eſt, quia habet gloriam Confeſſorum. Nam fidem Chriſti conſtanter confeſſus eſt, non ſolùm in primordio ſuæ ætatis, & in medio prædicando, ſed etiam in ultimo, ſcribendo ſuo ſanguine proprio in terram: *Credo in Deum*, &c. Et illa terra fuit mirabilis virtutis in ſanatione languidorum, ut patet de illa muliere, quæ patiebatur corroſionem cancri, quæ ſuperpoſitâ illâ terrâ, rubricatâ ſanguine Martyris, mox perfectè curata eſt.

3. Folium eſt, quia habet gloriam Martyrum. Nam fuit proprio ſanguine rubricatus. Apoc. 7. cap. *Laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni*.

4. Folium eſt, quia habet gloriam Apoſto-

ſtolorum. Nam fuit cæleſti ſapientia decoratus ſicut Apoſtoli. Daniel. 12. cap. *Qui docti fuerint, fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti*, &c.

5. Folium eſt, quia habet gloriam Prophetarum. Nam ſpiritu prophetiæ fuit plenus; unde prædixit, quòd ab Hæreticis occideretur, & quòd in Litaniis nominaretur, & quòd Feſtum ſuum in Calendario ſcriberetur, quæ omnia ſibi Spiritus ſanctus revelaverat.

6. Folium eſt, quia habet gloriam Patriarcharum. Nam paſſio eius præfigurata eſt in Patriarchis, ſicut & paſſio Chriſti. Oſee 12. capite: *In manu Prophetarum aſſimilatus ſum*.

7. Folium eſt, quia habet gloriam Angelorum. Nam ſecreta Dei annunciavit prædicando, miniſtravit fratres ſibi ſubditos bene regendo, cuſtodivit populum catholicum errores fugando.

8. Folium eſt, quia habet gloriam Archangelorum. Nam ſecreta conſilia Dei novit, præcipuè myſterium Trinitatis, & Sacramentum Incarnationis Filii Dei (quantùm per ſtudium licebat) etiam in pueritia ſua, ut patet.

9. Folium eſt, quia habet gloriam Virtutum. Nam in vita multa miracula fecit, tum fide vera, tum oratione devota, tum vitâ perfectâ, & immaculatâ.

10. Folium eſt, quia habet gloriam Poteſtatum. Nam coercuit dæmones, ne tantum nocerent, quantum vellent; imo expulit dæmones à multis corporibus obſeſſis.

11. Folium eſt, quia habet gloriam Principatuum. Nam regna, & provincias in timore Dei gubernavit, hoſtes Hæreticos compreſſit, peccatores ad viam pœnitentiæ reduxit, in tribulationibus Eccleſiam catholicam protexit; ideo dicit Eccli. 24. capite: *In omni gente, & in omni populo primatum habui: excellentium, & ſublimium corda virtute calcavi: profundum abyſſi penetravi, & in fluctibus maris ambulavi*.

12. Folium eſt, quia habet gloriam Dominationum. Nam purgavit hæreſes, illuminavit fideles & infideles ignorantes, perfecit debiles peccatores in bono deficientes.

13. Folium eſt, quia habet gloriam Thronorum. Nam in eo Deus ſedit, ipſum in gratia confirmando. Pſ. *Ego confirmavi columnas eius*. Per eum Deus ſua judicia exercuit contra depravatores fidei catholicæ. Phil. 3. cap. *Multi ambulant, quos ſæpe dicebam vobis, inimicos Crucis Chriſti*.

14. Folium eſt, quia habet gloriam Cherubim. Nam habuit plenitudinem ſcientiæ, non quidem animalis, & diabolicæ, quæ inflat, & decipit; ſed Divinæ, quæ ædificat, & corripit.

15. Folium eſt, quia habet gloriam Seraphim. Nam arſit charitate magna, eò quòd omnes ſalvari cupiebat, & pro ſalute aliorum mori deſiderabat. 2. Cor. 12. cap. *Ego libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar pro animabus veſtris*.

16. Folium eſt, quia habet gloriam pauperum ſpiritu. Nam contempſit divitias, & honores mundi per humilitatem; & ideo ſibi debetur jure hæreditario regnum cælorum.

17. Folium eſt, quia habet gloriam manſuetorum. Nam ſecundùm voluntatem Divinam fuit totaliter tranquillus à ſequela paſſionum animæ iraſcibilis; ideo pacificè, & firmiter poſſidet terram regni cælorum.

18. Folium eſt, quia habet gloriam lugentium. Nam à ſequela paſſionum concupiſcibilis refrænavit mentem ſuam, tum moderatè delectabilibus utendo, tum totaliter abjiciendo, cùm erat neceſſarium, tum voluntarium luctum aſſumendo; & ideo cum gaudio fruitur ſolatio in regno.

19. Folium eſt, quia habet gloriam eſurientium juſtitiam. Nam non recuſavit exhibere proximis debitum, aut ſpontaneum beneficium, quod pertinet ad juſtitiam; unde ferventi deſiderio juſtitiæ opera implevit, ſicut eſuriens, & ſitiens ferventer ſumit cibum, & potum; & ideo ſaturatur abundantiá conſolationis in regno cælorum.

20. Folium eſt, quia habet gloriam & miſericordium. Nam liberè donavit, quibus ratio dictabat, eſſe donandum, puta amicis, & ſibi conjunctis per fidem catholicam; & ob Dei reverentiam gratuita beneficia præſtitit etiam inimicis, in quibus ſolam neceſſitatem conſideravit; & ideo plus accipit, quàm meruerit, vel deſiderare potuerit in regno cælorum.

21. Folium eſt, quia habet gloriam mundorum corde. Nam ſe diſpoſuit ad vitam contemplativam per virtutes, & dona Spiritus ſancti, conſervando munditiam cordis in ſeipſo, ſcilicet ut mens eius paſſionibus non inquinaretur; & ideo cum gaudio Deum videt in regno cælorum.

22. Folium eſt, quia habet gloriam pacificorum. Nam ad catholicos ſemper habuit pacem. Iſai. 32. cap. *Opus iuſtitiæ pax*. Infidelibus autem optabat æternam pacem; & ideo ſummam dignitatem obtinet: quia filius Dei vocatur in regno cælorum.

23. Folium eſt, quia habet gloriam Deum ex charitate amantium. Nam primò mentem ſuam diſpoſuit ad ſerviendum Deo per amorem, & charitatem. Rom. 5. cap. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*. Ideo per charitatem fruitur Deo in regno cælorum.

24. Folium eſt, quia habet gloriam gaudentium. Nam ipſe Deum amans gaudebat ex conjunctione amati: quia charitas habet Deum præſentem, quem amat. 1. Ioann. 4. cap. *Qui manet in charitate, in Deo manet*. Et ideo gaudet ſine triſtitia in regno cælorum. Iſa. 35. cap. *Gaudium, & exultationem obtinebunt: & fugiet dolor, & gemitus*.

25. Folium eſt, quia habet gloriam patientium. Nam mens eius non fuit perturbata per imminentiam malorum, neque per dilationem bonorum. Matth. 5. *Beati eſtis, cùm maledixerint vobis homines*, &c. *Gaudete, & exultate: ecce enim merces veſtra copioſa eſt in cælo*.

26. Folium eſt, quia habet gloriam modeſtorum. Nam in omnibus dictis, & factis ſuis ſemper obſervavit modum; ideo habet amicitiam ſine æmulatione in regno cælorũ, ubi impletur illud præceptum Domini: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*.

27. Folium eſt, quia habet gloriam Deum timentium. Nam ab infantia ſemper Deum timuit; ideo cum magna ſecuritate poſſidet regnum cælorum quoad quatuor. 1. In gloria videt Divinam voluntatem, in qua fuit æternaliter prædeſtinatus ad æternam felicitatem. 2. Eſt confirmatus in gloria, à qua non poteſt diſcedere per malam voluntatem. 3. Legit in libro vitæ ſuæ gloriæ perpetuitatem. 4. Beatificè Deo jungitur per inſeparabilem charitatem.

28. Folium eſt, quia habet gloriam ſapientium. Nam de Deo novit, quantum ſciri poteſt in hac vita, nec hanc ſapientiam ullo errore contaminavit; ideo videt in Verbo, tanquam in ſpeculo, omnia præſentia, præterita, & futura, Apocalyp. 21. cap. *Ambulabunt gentes in lumine eius, & videbunt faciem eius*.

29. Folium eſt, quia habet gloriam fortium. Nam nulli unquam ſervivit, niſi Deo, cui ſervire regnare eſt; ideo habet tantam fortitudinem, mirabilem quidem, ut de cælis ad terras veniat, & de terris ad cælos aſcendat, hominibus apparens, & ab eis diſcedens, ſicut & Angeli faciunt. Iſa. 40. cap. *Mutabunt fortitudinem*, ſcilicet humanam in Angelicam: *Aſſument pennas ut aquilæ: ambulabunt, & non deficient*.

30. Folium eſt, quia habet gloriam judicantium. Nam in hac vita injuſtè judicatus eſt ad mortem; ideo in judicio noviſſimo judicabit cum Chriſto malos, & peccatores per ſententiam reprobationis. Vnde in die paſſionis ſuæ viſa ſunt luminaria cælum aſcendentia, in quibus ipſe viſus eſt cælum aſcendere, & juxta beatam Virginem ſedere, quam ſummè dilexit, & in maxima reverentia habuit, dum viveret; & ideo ipſa in gloria ſecum in ſua ſede recipit eum lætiſſimè. Propterea Cant. 3. c. dicitur: *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater ſua*. Et ſic patet, quomodo trenta foglie hà la Roſa in gloria. Amen.

SER-

SERMO XXIX.

IN FESTO

SANCTORVM PHILIPPI, ET IACOBI

APOSTOLORUM.

Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Ioann. 14. cap.

BEatus Gregorius *libro 4. dialogor. cap.* 33. dicit: Quid eſt, quod non videant, qui videntem omnia vident? Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtrum beati Apoſtoli Philippus, & Iacobus videntes Trinitatis eſſentiam, conſequantur ſuperna beatitudinis ſufficientiam?

AD iſtam quæſtionem reſpondent quatuor Doctores: duo veteris, & duo novi Teſtamenti.

Primus eſt Moyſes Exod. 33. cap. cui Dominus ait: *Veni, & oſtendam tibi omne bonum.*

Secundus eſt Iſaias 60. cap. dicens: *Non erit tibi amplius ſol ad lucendum per diem, neque ſplendor lunæ illuminabit te: ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.*

Tertius eſt Paulus 1. Cor. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte: tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.*

Quartus eſt Ioannes Apoc. 21. cap. *Civitas*, ſcilicet Dei, & Beatorum, *non eget ſole, neque lunâ, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminavit eam.*

Sciendum, quòd ad veram, & perfectam hominis beatitudinem concurrunt quatuor. Primò. Æternitatis participatio in clara viſione. Nam Beatus in patria æternitatem participat: quoniam quantò aliquid eſt Deo propinquius, qui eſt omnino immobilis, tantò eſt minus mutabile, & magis perſeverans. Vnde quædam corpora, propter hoc, quod longè diſtant à Deo, non poſſunt perpetuò durare, ut dicitur 2. *de generatione*. Sed nulla creatura poteſt vicinius Deo appropinquare, quàm illa, quæ eius ſubſtantiam videt; creatura ergo intellectualis, quæ Dei ſubſtantiam videt, ſummam immobilitatem conſequitur; non ergo poſſibile eſt, quòd ab illa viſione deficiat. Pſalm. *Beati, qui habitant in domo tua, Domine: in ſecula ſeculorum laudabunt te.* Et iterum: *Non commovebitur in æternum, qui habitat in Ieruſalem.* Et Iſa. 33. cap. *Oculi tui videbunt Ieruſalem habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit: nec auferentur clavi eius in ſempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur: quia ſolummodò ibi magnificus eſt Dominus noſter.* Et Apocalyp. 3. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius.* Hæc autem beatitudo eſt perpetua propter ſex cauſas.

1. Quia deſiderium Beati non fraudatur. Sicut enim naturaliter deſiderat felicitatem; ita naturaliter deſiderat felicitatis perpetuitatem. Pſalm. *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!*

2. Quia voluntas Beati non contriſtatur. Omne enim, quod cum amore poſſidetur, ſi ſciatur illud amitti, triſtitiam infert; ſed illa beatitudo maximo amore poſſidetur. Pſalm. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Ergo non poteſt amitti.

3. Quia nullâ violentiâ retardatur. Omne enim, quod naturaliter tendit in finem ſuum, non retardatur, niſi per violentiam alicuius, quod eſt majoris virtutis; ſed nulla virtus eſt major virtute Divina. Ioann. 10. cap. *Ego vitam æternam do eis: & non rapiet eas quiſquam de manu mea.*

4. Quia nullo impedimento prohibetur, quod quidem poteſt contingere: vel quia deficit ei facultas videndi per ſui corruptionē: vel quia avertit viſum, & non vult amplius videre: vel quia objectum ſubtrahitur. Sed

Digitized by Google

Beato videnti Deum nihil horum contingere poteſt. Sap. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, ſcilicet contemplatione Divinæ ſubſtantiæ.

5. Quia nihil mali ibi admiſcetur. In fruitione enim Divina nihil mali contingere poteſt: cùm ſit optimum hominis bonum, quo nihil melius eſſe poteſt. Vnde Philippus dixit Ioann. 14. *Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.*

6. Quia nullo faſtidio amovetur. Quod quidem generatur, vel propter debilitationem virtutis fruentis, ut patet in viribus ſenſitivis: vel propter fatigationem virtutis, ut patet in viribus intellectivis. Sed nullũ horum accidere poteſt in illa beatitudine. Sap. 8. *Non habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius.* Ideo dicitur 2. Paralip. 9. *Beati ſervi tui, & qui aſſiſtunt coram te omni tempore, & audiunt ſapientiam tuam.* Et Pſalm. *Replet in bonis deſiderium tuum*, &c.

Secundò. Intellectus perfectio in cognoſcibilium cognitione. In illa enim æterna felicitate Beati vident omnia in Divina eſſentia: quia naturale deſiderium rationalis creaturæ eſt, ad ſciendum omnia illa, quæ pertinent ad perfectionem intellectus; & hæc ſunt ſpecies, & genera rerum, & rationes earum, quæ in Deo videbit quilibet videns Divinam eſſentiam. Cognoſcere autem aliqua ſingularia, & cogitata, & facta eorum, non eſt de perfectione intellectus creati, nec ad hoc eius naturale deſiderium tendit; neque iterum cognoſcere illa, quæ à Deo facta non ſunt, ſed fieri à Deo poſſunt. Si tamen ſolus Deus videretur, qui eſt fons, & principium totius eſſe, & veritatis, ita repleret naturale deſiderium ſciendi, quòd nihil aliud quæreretur, & talis homo beatus eſſet. Vnde dicit *Auguſtinus lib. 5. confeſ. capite 4.* Infelix homo, qui ſcit illa omnia (ſcilicet creaturas) te autem neſcit. Beatus autem, qui te ſcit, etiamſi illa neſciat. Qui verò te & illa novit, non propter illa beatior, ſed propter te ſolum, &c.

Tertiò. Appetitus quietatio in plena fruitione. Ad beatitudinem enim concurrunt iſta tria: ſcilicet viſio, quæ eſt cognitio perfecta intelligibilis finis. 1. Ioann. 3. *Cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, & videbimus eum, ſicuti eſt.* Et *Auguſtinus* 1. *de Trinit.* Viſio eſt tota merces fidei.

2. Concurrit comprehenſio, quæ importat præſentiam finis. 1. Cor. 9. *Sic currite, ut comprehendatis.* Spiritualis autem curſus terminatur ad beatitudinem. Vnde dicitur 2. Timoth. ult. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.*

3. Delectatio, vel fruitio, quæ importat quietationem amantis in amato. Pſalm. *Delectationes in dextera tua uſque in finem*, &c.

Quartò. Corporis perfectio in plena mentis elevatione. Nam ex beatitudine animæ fiet redundantia ad corpus, ut & ipſum ſua perfectione potiatur. Vnde *Auguſtinus in epiſtola ad Dioſcorum.* Tam potenti naturâ Deus fecit animam, ut eius pleniſſima beatitudine redundet in inferiorem naturam incorruptionis vigor. Et Iſaiæ ult. cap. dicitur: *Videbitis, & gaudebit cor veſtrum: & oſſa veſtra quaſi herba germinabunt.* Ad hanc beatitudinem præexigitur rectitudo voluntatis, quæ amat quicquid amat ſub ordine ad Deũ, & hæc eſt munditia cordis, de qua dicitur Matth. 5. *Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt.* De qua beatitudine dicit Chriſtus:

Philippe, qui videt me, &c.

Sanctitate religionis.
Dignitate converſationis.
Studioſitate prædicationis.
Acerbitate paſſionis.
Sublimitate honorationis.

PRIMO. *Philippe, qui videt me ſanctitate religionis, videt & Patrem familiaritate vocationis.* Sciendum, quòd ſanctitas beati Philippi apparet ex quatuor ſignis.

Primò. Divinæ inſpirationi velociter obediendo. Vnde 1. Machab. 6. cap. dicitur: *Vocavit Philippum unum de amicis ſuis, & præpoſuit eum ſuper univerſum regnum ſuum, & dedit ei diadema, & ſtolam, & annulum.* Cùm enim Chriſtus dixit ei: *Sequere me*, ipſum protinus eſt ſecutus, ut habetur *Ioann.* 1. Et iſtud non proceſſit ex levitate cordis, ſed ex beneficio gratiæ ſuperioris. Ioann. 3. cap. *Spiritus, ubi vult, ſpirat.* Et ex virtute exterioris doctrinæ. Eccle. 8. c. *Sermo illius poteſtate plenus eſt.* Et ex bona diſpoſitione hominis interioris. Iſa. 50. cap. *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico.*

Secundò. Pœnitentiam celeriter inchoando.

do. Fuit enim unus de primis Diſcipulis, qui ad Chriſtum converſi ſunt. Primus fuit Andreas, ſecundus fuit Petrus, tertius fuit Philippus. Ioann. 1. cap. *Erat autem Philippus à Bethſaida civitate Andreæ, & Petri.* Eius enim pœnitentia fuit humilis: quia non præceſſit, ſed ſecutus eſt Chriſtum ad unius juſſionis vocem. Fuit etiam facilis: quia omnia temporalia contempſit, & relictis omnibus ſecutus eſt eum. Fuit etiam utilis: quia labores, & afflictiones patienter ſuſtinuit. *Iſidorus.* Qui vitæ futuræ præmia diligenter excogitat, mala omnia vitæ præſentis æquanimiter portat.

Tertiò. Dona recepta fideliter proximo communicando. Ioan. 1. cap. *Invenit Philippus Nathanael, & dixit ei: Quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ, invenimus Ieſum filium Ioſeph à Nazareth. Et dicit ei Philippus: Veni, & vide.* Ideo dicitur Apoc. 22. *Qui audit, dicat: Veni.*

Quartò. Divinæ electioni veraciter conſentiendo. Vnde *Auguſtinus* dicit *ad Seleucianam*: Intelligimus Diſcipulos Chriſti fuiſſe baptizatos ſive baptiſmo Ioannis, ſicut nonnulli arbitrantur, ſive, quod credibile eſt, baptiſmo Chriſti. Neque enim miniſterio baptizandi defuit, ut haberet baptizatos ſervos, per quos cæteros baptizaret, qui non defuit humilitatis miniſterio, quando eis pedes lavit.) Et ſic beatus Philippus electus fuit ad gradum Apoſtolicum, in quorum numero fuit quintus, ut patet *Ioan. 1. & Matt. 10.*

Sanctitas religionis beati Iacobi apparet etiam ex quatuor ſignis.

Primò. Quia fuit in utero ſanctificatus. Iſa. 44. *Hæc dicit Dominus faciens, & formans te, ab utero auxiliator tuus. Noli timere ſerve meus Iacob, & rectiſſime, quem elegi. Hieronymus etiam de viris illuſtribus* dicit, quòd Iacobus de matris utero ſanctus fuit, etiam à peccato originali purgatus fuit.

Secundò. A peccato mortali fuit præſervatus. Licèt enim quidam Apoſtoli ante, & in Apoſtolatu peccaverunt mortaliter, tamen à tali lapſu Iacobus eſt excipiendus: tum quia ſanctificati de utero non ſolent peccare mortaliter: tum quia ſecundùm *Hieronymum ubi ſupra* in Paraſceve ſe voto aſtrinxit, quòd non comederet, donec Chriſtum reſurrexiſſe videret. Ad quid autem ſe voto aſtringeret, ſi de Chriſti Reſurrectione fidem non haberet? Vnde dicitur 1. Cor. 15. cap. *Deinde viſus eſt Iacobo.*

Tertiò. In virginitate mentis, & corporis fuit confirmatus. Nam ſecundùm *Hieronymum* in perpetua virginitate vixit, in cuius ſignum ſemper munda ſindone utebatur. Proverb. 25. *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſſimum.*

Quartò. Ad gradum Apoſtolatus fuit ſublimatus. Fuit enim nonus in numero Apoſtolorum, ut dicitur *Matth. 10. cap.* Cui Dominus revelavit ſecreta cæleſtia. Luc. 8. cap. *Vobis datum eſt, noſſe myſterium regni Dei.* Cui etiam Dominus dedit poteſtatem miracula faciendi, ut patet *Matth. 10. cap.* Et ſic patet ſanctitas religionis utriuſque Apoſtoli.

SECVNDO. *Philippe, qui videt me bonitate converſationis, videt & Patrem firmitate acceptationis.* Sciendum, quòd bonitas beati Philippi apparet ex quatuor.

Primò. Quia fuit oſtiarius Chriſti. Nam ſicut dicitur Ioann. 12. Gentiles quidam venerunt ad Philippum dicentes: *Domine, volumus Ieſum videre.*

Secundò. Fuit mediator Chriſti, & populi. Ipſe enim & Andreas fuerunt mediatores inter Chriſtum, & Gentiles, ut eum viderent, & cognoſcerent. Ioann. 12. *Venit Philippus, & dicit Andreæ. Andreas rurſum, & Philippus dixerunt Ieſu.*

Tertiò. Fuit advocatus cœtus Apoſtolici. Audierant enim Apoſtoli à Chriſto, quòd aſcenſurus erat in cælũ, & quòd miſſurus erat eis Spiritum ſanctum, & de his nihil dicebant. Audierunt, quòd viderent Patrem, & de hoc plurimum mirabantur, nullus tamen fuit auſus eum interrogare. Philippus autem, tanquam omnium advocatus, petivit dicens: *Domine, oſtende nobis Patrem, & & ſufficit nobis.* In hoc enim beatus Philippus eſt valde commendabilis: quia inter Apoſtolos quidam petiverunt ſecularem potẽtiam, ut Iacobus, & Ioannes. Matth. 20. cap. *Dic, ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram in regno tuo.* Quidam futurorum ſcientiam. Matth. 24. *Dic nobis, quando hæc erunt?* Quidam inimicorum vindictam, ut Iacobus, & Ioannes. Lucæ 9. *Vis dicimus, ut deſcendat ignis de cælo, & conſumat illos?* Quidam viſionem paternam, ut Philippus. Non autem illam viſionem petebat, quæ eſt per creaturarum ſpeculationem, quia obſcura eſt: nec illam, quæ videtur per fidem, quia imperfecta eſt: nec illam, quæ videtur per contemplationem, quia permixta eſt; cùm non habeat plenam

de-

delectationē propter corporis corruptionē; ſed petit paternam viſionem, quæ erit in patria, quæ eſt lucida, perfecta, & ſuaviſſima. Iſa. 35. *Gaudium, & lætitiam obtinebunt: & fugiet dolor, & gemitus.* Et Ideo Chriſtus ſibi ſua ſecreta revelavit, dicens: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* Sap. 7. *In animas ſanctas ſe transfert: amicos Dei, & Prophetas conſtituit.* In animam ſanctam Philippi ſe tranſtulit, quando gratiam ſibi infudit, amicum ipſum conſtituit, quando ſibi ſua ſecreta revelavit. Intellexit enim Philippus, quòd Chriſtus erat verus Filius Dei per æternam generationem, unius naturæ, & gloriæ cum Patre; Prophetas conſtituit, quando filiabus ſuis ſpiritum prophetiæ dedit, & ipſe etiam fuit in adventu Spiritus ſancti ſuper Apoſtolos.

Quartò. Fuit procurator totius collegii. De turba enim paſcenda cum nullo Chriſtus contulit, niſi cum Diſcipulo ſuo Philippo dicens: *Vnde ememus panes, ut manducent hi?* Ioann. 6. cap. Ex quo videtur, quòd in collegio Chriſti erat diſpenſator. Luc. 12. *Quis, putas, eſt fidelis diſpenſator, & prudens?* Ipſe enim fuit fidelis: quia bona Domini ſui fideliter cuſtodivit. Fuit diſpenſator: quia ea ſibi non retinuit, ſed populo diſtribuit. Fuit prudens: quia bona Domini ſui augere ſcivit.

Dignitas converſationis beati Iacobi apparet ex quatuor. Primò. Quia fuit multæ auſteritatis, & abſtinentiæ quoad ſeipſum. Dicit enim *Hiero. lib. de viris illuſtribus:* Vinum, & ſiceram non bibit, carnes nunquam comedit, ferrum in caput eius non aſcendit, oleo non eſt unctus, balneis non eſt uſus.

Secundò. Fuit multæ devotionis, & gratiæ quoad Deū. Quia toties in oratione genua flectebat, ut callos in genibus ſicut in calcaneis videretur habere. Vnde dicit *Hieronymus de viris illuſtribus*, quòd fixis genibus pro populo deprecabatur in tantum, quòd callorum duritiem traxiſſe eius genua videbantur.

Tertiò. Fuit multæ reverentiæ quoad proximum. Quia Apoſtoli ipſum in magna reverentia habuerunt, cùm eum in Epiſcopū Ieroſolymis elegerunt. Et ſicut dicit *Anacletus Papa*: Petrus, alter Iacobus, & Ioannes ipſum ordinaverunt, & conſecraverunt. Hic primus inter Apoſtolos Miſſam celebravit Ieroſolymis. Vnde dicitur *de conſe. diſ. 1. cap. Iacobus* frater Domini, cui primum credita eſt Ieroſolymitana Eccleſia, tradidit nobis Miſſæ celebrationem.) Hic ſolus inter Apoſtolos propter nimiam ſanctitatem ſuam permittebatur in ſancta Sanctorum intrare, non quidem immolationis causâ, ſed orationis, ut dicit *Hegeſippus*.

Quartò. Fuit multæ virtutis, & efficaciæ. Quia, ut dicit *Hieronymus ubi ſupra*: Tantæ reverentiæ, & ſanctitatis in populo extitit, ut fimbriam veſtimenti eius certatim tangere cuperēt. Vnde etiā frater Domini dicebatur: tum propter ſimilitudinē faciei. (Vnde, cùm Iudæi ad capiendū Chriſtū pergerent; à Iuda, qui Chriſtū à Iacobo tanquā eius familiaris optimè diſcernebat, ſigno oſculi acceperunt. Hoc etiam teſtatur *Ignatius in epiſtola ad Ioannem Evangeliſtam*, dicens: Si licitum eſt mihi, apud te Ieroſolymæ partes volo aſcendere, ut videam illum venerabilem Iacobum, qui cognominatur juſtus, quem ferunt Chriſto Ieſu ſimillimum facie, vitâ, & modo converſationis, ac ſi ejuſdem uteri frater eſſet gemellus; quem, dicunt, ſi video, video & ipſum Ieſum ſecundùm omnia eius corporis lineamenta.) Tum propter cognationem: quia mater ſua fuit ſoror matris Chriſti; & pater eius, ſcilicet Cleophas, fuit frater Ioſeph, qui fuit pater Chriſti putativus.

TERTIO. *Philippe, qui videt me ſtudioſitate prædicationis, videt & Patrem familiaritate ſubventionis.* Vnde dicitur Cant. 8. *Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum.* Sicut enim in templo accenduntur lampades materiales ad illuminationem templi; ſic in mundo accenduntur lampades ſpirituales, id eſt, Apoſtoli ad illuminationē mundi. Nā Philippus ſignificat os lampadis: in ore enim lampadis ardet ignis, à quo diffunditur lumen. Etiam Iacobus dicitur lampas. Iob 12. cap. *Deridetur juſti ſimplicitas. Lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus ſtatutum.* Ambo fuerunt lampades ignis, quibus accendimur ad amorem Dei; & flammarum, quibus illuminamur ad cognitionē fidei. Philippus enim Gentilibus Evangeliū Chriſti prędicavit per 20. annos, diſcurrēs per Scythiam, Eccleſias conſtruens, & presbyteros ordinans. Iterum per unum annum ibidem prædicavit, ubi quatuor miranda fecit.

1. Draconem expulit. Nam, cùm quidam draco, qui erat ſub ſtatua Martis, exiviſſet, & filium Pontificis, & duos tribunos cum plurimis occidiſſet, juſſu beati Philippi in locum deſertum deſcendit, nullique omninò nocuit.

2.

Digitized by Google

2. Idolum Martis confringi jussit, & locò eius Crucem Christi erexit, quam omnes fideliter adoraverunt, & devotè.

3. Omnes morbidos flatu draconis perfectè sanavit, & illis tribus mortuis vitæ beneficium impetravit, qui omnes crediderunt in Christum, & baptizati sunt.

4. Hæresim Hebionitarum, qui carnem Christi phantasticam dogmatizabant, extinxit. Erant autem illi duæ filiæ sacratissimæ virgines, per quas Dominus multas virgines ad fidem Christi convertit.

Beatus autem Iacobus Iudæis prædicavit fidem Christi; unde dictus est Iacobus justus quadrupliciter.

1. Quia justitiam fidei, quâ homo justificatur, in corde habuit. Rom. 5. *Justificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum.* Et sic dicitur justus, quasi justitiam tenens. Eccli. 15. *Qui continens est justitiæ, apprehendet illam.*

2. Quia justitiam ore prædicavit. Psalm. *Annunciaverunt cæli justitiam eius.* Nam septimo anno Episcopatus sui, convenientibus Apostolis Ierosolymis ad diem Paschæ, Iacobus prædicavit illis septem diebus Paschæ in templo coram Caipha, & aliis Iudæis; & sic dicitur justus, quasi justitiam tonans. Psalm. *In omnem terram exivit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.*

3. Quia justitiam operibus ostendit; sicut Iudæi de ipso testificati sunt, dicentes: De te tam nos, quàm omnis populus testimoniũ ferimus: quia justus es, & personam nullius accipis. Et sic dicitur justus quasi justitiam tuens.

4. Quia justitiam fidei usque ad mortem defendit. Eccli. 4. *Pro justitia agonizare pro anima tua: & usque ad mortem certa pro justitia.* Vnde trigesimo anno Episcopatus sui, convenientibus Iudæis in die Paschæ Ierosolymis, prædicans de Iesu, clamavit voce magna dicens: Christus Iesus, quem vos occidistis suspendentes in ligno, ecce ipse sedet in cælis à dexteris summæ virtutis Dei, venturus judicare vivos, & mortuos. Et sic dicitur justus, quasi justitiam tutans: quoniam Christianos tutatus est, assecurans eos de præmio justitiæ fidei.

QVARTO. *Philippe, qui videt me acerbitate passionis, videt & Patrem affabilitate consolationis.* Vnde dicitur Sap. 5. *Stabunt justi in magna constantia adversùs eos, qui se angustiaverunt.* Nam quidam sunt, qui pœnas fugiunt. Psalm. *In labore hominum non sunt.* Isti autem Apostoli pro Christo pati elegerunt. Psalm. *Propter te mortificamur tota die.* Quidam sunt, qui etsi pœnas suscipiunt, impatienter tamen portant. Sunt enim sicut rota plaustri, quæ onus portat, & tamen remurmurat. Eccli. 33. *Præcordia fatui, quasi rota carri.* Isti autem Apostoli in pœnis gloriabantur. Rom. 5. *Gloriamur in tribulationibus, scientes, quòd tribulatio patientiam operatur.* Quidam sunt, etsi eas patienter portant, non tamen perseverant. Iob 4. cap. *Tetigit te plaga, & defeciſti.* Isti autem Apostoli usque ad mortem perseveraverunt. 2. Cor. 4. *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur, semper mortificationem Iesu in corpore nostro circunferentes: ut & vita Iesu in corporibus nostris manifestetur.*

De passione beati Philippi dicit *Isidorus lib. de vita, & obitu Sanctorum*: Philippus Gentilibus prædicat Christum, barbarasque gentes, vicinasque tenebras mari Oceano conjunctas ad scientiæ lumen, fideique portum ducit. Demum Hierapoli Phrygiæ provinciæ urbe crucifixus, lapidatusque obiit, simulque cum filiabus suis ibi requiescit.)

De passione beati Iacobi refert *Hegesippus Apostolorum contemporaneus lib. de Ecclesiastica historia*, quòd fuit de pinnaculo templi præcipitatus, deinde lapidatus, cum pertica fullonis excerebratus, tamen super genua procumbens orabat pro persecutoribus, dicens: Rogo, Domine, dimitte eis: quia nesciunt, quid faciunt.

QVINTO. *Philippe, qui videt me sublimitate honorationis, videt & Patrem potestate exaltationis.* Vnde Sap. 5. dicitur: *Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.* Hi duo Apostoli computantur inter Sanctos quadrupliciter.

Primò. Per assistentiam. Dan. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Et sic assistunt Deo, ipsum perfectè videndo, quietè diligendo, jucundè fruendo, promptè obediendo. Apoc. 11. cap. *Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.*

Secundò. Per permanentiam. *Eccles. 1. cap. Terra autem in æternum stat.* Stant itaque:

quia

quia non dejiciuntur per pugnam; quoniam ibi plena victoria eſt: quia non opprimuntur per culpam; quoniam ibi omnimoda munditia eſt: quia non debilitantur per pœnam; quoniam ibi nulla miſeria eſt: quia non alterantur per triſtitiam; quoniam ibi ſumma lætitia eſt. Pſalm. *Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis, Ieruſalem.*

Tertiò. Per præeminentiam. Iſaiæ 6. c. *Seraphin ſtabant ſuper illud*, &c. Quia habent præeminentiam in judicio. Matth. 19. cap. *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Quia habent præeminentiam in præmio. Luc. 22. *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum: ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* Quia honorantur à populo. Pſal. *Nimis honorati ſunt amici tui, Deus: nimis confortatus eſt Principatus eorum.* Quia invocantur pro beneficio. Apoc. 11. *Habent poteſtatem claudendi cælum, ne pluat*, &c. *& poteſtatem habent ſuper aquas, convertendi eas in ſanguinem*, &c. Ideo cantatur: *Quorum præcepto ſubditur ſalus, & languor omnium: ſanato egros moribus nos reddentes virtutibus.* Nam linguæ eorum claves cæli factæ ſunt.

Quartò. Per audaciam contra inimicos, contra quos ſtabunt, tanquam teſtes, tanquam judices, tanquam ſententiam exequentes, tanquam de ſententia gaudentes. Iſa. 3. *Dominus ad iudicandum veniet cum ſenibus populi ſui.* Et ſic viderunt Patrem, hic per gratiam, nunc verò per gloriam. Amen.

SERMO XXX.

IN FESTO INVENTIONIS SANCTAE CRVCIS.

Evacuatum eſt ſcandalum Crucis Chriſti. Ad Gal. 5. cap.

Chryſoſtomus *in homil. de Cruce* dicit: Crux nobis totius beatitudinis cauſa eſt. Hæc nos à cæcitate liberavit erroris, hæc à tenebris reduxit ad lucem, hæc debellatos quieti ſociavit, hæc alienatos Deo conjunxit: longè conſtitutos proximos præſentavit, peregrinos cives effecit: hæc diſcordiæ amputatrix eſt, hæc pacis firmamentum, hæc bonorum omnium abunda largitio, hæc paradiſum præcluſum nobis aperuit.) Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtrum Crucis Chriſti ſcandalum dignè evacuetur, ſi adoratione latriæ adoretur?

Ad iſtam quæſtionem reſpondent duo Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt *Damaſc. lib. 4. de fide* c. 12. dicēs: Omnibus mirabilibus mirabilior eſt Crux: per nullum enim aliud mors evacuata eſt, primi parentis peccatum ſolutum eſt, infernus ſpoliatus eſt; reſurrectio donata eſt, virtus nobis præſentia, mortemque ipſam contemnendi elargita eſt. Per eam ad priſtinam beatitudinem reverſio data eſt, portæ paradiſi apertæ ſunt, natura noſtra in dextera Dei ſedet, Filii Dei cohæredes facti ſumus. Per ipſam potentia Dei nobis manifeſtata eſt, in victoria Chriſti demonſtrata eſt. Iſta nobis ſignum in fronte data eſt, quemadmodum Iſraeli circuncifio: per ipſam enim fideles ab infidelibus cognoſcuntur. Hæc galea, ſcutum, & trophæum adversùs diabolum. Hoc ſignum, ut non appropinquet nobis univerſalis vaſtator. Hæc jacentiū erectio, ſtantium firmamentū, baculus debilium, Paſtorum virga, convertentium manuductio, proficientium perfectio, ſalus animæ, & corporis, omnium malorum averſio, omnium bonorum datrix, peccati interemptio, arbor reſurrectionis, lignum vitæ æternæ. Pretioſum, inquam, Lignum, ut ſanctificatum conctatu Chriſti Corporis & Sanguinis, decenter adorandum. *Hæc ille.*

Secundus eſt *Sanctus Thomas tertia parte q. 25. articulo* 4. dicens: Honor, ſeu reverentia non

non debetur, niſi rationali creaturæ: creaturæ autem inſenſibili non debetur honor, vel reverentia, niſi ratione naturæ rationalis. Et hoc dupliciter: uno modo, in quantum repræſentat naturam rationalem: alio modo, in quantum ei quocunque modo conjungitur. Primo modo conſueverunt homines venerari Regis imaginem. Secundo modo eius veſtimentum; utrumque autem venerantur homines eadem veneratione, quâ venerantur & Regem. Si ergo loquamur de ipſa Cruce, in qua Chriſtus crucifixus eſt, utroque modo eſt à nobis veneranda. Vno modo, in quantum repræſentat nobis figuram Chriſti extenſi in ea. Alio modo, ex contactu ad membra Chriſti, & ex hoc, quòd eius Sanguine eſt perfuſa. Vnde utroque modo adoratur eadem adoratione cum Chriſto, ſcilicet adoratione latriæ; & propter hoc etiam Crucem alloquimur, & deprecamur, quaſi ipſum Crucifixum. Cantat enim Eccleſia:

O Crux ave ſpes unica
Hoc Paſſionis tempore.
Auge piis iuſtitiam,
Reiſque dona veniam.

Si verò loquamur de effigie Crucis Chriſti in quacunque alia materia, puta lapidis, vel ligni, argenti, vel auri; ſic veneramur Crucem tantùm ut imaginem Chriſti, quam veneramur adoratione latriæ. *Hæc Sanctus Thomas.*

Sciendum, quòd per Crucem Chriſti multi ſcandalizantur, auditis his, quæ in Chriſto fuerunt ante Paſſionem eius.

Primò. In Incarnatione. Quia in illa Deus & homo unitur, in iſta Deus & homo moritur: quoniam in illo triduo non fuit homo, ut dicit *Magiſter ſententiarum lib.* 3. In illa de Spiritu ſancto concipitur, in iſta ſpiritu nequitiæ Sanguis funditur. Illa ex Virgine ſancta, & nupta, iſta fit à noverca adultera, & corrupta. In illa exultat Baptiſta in utero, in iſta inquit: *Adverſũ me loquebantur, qui ſedebant in porta: & in me pſallebant, qui bibebant vinum.* In illa ſanctę mulieres mutuo ſe ſalutant, in iſta lacrymantur maximè & plorant. In illa ad mulierem mittitur Angelus viſibiliter, in iſta mittitur diabolus inviſibiliter. In illa *Ave* quaſi ſine *va* dicitur, & annunciatur, in iſta *va* mulieribus prægnantibus prædicatur.

Secundò. In educatione. Quia in nativitate naſcitur in ſtabulo, in iſta moritur in Calvariæ loco. In illa reclinatur in præſepio, in iſta configitur Crucis patibulo. In illa pannis à matre involvitur, in iſta à noverca in terris crucifigitur. In illa ſtat in medio duorum animalium, in iſta pendet in medio duorum latronum. In illa à Maria ubere de cælo pleno lactatur, in iſta Crux eius Sanguine cruentatur. In illa Angeli in cælo gloriam cantant, in iſta Iudæi in terra Divinam potentiam blaſphemant. In illa benedicunt Chriſtum rudes paſtores, in iſta maledicunt Chriſtum legis Doctores. In illa Magi Gentiles munera offerunt, in iſta Principes, & ſervi Gentiles crucifigunt. In illa ſol media nocte radios influit, in iſta ſol in medio die lucem obſtruit.

Tertiò. In converſatione. Quia in illa ſecundùm legem circunciditur, in iſta Sanguis undique ejicitur. In illa ſuper altare in templo ponitur, in iſta ſuper Crucem in patibulo ſuſpenditur. In illa gladius doloris Mariæ prædicitur, in iſta gladio mœroris eius anima transfigitur. In illa moriuntur innocentes, in iſta moritur propter peccatores nocentes. In illa fugiendo in Ægyptum nutu Angeli ſe occultat, in iſta confortatus ab Angelo ſe præſentat. In illa Maria perditum in medio Doctorum invenit, in iſta in medio peccatorum amittẽs Diſcipulum accipit.

Quartò. In glorificatione. Quia in illa à Ioanne Baptiſta baptizatur, in iſta à Synagoga cruentatur. In illa Spiritus ſanctus ſuper baptizatum apparet, vox Patris intonat, in iſta Pater eum derelinquit. In illa diabolum in deſerto ſuperat, in iſta diabolus eum per ſuos miniſtros in Cruce exaltat. In illa vinum ex aqua miraculosè facit, in iſta Sanguinem, & aquam profundit. In illa peccata hominibus remittit, in iſta clamore valido pro crucifixoribus orat. In illa ut Deus & Rex honoratur, in iſta ſpinis coronatus blaſphematur. In illa cum publicanis, & peccatoribus manducat & bibit, in iſta latroni paradiſum promittit. In illa miracula facit per humanitatem, in iſta occultat ſuam Divinitatem. In illa Petro Eccleſiam committit, in iſta Matrem Diſcipulo dimittit. In illa ab infirmis expellitur omnis infirmitas, in iſta à planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas. In illa turbæ ab ipſo cibum & potum ſuſcipiunt, in iſta ipſum in ſiti ſua felle & aceto potant. In illa omnes invitat ad bibendum aquam vivam, in iſta ſe ſitire clamat pro nobis æternam vitam. In illa ſe habere poteſtatem ponendi animam clamat, in iſta ſpiritum Patri commẽdat. In illa mor-

cuos ſuſcitat, in iſta inclinato capite ſpiritum emittens expirat. In illa eſt vitæ ſpeculum, in iſta eſt ludibrii ſpectaculum. Et ſic in Cruce eſt cunctis videntibus in ſcandalum.

Sed aliter eſt de eo, qui habet curam alicuius particularis, & de proviſore univerſali. Proviſor enim particularis excludit defectum ab eo, quod curæ eius ſubditur, quantum poteſt; ſed proviſor univerſalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius. Vnde corruptiones, & defectus in rebus naturalibus dicuntur eſſe contra naturam particularem; ſed tamen ſunt de intentione naturæ univerſalis, in quantum defectus unius cedit in bonum alterius; & etiam totius univerſi: nam corruptio unius eſt generatio alterius, per quam ſpecies conſervatur. Cùm ergo Deus ſit cauſa univerſalis, & proviſor totius entis; ad ipſius providentiam pertinet, ut permittat quoſdam defectus eſſe in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum univerſi perfectum. Si enim omnia mala impedirentur; multa bona deeſſent univerſo. Non enim eſſet vita leonis, ſi non eſſet occiſio animalium. Neque eſſet patientia Martyrum, ſi non eſſet perſecutio tyrannorum. Vnde dicit *Auguſtinus in Ench. cap.* 11. Deus omnipotens nullo modo ſineret aliquid malum eſſe in operibus ſuis, niſi uſque adeo eſſet omnipotens & bonus, ut benefaceret etiam de malo.) Eodem modo Crux Chriſti habito reſpectu ad particularem vitam Chriſti, ſcandalizavit plures; non autem habito reſpectu ad redemptionem, & ſalutem totius univerſi. Hoc enim ad majorem dignitatem hominis proceſſit, ut ſicut homo victus fuerat, & deceptus à diabolo, ita etiam homo eſſet, qui diabolum vinceret; & ſicut homo mortem meruit, ita homo moriendo mortem ſuperaret. Vnde dicitur 1. Cor. 15. *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Ieſum Chriſtum.* Et 1. Cor. 1. *Verbum Crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt: his autem, qui ſalvi fiunt, id eſt nobis, Dei virtus eſt.* Ergo



Evacuatum eſt ſcandalum Crucis Chriſti

Divinitatis oſtenſione.
Angelorum diſtinctione.
Creaturarum productione.
Hominis formatione.
Figurarum verificatione.
Chriſti Incarnatione.
Mediatoris redemptione.
Virtutum moderatione.
Peccatorum reconciliatione.
Spirituali innovatione.
Animæ beatificatione.
Corporis glorificatione.

PRIMO. *Evacuatum eſt ſcandalum Crucis Chriſti Divinitatis oſtenſione.* Exemplum enim Crucis Chriſti originaliter, & primò inventum eſt in altitudine majeſtatis Divinæ. Vnde Eph. 3. dicitur: *In charitate radicati, & fundati, poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum.* In quibus deſignatur myſterium Crucis. Iob 11. *Excelſior cælo eſt, & quid facies? Profundior inferno, & unde cognoſces? Longior terrâ menſura eius, & latior mari.* Vbi deſignat per altitudinem excellentiam virtutis ſuper omnia, per profunditatem virtutem ad cognoſcendum occulta, per longitudinem dorationem ſui eſſe, per latitudinem affectum dilectionis ad omnia. Vel, ut *Dion. dicit 9. cap. de divinis nomi.* Per altitudinem intelligitur immenſitas Divinitatis eius; cùm ſit ſuper omnia exiſtens: per profunditatem intelligitur incomprehenſibilitas eſſentiæ ipſius: per longitudinem proceſſus virtutis eius omnia penetrantis: per latitudinem verò ſuperextenſio eius ad omnia, in quantum ſcilicet ſub eius protectione omnia continentur.

SECVNDO. *Evacuatum eſt ſcandalum Crucis Chriſti Angelorum diſtinctione.* In altitudine pone Cherubim & Seraphim, in profundo Angelos & Archangelos, in dextera parte Virtutes & Poteſtates, in ſiniſtra Principatus & Dominationes, in medio Thronos; & ſic habebis Crucem Chriſti formatam ex novem ordinibus Angelorum, ad deſignandum, quòd hi ordines reparati ſunt per Crucem Chriſti: quia Chriſtus pendens in Cruce habuit officia omnium iſtorum

or-

Digitized by Google

ordinum. Cherubim enim interpretatur plenitudo ſcientiæ: ſed in Chriſto ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi, *Col.* 2. Seraphim interpretatur incendium: ſed Chriſtus Deus noſter ignis conſumens eſt. Eſt etiam Angelus: quia vocatur magni conſilii Angelus. Eſt etiam Archangelus: quia fortitudo Dei. Pſalm. *Dominus fortis, & potens: Dominus potens in prælio*. Eſt etiam Virtus. Pſalm. *Dextera Domini fecit virtutem*. Eſt etiam Poteſtas. Matth. ultimo. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & terra*. Eſt etiam Principatus. Iſa. 9. *Factus eſt principatus ſuper humerum eius*. Eſt etiam Dominationes. Pſ. *Dominabitur à mari uſque ad mare*. Eſt etiam Throni. Pſalm. *Thronus tuus, Deus, in ſeculum ſeculi*.

TERTIO. *Evacuatum eſt ſcandalum Crucis Chriſti in creaturarum productione*, quantùm ad diſtinctionem. Altitudo enim eſt natura intellectualis incorruptibilis, profundum eſt creatura purè corporalis corruptibilis, dexterum eſt creatura corporalis cæleſtis incorruptibilis, ſiniſtrum eſt creatura partim corporalis, & partim intellectualis, ſcil. homo. Etiam in mundi ſituatione, cuius ſublimitas eſt Meridies, profundum eſt Aquilo, dexterum eſt Oriens, ſiniſtrum eſt Occidens, ut dicit *Philoſophus* 2. *de cælo, & mundo*. Etiam in temporum varietate, cuius ſublimitas eſt æſtas, profundum hyems, dexterum ver, ſiniſtrum autumnus. Etiam in elementorum combinatione, cuius ſublimitas eſt ignis, profundum terra, dexterum aer, ſiniſtrum aqua. Etiam in qualitatum variatione, cuius ſublimitas eſt caliditas, profundum ſiccitas, dexterum humiditas, ſiniſtrum frigiditas.

QVARTO. *Evacuatum eſt ſcandalum Crucis Chriſti in hominis formatione*. Nam extenſo corpore brachiis gerit ſimilitudinem Crucis. Etiam in humorum compoſitione, cuius ſublimitas eſt ſanguis, profundum melancholia, dexterum cholera, ſiniſtrum phlegma. Etiam in virium coaptatione, cuius ſublimitas eſt intellectus, profundum ſenſus, dexterum iraſcibilis, ſiniſtrum concupiſcibilis. Etiam in nativitatis originatione, cuius ſublimitas eſt naſci de matre ſine patre, ut Chriſtus; profundum eſt naſci de patre, & matre, ut Abel, & Cain; dexterum eſt naſci ſine patre, & ſine matre, ut Adam; ſiniſtrum naſci de patre ſine matre, ut Eva.

QVINTO. *Evacuatum eſt ſcandalum Crucis Chriſti in figurarum verificatione*. Nam myſterium Crucis fuit figuratum 1. In ligno ſcientiæ boni, & mali: quia hoc genus mortis maximè conveniens erat ſatisfactioni pro peccato primi parentis, quod fuit ex eo, quòd contra mandatum Dei pomum ligni vetiti ſumpſit; & ideo conveniens fuit, quòd Chriſtus ad ſatisfaciendum pro peccato illo ſeipſum pateretur ligno affigi, quaſi reſtituens, quod Adam ſuſtulerat, ſecundùm illud Pſal. *Quæ non rapui, tunc exolvebam*. Vnde *Auguſtinus* dicit *in quodam ſermone de Paſſione*: Contempſit Adam præceptum, accipiens ex arbore pomum. Sed quicquid Adam perdidit, Chriſtus invenit in Cruce.)

2. In arca Noe. Vt enim *Auguſtinus* dicit *in ſermone de Paſſione*: Sicut de diluvio aquarum humanum genus arca lignea liberavit; ſic Crux Chriſti à diluvio pœnæ infernalis.

3. In virga Moyſis. Nam Moyſes mare diviſit virgâ, & Pharaonem proſtravit, & populum Dei redemit.

4. In extenſione manus Moyſis contra virgam ad ſubverſionem Amalech: nam, ut Amalech vinceretur, contra virgam Moyſes expanſis manibus extenditur.

5. In arca Teſtamenti: quoniam lex Dei arcæ creditur Teſtamenti, in quo erat recondita.

6. In altari holocauſtorum, quod erat factum de lignis, in quo ſacrificia animalium offerebantur, ut habetur *Exodi* 29.

7. In palo ſerpentis. Ioann. 3. *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*. Super quo *Chryſoſtomus* dicit: Exaltari audiens, ſuſpenſionem intelligas in altum: ut ſanctificaret aerem, qui ſanctificaverat terram, ambulando in ea.

8. In virga lignea, quam Moyſes in aquam miſit, & amaram aquam in dulcem commutavit; & ex lignea virga de ſpiritali petra ſalutaris unda profluxit.

9. In Iacob, qui cancellatis manibus in modum Crucis benedixit filios Ioſeph.

10. In Iſaac, qui portavit ligna pro ſui immolatione.

11. In Aman, qui ſuſpenſus eſt in cruce, *Eſther* 7. *capite*.

12. In ſigno Thau, ut habetur *Ezech.* 9. *c.*

SEXTO. *Evacuatum eſt ſcandalum Crucis Chriſti in Chriſti Incarnatione*. Incarnatio quippe ſublimitas eſt: quia Divinitas aſſumpſit humanitatem in unitate Perſonali, ut de natura corrupta, & infirma aſſumeret, quod

in tantam virtutem, & dignitatem erat promovendum.

Profundum eſt natura cum defectibus aptis ad redemptionem. Ad hoc enim Filius Dei carne aſſumpta venit in mundum, ut pro peccato humani generis ſatisfaceret. Vnus autem pro peccato alterius ſatisfacit, dum pœnam peccato alterius debitam in ſeipſum ſuſcipit; hujuſmodi autem defectus corporales, ſcilicet mors, fames, & ſitis, & hujuſmodi, ſunt pœna peccati, quod eſt in mundum per Adam introductum, ſecundùm illud Ro. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.* Ideo conveniens fuit, quòd Chriſtus hujuſmodi pœnalitates in ſua carne ſuſciperet vice noſtrâ, ſecundùm illud Iſa. 53. *Verè languores noſtros ipſe tulit.*

Dexterum eſt, quia ſimul fuit viator, & cõprehenſor. Nam ante Paſſionem ſecundùm mentem plenè videbat Deum, & ſic habebat beatitudinem quantùm ad id, quod eſt proprium animæ; ſed quantùm ad alia deerat ei beatitudo: quia & anima eius erat paſſibilis, & corpus paſſibile, & mortale. Iere. 14. *Quaſi colonus futurus es in terra: & quaſi viator declinans ad manendum.* Et ideo ſimul erat comprehenſor, in quantum habebat beatitudinem animæ propriam; & ſimul viator, in quantum tendebat in beatitudinem ſecundùm id, quod ei de beatitudine deerat.

Siniſtrum eſt unitas indiviſibilis Divinitatis, & humanitatis. Vnde *Damaſcenus* aptè dicit: Etſi Chriſtus mortuus eſt ut homo, & ſancta eius anima ab incontaminato diviſa eſt corpore; ſed Divinitas inſeparabilis ab utriſque permanſit, ab anima dico, & corpore.

SEPTIMO. *Evacuatum eſt ſcandalum Crucis Chriſti Mediatoris redemptione.* Dicitur enim 1. Timot. 2. *Vnus eſt mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus.* Cuius ſublimitas eſt Aſcenſio ipſius in cælum. Marc. ultimo: *Dominus quidem Ieſus, poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei.* Profundum eſt Deſcenſus eius in ſepulcrum quantùm ad Corpus, & in limbum quantùm ad Animam. Matth. 26. capite: *Mittens hæc mulier unguentum hoc in Corpus meum, ad ſepeliendum me fecit.* Et Pſalm. *Tollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex Gloriæ.* Dexterum eſt Reſurrectio. Luc. ultimo: *Oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die.* Siniſtrum eſt Paſſio uſque ad mortem. Vnde *Auguſtinus lib. 13. de Tri.* dicit: Sanandæ noſtræ miſeriæ convenientior modus alius non fuit, quàm per Chriſti Paſſionem, & mortem.

OCTAVO. *Evacuatum eſt ſcandalum Crucis Chriſti virtutum moderatione.* Primò. Per Crucem intellectualem, cuius ſublimitas eſt ſapientia, quæ conſiderat altiſſimas cauſas, ut dicitur 1. *Metaph.* Vnde convenienter judicat, & ordinat de omnibus: quia judicium perfectum, & univerſale haberi non poteſt, niſi per reſolutionem ad primas cauſas. Profundum eſt ſcientia, quæ eſt de concluſionibus, demonſtratis ex principiis. Dexterum eſt intellectus, qui eſt habitus principiorum, ſecundùm ſe conſideratorum. Siniſtrum eſt conſilium, quod perficit rationem practicam.

Secundò. Per Crucem moralem, cuius ſublimitas eſt prudentia, quæ perficit rationem. Profundum eſt temperantia, quæ perficit concupiſcibilitatem. Dexterum eſt juſtitia, quæ perficit voluntatem. Siniſtrum eſt fortitudo, quæ perficit iraſcibilitatem.

Tertiò. Per Crucem transformalem, per quam homo ſupra rationem extollitur, cujus ſublimitas eſt virtus exemplaris, per quam homo ad Divina ſe trahit, quantum poteſt. Matth. 5. *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Profundum eſt virtus politica, per quam viri boni reipublicæ conſulunt, urbeſque tuentur. Dexterum eſt virtus purgati animi, qui terrenas cupiditates non reprimit, ſed penitus obliviſcitur; & paſſiones non vincit, ſed penitus ignorat. Siniſtrum eſt virtus purgatoria, quæ quadam humanorum fugâ ſolùm ſe ingerit Divinis. Vnde *Auguſtinus* dicit *lib. 19. de civitate Dei c. 19.* Otium ſanctum quærit charitas veritatis, negotium juſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis; quam ſarcinam, ſi nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum eſt veritati; ſi autem imponitur, ſuſcipienda eſt propter charitatis neceſſitatem.)

Quartò. Per Crucem doctrinalem. Cuius ſublimitas eſt ſpes, quæ eſt ad caput Crucifixi: quia bene ſperantium ſuperna expectatio eſt. Profundum eſt gratuita gratia, quæ menti occultè à Deo infunditur. Dexterum eſt bona operatio. Siniſtrum eſt perſeverantia in bono opere, ut *Auguſt.* dicit *lib. de gratia novi Teſtamenti.*

NONO. *Evacuatum eſt ſcandalum Crucis Chriſti peccatorum reconciliatione.* Primò.

Per

Per Crucem initivam, cuius ſublimitas eſt reparatio ruinæ Angelicæ. Col. 1. *Pacificans per Sanguinem Crucis eius, ſive quæ in cœlis, ſive quæ in terris ſunt.* Profundum eſt liberatio ſanctorum Patrum de limbo. Zach. 9. *Tu quoque in Sanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.* Dexterum eſt vocatio utriuſque populi, ſcilicet Iudaici, & Gentilis. *Chryſoſtomus* enim dicit, quòd Chriſtus in Cruce expanſis manibus moritur, ut alterâ manu veterem populum, alterâ eos, qui ex Gentibus ſunt, trahat. Siniſtrum eſt continuatio redempti populi. Io: 17. *Pater ſancte, ſerva eos in Nomine tuo, quos dediſti mihi, ut ſint unum, ſicut & nos.*

Secundò. Per Crucem juſtificativam, ſcilicet pœnitentiæ, cuius ſublimitas eſt amor Dei, quem offendiſti: profundum eſt dolor pro gratia, quam amiſiſti: dexterum eſt timor mortis, ad quam curris: ſiniſtrum eſt horror pœnæ, ad quam tranſcurris.

Tertiò. Per Crucem mortificativam, cuius ſublimitas eſt mortificatio propriæ voluntatis. Gal. 2. *Vivo ego, iam non ego, ſed vivit in me Chriſtus.* Profundum eſt mortificatio carnis. Gal. 5. *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.* Dexterum eſt mortificatio in mundanis. Gal. ultimo cap. *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Siniſtrum eſt mortificatio in naturalibus. Apoſtolus. *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum.*

Quartò. Per Crucem gratificativam, ſcil. per juſtificationem impii, cuius ſublimitas eſt gratiæ infuſio, profundū eſt remiſſio culpæ, dexterum eſt motus liberi arbitrii in Deū, ipſum ſequendo; ſiniſtrum eſt motus liberi arbitrii in peccatū, ipſum deteſtando. Pſ. *Dixi, confitebor adverſùm me iniuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei.*

DECIMO. *Evacuatum eſt ſcandalum Crucis ſpirituali innovatione.* Primò. Per Crucem originativam, cuius ſublimitas eſt nativitas ſpiritualis. Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Profundum eſt nativitas corporalis. Ioan. ibid. *Nunquid poteſt homo iterato introire in ventrem matris ſuæ, & renaſci?* Dexterum eſt nativitas ex matrimonio. Gen. 1. *Creſcite, & multiplicamini.* Siniſtrum eſt nativitas ex adulterio. Hi modi fuerunt in Patribus, à quibus proceſſit genealogia Chriſti, *Matth. 1. cap.*

Secundò. Per Crucem peregrinativam, cuius ſublimitas eſt poſſe non peccare, ſcilicet in ſtatu innocentiæ: profundum eſt non poſſe non peccare, ſcilicet ſub originali: dexterum eſt non poſſe peccare, ſcilicet in ſtatu gloriæ: ſiniſtrum eſt poſſe peccare, non tamen peccare, ſcilicet in ſtatu gratiæ, ut declarat *Magiſter ſententiarum libro 2.*

Tertiò. Per Crucem reſtaurativam, cuius ſublimitas eſt Divina inſpiratio. Apocal. 3. cap. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo.* Et Pſal. *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus.* Profundum eſt contritio cordis. Ioel. 2. *Scindite corda veſtra, & convertimini ad Dominum Deū veſtrum,* &c. Dexterum eſt confeſſio oris. Iacobi 5. cap. *Confitemini alterutrum peccata veſtra: & orate pro invicem, ut ſalvemini.* Siniſtrum eſt ſatisfactio operis. Luc. 19. *Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.*

Quartò. Per Crucem perfectivam, cuius ſublimitas eſt amor Dei, profundum eſt amor proximi, dexterum eſt amor ſui, ſiniſtrum eſt amor inimici.

UNDECIMO. *Evacuatum eſt ſcandalum Crucis Chriſti anima beatificatione.* Sublimitas enim animæ eſt clara, & meridiana viſio Dei in patria. 1. Ioann. 3. *Scimus, quoniam, cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, & videbimus eum, ſicuti eſt.* Deorſum eſt viſio veſpertina rerum in proprio genere. Dexterum eſt comprehenſio. 1. Cor. 9. *Sic currite, ut comprehendatis.* Et Pſ. *Delectationes in dextera tua uſque in finem.* Siniſtrum eſt ſempiterna fruitio. Cant. 3. *Tenui eum, nec dimittam.* Ioan. 16. *Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.*

DUODECIMO. *Evacuatum eſt ſcandalum Crucis Chriſti corporis glorificatione.* Nam corporis ſublimitas eſt claritas, profundum eſt agilitas, dexterum eſt impaſſibilitas, ſiniſtrum eſt ſubtilitas; quæ ſunt quatuor dotes corporis glorificati in reſurrectione.

Lignum autem Crucis Chriſti, licèt diu ſub terra latuerit, tamen hodie clarè ſplendeſcit propter multa. 1. Quia Regina Saba illud prævidit. 2. Quia Chriſtus ſuo Cruore illud decoravit. 3. Quia Conſtantino in cælo oſtenſum fuit. 4. Quia Helena illud reperiens ornavit. 5. Quia repertor per martyrii palmam triumphavit. 6. Quia fidelis per hoc ſignum diabolum effugavit; quæ omnia patent in *legenda huius diei.* Et ſic patet, quomodo per inventionem Crucis Chriſti evacuatum eſt ſcandalum eius, hic per gratiam, tandem per gloriam. Amen.

SER-

Digitized by Google

SERMO XXXI.

IN FESTO CORONAE DOMINI.

Exivit Ieſus portans Coronam. Ioann. 19. cap.

APoſtolus ad Coloſſenſes ſecundo capite dicit: *Eſtis in illo repleti, qui eſt Caput omnis principatus, & poteſtatis.* Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtrum Chriſtus, qui electos in gloria cæleſti coronat, ſit Caput Eccleſiæ per gratiam, quæ ipſam decorat?

AD iſtam quæſtionem reſpondent duo Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt Beatus Paulus Eph. 1. capite dicens: *Omnia ſubiecit ſub pedibus eius: & ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.*

Secundus eſt *Sanctus Thomas tertia parte quæſt. 8. artic. 1.* dicens: Sicut tota Eccleſia dicitur unum corpus myſticum per ſimilitudinem ad corpus naturale hominis, ſecundùm quod diverſa membra habent diverſos actus, ut *Apoſtolus* dicit *Rom. 12. & 1. Cor. 12.* ita Chriſtus dicitur Caput Eccleſiæ ſecundùm ſimilitudinem humani capitis, in quo tria poſſumus conſiderare: ſcilicet ordinem, perfectionem, & virtutem. Ordinem: quia caput eſt prima pars hominis, incipiendo à ſuperiori; & inde eſt, quòd omne principium conſuevit vocari caput, ſecundùm illud Ezech. 16. *Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ.* Perfectionem autem: quia in capite vigent omnes ſenſus, & interiores, & exteriores: cũ in ceteris mẽbris ſit ſolus tactus. Et inde eſt, quod dicitur Iſa. 9. *Senex, & honorabilis, ipſe eſt caput.* Virtutem verò: quia virtus, & motus ceterorũ membrorum, & gubernatio eorum in ſuis actibus eſt à capite, propter vim ſenſitivam, & motivam ibi dominantem; unde & rector dicitur caput populi, ſecundùm illud 1. Reg. 15. *Cùm eſſes parvulus in eccleſiis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es.* Hæc autem tria competunt Chriſto ſpiritualiter. 1. Nam ſecundùm propinquitatem ad Deum, gratia Chriſti altior, & prior eſt, ſi non tempore, tamen dignitate: quia omnes alii acceperunt gratiam per reſpectum ad gratiam ipſius, ſecundùm illud Rom. 8. *Quos præſcivit, hos & prædeſtinavit conformes fieri imagini Filii ſui, ut ipſe ſit primogenitus in multis fratribus.* 2. Perfectionẽ habet quantùm ad plenitudinem omnium gratiarum, ſecundùm illud Ioann. 1. *Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis.* 3. Virtutem habet influendi gratiam in omnia membra Eccleſiæ, ſecundùm illud Ioann. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus. Hæc Sanctus Thomas.*

Sciendum, quòd omnes electi veluti capilli ſunt in Chriſto radicati per æternam prædeſtinationem. Vnde dicitur Apoc. 1. *In medio ſeptem candelabrorum aureorum vidi ſimilem Filio hominis. Caput autem eius, & capilli erant candida velut lana alba, & tanquam nix.* Prædeſtinatio enim poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo ſecundùm ipsũ actum prædeſtinantis; & ſic prædeſtinatio Chriſti non eſt cauſa, nec exemplar prædeſtinationis Sanctorũ: cùm uno & eodem actu æterno prædeſtinaverit Deus Chriſtum, & electos. Alio modo poteſt conſiderari prædeſtinatio ſecundùm terminum, & effectum prædeſtinationis; & ſecundùm hoc prædeſtinatio Chriſti eſt cauſa, & exemplar noſtræ prædeſtinationis. Et hoc dupliciter: primò, quantùm ad bonum, ad quod prædeſtinamur: Chriſtus enim prædeſtinatus eſt ad hoc, quòd eſſet Dei Filius naturalis; nos autem prædeſtinamur ad filiationem adoptionis, quæ eſt quædam participata ſimilitudo filiationis naturalis. Rom. 8. *Quos præſcivit, hos & prædeſtinavit conformes fieri imagini Filii ſui.* Et Ioann. 1. *Dedit eis poteſtatem, filios Dei fieri.* Secundò, quantùm ad modum conſequendi iſtud bonum, quod eſt per gratiam, ut per

Ie-

Digitized by Google

Iesum Christum compleretur. Sub prædestinatione enim æterna cadit non solùm id, quod fiendum in tempore, sed etiam modus, & ordo, secundùm quem complendum est in tempore. Vnde, si Christus non fuisset incarnandus, Deus prædinasset homines salvari per aliam causam. Sed quia præordinavit Incarnationem Christi, simul cum hoc præordinavit, ut esset causa nostræ salutis. Dicit enim *Augustinus lib. de prædestinatione Sanctorum cap.* 15. Est præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse Salvator, ipse mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Et Ephes. 1. dicitur: *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum*. Et sicut apud Deum cognitus est numerus electorum, sicut dicit *Augustinus lib. de correptione, & gratia cap.* 13. quòd certus est prædestinatorum numerus, qui nec augeri potest, nec minui; sic Christus, tanquam Caput Ecclesiæ habet notitiam omnium salvandorum in merito suæ Passionis. Vnde *Glo.* super *illud Apoc.* 5. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere Divinitatem, & scientiam*, dicit: Id est, omnium cognitionem: quia ad Christum, & ad eius dignitatem spectant quodammodo omnia, in quantum subjecta sunt ei omnia. Ipse enim est omnium Iudex constitutus à Deo: quia Filius hominis est, ut dicitur *Io:* 5. Et Ioan. 2. dicitur: *Ipse enim sciebat, quid esset in homine*. Et Matth. 10. *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt*.

Circa electos autem considerantur quatuor. Primò. Quia, sicut capilli quandoque radicantur in capite, & quandoque decidunt; sic quidam radicantur in Christo per gratiam perseveraturi, & quidam non perseveraturi. Est enim liber vitæ conscriptio ordinatorum in vitam æternam, ad quam ordinatur aliqui ex duobus: scilicet ex prædestinatione Divina, & hæc ordinatio nunquam deficiet; & ex gratia: quicunque enim habet gratiam, ex hoc ipso dignus est vitâ æternâ; & hæc ordinatio deficit interdum: quia aliqui ordinati sunt ex gratia habita ad habendum vitam æternam ex prædestinatione Divina, à qua tamen deficiunt per peccatum mortale sequens. Psal. *Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur*. De perseverantibus autem dicitur Lucæ 21. *Capillus de capite vestro non peribit*.

Secundò. Quia, sicut capilli quandoque lavantur ab eo, cuius sunt, quandoque ab alio; sic electi quandoque lavantur à Christo per proprium Sanguinem. Apocalyp. 1. *Dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in Sanguine suo*. Et quandoque precibus Sanctorum. Nam *Genes.* 25. dicitur, quòd Isaac rogavit Deum pro Rebecca uxore sua, & dedit conceptum Rebeccæ. Ex illo autem conceptu natus est Iacob, qui fuit prædestinatus: non fuisset autem impleta prædestinatio, si natus non fuisset. Vnde prædestinatis conandum est ad orandum, & benè operandum: quia per ista prædestinationis effectus certitudinaliter impletur. Propter quod dicitur 2. Petri 1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*.

Tertiò. Quia sicut Absalom per capillos fuit suspensus in ligno 2. *Reg.* 18. sic Christus fuit suspensus in Cruce propter electos. Per hoc enim homo cognoscit, quãtum Deus diligat hominem, & per hoc provocatur ad diligendum ipsum, in quo perfectio humanæ salutis consistit. Vnde Apostolus dicit Rom. 5. *Commendat Deus suam charitatem in nobis: quoniam, cùm peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*.

Quartò. Quia, sicut Habacuc fuit portatus per capillos in Babylonẽ in lacum, *Dan.* 14. sic Christus descendit propter electos ad inferos. Eph. 4. *Quòd autem ascendit, quid est, nisi quia descendit primùm in inferiores partes terræ? Glossa*: Id est ad inferos. Et Zach. 9. *Tu quoque in Sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua*. Ideo dicitur Dan. 7. *Capilli capitis eius velut lana munda*. Et his modis

Exivit Iesus portans Coronam

Sanctificationis. Adorationis.
Glorificationis. Retributionis.
Redemptionis. Præmiationis.
Exaltationis.

PRIMO. *Exivit Iesus portans Coronam sanctificationis*. Nam sanctificari est aliquid fieri sanctum: fit autem aliquid non solùm ex contrario, sed etiam ex negativè, vel privativè oppositò, sicut album fit ex nigro, & etiam ex non albo. Nos autem ex peccatoribus sancti efficimur; & ita sanctificatio nostra est ex peccato. 1. Cor. 6. *Et hoc quidam fuistis* (scilicet peccatores) *sed ablati estis, sed sanctificati estis*. Sed Christus quidem secundùm hominem factus est sanctus: quia hanc gratiæ sanctitatem non semper habuit;

buit; non tamen factus est sanctus ex peccatore: quia peccatum nunquam habuit, sed factus est sanctus ex non sancto secundùm hominem, non quidem privativè, ut scilicet aliquando fuerit homo, & non fuerit sanctus, sed negativè: quia scilicet quando non fuit homo, non habuit sanctitatem humanam; & ideo simul factus fuit homo, & sanctus homo. Propter quod dicit Angelus Lucæ 1. *Quod nascetur ex te Sanctum*. Quod exponens *Gregorius* 18. *moralium cap.* 34. dicit: Ad distinctionem nostræ sanctitatis, Iesus sanctus nascituros asseritur. Nos quippe, si sancti efficimur, non tamen nascimur: quia ipsâ naturæ corruptibilis conditione constringimur.) Ille autem solus veraciter natus est sanctus, qui ex conjunctione carnalis copulæ conceptus non est. Et Ioann. 10. *Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum*. Et sicut per verbum Dei omnia facta sunt; ita per Verbum incarnatum sunt omnes homines sanctificati, qui sanctificantur. Hebr. 2. *Qui sanctificat, & qui sanctificantur ex uno omnes*.

Est autem duplex sanctificatio. Una quidem adultorum, qui secundùm proprium actum sanctificantur. Alia autem puerorum, qui non sanctificantur secundùm proprium actum fidei, sed secundùm fidem Ecclesiæ, vel parentum. Prima autem sanctificatio est perfectior secundâ, sicut actus est perfectior quàm habitus, & quod est per se, eo quod est per aliud. Sanctificatio verò Christi fuit perfectissima: quia sic sanctificatus est, ut esset aliorum sanctificator dupliciter. Primò quidem per suam Passionem. Heb. ult. *Christus, ut sanctificaret per suum Sanguinem populum, extra portam passus est*. Secundò per baptismum. Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu sancto*, &c. Quia gratia collata est Animæ Christi sicut cuidam universali principio gratificationis in humana natura, secundùm illud Ephes. 1. cap. *Gratificavit nos in dilecto Filio suo*. Et sic exivit Iesus portans Coronam sanctificationis nostræ. Ideo dicitur Eccli. 32. *Ornamentum gratiæ accipias coronam*.

SECVNDO. *Exivit Iesus portans Coronam glorificationis*. Psal. *Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus eius*. Nam Christo collata est maior gloria, quàm Adæ primo homini in statu innocentiæ, ut patet ex privilegiis utriusque, quæ fuerunt duodecim.

Primum fuit formationis. Dicitur enim 1. Corinth. 15. *Primus homo de terra terrenus: secundus de cælo cælestis*. Christus enim dicitur de cælo descendisse dupliciter. Uno modo ratione Divinæ naturæ; non ita, quòd Divina natura esse in cælo desierit, sed quia in infimis novo modo esse cœpit, scilicet secundùm naturam assumptam, secundùm illud Ioan. 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo*. Alio modo ratione Corporis; non quòd ipsum Corpus Christi secundùm suam substantiam de cælo descenderit, sed quia virtute cælesti Spiritus sancti est eius Corpus formatum. Unde *Augustinus ad Orosium, & de verb. Apost. serm.* 14. exponens auctoritatem inductam dicit: Cælestem dico Christum: quia non ex humano cõceptus est semine. Et hoc modo eam etiam *Hilarius* exponit *lib. de Trinit.* Adam ergo fuit de terra terrenus, Christus autem de cælo cælestis.

Secundum fuit impletionis. Nam Incarnationis mysterium est primo homini revelatum, ut patet per hoc, quod dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis*, &c. quod Apostolus dicit esse magnum Sacramentum in Christo, & in Ecclesia, ut patet *Ephes.* 5. Sed per Iesum Christum est impletum. Unde *Augustinus* dicit *in lib. de verbis Apost. serm.* 8. exponens illud, quod habetur Lucæ 19. *Venit Filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat*: Si homo non periisset, Filius hominis non veniisset. Et 1. Timoth. 1. super illud verbum: *Christus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere*, dicit *Gregorius*: Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est causa medicinæ.

Tertium fuit visionis. Nam primus homo vidit Deum ut viator in ænigmate. Homo enim in paradiso fuit beatus non illa perfecta beatitudine, in quã transferendus erat, quæ in Divinæ essentiæ visione consistit; habebat tamen perfectam vitam secundùm quendam modum, in quantum habebat integritatem, & perfectionem quandam naturalem, ut dicit *Augustinus lib.* 11. *super Genesim ad litteram*. Unde dicitur 1. Corinth. 15. *Non prius quod spirituale est, sed quod animale*. Christus autem vidit Deum ut viator, & comprehensor sine ænigmate: quia Divinæ essentiæ visio convenit omnibus beatis secundùm participationem luminis derivati ad eos à fonte Verbi Dei, secũdùm id Eccli. 1. *Fons sapientiæ*

Ver-

Digitized by Google

Verbum Dei in excelſis. Huic autem Verbo Dei propinquiùs conjungitur Anima Chriſti, quæ eſt unita Verbo in perſona, quàm quævis alia creatura; & ideo pleniùs recipit influentiam luminis, in quo Deus videtur ab ipſo Verbo, quàm quæcunque alia creatura; & ideo præ ceteris creaturis perfectiùs videt ipsã primã veritatem, quæ eſt Divina eſſentia. Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius quaſi Vnigeniti à Patre plenum* non ſolùm *gratiæ*, ſed etiam *veritatis*. Et Eph. 1. *Deus conſtituit eum*, ſcilicet Chriſtum, *in cæleſtibus ſuper omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationem: & ſuper omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro.*

Quartum fuit cognitionis. Nam primus homo de rebus naturalibus, & ſupernaturalibus tantum cognovit, quantum erat neceſſarium ad gubernationem vitæ humanæ, ſecundùm ſtatum innocentiæ. Alia verò, quæ nec naturali hominis ſtudio cognoſci poſſunt, nec ſunt neceſſaria ad gubernationem vitæ humanæ, primus homo non cognovit: ſicut ſunt cogitationes hominum, futura contingentia, & quædam ſingularia, puta, quot lapides jacent in flumine, & hujuſmodi. Chriſtus autem cognovit omnia ſecundùm ſtatum Divinum: quia Anima Chriſti cognoſcit totam ſuam potentiam, & omnia, in quæ poteſt; poteſt autem in emundationem infinitorum peccatorum, ſecundùm illud 1. Ioann. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Ideo Anima Chriſti cognoſcit infinita: quia omnia, quæ ſunt in potentia creaturæ. Vnde, cùm in potentia creaturæ ſint infinita, per hunc modum ſcit infinita, præſertim cùm ſit nobis datus à Deo in Doctorem, ſecundùm illud Ioelis 2. *Lætamini in Domino Deo veſtro, qui dedit vobis Doctorem iuſtitiæ.*

Quintum fuit præſervationis. Nam primus homo non poterat decipi, niſi peccato præventus: quia intellectus non poterat decipi per æſtimationem falſi. Vnde & ſeductio mulieris, etſi præceſſerit peccatum operis, ſubſecuta eſt tamen peccatum internæ elationis. Dicit enim *Auguſtinus* 11. *ſuper Gen. ad litteram*, quòd mulier verbis ſerpentis non crederet, niſi jam ineſſet menti eius amor propriæ poteſtatis, & quædam de ſe ſuperba præſumptio. Chriſtus autem non potuit eſſe peccato præventus. Ioann. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et 1. Pet. 2. *Qui peccatum non fecit: nec dolus inventus eſt in ore eius.*

Sextum fuit dominationis. Nam primus homo habuit dominium ſupra omnia naturalia quantùm ad effectus naturales. Dicitur enim Gen. 1. de homine: *Præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis terræ.* In aliis enim animalibus invenitur ſecundùm exiſtimationem naturalem quædam participatio prudentiæ ad aliquos particulares actus. In homine autem invenitur univerſalis prudentia, quæ eſt recta ratio omnium agibilium: omne autem, quod eſt per participationem, ſubditur ei, quod eſt per eſſentiam, & hoc naturaliter; unde eſt naturalis ſubjectio aliorum animalium ad hominem. Chriſtus autem habuit dominium ſuper omnia quantùm ad effectus ſupernaturales. Nam Anima Chriſti, ſecundũ quod eſt inſtrumentũ Verbi Dei ſibi uniti, habuit inſtrumentalẽ virtutem ad omnes immutationes miraculoſas, ordinabiles ad finem Incarnationis, quæ eſt inſtaurare, ſive quæ in cælis, ſive quæ in terris ſunt. Matth. ult. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.*

Septimum fuit aſſimilationis. Nam Adam non aſſimilabatur, niſi duplici ſtatui hominũ: non enim pertinebat hoc ad originalem juſtitiam, quam Adam habuit in ſtatu innocentiæ, quòd anima hominis haberet virtutem tranſmutandi corpus proprium in quamcunq; formam, ſed quòd poſſet ipſum conſervare abſque nocumento; & hanc etiam virtutem Chriſtus aſſumere potuiſſet, ſi voluiſſet. Sed cùm ſint tres ſtatus hominum, ſcilicet innocentiæ, culpæ, & gloriæ, Adam non fuit in tertio ſtatu. Chriſtus autem, ſicut de ſtatu gloriæ aſsumpſit comprehenſionem, & de ſtatu innocentiæ immunitatem à peccato; ita de ſtatu culpæ aſsumpſit neceſſitatem ſubjacendi pœnalitatibus huius vitæ. Heb. 2. cap. *Debuit per omnia fratribus ſimilari.*

Octavum fuit incorruptionis. Nam homo in ſtatu innocentiæ erat incorruptibilis ex parte cauſæ efficientis: quia, ut dicit *Aug. lib. de quæſt. veteris, & novi teſtamenti*, Deus fecit hominem, qui, quamdiu non peccaret, immortalitate vigeret: ut ipſe ſibi auctor eſſet, aut ad vitam, aut ad mortem.) Non enim erat corpus eius indiſſolubile per aliquem indiſſolubilitatis vigorem in corpore exiſtentẽ, ſed inerat naturæ animæ vis quædam ſupernaturaliter data, per quam poterat corpus ab omni corruptione præſervare, quamdiu ipſa Deo ſubjecta manſiſſet; unde vis illa præſervandi corpus à corruptione, non erat

Digitized by Google

animæ humanæ naturalis, ſed per donum gratiæ. Et quamvis gratiam recuperaverit ad remiſſionem culpæ, & meritum gloriæ; non tamen ad amiſſæ immortalitatis effectum: hoc enim reſervabatur Chriſto, per quem naturæ defectus in melius recuperandus erat. Chriſtus autem habuit immortalitatem per gratiã, & gloriã: poterat enim ſuam Paſſionẽ, & mortẽ impedire; primò quidẽ adverſarios reprimendo, ut eum aut non vellent, aut non poſſent interficere, ut pluries fecit. Secundò, quia ſpiritus eius habebat poteſtatem conſervandi naturam carnis ſuæ, ne à quocunque læſivo inflicto opprimeretur, quod quidẽ habuit anima Chriſti; quia erat Verbo Dei conjuncta in unitate Perſonæ, ut *Auguſtinus* dicit *lib. 4. de Trinit.*

Nonum fuit perfectionis. Nam primus homo habuit perfectionem omnis virtutis ſecundùm ſtatus ſui condecentiam. Vnde *Auguſtinus homil. 11.* dicit: Princeps omnium vitiorum, dum vidit Adam de limo terræ ad imaginem Dei factum, pudicitiâ ornatum, temperantiâ compoſitum, charitate ſplendidum, &c. Habentur iſta *de pœnitentia diſt. 2. cap. Princeps*. Et ſic homo in ſtatu innocentiæ aliqualiter habuit omnes virtutes: quia ratio erat Deo ſubjecta, & inferiores vires erant rationi ſubjectæ. Virtutes autem ſunt quædam perfectiones, quibus ratio ordinatur in Deum, & inferiores vires animæ diſponuntur ſecundùm regulam rationis; unde rectitudo primi ſtatus hoc exigebat, ut homo aliqualiter omnes virtutes haberet. Chriſtus autem habuit perfectiones omnium virtutum ſecundùm plenitudinem gratiæ: quia quantò aliquod principium eſt perfectiùs, tantò magis imprimit ſuos effectus: cùm autem gratia Chriſti fuerit perfectiſſima; ideo ab ipſa proceſſerunt omnes virtutes, ad perficiẽdum ſingulas potentias Animæ, quantùm ad omnes Animæ actus. Vnde ſuper illud Pſalm. *Sed in lege Domini fuit voluntas eorum*, dicit *Gloſſa*: Hic oſtenditur Chriſtus plenus omni virtute, & bono.

Decimum fuit gubernationis. Nam primus homo eſt gubernator, & caput omnium naſcentium naturaliter: quia homo eſt naturaliter animal ſociale; unde homines in ſtatu innocentiæ vixiſſent ſocialiter. Socialis autem vita multorum non poſſet eſſe, niſi aliquis præſideret, qui ad bonũ cõmune intenderet: multi enim per ſe intendunt ad multa, unus verò ad unũ. Ideo *Phil.* dicit 1. *Pol.* quòd, quandocunq; multa ordinantur ad unũ, ſẽper invenitur unum ut principale, & dirigens. Chriſtus autem eſt gubernator, & Caput omnium naſcentium ſpiritualiter, ſed ſecundùm diverſos gradus. Primò, & principaliter eſt Caput eorum, qui actu ſibi uniuntur per gloriam. Secundò eorum, qui actu uniuntur ſibi per charitatem. Tertiò eorum, qui actu ſibi uniuntur per fidẽ. Quartò eorum, qui ſibi uniuntur ſolùm in potentia nondum ad actũ reducta, quæ tamen eſt ad actum reducenda ſecundùm Divinam prædeſtinationem, ſicut ſunt infideles per converſionem.

Vndecimum fuit aſſimilationis. Nam primus homo fuit ſimilis Deo ſecundùm duplicem imaginẽ, Chriſtus autẽ ſecundùm triplicem. Vnde ſuper illud Pſalm. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine*, *Gloſſa* diſtinguit triplicem imaginem, ſcilicet creationis, recreationis, & glorificationis. Imago enim Dei reperitur in homine tripliciter. Vno modo, ſecundùm quod homo habet aptitudinẽ naturalem ad intelligendũ, & amandum Deum; & hæc aptitudo conſiſtit in ipſa natura mentis, quæ eſt communis omnibus hominibus. Alio modo, ſecundùm quod homo actu, vel habitu cognoſcit, & intelligit Deum, ſed imperfectè; & hæc eſt imago per conformitatem gratiæ. Tertio modo, ſecundùm quod homo actu Deum cognoſcit, & amat perfectè; & ſic attenditur imago ſecundùm ſimilitudinem gloriæ. Primis duobus modis fuit imago Dei in Adam in ſtatu innocentiæ, ſed omnibus modis fuit in Chriſto.

Duodecimum fuit translationis. Nam primus homo fuit poſitus in paradiſo terreſtri. Gen. 2. *Tulit Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis*. Chriſtus autem eſt aſſumptus in paradiſo cæleſti. Eph. 4. *Aſcendit ſuper omnes cælos, ut impleret omnia*. Pſalm. *Aſcendit ſuper cælum cæli ad Orientem*. Et ſic patet corona glorificationis Ieſu Chriſti.

TERTIO. *Exivit Ieſus portans Coronam redemptionis*. Gentiles enim Coronam ſpineam Capiti ſuo impoſuerunt, quem cruentantes deriſoriè ſalutaverunt. Iudæi autem ipſum Cæſari poſtpoſuerunt, & *crucifige crucifige* clamaverunt. In ipſo enim modo Paſſionis Chriſti præfiguratus eſt effectus redẽptionis quoad utroſque, ſcilicet Iudæos, & Gentiles. Primò enim Paſſio Chriſti habuit effectum ſalutis in Iudæis, quorum plurimi

in

in morte Chriſti baptizati ſunt, ut patet *Act.* 2. & 3. Secundò verò, Iudæis prædicantibus effectum Paſſionis Chriſti, tranſivit ad Gentes; & ideo conveniens fuit, ut Chriſtus à Iudæis pati inciperet, & poſtea Iudæis tradentibus per manus Gentilium eius Paſſio finiretur. Quia verò Chriſtus ad oſtendendam abundantiam charitatis ſuæ, ex qua patiebatur, in Cruce poſitus veniam peccatoribus poſtulavit; huius petitionis fructus ad Iudæos, & Gentiles pervenit, à quibus patiebatur. Ideo dicitur Cant. 3. cap. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua.*

Debemus autem egredi à quatuor, quæ nos impediunt à fructu redemptionis. 1. A vitio, conformando voluntatem noſtram Divinæ voluntati. Matth. 26. *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis.* Quod dicit: quia rectum vult eſſe hominem, & ad Deum dirigi, ut *Auguſtinus* exponit *in Enchirid.* Et ſuper illud Pſalm. *Rectos decet collaudatio*, dicit *Glo.* Rectum cor habet, qui vult, quod Deus vult, ſcilicet, ut homo velit aliquid ex charitate, ſicut Deus vult.

2. Ab odio. Nam odium nunquam vinceret amorem, niſi propter amorem majorem, cui odium correſpondet. Sic homo magis diligit ſeipſum, quàm amicum; & propter hoc quod diligit ſe, habet odio etiam amicum, ſi ſibi contrarietur.

3. A Paſſione. Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Quia paſſio ligat rationem; imo cùm paſſiones intenduntur, ligant totaliter uſum rationis: multi enim propter abundantiam amoris, & iræ verſi ſunt in inſaniam.

4. A vindicta. Nam pecatum Iudæorum crucifigentium Chriſtum, quod proceſſit ex invidia, odio, & vindicta, fuit graviſſimum: ſicut dixit Chriſtus Pilato Ioannis 19. *Qui tradidit me tibi, maius peccatum habet.*

QVARTO. *Exivit Ieſus portans Coronam exaltationis.* Nam meritum importat quandam æqualitatem juſtitiæ. Vnde Apoſtolus Rom. 4. dicit: *Ei qui operatur, merces imputatur ſecundùm debitum.* Cùm enim aliquis ſibi ex juſta voluntate ſubtrahit quod debet habere, meretur, ut ſibi amplius aliquid ſuperaddatur, quaſi merces juſtæ voluntatis. Et inde eſt, quòd dicitur Luc. 18. cap. *Qui ſe humiliat, exaltabitur.* Cùm autem Chriſtus in ſua Paſſione ſe humiliaverit infra ſuam dignitatem uſque ad confuſionem, & opprobria, quæ ſuſtinuit; ideo per ſuam Paſſionem, & præcipuè per Coronationem ſpinarum meruit exaltationem quantùm ad conſeſſum Paternæ dexteræ, & manifeſtationem Divinitatis ipſius, ſecundùm illud Iſa. 52. *Exaltabitur, & elevabitur, & ſublimis erit valde: ſicut obſtupuerunt ſuper eum multi; ſic inglorius erit inter viros aſpectus eius.* Et Philip. 2. dicitur: *Factus eſt obediens uſque ad mortem; mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi Nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Vt ab omnibus nominetur Deus, & omnes ſibi reverentiam exhibeant, ſicut Deo; & hoc eſt, quod ſubditur: *Vt in Nomine Ieſu omne genu flectatur: cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Et Iſa. 62. cap. *Eris Corona gloriæ in manu Domini: & diadema regni in manu Dei tui.*

QVINTO. *Exivit Ieſus portans Coronam adorationis.* Cùm enim in Chriſto ſit una tantùm Perſona Divinæ & humanæ naturæ, & etiam una hypoſtaſis, & unum ſuppoſitum; ideo eſt una adoratio, & unus honor ex parte eius, qui adoratur. Vnde *Damaſcenus* congruè dicit: Adoratur Caro Chriſti incarnato Dei Verbo non propter ſeipſam, ſed propter unitum ei ſecundùm hypoſtaſim Verbum Dei. Et ſuper illud Pſalm. *Adorate ſcabellum pedum eius*, dicit *Gloſſa*: Qui adorat Corpus Chriſti, non terram intuetur, ſed illum potiùs, cuius ſcabellum eſt, in cuius honore ſcabellum adorat. Et *in capitulis quintæ Synodi* dicitur: Si quis duabus naturis adorari dicit Chriſtum, ex quo duæ adorationes introducuntur, ſed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipſius carne adorat, ſicut ab initio Eccleſiæ Dei traditum eſt, talis anathema ſit.

SEXTO. *Exivit Ieſus portans Coronam retributionis*, quantùm ad poteſtatem judiciariam. Vnde affirmat Iob 36. *Cauſa tua quaſi impii iudicata eſt: cauſam, iudiciumque recipies.* Et *Auguſtinus lib. de verbis Domini* dicit: Sedebit judex, qui ſterit ſub judice. Dãnabit veros reos, qui falsò factus eſt reus.) Nam judiciaria poteſtas homini Chriſto cõpetit, tum propter Divinam Perſonam, tum propter Capitis dignitatem, tum propter plenitudinem gratiæ habitualis, tum ex merito, ſcilicet ut ſecundùm Dei juſtitiam judex eſſet, qui pro Dei juſtitia pugnavit, & vicit, & injuſtè judicatus eſt. Vnde ipſe dicit Apocal. 3. *Ego vici, & ſedi cum Patre meo in thro-*

throno eius. In throno autem intelligitur judiciaria poteſtas, ſecundùm illud Pſal. *Sedet ſuper thronum, & iudicat aquitatem*.

SEPTIMO. *Exivit Ieſus portans Coronam premiationis*. Pſalm. *Poſuiſti in capite eius Coronam de lapide pretioſo*. Sicut enim lapides pretioſi firmantur in corona, & ipſam ornant, & ipſa eſt ornamentum coronati; ſic in merito Chriſti firmantur omnes electi, & ſunt ad ornamentum gloriæ ſuæ, prout patuit in Ioſeph, qui venditus à fratribus ſuis ductus eſt in Ægyptum, & non fuit factus eunuchus, ne Pharao abuteretur eo, quem à tam gravi peccato Dominus cuſtodivit Pharaone infrigidato; unde propter fidem, & caſtitatem à domina ſua accuſatus incarceratus fuit. Inde autem extractus, & dominus Ægypti conſtitutus, dum circuiret Ægyptum, declinavit ad domum Putipharis Principis ſatraparum Pharaonis, cui erat filia ſpecioſiſſima nomine Aſeneth, ſed idololatra, quæ idola abjecit, ut Ioſeph haberet ſponſum, *Gen.* 41. *cap.* Ad hanc autem deſponſandam acceſſit Ioſeph indutus tunicâ candidâ, & cum aurea corona in curru aureo. In corona verò erant inſerti duodecim lapides pretioſi, ſuper quibus erant totidem aſtra aurea, & virga regia in manu eius, ut dicitur *in ſpeculo hiſtoriali lib.* 2. *cap.* 18. Hæc omnia fuerunt figura Chriſti, præcipuè corona, in qua ſunt duodecim tribus Iſrael, ſuper quibus ſunt totidem Apoſtoli, ut patet *Apoc.* 12. Et ſic Corona Chriſti eſt numerus omnium ſalvandorum, qui decorant Chriſtum hìc in ſtatu gratiæ, noviſſimè autem in ſtatu gloriæ. Amen.

SERMO XXXII.

IN FESTO VICTORIAE SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI.

Hic maior eſt in regno cælorum. Matth. 18. cap.

BEatus Bernardus ſuper Pſalm. *Qui habitat, ſerm.* 12. dicit: Domine, quid eſt homo, quia innotuiſti ei, aut filius hominis, quia reputas eum? Denique mittis ei Vnigenitum tuum, immittis Spiritum tuum, promittis vultum tuum. Et ne quid vacet in cæleſtibus ab opere ſolicitudinis, illos etiam beatos Spiritus propter nos mittis in miniſterium noſtrum, cuſtodiæ noſtræ deputas, noſtros fieri jubes pædagogos.) Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtrum in Eccleſia militante Archangelus Michael maiorem dignitatem aſſequatur, cuius officio diligentiùs à Deo gubernatur?

AD iſtam quæſtionem reſpondent duo Doctores. Primus veteris Teſtamenti eſt Daniel. 10. cap. dicens: *Michael unus de Principibus primis venit in adiutorium meum*.

Secundus novi Teſtamenti eſt Ioannes Apoc. 12. cap. dicens: *Factum eſt prælium magnum in cælo. Michael, & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius: & non valuerunt, neque inventus eſt locus eorum amplius in cælo*.

Sciendum, quòd ſecundùm *Glo.* ſuper illud Matth. 22. *Simile eſt regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias*, &c. per regnum cælorum præſens Eccleſia, ſive congregatio juſtorum intelligitur: hanc autem Eccleſiam gubernat Deus per Angelos. Vnde *Auguſtinus* dicit 3. *de Trinitate cap.* 4. Quemadmodum corpora groſſiora, & inferiora per ſubtiliora, & potentiora quodam ordine reguntur; ita omnia corpora per ſpiritum vitæ rationalem; & ſpiritus vitæ rationalis deſertor, atque peccator per ſpiritum vitæ rationalem, pium, & juſtum, & ille per ipſum Deum.) Nam tam in rebus humanis, quàm etiam naturalibus

bus hoc cõmuniter invenitur, quòd poteſtas particularis gubernatur, & regitur à poteſtate univerſali, ſicut poteſtas Ballivi gubernatur per poteſtatem Regis. Superiores autem Angeli, qui præſunt inferioribus, habent ſcientiam magis univerſalem; ſed virtus cujuſlibet corporis eſt magis particularis, quàm virtus ſpiritualis ſubſtantiæ: nam omnis forma corporalis eſt individuata per materiam, & determinata ad hic & nunc, formæ autem immateriales ſunt abſolutæ, & intelligibiles; & ideo, ſicut inferiores Angeli, qui habent formas minus univerſales, reguntur per ſuperiores, ita omnia corporalia reguntur per Angelos: ſed actio, quam Angelus exercet, procedit à Deo, velut à primo principio (cuius nutu, & auctoritate Angeli operantur) & in Deum reducitur, ſicut in ultimum finem. Et hoc facit miniſterium. Nam miniſter eſt ſicut inſtrumentum intelligens; inſtrumentum autem ab alio movetur, & eius actio ad aliud ordinatur. Vnde actiones Angelorum miniſteria vocantur, & propter hoc dicuntur in miniſterium mitti. Heb. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*. Inter hos autem Angelos miſſos circa homines præcipuum eſt miniſterium beati Michaelis. Ideo

Hic maior eſt in regno

Archangelorum. Paganorum.
Patriarcharum. Electorum.
Prophetarum. Sanctorum.
Chriſtianorum.

PRIMO. *Sanctus Michael eſt maior in regno Archangelorum*. Vnde cantat Eccleſia: *Collaudemus venerantes omnes cœli milites, ſed præcipuè primatem cœleſtis exercitus Michaelem*. Computatur enim in ordine Principatuum, de quo ordine ſanctus *Thomas prima parte quæſt. 108. artic. 5. & 6.* dicit: Principari verò, ut *Gregorius hom. 24. in Evang.* dicit, eſt inter reliquos priorem exiſtere, quaſi primi ſint in executione eorum, quæ imperantur. Et ideo *Dionyſius* dicit 9. *cap. cœle. Hierarch.* quòd nomen Principatuum ſignificat ductivum in ordine ſacro.) Illi enim, qui alios ducunt, primi inter eos exiſtentes, Principes propriè vocantur, ſecundùm illud, Pſalm. *Prævenerunt Principes conjuncti pſallentibus*. Secundùm *Gregorium* autem *loco cit.* Archangeli dicuntur ex eo, quòd principantur ſoli ordini Angelorum, quaſi magna nunciantes. Principatus autem dicuntur ex eo, quòd principantur omnibus cœleſtibus Virtutibus Divinas juſſiones explẽtibus: executio enim Angelicorũ miniſteriorum conſiſtit in annunciando Divina. In executione autem cujuslibet actus ſunt quidam quaſi incipientes actionem, & alios ducentes, ſicut in cantu præcentores, & in bello illi, qui alios ducunt, & dirigunt; & hoc pertinet ad Principatus: alii verò ſunt, qui ſimpliciter exequuntur, & hoc pertinet ad Angelos: alii verò medio modo ſe habent, quod ad Archangelos pertinet. Principatus ergo ſunt primi in executione Divinorum miniſteriorum, utpote præſidentes gubernationi gentium, & regnorum, quod eſt primum præceptum in Divinis miniſteriis: nam bonum gentis eſt divinius, quàm bonum unius hominis. Primus ergo ordo poſt Dominationes dicitur Principatuum, qui etiam bonis ſpiritibus principatur, ut *Greg.* exponit. *Hæc S. Thomas*.

Sanctus Michael in prælio habito cum Lucifero fuit Dux, & Princeps; unde vicit Luciferum cum angelis ſuis, & de cælo in hunc aerem caliginoſum, & in profundum abyſſi tandem dejecit. Vnde cantat Eccleſia: *Michaelem in virtute conterentem Zabulon*. De iſto prælio dicitur Apoc. 12. cap. *Et proiectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus, & ſatanas; proiectus eſt in terram, & angeli eius cum illo miſſi ſunt*. Non enim permiſſum eſt eis habitare in ſuperiori parte aeris; quia locus lucidus eſt, & clarus: nec in mundo nobiſcum; quia nimis nos ſuis tentationibus infeſtarent: ſed in medio aeris, ut, dum ſurſum reſpiciunt, & vident gloriam, quam amiſerunt, inde dolorem habeant; & dum inferius proſpiciunt, & vident homines illuc aſcendere, unde ipſi ceciderunt, inde invidiâ torqueantur. Vnde Epheſ. 6. cap. *Non eſt nobis colluctatio adversùs carnem, & ſanguinem, ſed adversùs principes tenebrarum harum contra ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus*. Et ſic Michael eſt major in regno Archangelorum.

SECVNDO. *Sanctus Michael eſt maior in regno Patriarcharum*. Vnde *Sanctus Thomas parte prima quæſt. 113. artic. 1. & ſeq.* Ad bonum operandum duo concurrunt. Primò quidem, quòd affectus inclinetur ad bonum,

quod

quod quidem fit in nobis per habitum virtutis moralis. Secundò, quòd ratio inveniat congruas vias ad perficiendum bonum virtutis, quòd quidem *Philosophus* attribuit providentiæ. Quantùm ergo ad primum, Deus hominem custodit immediatè, infundendo ei gratiam, & virtutes. Quantùm ad secundum, Deus custodit hominem sicut universalis instructor, cuius instructio pervenit ad homines mediantibus Angelis. Custodia autem humanæ multitudinis ad ordinem Principatuum pertinet. Vnde & Michael unus de Principibus dicitur *Danielis* 10. Inferiores autẽ Angeli exercẽt officiũ superioris, in quãtum aliquid de bono eorũ participant, & se habent ad superiores sicut executores virtutis eorum. Homo enim in statu innocentiæ non patiebatur aliquod periculum ab interiori, quia interius erant omnia ordinata: sed imminebat ei periculum ab exteriori propter insidias dæmonum, ut rei probavit eventus; & ideo indigebat custodiâ Angelorum. Etiam Angeli, qui subverterunt Sodomam, percussernnt Sodomitas cæcitate, ut ostium domus invenire non possent, ut dicitur *Gen.* 19. *Hæc Sanctus Thomas*.

Io homine potentia operativa sæpiùs impeditur, ne exeat in opus propter mundi oppressionem. Ioann. 16. *In mundo pressuram habebitis*. Sed istud impedimentum removent Principatus, qui faciunt nos mundanis omnibus principari. Hoc significatum est *Gen.* 32. ubi, cùm Iacob Esau valde timeret, Angelos sibi obvios habuit, ipsum adjuvàre paratos, & ait: *Castra Dei sunt hic*. Tunc Angelus tria bona Iacob dedit: quia ipsum contra Esau constantem fecit, Israel nomen ei imposuit, & nervum femoris eius percussit, & emarcuit. Hæc autem omnia spectant ad Principatus, in quorum ordine primus est Michael, qui mandavit Angelo, ut diceret Agar ancillæ, quòd ad dominam suam rediret, & se humiliaret, *Gen.* 16. *cap.*

TERTIO. *Sanctus Michael est maior in regno Prophetarum*: quoniam prophetica revelatio fit per Angelos. Vnde *sanctus Thomas secunda secundæ quæst.* 172. *artic.* 2. dicit: Sicut dicit Apostolus Rom. 13. *Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt*. Habet autem hoc Divinitatis ordo, sicut *Dionysius* dicit, ut infima per media disponat. Angeli autem medii sunt inter Deum, & homines, utpote plus participantes de perfectione Divinę bonitatis, quàm homines; & ideo illuminationes, & revelationes Divinæ à Deo ad homines per Angelos deferuntur. Prophetica autem cognitio fit secundùm illuminationem, & revelationem Divinam; unde manifestum est, quòd fiat per Angelos. Dicit enim *Dionysius* 4. *cap. cæleſt. Hierarch.* Divinas visiones glorioſi Patres nostri adepti sunt per medias cæleſtes Virtutes. *Hæc sanctus Thomas*.

Sanctus Michael fuit Princeps Synagogæ, secundùm quod dicitur Dan. 10. *Nemo mihi adiutor est, nisi Michael Princeps vester*. Circa quam fecit quatuor.

Primò, miranda. Nam ipse fuit ille Angelus, qui plagas Ægyptiis intulit, qui mare divisit, qui in columna ignis & nubis populum Israeliticum antecessit, qui in terram promissionis Hebræos introduxit.

Secundò, stupenda. Sciens enim diabolus Iudæos ad idololatriam promptos esse, volebat corpus Moysis honorificè sepeliri, ut Iudæi suas idololatrias ibi exercerent. Sed Michael victòriam obtinuit: quia Moysis corpus ab omnibus abscondit. Vnde in canonica Iudæ dicitur: *Cùm Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit: Imperet tibi Deus*. Fortè etiam ista altercatio fuit: quia diabolus dicebat se in Moyse propter peccatum ad aquas contradictionis aliquod jus habere. Sed, cùm Michael culpam sibi remissam assereret, & diabolus adhuc instaret, Michael dixit: *Imperet tibi Deus*.

Tertiò, protegenda. Nam cùm Syri obsiderent civitatem Samariæ, dixit Eliseus: *Plures nobiscum sunt, quàm cum illis*. Et loquebatur de Angelis, quorum Princeps erat Michael, qui percussit Syros cæcitate, quos Eliseus duxit in Samariam, ut habetur 4. *Reg.* 6. *c.*

Quartò, adjuvanda. Dicitur enim Dan. 10. cap. ex persona Gabrielis Archangeli: *Princeps regni Persarum restitit mihi viginti & uno diebus: & ecce Michael unus de Principibus primis venit in adiutorium meum*. Super quo *sanctus Thomas parte prima quæst.* 113. *artic.* 8. dicit: *Hieronymus* exponens hæc verba, dicit, Principem regni Persarum esse Angelum, qui se opposuit liberationi populi Israelitici, pro quo Daniel orabat, Gabriele preces Deo præsentante. Hæc autem resistentia potuit fieri: quia princeps aliquis dæmonum Iudæos in Persidem ductos ad peccatum induxerat, per quod impedimentum præstabatur orationi Danielis pro eodem populo deprecantis. Sed se-

Digitized by Google

ſecundùm *Gregorium lib.* 17. *moralium cap.* 7. Princeps regni Perſarum fuit bonus Angelus cuſtodiæ illius regni deputatus. Ad videndum ergo, qualiter unus Angelus alteri reſiſtere dicitur, conſiderandum eſt, quòd Divina judicia circa diverſa regna, & diverſos homines per Angelos exercentur; in ſuis autem actionibus Angeli ſecundùm Divinam ſententiam regulantur. Contingit autem quandoque, quòd in diverſis regnis, vel in diverſis hominibus contraria merita, vel demerita inveniuntur, ut unus alteri ſubdatur, aut præſit. Quid autem ſuper hoc ordo Divinæ providentiæ habeat, cognoſcere non poſſunt, niſi Deo revelante; unde neceſſe habent, ſuper his Divinam ſapientiam conſulere. Sic ergo in quantum de contrariis meritis, & ſibi repugnantibus Divinam conſulunt voluntatem, reſiſtere ſibi invicem dicuntur, non quia ſint eorum contrariæ voluntates (cùm in hoc omnes concordent, quòd Dei ſententia impleatur) ſed quia ea, de quibus conſulunt, ſunt repugnantia. *Hæc ſanctus Thomas.*

QVARTO. *Sanctus Michael eſt maior in regno Chriſtianorum.* Nam, ut dicit *ſanctus Thomas parte prima queſt.* 111. *artic.* 1. ad fidem duo concurrunt. Primò quidem habitus intellectus, quo diſponitur ad obediendum voluntati tendenti in Divinam veritatẽ. Intellectus enim aſſentit veritati fidei, non quaſi convictus ratione, ſed quaſi imperatus à voluntate: nullus enim credit, niſi volens, ut *Auguſtin.* dicit *tract.* 26. *in Ioann.* Et quantum ad hoc fides eſt à ſolo Deo. Eph. 2. *Gratiâ eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt.* Secundò. Requiritur ad fidem, quòd credibilia proponantur credenti, & hoc quidem per hominem fit, ſecundùm quod fides eſt ex auditu, ut dicitur *Rom.* 10. Sed principaliter per Angelos, per quos hominibus revelantur Divina. Vnde Angeli aliquid operantur ad illuminationem fidei, & tamen homines illuminantur ab Angelis, non ſolùm de credendis, ſed etiam de agendis, ſecundùm quod *Dionyſius* probat 3. *cap. cæle. Hierarch.* quòd revelationes Divinorum perveniunt ad homines mediantibus Angelis. *Hæc Sanctus Thomas.*

Sanctus Michael inſtruit Eccleſiam Dei de credendis, quod patet ex quatuor. Primò. Quia eſt Princeps Eccleſiæ Chriſti. Poſtquam enim Iudæa Dominum crucifixit, Michael factus eſt Princeps Eccleſiæ. Vnde refert *Ioſephus*, quòd auditæ ſunt voces Angelorum dicentium: *Tranſeamus ab his ſedibus.* Etiam ipſe ſolus inter ſanctos Angelos aciei Chriſti Signifer habetur, ſecundùm quod cantat Eccleſia: *Signifer ſanctus Michael repræſentet eas in lucem ſanctam.* Et iterum. *Dum ſacrum myſterium cerneret Ioannes, Archangelus Michael tubâ cecinit: Dignus es, Domine Deus noſter, accipere librum, & ſolvere ſignacula eius.* Et ſumitur ex c. 5. Apoc. ubi dicitur: *Vidi Angelum fortem, prædicantem voce magna: Quis eſt dignus aperire librum, & ſolvere ſignacula eius?* &c.

Secundò. Quia eſt inſtructor Eccleſiæ. Quicquid enim virtutis, juſtitiæ, miſericordiæ, & obſervantiæ legis Chriſti eſt in nobis, ut dicit *Gregorius*, ab inſtructione Michaelis procedit. Vnde iſte eſt ille Angelus, qui *ligavit diabolum per annos mille, ut non ſeducat gentes, donec conſummentur mille anni*, ut dicitur Apoc. 20. Iſte eſt ille Angelus, qui cum magno exercitu Angelorum Divinis intereſt myſteriis in altari, cùm hoſtia conſecratur. Iſte eſt ille Angelus, qui Sipontinis victoriam dedit, & contra adverſarios omnia elementa pugnare fecit. Terram: quia mons Garganus contremuit. Aerem: quia caligo tenebroſa totum montem obduxit. Ignem: quia fulgura crebra volabant. Aquam: Vnde cantat Eccleſia: *Concuſſum eſt mare; & contremuit terra, ubi Archangelus Michael deſcendebat de cælo.* Et hæc pugna vocatur Victoria ſancti Michaelis, quæ celebratur octavo Idus Maii. Romæ autem eodem die celebratur apparitio ſancti Michaelis: quia eodem die apparuit Michael Archangelus beato Gregorio Papæ, tergens gladium à peſte inguinaria, quam Deus Romanis immiſerat.

Tertiò. Quia eſt deſtructor Antichriſti. Sicut enim dicit *Gloſſa* ſuper illud Apoc. 13. *Vidi unum de capitibus ſuis quaſi occiſum in mortem*: Antichriſtus mortuum ſe finget, & per triduum latens, poſtea apparebit, dicens ſe ſuſcitatum, & ferentibus eum dæmonibus in aere aſcendet, & univerſis mirantibus adorabunt eum. Tandem dum ſtabit in papilione ſuo in monte Oliveti, Michael ipſum occidet, ut dicit *Gloſſa* ſuper illud 2. Theſſal. 2. *Quem Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui.*

Quartò. Quia eſt conductor judicii. Quia ad vocem ipſius omnes reſurgemus, ſecundùm illud 1. Theſſal. 4. cap. *Ipſe Dominus in juſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcen-*

ſcendet de cælo: & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Etiam in die judicii Crucem, clavos, lanceam, & Coronam ſpineam Chriſto præſentabit, ut omnes agnoſcant, quàm juſtè judicetur.

QVINTO. *Sanctus Michael eſt maior in regno Paganorum*. Vnde *ſanctus Thomas parte prima quæſt.* 113. *artic.* 4. *ad tertium* dicit: Sicut infideles, & etiam Antichriſtus non privantur interiori auxilio naturalis rationis; ita etiam non privantur exteriori auxilio toti naturæ humanæ divinitùs conceſſo, ſcilicet cuſtodiâ Angelorum, per quam, etſi non juventur quantùm ad hoc, quòd vitam æternam bonis operibus mereantur (quia infideles etiam interdum bona faciunt, ſed non benè: quia non recta intentione faciunt: quoniam fides intentionem dirigit, ut *Auguſtinus* dicit:) juvantur tamen quantùm ad hoc, quòd ab aliquibus malis retrahuntur, quibus ſibi ipſis, & aliis nocere poſſunt. *Hæc ſanctus Thomas*.

Sciendum, quòd Michael Archangelus plura ſigna oſtendit infidelibus, quibus poterant Deum verum cognoſcere, & ab idololatria ſua ceſſare.

Primò. Tempore Abrahæ, quem unum verum Deum prædicantem jactaverunt in ignem; ſed Michael Archangelus ipſum liberavit de Vr, id eſt, igne Chaldæorum, *Gen.* 15. *cap.*

Secundò. Tempore Moyſis immolato agno in Ægypto ſignatis eius ſanguine domibus Hebræorum, Michael adveniens, percuſſis Ægyptiorum primogenitis, poſt graves plagas in mari ſubmerſit Pharaonem, & exercitum eius.

Tertiò. Tempore Iudicum debellatis triginta & uno Regibus Chananæorum per Ioſue, diruptis muris Iericho ad ſonum tubarum, *Ioſue* 11. Percuſſis centum viginti millibus bellatorum per Gedeonem, & trecentos viros comites eius, *Iudicum* 7. Proſtratis mille viris cum mandibula aſinæ per Samſonem, *Iudic.* 15. Percuſſis Philiſthæis in ſecretiori parte naturæ, quia arcam Domini irreverenter tractaverunt, 1. *Reg.* 5. Michael eis demonſtravit viam veritatis, quam ferre neglexerunt.

Quartò. Tempore Regum Michael percuſſit centum octogintaquinque millia virorum, qui venerant cum Senacherib Rege Aſſyriorum, ut prophanarent templum, 4. *Reg.* 19. *cap.* Etiam percuſſit centum mille pedites de Syris, qui venerant cum Benadad contra populum Dei, 3. *Reg.* 20. *cap.* Vbi ergo ſunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam? Cur eis non ſunt opitulati, & in neceſſitatibus non protexerunt? Hæc ſigna demonſtravit Sanctus Michael, ut colerent unum verum Deum, ſed noluerunt.

SEXTO. *Sanctus Michael eſt maior in regno electorum*. Vnde cantat ſancta Mater Eccleſia: *Archangele Michael, conſtitui te Principem ſuper omnes animas ſuſcipiendas*. Habet enim officium ponderandi; propterea in Eccleſiis pingitur ponderans animas. Dicitur enim Dan. 5. *Appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens*.

Sunt enim quatuor differentiæ animarum. Quædam ſunt vacuæ, quæ nulla ſecum merita portaverunt. Iſtas appendet, & dicet: *Appenſus es in ſtatera, & inventus es nihil habens*.

Quædam ſunt ſemiplenæ, quæ aliqua bona fecerunt, ſed tepidè, & negligenter. Iſtas ponderabit, & dicet: *Appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens*.

Quædam ſunt plenæ, quæ multa ſecum merita portaverunt. Iſtas ponderabit, & dicet: *Appenſus es in ſtatera, & inventus es ſatis habens*.

Quædam ſunt ſuperplenæ, quæ non tantùm præcepta, ſed etiam conſilia ſervaverunt. Iſtas ponderabit, & dicet: *Appenſus es in ſtatera, & inventus es multum habens*.

SEPTIMO. *Sanctus Michael eſt maior in regno Sanctorum*. Habet enim officium deportandi cum ceteris Angelis ſibi ſubjectis animas in paradiſum. Vnde cantat Eccleſia: *Venit Michael Archangelus cum multitudine Angelorum, cui tradidit Deus animas Sanctorum, ut perducat eas in paradiſum exultationis*.

Data eſt poteſtas Archangelo Michaeli ſuper animas Sanctorum, Portat enim eas valde reverenter: quia non humeris, ſed manibus. Pſalm. *In manibus portabunt te*.

Portat valde diligenter: quia ab omnibus offendiculis defendit. Ibidem: *Ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum*.

Portat valde gaudenter: quia cum canticis, & jubilationibus. Iſa. 55. cap. *In lætitia egrediemini: & in pace deducemini*.

Portat valde humiliter: quia pauperes, & mendicos non contemnit. Luc. 16. *Factum eſt, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis*

Digitized by Google

gelis in ſinum Abrahæ.

Quam ſecuræ ergo ſunt animæ, quæ talem habent portatorem, ſicut aliquando ſocius in itinere alium portat, non humeris, ſed ſolatiis. Iſa. 55. *Montes, & colles cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu.* Id eſt, Angeli majores, & minores, quorum orationes perducant nos ad regna cælorum. Amen.

SERMO XXXIII.

IN FESTO SANCTI BARNABAE APOSTOLI.

Eſt Is civis Sanctorum. Eph. 2. cap.

BEatus Auguſtinus *lib. 10. de civitate Dei cap. 32.* dicit: Nos; & Beati una civitas ſumus Dei, cuius una pars in nobis peregrinatur, pars etiam illis opitulatur. Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtrum beatus Barnabas virtute ſummæ charitatis meruit aſcribi civibus ſuperne civitatis?

AD iſtam quæſtionem reſpondent duo Doctores novi Teſtamenti. Primus eſt *Beatus Auguſtinus lib. ſent. ſuarum ſent. 221.* dicens: Duas civitates faciunt duo amores. Ieruſalem facit amor Dei, Babyloniam facit amor ſeculi. Interroget ergo ſe quiſque, quid amet, & inveniet, ubi ſit civis; & ſi invenerit ſe civem Babyloniæ, extirpet cupiditatem, plantet charitatem. Si autem invenerit ſe civē Ieruſalem, colat charitatem, ſperet libertatem.)

Secundus eſt ſanctus *Thomas de virtutibus quæſt. 2. arti. 2. in reſp. ad arg.* dicens: *Philoſophus* dicit 8. *Politicorum*, quòd ad hoc, quòd aliquis ſit bonus politicus, requiritur, quòd amet bonum civitatis. Sicut autem homo, in quātum admittitur ad participandum bonum alicuius civitatis, efficitur civis illius civitatis, & competunt ei virtutes quædā ad operādum ea, quæ ſunt civium, & ad amandum bonum civitatis; ita cùm homo per Divinam gratiam admittatur in participationē cæleſtis beatitudinis, quæ in viſione, & fruitione Dei conſiſtit, fit quaſi civis, & ſocius illius beatæ ſocietatis, quæ vocatur cæleſtis Ieruſalem, ſecundùm illud Epheſ. 2. *Eſtis cives Sanctorum, & domeſtici Dei.* Vnde homini ſic ad cæleſtia aſcripto competunt quædam virtutes gratuitæ, quæ ſunt virtutes infuſæ, ad quarum debitam operationem præexigitur amor boni communis toti ſocietati, quod eſt bonum Divinum, prout eſt beatitudinis objectum. Amare autem bonum alicuius civitatis contingit dupliciter: uno modo ut habeatur, alio modo ut conſervetur. Amare autem bonum civitatis, ut habeatur, & poſſideatur, non facit bonum politicum: quia ſic etiam tyrannus amat bonum civitatis, ut ei dominetur, quod eſt magis amare ſeipſum, quàm civitatem: ſibi enim ipſi hoc bonum concupiſcit, non civitati. Sed amare bonum civitatis, ut conſervetur, & defendatur, hoc eſt verè amare civitatem, quod bonum politicum facit in tantum, quòd aliqui propter bonum civitatis conſervandum, vel ampliandum ſe periculis mortis exponant, & negligant privatum bonum. Sic ergo amare bonum, quod à Beatis participatur, ut habeatur, vel poſſideatur, non facit hominem benè ſe habentem ad beatitudinem: quia etiam mali illud bonum concupiſcunt. Sed amare illud bonum ſecundùm ſe, ut permaneat, & diffundatur, & ut nihil contra illud bonum agatur, hoc facit hominem bene ſe habentem ad illam ſocietatem beatorum. Et hæc eſt charitas, quæ Deum propter ſe diligit, & proximos, qui ſunt capaces beatitudinis, ſicut ſeipſos, & quæ repugnat omnibus impedimentis beatitudinis, & in ſe, & in aliis. Vnde nunquam poteſt eſſe cum peccato mortali, quod eſt

beatitudinis impedimentum.

Et *ibid. artic.* 11. *ad 6.* ait: Tres autem gradus poſſumus conſiderare in charitate. Deus enim maximè propter ſeipſum eſt diligendus. Sunt enim quidam, qui libenter, vel ſine magna moleſtia ſeparantur à vacatione Divinæ contemplationis, ut terrenis negotiis implicentur; & in his, vel nihil, vel modicum charitatis apparet. Quidam verò in tantũ delectantur in vacatione Divinæ contemplationis, quòd eam deſerere nolunt, etiam ut Divinis obſequiis mancipentur ad ſalutem proximorum. Quidam verò ad tantum culmen charitatis aſcendunt, quòd etiam Divinam contemplationem, licèt in ea maximè delectentur, prætermittunt, ut Deo ſerviant in ſalutem proximorum; & hæc perfectio in Paulo apparuit, qui dicebat Rom. 9. cap. *Optabam anathema*, id eſt, ſeparatus *eſſe à Chriſto pro fratribus meis*. Et Phil. 1. *Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, multò magis melius: permanere autem in carne, neceſſarium propter vos*. Et hæc perfectio eſt propriè Apoſtolorum, qui pro tuenda ſalute aliorum inſtiterunt. Vnde ſignificatur per Angelos in ſcala Iacob, aſcendentes quidem per contemplationem, deſcendentes verò per ſolicitudinem, quam de ſalute proximorum gerunt. *Hæc Sanctus Thomas*.

Beatus Barnabas fuit omnibus ſpeculum ſanctitatis, & exemplar religionis, in omni opere ſuo virilis, & ſtrenuus, omni morum bonitate conſpicuus, omni gratiâ Spiritus ſancti plenus, & omni virtute, & fide præclarus. Vnde Act. 11. cap. dicitur: *Barnabas erat vir bonus, plenus Spiritu ſancto, & fide*. Et ideo

Eſt Is civis Sanctorum

Salutari converſione.
Supernaturali ædificatione.
Singulari converſatione.
Doctrinali eruditione.
Spiritali perfectione.

PRIMO. *Beatus Barnabas eſt civis Sanctorum ſalutari converſione*. Vnde Act. 4. c. dicitur: *Ioſeph autem, qui cognominatus eſt Barnabas ab Apoſtolis (quod eſt interpretatum filius conſolationis) Levites, Cyprius genere, cùm haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium, & poſuit ante pedes Apoſtolorum*. Nam amor Dei non deſerit hominem in peccatum lapſum, ſed circa ipſum oſtendit quatuor.

Primò. Suam potentiam, dum à peccato ipſum liberat. Offenſa enim non niſi per dilectionem tollitur, ſed per peccatum mortale homo offẽſam Dei incurrit. Dicitur enim, quòd Deus peccatores odit, in quantum vult eos privare ultimo fine, quẽ his, quos diligit, præparat; ideo homo non reſurgit à peccato, niſi per gratiam Dei, per quam recuperatur amicitia Dei. Iſa. 43. cap. *Ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me*. Et Pſal. *Redemiſti iniquitatem plebis tuæ: operuiſti omnia peccata eorum*.

Secundò. Suam ſapientiam, dum unum peccatum ſine alio non remittit. Vnde *Aug. lib. de vera, & fal. pœn. c. 9.* Sunt plures, quos pœnitet peccaſſe: ſed non omninò, reſervantes ſibi quædam, in quibus delectentur, non animadvertentes Dominum ſimul mutum, & ſurdum à dæmonio liberaſſe; per hoc docens, nos nunquam niſi de omnibus poſſe ſanari. Nam quædam impietas infidelitatis eſt, ab illo, qui iuſtus & juſtitia eſt, dimidiam ſperare veniam.)

Tertiò. Suam miſericordiam, dum non eſt peccatum tam grave, quod non remittat. Vnde Ioel. 2. c. dicitur: *Benignus, & miſericors eſt, & multæ miſericordiæ, præſtabilis ſuper malitia*. Vinceretur autem Deus ab homine, ſi homo vellet peccatum deleri, quod Deus delere non vellet: ſed hoc repugnat Divinæ miſericordiæ, quæ dicit Ezech. 18. c. *Omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor*. Tanta enim eſt Dei miſericordia, quòd nemo deſperare debet de venia. Non peccati infectione, dum Chriſtus in Cruce pro Adam, & ſemine ſuo patitur. Non peccati contagione, dum Deus pepercit Niniuitis ſimul & involutis. Non peccati magnitudine objectiva, dum Petrum blaſphemum, & negantem Chriſtus reſpexit. Non peccati magnitudine intenſiva, dum Paulum membra laniantem Chriſtus de cœlo convertit. Non peccatorum publicatione, dum Matthæum Evangeliſtam fecit, publicanum in templo iuſtificavit, in domo Zachæi habitavit, cum publicanis, & peccatoribus manducavit. Non peccatorum palliatione, dum David confitenti culpam ſuam pepercit, Ezechiæ flenti vitam indulſit, Nabuchodonoſor cognoſcenti priſtinam dignitatem reſtituit. Non propter deriſionem, promiſ-

ſam

ſam correptionem non ſervando, dum Pharaonem, & Ægyptũ ſæpè à plagis liberavit. Non peccatorum reiteratione, dum populo in deſerto peccata remiſit, & Petro legem tradidit, ut quoties quis peccaverit, toties dimittat. Non peccatorum turpitudine, dum deprehenſam in adulterio abſolvit. Non peccatorum multitudine, dum à Magdalena ſeptem dæmonia expulit. Non peccatorum longa continuatione, dum latroni paradiſum tradidit. Non inſtrumẽtorum & temporis ad poenitentiam privatione, dum cor contritum ſine lingua, ſine ſenſu, ſine tempore Deus non deſpicit, ut dicit *Pſalmus*. Hæc ſunt ſigna miſericordiæ Dei, acceptantis peccatores ad gratiam.

Quartò. Suam providentiam, dum peccatori infundit conſtantiam ad virtutem, & poenitentiam, cuius firmitatis, & conſtantiæ in converſione ſalutari ſunt quatuor ſigna.

1. Eligit contemnere res proprias temporales, ne Deum offendat, unde propter vitandum ſcandalum, vel turbationem homo juri ſuo debet cedere, ſecundùm illud Matth. 5. *Qui angariaverit te mille paſſus, vade cum illo & alia duo: & qui abſtulerit tibi tunicam, da ei & pallium.*

2. Eligit patriam, & parentes deſerere, ſicut fecit Abraham, *Gen.* 12.

3. Eligit propter bonum delectabile poenæ ſe ſubjicere, ſicut fecit Ioſeph nolens uxori Putipharis conſentire, *Gen.* 39.

4. Eligit morti ſuccumbere, ſicut fecit Suſanna, *Dan.* 13. *cap.*

Beatus Barnabas converſus ad Chriſtum doluit de culpa, ſperavit de venia, ſatisfecit de offenſa, deſpexit terrena, profecit in gratia. Vnde *Gloſ. Act.* 4. dicit: Deſtituendum probat, quod tangere devitat; & docet calcandum eſse aurum, quod greſſibus Apoſtolorum ſubdit.

SECVNDO. *Beatus Barnabas eſt civis Sanctorum ſupernaturali ædificatione*, ad quam concurrunt præcipuè quatuor.

Primò fundamentum veritatis obiectivæ, ſcilicet veritas prima. Aliquid enim eſt primũ in virtutibus directè, per quod ſcilicet ad Deũ acceditur. Primus autem acceſſus ad Deum eſt per fidem, ſecundùm illud Heb. 11. cap. *Accedẽtem ad Deum oportet credere.* Et ſic fides ponitur fundamentum ſupernaturalis ædificii. Ordinata enim virtutum congregatio per quandam ſimilitudinem ædificio comparatur, in quibus illud, quod eſt primum in acquiſitione virtutum, fundamento comparatur, quod primum in ædificio jacet, & hoc eſt primus lapis. Chriſtus autem, qui eſt petra, eſt tale fundamentum, ſecundùm illud Apoſt. 1. Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Quod quidem poſitum fuit à Petro dicente Matth. 16. *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Et ſubditur: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

Secundò. Fundamentum virtutis ſubjectivæ, ſcilicet humilitas. Nam ſi accipiatur fundamentum pro fundo terræ, ſuper quo ponitur primus lapis, ſic humilitas eſt fundamentum ſpiritualis ædificii, quaſi removens impedimentum ædificio, in quantum ſcilicet expellit ſuperbiam, cui Deus reſiſtit; & præbet hominem ſubditum, ad ſuſcipiendum influxum Divinæ gratiæ, prout evacuat inflationem ſuperbiæ. Vnde dicitur Iacobi 4. *Superbis Deus reſiſtit: humilibus autem dat gratiã.* Et *Aug. lib. de verbis Domini ſer.* 10. dicit: Cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis.) Hanc Chriſtus præcipuè nobis commendavit: quia per hanc maximè removetur impedimentum humanæ ſalutis, quæ conſiſtit in hoc, quòd homo ad cæleſtia, & ſpiritualia tendat, à quibus impeditur, dum in terrenis magnificari ſtudet; & ideo Dominus, ut impedimenta ſalutis auferret, exteriorem celſitudinem contemnendam per humilitatis exempla monſtravit. Vnde *Auguſt. lib. de vera religione c.* 16. dicit: Tota vita Chriſti in terris per hominem, quem ſuſcipere dignatus eſt, diſciplina morum fuit.) Præcipuè verò humilitatem ſuam imitandam propoſuit, dicens: *Diſcite à me: quia mitis ſum, & humilis corde.* Et *Greg. in paſtorali p.* 3. *c.* 18. dicit, quòd argumentum redemptionis noſtræ inventa eſt humilitas Dei.) Et ſic humilitas dicitur ſpiritualis ædificii fundamentum.

Tertiò. Fundamentum virtutis firmativæ, in quantum removet impedimentum credẽdi, & ſic fortitudo dicitur fundamentum, in quantum removet inordinatum timorem impedientem fidem. Vnde ſuper illud Luc. 12. c. *Dico vobis amicis meis*, dicit *Gloſa*, quòd fortitudo eſt fidei fundamentum. Nam ſicut in fundamento ædificii materialis ponuntur lapides ſolidiores; ſic in fundamento ædificii ſpiritualis ponitur fortitudo, ſecun-

cundùm illud *Gregorii in moral. ut habetur* 24. *quæſt.* 1. *cap. Quia* ex ſola Eccleſia catholica veritas conſpicitur, apud ſe eſſe locum Dominus perhibet, de quo videatur. In petra Moyſes ponitur, ut Dei faciem contempletur: quia, niſi quis fidei ſoliditatem tenuerit, Divinam præſentiam non cognoſcit.)

Quartò. Fundamentum virtutis connexivæ. Nam ad rationem fundamenti non ſolùm requiritur, quòd ſit primum, ſed etiam quòd ſit aliis partibus ædificii connexũ: nõ enim eſſet fundamentũ, niſi ei aliæ partes ædificii cohærerẽt; connexio autẽ ſpiritualis ædificii eſt per charitatẽ, ſecundùm illud Col. 3. *Super omnia charitatem habete, quod eſt vinculũ perfectionis*. Et ideo fides ſine charitate fundamentum eſſe non poteſt: quia fides informis non eſt fundamentum, ſed fides formata, ſicut dicitur in *Gloſſa* 1. *Cor.* 13. Formatur autem fides per charitatem. Vnde *Auguſtinus libro de correptione, & gratia, ut habetur de pœnitentia diſt.* 2. *capite, Firmum* Dei fundamentum ſtat immobile, habens ſignaculum hoc, Scit Dominus, qui ſunt eius. Horum fides, quæ per dilectionem operatur, profectò aut omninò non deficit; aut ſi qui ſunt, quorum deficit, reparatur, antequam vita finiatur iſta, & deleta iniquitate, quæ intercurrerat, uſque in finem perſeverantia deputatur.)

Beatus Barnabas fidei Chriſti veritatem magna ſtabilitate, humilitate, atque charitate, prædicavit. Vnde Act. 14. capite dicitur: *Turba, quæ erant Lyſtris vocabant Barnabam Iovem, & Paulum Mercurium. Sacerdos quoque Iovis, qui erat ante civitatem, tauros, & coronas ante ianuas afferens, cum populis volebat ſacrificare. Quod ubi audierunt Apoſtoli, Barnabas, & Paulus, ſciſſis tunicis ſuis exilierunt in turbas clamantes, & dicentes: Viri, quid hæc facitis? Et nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cælum, & terram*, &c.

TERTIO. *Beatus Barnabas eſt civis Sanctorum ſingulari converſatione.* Vnde Proverb. 18. dicitur: *Vir amicabilis ad ſocietatem, magis amicus erit, quàm frater*. Societas enim, & converſatio peccatorum eſt vitanda. Pſalm. *Cum perverſo perverteris*. Quia propter peccatũ unius quandoq; tota ſocietas periclitatur, ut patet de populo Dei propter peccatum Achor tempore Ioſue, ut habetur 23. *quæſt.* 4. *cap. Si ea*. Et *cap. ſi Eccleſia*. Et Moyſes multos juſſit occidi propter ſocietatem in idololatria, ut habetur 23. *quæſt.* 4. *cap. Quid crudele*. Patet de Iuda 24. *quæſt.* 1. *cap. Non turbatur*. De Petro, & Anania 23. *quæſt.* 4. *cap. Quod Chriſtus*. Et de Paulo, qui tradidit hominem ſatanæ. 23. *quæſt.* 4. *cap. Quid crudele*. Hæc autem ſocietas malorum eſt vitanda quoad participationem peccatorum. 23. *qu.* 4. *cap. Ecce inquiunt, cap. A malis, cap. Recedite*. Societas autem bonorum ſemper eſt appetenda. Pſalm. *Cum ſancto ſanctus eris, et cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris*.

Ad hanc autem ſocietatem exiguntur quatuor, quæ ponit Paulus 2. Corin. 1. dicens: *In ſimplicitate cordis, & ſyncritate Dei, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei, converſati ſumus in hoc mundo*.

Primum eſt, quòd habeant planam, & innocentem converſationem. Ideo dicit: *In ſimplicitate cordis*.

Secundum eſt, quòd in omnibus, quæ faciunt, habeant reſpectum ad Deum. Ideo dicit: *In ſyncritate Dei*.

Tertium eſt, quòd quærant communem, & non propriam utilitatem. Ideo dicit: *Non in ſapientia carnali*. Sapientia enim carnalis eſt, quâ homo ſibi ſapiens videtur.

Quartum eſt, quòd omnia iſta à Dei gratia recognoſcant. Ideo dicit: *Sed in gratia Dei*.

Beatus Barnabas ſpretâ converſatione fidelium, à Chriſto baptizatus per Apoſtolos, & in Evangelio Chriſti eruditus, converſatus eſt cum Apoſtolis. Vnde Act. 11. c. dicitur: *Profectus eſt autem Barnabas Tarſum, ut quæreret Saulum: quem cùm invenìſſet, perduxit Antiochiam, & annum totum converſati ſunt ibi in Eccleſia: & docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur primùm Antiochiæ Diſcipuli Chriſtiani*, &c.

QVARTO. *Beatus Barnabas eſt civis Sanctorum doctrinali eruditione*. Vnde dicitur Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes*. Ad quam exiguntur quatuor.

Primò. Magna auctoritas. Nemo enim debet mittere ſeipſum, ſed debet vocatus eſſe à Deo. Non omnes habent officium prædicandi, ſed tantùm qui à Domino ad hoc eliguntur. Si qui autem ſe dicant inviſibiliter miſſos, probare debent hoc per miraculorum operationem, vel per ſacram Scripturam, ut habetur *Extra de hared. c. Cùm ex inuncto*.

Bea-

Beatus Barnabas non misit ipsum ad prædicandum, sed 1. Fuit missus à Spiritu sancto: Act. 13. c. *Dixit Spiritus sanctus Apostolis: Segregate mihi Barnabam, et Saulum in opus, ad quod assumpsi eos.*

2. Fuit missus à toto Apostolorum collegio. Vnde subditur: *Tunc ieiunantes, et orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos.*

3. Fuit missus à totius Ecclesiæ universali Concilio. Vnde legitur Act. 15. quòd Iacobus Episcopus Ierosolymitanus scripsit fratribus, qui erant Antiochiæ, dicens: *Placuit nobis collectis in unum eligere viros, & mittere eos ad vos cum charissimis nostris Barnaba, & Paulo*, &c.

4. Fuit missus tanquam Propheta Domini: quia prophetiæ spiritu claruit. *Cum esset plenus Spiritu sancto, & fide*, ut dicitur Act. 11.

Secundò. Magna veritas. Vnde legitur *Act.* 15. quòd cùm quidam Iudæi ad fidem conversi dicerent, quòd non sufficiebat fides sine lege Moysis, Paulus, & Barnabas viriliter restiterunt, & constanter veritatem Evangelicam prædicaverunt, & contra illum errorem literas ab Apostolis impetraverunt.

Tertiò. Magna firmitas. Cùm enim Iudæi his, quæ dicebantur à Paulo, & Barnaba, contradicerent; isti constanter dixerunt: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis vita aterna, ecce convertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus.* Act. 13. cap.

Quartò. Magna virtus. Multos enim convertit ad fidem. Act. 13. *Secuti sunt multi Iudæorum, & colentium advenarum Paulum, & Barnabam: qui loquentes suadebant eis, ut permanerent in gratia Dei. Audientes autem gentes gavisa sunt, & glorificabant verbum Domini: & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.*

QVINTO. *Beatus Barnabas est civis Sanctorum spirituali perfectione.* Sunt autē quatuor signa perfectionis, quæ fuerunt in ipso.

Primum est, mentis exultatio. Vnde dicitur Act. 11. *Miserunt Barnabam usque Antiochiam: qui cùm pervenisset, & vidisset gratiam Dei, gavisus est, & hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino.*

Secundum est, corporis mortificatio. Vnde dicitur Act. 13. *Erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ, & Doctores, in quibus Barnabas &c. ministrantes Domino, & ieiunantes &c.*

Tertium est, miserorum benigna compassio. Vnde dicitur Act. 11. *In his autem diebus supervenerunt ab Ierosolymis Prophetæ Antiochiam. Et surgens unus ex his nomine Agabus, significabat per spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio. Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Iudæa fratribus. Quod & fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabæ, & Sauli.* Et sic floruit eleemosynâ temporali, quæ est in necessariorum subministratione.

Similiter floruit eleemosynâ spirituali, quæ est in offensæ dimissione, quando Ioanni, qui cognominabatur Marcus, offensā dimisit. Cùm enim hic Ioannes Marcus, discipulus Barnabæ & Pauli eos reliquisset, rediens & pœnitens, à Barnaba est iterum in discipulum assumptus, ut dicitur *Act.* 15. *cap.*

Quartum est adversorum perpessio. Act. 15. *Cùm charissimis nostris Barnaba, & Paulo, hominibus, qui tradiderunt animas suas pro Nomine Iesu Christi.* Cùm enim perveniisset Cyprum, & multos infirmos sanasset, supposito illis Evangelio Sancti Matthæi, quod secum deferebat, tandem exiens inde, perveniens Paphum, maledicensque templo propter insolentias virorum, & mulierum, qui nudi currebant sua festa celebrantes, novissimo devenit Salaminam, ubi peracto martyrio felicem Spiritum Domino reddidit; propter quod factus est civis Sanctorum in regno cælorum. Amen.

SER-

SERMO XXXIV.

IN NATIVITATE SANCTI IOANNIS BAPTISTAE.

Quis putas Puer iſte erit? Luc. 1. cap.

BEatus Auguſtinus *ſermone quarto de nativitate ſancti Ioannis Baptiſtæ* dicit: Sancti Ioannis Baptiſtæ natalem hodie celebramus. Quâ primâ repoſitâ, occurrit quæſtio non prætereunda: Quare natalem, quo eſt ortus ex utero Ioannes, potiùs celebramus, quàm cujuslibet Apoſtoli, vel Martyris, vel Patriarchæ, vel Prophetæ? Si interrogemur, quid reſpondebimus? Quantum mihi videtur, quantum mearum virium mediocritati occurrit, hæc cauſa eſt. Diſcipuli Domini nati ſunt, & per ætatis acceſſum ad annos capaciores perducti, in diſcipulatum aſſumpti ſunt. Illorum fides poſtea Domino adhæſit, ſed nullius eorum nativitas Domino militavit. Recordemur Prophetarum, recolamus Patriarchas. Nati ſunt homines, ætatis acceſſu impleti Spiritu ſancto prophetaverunt Chriſtum. Nati ſunt, ut poſtea prophetarent. Ioannes autem Dominum Chriſtum ipſa nativitate ſua prophetavit, quem conceptum ex utero ſalutavit. *Hæc ille.*

Et *lib. 50. homilia. homil.* 44. dicit ſic: Denique quia in magno ſacramento natus eſt Ioannes, ipſius ſolius juſtè Eccleſia natalē diem celebrat; & natalis Domini celebratur, ſed tanquam Domini. Date mihi alium ſervum præter Ioannem inter Patriarchas, inter Prophetas, inter Apoſtolos, cuius natalem diem celebrat Eccleſia Chriſti? Paſſionum dies plurimis ſervis celebramus, nativitatis diem nemini, niſi Ioanni. *Hæc ille.*

Sciendum, quòd prænominati in veteri Teſtamento, antequam nati, fuerunt ſeptem.

Primus fuit Iſaac. Vnde Gen. 15. dixit Angelus ad Abraham: *Qui egredietur de utero tuo, ipſum habebis hæredem.*

Secundus fuit Iſmael. Vnde Gen. 17. dixit Angelus Domini ad Agar: *Concepiſti, & paries filium, vocabiſque nomen eius Iſmael.*

Tertius fuit Samſon. Vnde Iudic. 13. Angelus Domini apparuit uxori Manue, & dixit ad eam: *Sterilis es, & abſque liberis; ſed concipies, & paries filium, vocabiſque nomen eius Samſon.*

Quartus fuit Ioſias. Vnde 3. Reg. 13. *Vir Dei Propheta venit de Iuda in ſermone Domini in Bethel, & exclamavit contra altare, & ait: Altare altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius naſcetur domui David, Ioſias nomine,* &c.

Quintus fuit Cyrus. Vnde Iſa. 45. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dexteram.*

Sextus fuit Agag. Vnde Numeri 24. dixit Balaam: *Tolletur propter Agag Rex eius, & auferetur regnum illius.*

Septimus fuit Ieremias. Vnde Iere. 1. c. dicit Dominus: *Priuſquam te formarem in utero, novi te: & antequam exires de vulva, ſanctificavi te.*

Quare autem fuerunt prænominati, ratio eſt: quia in veteri Teſtamento nullus fuit prænominatus, niſi vel quia fuit promotor ſalutis univerſalis, aut quia ſpeciale removit impedimentum.

Nam Iſmael prænominatur: quia fuit perſecutor Iſaac, in qua perſecutione magis claruit virtus Iſaac; & in hoc fuit Iſaac Salvatoris figura.

Samſon prænominatur: quia nomine, & actu fuit Salvatoris figura.

Ioſias religione & opere præoſtendit Salvatorem.

Cyrus fuit liberator populi à Babylonica captivitate.

Agag fuit cauſa translationis Regis Saul, in quo ſignificabat regni veteris in regnum Chriſti translationem.

Ieremias autem præfiguravit ſanctificationem per Chriſtum fiendam, ſcilicet per eius Paſſionem, ſecundùm illud Heb. ultimo: *Ieſus, ut ſanctificaret per ſuum Sanguinem po-*

pu-

Digitized by Google

pulum, extra portam paſſus eſt. Quam quidem Paſſionem Ieremias verbis, & myſteriis apertiſſimè prænunciavit, & ſuis paſſionibus expreſſiſſimè præfiguravit.

In novo autem Teſtamento prænominatur Ioannes Baptiſta, & ſanctificatur in utero. Vnde Lucæ 1. c. dixit Angelus Gabriel: *Ne timeas Zacharia: quoniam exaudita eſt deprecatio tua: & Eliſabeth uxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem: & Spiritu ſancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ*. Quia figurabat Chriſtum per baptiſmalem ſanctificationem. 1. Cor. 6. *Sed ablati eſtis, ſed ſanctificati eſtis*. Ad quem quidem baptiſmum Ioannes ſuo baptiſmo homines præparavit. Et quia univerſi homines, attendentes ad prænominationem eius, æſtimabant illum magnum in Iſrael futurum, mirabantur dicentes in eius nativitate:

Quis putas Puer iſte erit?

Sua annunciatione.
Sua conceptione.
Sua generatione.
Sua religione.
Sua revelatione.
Sua prædicatione.
Sua commendatione.
Sua conſummatione.

PRIMO. *Puer iſte, ſcilicet Beatus Ioannes, erit glorioſus in ſua annunciatione*. Sciendum, quòd, cùm Deus ſit ipſa eſſentia bonitatis, unumquodque eſt Deo attribuendum ſecundùm ſui optimum. Optimum autem in omni genere, & cognitione practica, qualis eſt ratio gubernationis, in hoc conſiſtit, quòd particularia cognoſcantur, in quibus eſt actus. Sicut medicus optimus eſt, qui ſcit, & conſiderat non ſolùm univerſalia, ſed etiam, qui poteſt conſiderare minima particularia, & idem patet in ceteris. Vnde oportet dicere, quòd Deus omnium etiam minimorum habet rationem gubernationis. Et hoc propter duo.

Primò. Ratione ſuæ dignitatis. Nam non ſolùm pertinet ad perfectionem terreni Regis, quòd executores habeat ſuæ gubernationis, ſed etiam ad Regis dignitatem: quia ex ordine miniſtrorum poteſtas regia redditur præclarior.

Secundò. Ratione cauſalitatis. Nam cùm per gubernationem res, quæ gubernantur, ſint ad perfectionem deducendæ; tantò erit gubernatio perfectior, quantò maior perfectio à gubernante rebus gubernatis communicatur. Maior autem perfectio eſt, quòd aliquid in ſe ſit bonum, & etiam ſit aliis cauſa bonitatis, quàm ſi eſſet ſolummodò in ſe bonum. Et ideo ſic Deus gubernat res, ut quaſdam aliarum in gubernando cauſas inſtituat; ſicut ſi aliquis magiſter ſuos diſcipulos non ſolùm ſcientes faceret, ſed etiam aliorum Doctores. Vnde, ſi ſolus Deus gubernaret, ſubtraheretur perfectio cauſalis à rebus, & non totum fieret per unum, quod fit per multa. Ideo ad gubernationem Eccleſiæ ſanctæ aſſumpſit Deus idoneos miniſtros, ſcilicet Patres veteris, & novi Teſtamenti ſimul cum Angelis; inter quos præcipuum elegit Ioannem Baptiſtam, cuius annũciatio eſt mirifica quadrupliciter.

Primò. Ex parte perſonæ annunciantis. Nam ab eodem Angelo fuit prænunciatus, quo & Chriſtus, ſcilicet à Gabriele. Luc. 1. c. *Apparuit autem Zachariæ Angelus Domini ſtans à dextris altaris incenſi, & ait: Ne timeas Zacharia: quoniam exaudita eſt deprecatio tua: & Eliſabeth uxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem. Ego enim ſum Gabriel, qui aſto ante Deum, & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi evangelizare*. Super quo *Petrus Damianus ſermone* 3. dicit: Penſemus, Vir iſte quantum eniteat, qui & à Prophetis ante prædictus, & ab eodem, quo Dominus, Angelo nunciatus. Et *Maximus in ſermone*: Hic eſt, cuius per Angelum Gabrielem prænunciatur nativitas, nomen, & meritum.

Secundò. Ex parte temporis convenientis. Nam ſolus Pontifex intrabat in ſancta Sanctorum. Septimus enim menſis quaſi totus erat apud Iudæos ſolemnis, ſicut & ſeptima dies. In prima enim die ſeptimi menſis erat feſtum tubarum in memoriam liberationis Iſaac, quando Abraham invenit arietem hærentem cornibus, quod repræſentabant per cornua, quibus buccinabant. Erat enim feſtum tubarum quaſi quædã intimatio, ut præpararent ſe ad ſequens feſtum, quod celebrabatur die decima. Et hoc erat feſtum expiationis in memoriam illius beneficii, quo Deus propitiatus eſt peccato populi de adoratione vituli ad preces Moyſis, ut habetur *Numeri* 29. c. quo tempore facta eſt iſta annunciatio. Lucæ 1. c. *Factum eſt autem*,

cùm

cùm ſacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis ſuæ ante Deum, ſecundùm conſuetudinem ſacerdotii, ſorte exiit, ut incenſum poneret ingreſſus in templum Domini; & omnis multitudo populi erat orans foris horâ incenſi.

Tertiò. Ex parte loci excellentis. Nam ad iſtum locum, ſcilicet ſancta Sanctorum, ſolus Pontifex intrabat. Illa enim pars templi, quæ dicitur ſancta Sanctorum, figurabat ſeculum altius, quod eſt ſpiritualium ſubſtantiarũ, in quam partem ſolus ſummus Sacerdos, & ſemel in anno introibat, ut deſignaretur, quòd hæc eſt finalis perfectio hominis, ut ad illud ſeculum introducatur. Ad hunc quippe ſacratiſſimum locum Zacharias introierat. Luc. 1. cap. *Et erat plebs expectans Zachariam: & mirabantur, quòd tardaret ipſe in templo.*

Quartò. Ex parte miraculi ſubſequentis. Nã Zacharias, quia non credidit verbis Angeli, factus eſt mutus. Zacharias enim conſiderans ſuam ſenectutem, & uxoris ſterilitatem, dubitare cœpit, & more Iudæorum ſignum ab Angelo requiſivit. Angelus autem, pro eo, quòd verbis ſuis non credidit, ipſum taciturnitatis plagâ percuſſit. Luc. 1. cap. *Et dixit Zacharias ad Angelum: Unde hoc ſciam? Ego enim ſum ſenex, & uxor mea proceſſit in diebus ſuis. Et reſpondens Angelus, dixit ei: Ecce eris tacens, & non poteris loqui uſque in diem quo hæc fiant, pro eo, quòd non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur in tempore ſuo.* Conſuevit enim fieri dubitatio, & excuſari quadrupliciter.

1. Propter promiſſorum magnitudinem, ſicut legitur de Abraham. Cùm enim Dominus ſibi promiſiſſet, quòd ſemen ſuum terram Chanaan poſſideret, dixit ad eum Abraham: *Domine Deus, unde ſcire poſſum, quòd poſſeſſurus ſum eam? Et reſpondens Dominus: Sume, inquit, mihi vaccam triennem*, &c. Gen. 15. capite.

2. Propter naturæ impoſſibilitatem, ſicut patet in Sara. Cùm enim dixiſſet Dominus: *Revertens veniam ad te, & habebit Sara filium;* riſit Sara poſt oſtium tabernaculi, dicens: *Poſtquam conſenui, & dominus meus vetulus eſt*, &c. Gen. 18. cap.

3. Propter propriam fragilitatem, ſicut patet in Gedeone, qui ait: *Obſecro, mi Domine, in quo liberabo Iſrael? Ecce familia mea infima eſt in Manaſſe, & ego minimus in domo patris mei.* Et ex hoc ſignum petiit, & accepit, ſcilicet de vellere, & pluvia, *Iudic. 6. cap.*

4. Propter voti firmitatem, ſicut patet de beata Virgine, quæ ait Angelo: *Quomodò fiet iſtud: quoniam virum non cognoſco? Et reſpondens Angelus, dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te*, &c. Luc. 1. cap. Quid ergo eſt, quòd ſolus Zacharias ex eo, quòd dubitavit, plagam incurrit, cùm ibi eſſet & magnitudo promiſſionis? Luc. 1. cap. *Erit enim magnus coram Domino*, &c. *& multos filios Iſrael*, &c. uſque: *parare Domino plebem perfectam.* Etiam fuit propria fragilitas: quia talem filium habere, indignum ſe reputabat. Etiam fuit naturalis impoſſibilitas: cùm eſſent ſenes, & infœcundi. Etiam tali operi non vacabant: Quia *erant ambo iuſti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini ſine querela. Et non erat illis filius: eò quòd eſſet Eliſabeth ſterilis, & ambo proceſſiſſent in diebus ſuis*, ut dicitur Luc. 1. cap.

Dicitur, quòd hæc punitio accidit Zachariæ quadrupliciter.

1. Quoniam diſcredendo locutus eſt; ideo ſilentio plectitur, ut tacendo credere diſcat.

2. Vt maius miraculum in nativitate filii appareret. Cùm enim in nativitate Ioannis loquela patri redditur, miraculum miraculo cumulatur.

3. Congruum fuit, ut vocem amitteret, quando vox naſcebatur, & legi ſilentium imponebatur.

4. Cùm ipſe à Domino ſignum petierit, ipſam taciturnitatem pro ſigno recepit. Et ſic patet.

SECVNDO. *Iſte Puer erit glorioſus in ſua conceptione.* Homo dicitur deificus participatione Divinitatis quadrupliciter.

Primò. Dum Deus animam ſanctificat. Nam ſecundùm *Auguſtinum* miſſio Dei inviſibilis fit ad ſanctificandum creaturam. Sic ergo in eo, ad quem fit miſſio, oportet duo conſiderare: ſcilicet inhabitationem gratiæ, & innovationem quandam per gratiam. Ad omnes ergo fit miſſio inviſibilis, in quibus hæc duo inveniuntur.

Secundò. Dum Deus animam ſibi gratificat. Nam ſuper communẽ modũ, quo Deus eſt in creaturis per eſſentiã, præſentiã, & potentiam, eſt unus modus ſpecialis, qui convenit creaturæ rationali, in qua Deus dicitur eſſe, ſicut cognitum in cognoſcente, & amatũ in amante. Et quia cognoſcendo, & amando creatura rationalis ſua operatione attingit uſque ad ipſum Deum; ſecundùm

iſtum

iſtum ſpecialem modum Deus non ſolùm dicitur eſse in creatura rationali, ſed etiam habitare in ea, ſicut in templo ſuo. Sic ergo nullus alius effectus poteſt eſse ratio, quòd Deus ſit aliquo novo modo in creatura rationali, niſi gratia gratum faciens.

Tertiò. Dum Deus animam ſibi aſſimilat. Nam anima per gratiam conformatur Deo. Vnde ad hoc, quòd Deus inhabitet mentem noſtram per gratiam, oportet, quòd fiat aſſimilatio illius ad Deũ per aliquod gratiæ donum. Et quia Spiritus Sanctus eſt amor, per donum charitatis attenditur miſſio Spiritus ſancti, Filius autem eſt Verbum ſpirans amorem. Vnde dicit *Auguſtinus 9. de Trin. c. 10.* Verbum, quòd inſinuare intendimus, cum amore notitia eſt.) Filius ergo mittitur in mentem noſtram ſecundùm talem inſtructionem intellectus, qui prorumpat in affectum amoris. Vnde dicitur Ioan. *6. Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Et in Pſalm. *In meditatione mea exardeſcet ignis.* Talis autem notitia experimentalis dicitur propriè ſapientia, id eſt, ſapida ſcientia.

Quartò. Dum Deus animam in gratia augmentat. Nam ſecundùm profectum virtutis, aut augmentum gratiæ fit miſſio inviſibilis. Vnde *Auguſtinus 4. de Trinitate cap. 20.* dicit: Tunc cuique mittitur Filius, cùm à quoquam cognoſcitur, atque percipitur, quantum cognoſci, & percipi poteſt, etiam pro captu, vel proficientis in Deum, vel perfectæ in Deo animæ rationalis.) Sed tamen ſecundùm illud augmentum gratiæ præcipuè miſſio inviſibilis attenditur, quando aliquis proficit in aliquem novum actum, vel novum ſtatum gratiæ: puta, cùm aliquis proficit in gratiam miraculorum, aut prophetiæ, vel in hoc, quòd fervore charitatis exponat ſe martyrio, aut renunciat his, quæ poſſidet, aut quodcunque opus arduum aggreditur.

Beatus Ioannes fuit deificus in ſua conceptione his modis. Primò. Deus animam eius ſanctificavit, dum per miraculum fuit generatus. Vnde *Maximus in ſermone* dicit: Decuit, ut de matre ſterili naſceretur, qui fœcunditatem virginis revelabat: quatenus mirabilem partum mirabiliter natus oſtenderet. Et *Petrus Damianus ſermone 2.* dicit: Cui enim meditanti nativitatem Ioannis non mox occurrit Nativitas Chriſti, præſertim cùm naſcendi Ioannem de patre ſene, & ſterili matre nulla extiterit cauſa alia, niſi ut mirabiliter natus præcederet ſingulariter naſciturum?) In cuius ſignum dixit Angelus ad Mariam virginem: *Et ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium*, &c. Luc. 1. cap.

Secundò. Deus animam eius gratificavit, dum à culpa originali fuit purgatus. Vnde *Petrus Damianus in ſermone* dicit: Ioannem ante legalis mandati quodcunq; remediũ implevit Spiritus ſanctus, & ipſum, qui novæ gratię Præco enituit, ad evadendum originale peccatum ſupra legem, & ſupra humanæ conditionis ordinẽ electio Divina provexit.) Licèt enim circũciſio auferret originale peccatum, Ioannes tamen illâ non indigebat: cùm eſſet à tali ſorde jam immunis. Ieremias 1. cap. *Antequam exires de vulva, ſanctificavi te.*

Tertiò. Deus animam eius ſibi aſſimilavit, dum fuit Divinâ gratiâ illuſtratus, & hoc quantùm ad Divinorum cognitionem. Vnde *Maximus in ſermone* ait: In tantum autem in beato Ioanne ſpecialis præfulſit electio, ut ante mereretur annunciare Dominum, quàm linguam, quâ annunciare poſſet, acciperet. Denique Eliſabeth vetus illa mulier, & nova mater venienti ad ſe beatæ Mariæ in ipſo ſalutationis occurſu ait: Ecce, ex quo facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Quid eſt hoc miraculi, fratres? Quæ tantorum novitas gaudiorum, ut habere ſe in utero Eliſabeth teſtaretur infantem, qui necdum ſemetipſum ſentiens, Dominicum jam ſentiret adventum? Verè Puer iſte, omnium beatiſſimus parvulorum, qui intra viſcera materna adhuc concluſus, adeſſe Salvatorem mundi cecinit, qui, quod necdum ſermone poterat, prophetico gaudio revelavit. Nullus ignorat, chariſſimi, omnem parvulum materno ab utero prodeuntem inter ipſa lucis exordia mœſtis concrepare vagitibus. Solus Baptiſta Domini ultra legem naſcentium nativitatem ſuam lætitiæ exultatione prævenit. *Hæc ille.*

Beata Virgo habuit tres filios: unum naturalem, ſcilicet Chriſtum Ieſum, quem de ſuis viſceribus generavit; & hæc eſt cognatio naturalis. Alium legalem, ſcilicet Ioannem Evangeliſtam, quem ex præſcripto, & mandato Principis in filium adoptavit, quando Chriſtus ei dixit: *Mulier ecce filius tuus.* Et hæc eſt cognatio legalis. Tertium ſpiritualẽ, ſcilicet Ioannem Baptiſtam, quem per Spiritum ſanctum in matris utero baptizavit. Cùm enim Eliſabeth ſalutavit, mox infans in utero exultavit, & Spiritum ſanctum recepit,

& ab originali peccato mundatus fuit, & ſic virtute verbi virginei baptiſmum Spiritus ſancti recepit. Et beatus Ioannes jam Spiritu ſancto repletus (Luc. 1. *Spiritu ſancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ*) ſenſit Filium Dei venire ad ſe, & præ gaudio in matris utero tripudiavit, & motu ſalutavit, quem voce non potuit: exultavit enim, quaſi geſtiens ſalutare, & Domino ſuo aſſurgere. Vnde *Chryſoſtomus* ait: Ideo Chriſtus fecit Mariam ſalutare Eliſabeth, ût ſermo procedens de utero matris, ubi habitabat Dominus, per aures Eliſabeth ingreſſus, deſcenderet ad Ioannem, ut illic eum ungeret in Prophetam.

Quartò. Deus animam eius in gratia augmentavit, dum in matris utero eſt lætificatus. Vnde *Petrus Damianus ſermone* 2. dicit: Præceſſit itaque Dominum, præceſſit & ſemetipſum: quia, cùm necdum poſſet hominibus verba depromere, potuit latentem in utero Virginis Regem cæli maternis viſceribus nunciare.) Nam gratiam obtinuit: quâ ſuis meritis matri prophetiæ ſpiritum tradidit. Vnde *Chryſoſtomus* ait: Quis Prophetarum, cùm eſſet Propheta, Prophetam facere potuit? Elias quidem unxit Eliſeum in Prophetam, non tamen illi prophetandi gratiam donavit; iſte autem in utero matris exultans, Divini introitus ſcientiam matri donavit, & os illius in verbo confeſſionis aperuit, ut, cuius non videbat perſonam, cognoſceret dignitatem, dicens: Vnde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? *Hæc ille*. Et ſic patet, &c.

TERTIO. *Puer iſte erit glorioſus in generatione*. Id eſt, in nativitate ſua ex utero, in qua fuerunt quatuor miranda.

Primò. Matris prophetatio. Vnde *Ambroſ. ſuper Luc.* dicit: Nomen filii per Prophetam didicit, quod à marito muto diſcere nequivit.) Nam in circuncisione vocabant eum nomine patris ſui Zachariam. Et dixit mater eius: *Nequaquam, ſed vocabitur Ioannes*, Luc. 1.

Secundò. Linguæ patris reſeratio. Quia poſtulans Zacharias pugillarem, mox ut nomen Ioannis ſcripſit, *ſolutum eſt vinculum linguæ eius*, Luc. 1. Vnde *Ambroſ.* Reſpicite Ioannem, quanta vis ſit in eius vocabulo, cuius nuncupatio reddit muto vocem, patri pietatem, populo Sacerdotem. Priùs enim erat tacens linguâ, ſterilis filio, privatus officio. At ubi Ioannes naſcitur, ſit repente pater Propheta, loquelæ uſum recipit, prolẽ ſuſcipit, Sacerdotem functio recognoſcit.) Et *Maximus in ſermone* dicit: Illud etiam quàm ſtupendum, quamque magnificum, quòd Zacharias Sacerdos pater futurus Prophetæ, qui Angelo loquenti non credidit, uſum loquentis amiſit, donec promiſſione completâ natus novi hominis Præco paternæ linguæ vincula relaxaret. Os quidem, quòd Angelus clauſerat, promiſſus ab Angelo filius reſeravit, ut agnoſceret anxius ſenex, per eum ſe ſibi redditum, quem de ſe non crediderat naſciturum: ne dubitaret ultra illum divinitùs vel promiſſum, vel natum fuiſſe, cuius cauſâ ſe & amiſiſſe probabat, & recepiſſe ſermonem. *Hæc ille*.

Tertio. Prophetalis prænunciatio. Nam Zacharias pater eius impletus Spiritu ſancto prophetavit, dicens: *Benedictus Dominus Deus Iſrael*, &c. *Luc.* 1. Vnde *Beda in homil.* dicit: Ipſi etiam patri, quem incredulitas mutum reddiderat, ad ſalutandum novæ Præconem gratiæ, os & lingua reſerantur. Nec ſolùm facultas Deum benedicendi reſtituitur, ſed de eo etiam prophetandi virtus augetur.

Quartò. Singularis exultatio. Nam Angelus prædixerat: *Et multi in nativitate eius gaudebunt*, Luc. 1. Vnde *Beda in homil.* dicit: Senes, ac diu infoecundi parentes dono nobiliſſimæ prolis exultant. Vnde meritò ſancta per orbem Eccleſia huius tantummodo poſt Dominum etiam nativitatis diem celebrare conſuevit: quia, ſicut nato Domino paſtoribus apparens Angelus ait: Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus; ita etiam Angelus naſciturum Zachariæ prædicens Ioannem, & erit, inquit, gaudium tibi, & exultatio, & multi in nativitate eius gaudebunt. *Hæc ille*.

QVARTO. *Puer iſte erit glorioſus ſua religione*. Sciendum, quod homo bonus ſervus Dei poteſt dici Angelicus, eò quòd aſſumatur ad ordines Angelorum, non quidem per naturam (quia, ſi conſiderentur Angelorum ordines ſolùm quantùm ad gradum naturæ, ſic homines nullo modo aſſumi poſſunt ad ordines Angelorum: quia ſemper remanet naturarum diſtinctio;) ſed hoc poteſt fieri per gratiam quadrupliciter.

Primò. Per gratiam gratum facientem, ſicut promiſit Chriſtus Matth. 22. cap. *Erunt homi-*

Digitized by Google

homines ſicut Angeli Dei in cælo. Et Luc. 20. *Filii reſurrectionis erunt æquales Angelis*. Illud enim, quod eſt ex parte naturæ, ſe habet ut materiale in ratione ordinis; completivum verò eſt, quòd eſt ex dono gratiæ, quæ dependet ex liberalitate Dei, non ex ordine naturæ; & ideo per donum gratiæ homines mereri poſſunt tantam gloriam, quòd Angelis æquentur ſecundùm ſingulos Angelorum gradus, quòd eſt homines aſſumi ad ordines Angelorum.

Secundò. Per gratiam gratis datam. Nam ordinibus Angelorum officia quædam competunt: utpote cuſtodire, miracula facere, dæmones arcere, & hujuſmodi. Sed ex quadam ſpeciali diſpenſatione interdum Sanctis conceditur vel vivis, vel mortuis, officia huiuſmodi exercere, vel miracula faciendo, vel dæmones arcendo, vel aliquid huiuſmodi, ut *Auguſtinus dicit lib. de cura pro mortuis gerenda*.

Tertiò. Per miniſtrationem. Virtus enim Angeli, cùm ſit particulare agens, non attingit totum univerſum, ſed ſic attingit unum, quod non attingit aliud, ideo ita eſt hìc, quod non eſt alibi; creatura autem corporalis per Angelos adminiſtratur. Cùm ergo aliquid eſt fiendum per Angelum circa aliquam creaturam corpoream, de novo applicatur Angelus illi corpori ſuâ virtute. Pſalm. *Benedicite Domino omnes Angeli eius, miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius*. Et iterum: *Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis*. Et Hebr. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*. Et homo hanc adminiſtrationem ſuſcipit. Vnde 1. Cor. 4. c. *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*. Et 1. Petri 4. c. *Diſpenſatores multiformis gratiæ Dei*.

Quartò. Per illuminationem. Vnde *Dion.* dicit 3. *cap. Cæleſtis Hierarchiæ*, quòd revelationes Divinorum perveniunt ad homines mediantibus Angelis.) Hujuſmodi autem revelationes ſunt illuminationes; ideo homines illuminantur ab Angelis. Et ſicut in actionibus naturalibus agens ordinatur ad patiens; ita illuminatione, & locutione humana Doctor ordinatur ad diſcipulum, & ſic unus homo docet alium.

Beatus Ioannes Baptiſta meritò poteſt dici homo Angelicus his quatuor modis.

Primò. Per gratiam gratum facientem, quam adeptus eſt virtute humilitatis, & ſubjacentiæ, quâ noluit ſe parificari ſuperiori. Nam cùm eſſet tantæ ſanctitatis, ut æſtimaretur eſſe Chriſtus, requiſitus à Iudæis, humiliter reſpondit, dicens: *Non ſum ego Chriſtus*. Sed dixit ſe eſſe vocem Chriſti. Iſaiæ 40. cap. & Matth. 3. cap. *Ego vox clamantis in deſerto*. Etiam nec æquali, cùm dixit: *Non ſum Elias*. Cùm tamen ſpiritu, & virtute fuerit Eliæ æqualis. Vnde Chriſtus dixit de eo Matth. 11. cap. *Si vultis recipere, ipſe eſt Elias*. Et Angelus dixit Luc. 1. cap. *Ipſe præcedet illum in ſpiritu, & virtute Eliæ*. Nec etiam inferiori, cùm dixit: Non ſum Propheta, cùm tamen eſſet plus quàm Propheta, ut teſtatur de eo Chriſtus *Matth. 11. cap.* Et ideo habuit officium Seraphim per charitatis incendium: zelo enim Dei velut Elias ſuccenſus eſt.

Secundò. Per gratiam gratis datam, quam adeptus eſt virtute puritatis, & innocentiæ. Nam ſeptimo ætatis ſuæ anno corruptelam mundi fugiens, deſertum petiit, ubi 25. annis eremiticam vitam duxit. Luc. 1. *Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu: & erat in deſerto uſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſrael*. Vnde habuit officium Cherubim per ſcientiæ plenitudinem; propter quod dicitur Lucifer, *Iob* 38. Quia fuit terminus noctis ignorantiæ, & initium lucis gratiæ. Habuit etiam officium Poteſtatum, per quas poteſtates contrariæ arcentur, quæ non potuerunt nocere ſibi iam ſanctificato. A nobis etiam arcebat, cùm ad baptiſmum nos diſponebat. Habuit etiam officium Virtutum, per quas fiunt miracula, quæ ipſe circa ſe exhibuit, ſcilicet locuſtas, & mel ſylveſtre comedens, pilis camelorum indutus, &c.

Tertiò. Per miniſtrationem, quam adeptus eſt virtute paupertatis, & indigentiæ, mundum penitùs abnegans, *ne levi ſaltem maculare vitam famine poſſet*. Vnde habuit officium Thronorum per judicii æquitatem: quia arguebat Herodem Ioannes dicens: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*, Mar. 6. Etiam habuit officium Dominationum, quæ docent nos erga ſubditos dominium gerere. Ioannes autem amabatur à ſubditis: quia omnis Ieroſolyma exibat, & veniebat ad eum, *Matth.* 3. c. A regibus autem timebatur: quia Herodes metuebat Ioannem, ſciens eum Virum ſanctum, & juſtum, *Marci 6. cap.* Habuit etiam officium Principatuum, qui docent nos ſuperiores revereri.

Et Ioannes de ſe dicebat: *Qui de terra eſt, de terra loquitur*. De Chriſto autem dicebat: *Qui de cælo venit, ſuper omnes eſt*. Et iterum: *Qui poſt me venit*, ſcilicet Nativitate humana, ante me factus eſt, ſcilicet prælatus mihi dignitate Divina: *cujus non ſum dignus, corrigiam calceamenti ſolvere*. Id eſt, Sacramentum Incarnationis intelligere.

Quartò. Per illuminationem, quam adeptus eſt virtute auſteritatis pœnitentiæ. Vnde habuit officium Archangelorum per majorum revelationem, ſicut quando revelavit Sacramenta redemptionis, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Habuit etiam officium Angelorum per minorum annunciationem, ſcilicet ſpectantium ad mores, dicens: *Pœnitentiam agite, &c.*

QVINTO. *Puer iſte erit glorioſus ſua revelatione. Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto. Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*, ut dicitur Luc. 3. Sciendum, quòd revelatio, & manifeſtatio Ioannis fuit, quando exivit de deſerto ad prædicandum baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Ille enim baptiſmus, ut *Beda* dicit, erat quoddam inductivum ad pœnitentiam, & quaſi quædã proteſtatio, quâ profitebantur homines, ſe pœnitentiam acturos; unde prædicabat baptiſmum pœnitentiæ, id eſt, inducentem ad pœnitentiam, quæ quidem pœnitentia inducit homines ad remiſſionem peccatorum. Tota enim doctrina, & operatio Ioannis erat præparatoria ad Chriſtum; ſicut miniſtri, & inferioris artificis eſt præparare materiam ad formam, quã inducit principalis artifex: gratia autem conferenda erat hominibus per Chriſtum, ſecundùm illud Ioan. 1. *Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*. Et ideo baptiſmus Ioannis gratiam non conferebat, ſed ſolùm ad gratiam præparabat quadrupliciter.

Primò. Per doctrinam inducendo homines ad fidem Chriſti. Ideo quando vidit Chriſtum venientem ad ſe, dixit: *Ecce Agnus Dei*, Ioann. 1. quem Spiritu ſancto revelante cognovit. Vnde etiam diſcipulos ſuos ad Chriſtum miſit inſtruendos, dicens: *Tu es, qui venturus es, an aliũ expectamus?* Matth. 11.

Secundò. Aſſuefaciendo homines ad ritum baptiſmi. Vnde *Auguſt. in Enchirid.* dicit, *ut habetur de conſec. diſt. 4. c. Non* regenerabantur (vel renaſcebantur) qui baptizabantur baptiſmo Ioannis, ſed quodam præcurſorio illius miniſterio, qui dicebat: Parate viam Domini, huic uni, in quo ſolo renaſci poterant, parabantur.) Et *Greg. homil. 7. in Evang.* dicit: Ideo baptizavit Ioannes, ut præcurſionis ſuæ ordinem ſervans, qui naſciturum Dominum prævenerat naſcendo, baptizando quoque præveniret baptizaturũ.) Vnde etiam Chriſtum ex reverentia baptizare timuit, dicens: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me*. Et Dominus ad eum: *Sine modò*. Vbi, ut *Chryſoſtomus* dicit, oſtenditur, quòd Chriſtus poſtea baptizavit Ioannem. Certum enim eſt, ut *Hieronymus* dicit, quòd ſicut Chriſtus baptizatus fuit à Ioanne in aqua; ita Ioannes à Chriſto erat in Spiritu baptizandus.

Tertiò. Per pœnitentiam præparando homines ad ſuſcipiendum effectum baptiſmi Chriſti. Vnde *Beda* dicit, quòd quantum catechumenis nondum baptizatis prodeſt doctrina fidei, tantum profuit baptiſmus Ioannis ante baptiſma Chriſti: quia ſicut ille prædicabat pœnitentiam, & baptiſmum Chriſti prænunciabat, & in cognitionem veritatis, quæ mundo apparuit, attrahebat; ſic miniſtri Eccleſiæ, qui primò erudiunt, poſtea peccata eorum redarguunt, deinde in baptiſmo Chriſti remiſſionem promittunt. Ideo Ioannes dixit, ut habetur Ioann. 1. cap. *Qui miſit me baptizare in aqua, ille dixit mihi: Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum; hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto. Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei*. Inde eſt etiam, quòd baptizandi à Ioanne confitebantur peccata ſua, ut dicitur *Matth.* 3. Non quòd illa confeſſio peccatorum fieret ad remiſſionem peccatorum ſtatim per baptiſmum Ioannis exhibendam, ſed conſequendam per pœnitentiam conſequentem, & effectum baptiſmi Chriſti, ad quem pœnitentia illa præparabat.

Quartò. Ad manifeſtationem Divinitatis Chriſti. Vnde ipſe Ioannes dicit, ut habetur Ioann. 1. *Vt manifeſtetur* (ſcilicet Chriſtus) *in Iſrael; propterea veni ego in aqua baptizans*. Concurrentibus enim turbis Chriſtum annunciabat, quod quidem ſic faciliùs factũ eſt, quàm ſi per ſingulos diſcurriſſet, ut *Chryſoſtomus* dicit *ſuper Ioannem*, quod patet ex forma baptiſmi eius. Dicit enim Paulus Act. 19. *Ioannes baptizabat baptiſmo pœnitẽtiæ populum, dicens: In eum, qui venturus eſſet poſt ipſum*,

ipſum, ut crederent, hoc eſt, in Ieſum. Licèt enim Chriſtus veniſſet in carnem, & ad baptiſmum, nondum tamen venerat in cognitionẽ hominum; de cuius notitiæ adventu Ioannes intelligebat, quando baptizabat, & hoc rationabiliter: quia in baptizando Chriſtum vidit cælum apertum; quia intellexit baptiſmo jam ſanctificato per Chriſtum apertum eſſe cælum hominibus, quòd primo homini præcluſum fuerat per peccatum. Vidit Spiritum ſanctũ in ſpecie columbæ ſuper Chriſtum baptizatum. Audivit vocem Patris proteſtantis: *Hic eſt Filius meus dilectus.* Audivit etiam Chriſtum orantem. Vnde ſignanter dicitur Luc. 3. quòd *Ieſu baptizato, & orante, apertum eſt* (ei) *cælum*, id eſt, omnibus propter eum. Sicut ſi Imperator diceret alicui pro alio petenti: Ecce hoc beneficium non illi do, ſed tibi, id eſt propter te illi, ut *Chryſoſtomus* dicit *ſuper Matthæum*.

SEXTO. *Puer iſte erit glorioſus in ſua prædicatione.* Ipſe namque ſuam prædicationem inchoavit à pœnitentia, dicens: *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum*, Matth. 3. In qua prædicatione quatuor generibus hominum dedit leges, quibus benè viverent. Vnde *Ambroſ. ſuper Lucam, ut habetur diſt. 86. cap. In ſing.* dicit: In ſingulis quoque generibus hominum conveniens tribuit ſanctus Ioan. Baptiſta reſponſum unum omnibus. Omnes in communi admonentur, ut conferant non habenti. Miſericordia enim plenitudo virtutum eſt. Et ideo omnibus propoſita eſt perfectæ formæ virtutis.)

1. Phariſæis dedit legem pœnitentiæ, dicens illud Matthæi 3. cap. *Progenies viperarum, quis demonſtravit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis: quia potens eſt Deus, de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Iam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam.* Et *Lucæ* 3. ponuntur eadem verba.

2. Mercatoribus dedit legem miſericordiæ, dicens illud Lucæ 3. cap. *Qui habet duas tunicas, det non habenti: ſimiliter & eſcas.*

3. Officialibus Imperatoris dedit legem iuſtitiæ, dicens illud Lucæ 3. *Nihil amplius, quàm quod conſtitutum eſt vobis, faciatis.* Et *diſt. 86. cap. In ſingulis*, dicitur ſic: Ita publicanis, ne ultra præſcriptum exigant.

4. Militibus dedit legem clementiæ, dicens illud Luc. 3. *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.* Et *diſt. 86. cap. In ſingulis*, dicitur: Militibus, ne calumniam faciant, & ne prædam requirant; docens idcircò conſtituta militiæ ſtipendia, ne dum ſumptus quæritur, prædo graſſetur. Et ſic patet.

SEPTIMO. *Puer iſte erit glorioſus in ſua commendatione.* Sciendum, quòd in veteri Teſtamento fuerunt ſingulariter commendati quatuor.

1. Noe, cui dixit Deus Gen. 7. cap. *Te enim vidi iuſtum coram me in generatione hac.*

2. Moyſes, de quo dixit Deus Numeri 12. cap. *Si quis inter vos fuerit Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad eum. At non talis ſervus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt.*

3. David, cui dixit Achis 1. Reg. 29. cap. *Scio, quòd bonus es tu in oculis meis, ſicut Angelus Dei.*

4. Iob, de quo dixit Dominus ad ſatan, Iob 1. cap. *Nunquid conſideraſti ſervum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis in terra, vir ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?*

In novo quoque Teſtamento fuerunt præcipuè commendati quatuor. 1. Nathanael, de quo Chriſtus ait Ioann. 1. *Ecce verè Iſraelita, in quo dolus non eſt.*

2. Petrus, de quo dixit Chriſtus Matth. 16. *Beatus es Simon Bar-Iona: quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in cælis.*

3. Centurio, de quo Chriſtus ait Matth. 8. *Amen dico vobis: Non inveni tantam fidem in Iſrael.*

3. Paulus, de quo Chriſtus ait Act. 9. *Vas electionis mihi eſt iſte, ut portet Nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filiis Iſrael.*

Super omnes autem Ioannes commendatur. Vnde Chriſtus ait de ipſo Matth. 11. *Amen dico vobis: Non ſurrexit inter natos mulierum major, Ioanne Baptiſtâ.* Super quo *Auguſtinus ſermone* 2. dicit: Magnus Ioannes, cuius magnitudini etiam Salvator teſtimoniũ perhibuit, dicens: Non ſurrexit inter natos mulierum major, Ioanne Baptiſtâ. Præcellit ceteros, eminet univerſis, antecedit Prophe-

phetas, ſupergreditur Patriarchas,& quiſquis de muliere natus eſt, inferior eſt Ioanne. Dicit fortaſsè aliquis: Si inter natos mulierum Ioannes major eſt, major eſt Salvatore. Abſit. Ioannes enim ex muliere, Chriſtus ex Virgine natus eſt. *Hæc ille*. Et *Petrus Damianus ſermone* 2. ait: Ioannes humanorum limes eſt meritorum. Quantumcunq; enim Apoſtolici ſenatus excellat auctoritas, quantumcunque vel Patriarcharum fides in Divina agnitione proficiat, vel oracula Prophetarum ad reſeranda arcana myſteria convaleſcant, quantumlibet cumulet triumphantium gloria Martyrum, quantumvis efflореat vernans pudicitia Virginum, vel in verbis vitæ ſe exerceat lingua Doctorum; citra metam Ioannis omninò cohibentur, nihil perfectionis ultra progreditur. *Hæc ille*.

Habuit enim perfectionem omnium Sanctorum. 1. Angelorum. Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam*.

2. Patriarcharum: quia aſſimilatur lucernæ. Ioann. 5. *Ille erat lucerna ardens, & lucens*.

3. Prophetarum. Matth. 11. *Quid exiſtis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plus quàm Prophetam*. Fuit enim excellentior Moyſe, & ceteris Prophetis. Ioannes nanque pertinet ad novum Teſtamentum, cuius miniſtri præferuntur etiam ipſi Moyſi, quaſi magis revelatè ſpeculantes, ut habetur 2. *Cor.* 3.

4. Apoſtolorum: quia fuit miſſus à Deo, ut teſtimonium perhiberet, *Ioann.* 1. Propterea aſſimilatur voci, cùm dicit: *Ego vox clamantis in deſerto*.

5. Martyrum: quia pro juſtitia mortem ſuſtinuit.

6. Confeſſorum: quia *confeſſus eſt, & non negavit*.

7. Virginum: quia virginitatem ſervavit. Vnde cantat Eccleſia.

Serta ter denis alios coronant
Aucta crementis, duplicata quoſdam:
Trina centeno cumulata fructu
Te, Sacer, ornant. Et ſic patet.

OCTAVO. *Puer iſte erit glorioſus ſuâ conſummatione*. Nam deſcendens ad limbum, confortavit ſanctos Patres, qui ibi erant, apportando eis bonum nuncium de adventu Salvatoris, qui citò erat deſcenſurus, ad eos liberandos; unde confortati ſunt propter quatuor. 1. Quia ibi erant in magna triſtitia. 2. Quia Dei viſione carebant. 3. Quia in loco tenebroſo manebant. 4. Quia dæmonum vicinitatẽ habebant. Et quamvis ad limbũ deſcenderit, eius tamen paſſio ab Eccleſia celebratur. Eorum enim, qui ad limbum deſcenderunt, fuit quadruplex differentia.

1. Quidam ſpectabant ſimpliciter ad vetus Teſtamentum, ſicut Abraham, Moyſes, David, &c. Et iſtorum ſolemnitas non agitur.

2. Quidam ſpectabant ad vetus Teſtamentum quantùm ad tempus, ſed ad novum quãtùm ad cauſam, ſicut pueri innocentes; & ideo propter cauſam eorum obitus celebratur, ſed propter tempus Alleluia ſubticetur.

3. Quidam ſpectabant ad novum Teſtamentum ratione cauſæ: quia pro juſtitia moriebantur; & ratione temporis: quia fuerunt finis veteris Teſtamenti, & initium novi, ut Ioannes Baptiſta; & ideo eius obitus colitur, & Alleluia cantatur.

4. Quidam ſpectabant ad novum Teſtamentum ratione univerſalis ſalvationis, & novæ inſtitutionis, ut Chriſtus, qui ad limbũ deſcendit, ut inde educeret ſanctos Patres, ſecundùm illud Zach. 9. *Tu quoque in Sanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua*. Inter quos Patres immediatè poſt Chriſtum fuit Ioannes Baptiſta, cui data eſt ſedes Luciferi in cælo in die Aſcenſionis pro ſua gloria. Ad quam nos perducat Chriſtus Ieſus meritis, & interceſſione beati Ioannis Baptiſtæ in æternum regnaturos. Amen.

SER-

Digitized by Google

SERMO XXXV.

IN FESTO SANCTI PETRI APOSTOLI.

Tibi dabo claves regni cælorum. Matth. 16. cap.

BEatus Ioannes Apoc. 3. cap. dicit: *Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere: quia servasti verbum, & non negasti nomen meum*, Super quo talem moveo quæstionem.

Vtrum Beatus Petrus Ecclesiæ Christi fuerit pastor excellentior, quàm Moyses Synagogæ Dei rector virtuosior?

AD istam quæstionem respondent duo Doctores novi Testamenti. Primus est *Innocentius Papa, ut habetur distin.* 21. §. *Decretis ergo*, dicens: Summorum Pontificum, & reliquorum Sacerdotum institutio in veteri Testamento est inchoata, & in novo plenius consummata. Summi etenim Pontifices, & minores Sacerdotes à Deo sunt instituti per Moysen, qui ex præcepto Domini Aaron in summum Pontificem, filios verò eius unxit in minores Sacerdotes. Simpliciter verò majorum, & minorum Sacerdotum in novo Testamento discretio ab ipso Christo sumpsit exordium, qui duodecim Apostolos tanquam majores Sacerdotes, & 72. Discipulos quasi minores Sacerdotes instituit. Petrum verò quasi in summum Sacerdotem elegit, dum ei præ omnibus, & pro omnibus claves regni cælorum tribuit, & à se petra, sibi Petri nomen imposuit, atque pro eius fide se specialiter rogasse testatus est, & ut ceteros confirmaret, sibi injunxit, dicens: Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. *Hæc ibi*.

Secundus est *Anacletus Papa, ut habetur dist.* 22. *cap.* Sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro primatum obtinuit, sicut beato Petro Apostolo dixit: Tu es Petrus, & reliqua usque: solutum & in cælis. Licèt enim omnes essent Apostoli, Petro tamen concessum est à Domino (& ipsi inter se voluerunt idipsum) ut reliquis omnibus præesset Apostolis, & Cephas, id est, Caput, & principium teneret Apostolatus; qui & eandem formam suis successoribus, & reliquis Episcopis tenendam tradiderunt. Et non solùm hoc in novo Testamento est constitutum, sed etiam in veteri fuit; unde scriptum est: Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius, id est, primi inter eos fuerunt. Hæc verò Apostolica sedes Caput, & cardo omnium Ecclesiarum à Domino, & non ab alio constituta est. *Hæc ibi*.

Sciendum, quòd, sicut in fundatore Synagogæ Deus prælegit Moysen; sic in novo Testamento, in fundatione Ecclesiæ Christus prælegit beatum Petrum Apostolum: sed Moysi Deus contulit multa privilegia sanctitatis, conformiter autem & beato Petro.

1. Moyses assumptus est de aquis à filia Pharaonis, *Exod.* 2. Et beatus Petrus à Christo vocatus est de mari, *Matth.* 4.

2. Moyses coronam regiam cum idolo abjiciens confregit. Nam cùm filia Pharaonis ipsum eidem præsentasset, ut eum sibi adoptaret in filium, Pharao percipiens eius elegantiam, & pulchritudinem, coronam cum idolo sculpto capiti suo imposuit, quam puer in terram projiciens confregit. Sacerdos autem ibi præsens clamavit: Hic est puer, quem nobis occidendum Deus monstravit, eumque nitebantur interficere, sed consilio cujusdam sapientis allatæ fuerunt prunæ, quas unà cum titione ad os suum ponens sic linguam incendit, quòd de cetero semper locutus fuit balbutiens, sicque liberatus est à morte. Quòd gestum Divinum, & sanctitatis præsagium fuit puerili innocentiæ deputatum. *Hæc Magister historiarum super Exod. c.* 2. Et Beatus Petrus à Christo accepit potestatem super omnia dæmonia, expellendi ea à corporibus humanis, *Matth.* 10. *cap.*

3. Moy-

3. Moyſes vidit Deum in rubo ardente, & non combuſto, *Exo.* 3. Et beatus Petrus vidit in monte Thabor Chriſtum transfiguratum, & ſuper eum Spiritum ſanctum in ſpecie nubis, & audivit Deum Patrem in voce dicentem: *Hic eſt Filius meus dilectus*, Matthæi 17. cap.

4. Moyſes ſolvit calceamenta pedum ſuorum aſcendens in montem, *Exo.* 3. Et beato Petro Chriſtus lavit pedes in cœna; *Ioan.* 13. *cap.*

5. Moyſes abnegavit theſauros Ægyptiorum, *Heb.* 11. Et beatus Petrus omnia contempſit, & ſecutus eſt Chriſtum. Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.*

6. Moyſes à Deo miſſus eſt nuncius ad Pharaonem, ut dimittat populum Dei, *Exo.* 4. Et beatus Petrus miſſus eſt à Chriſto ad prædicandum Gentibus. Marc. 16. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.*

7. Moyſes Pharaonem, & Ægyptum decem plagis percuſſit, *Exo.* 7. *cap. & ſeq.* Et beatus Petrus accepit poteſtatem à Chriſto, curandi languores, & omnes infirmitates, *Luc.* 9. *cap.*

8. Moyſes duxit populum per deſertum in columna ignis, & nubis, *Exo.* 13. Et beatus Petrus deduxit populum Dei per Spiritum Dei ſanctum, quem acceperat in linguis igneis, *Act.* 2. *cap.*

9. Moyſes mare in duodecim partes diviſit, populum Dei ſicco pede traduxit, & Pharaonem cum Ægyptiis ſubmerſit, *Exo.* 14. Et beatus Petrus Chriſtum in navi recipere meruit, & ſuper aquas ambulavit, *Matthæi* 14. *cap.*

10. Moyſes miniſterio Angelorum vidit manna præparatum populo Dei, *Exo.* 16. Et beatus Petrus vidit miraculum de quinque panibus, quibus Chriſtus ſatiavit quinque millia hominum in deſerto; & miraculum de ſeptē panibus, quibus Chriſtus ſatiavit quaſi quatuor millia hominum in deſerto. *Matth.* 14. *& Marci* 8. *cap.*

11. Moyſes aquam de petra eduxit, *Exo.* 17. Et beatus Petrus accepit poteſtatem à Chriſto conficiendi Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti, in cuius exemplum Chriſtus voluit Petrum intereſſe nuptiis, in quibus aquam convertit in vinum, *Matth.* 26. *& Ioann.* 2.

12. Moyſes aquas amaras Marath dulcoravit, *Exo.* 15. Et beatus Petrus ſtaterem in ore piſcis invenit, *Matth.* 17. *cap.*

13. Moyſes, ut judicaret Synagogam, Spiritum ſanctum à Deo accepit, *Numeri* 11. *c.* Et beatus Petrus non ſolùm accepit Spiritum ſanctum pro ſe, ſed cùm imponebat manus ſuper aliquos, ipſi accipiebant Spiritum ſanctum, *Act.* 8. *cap.*

14. Moyſes confirmavit Teſtamentum per ſanguinis agni aſperſionem, *Exo.* 24. Et beatus Petrus confirmavit novum Teſtamentum per fidelem confeſſionem, dicens: *Tu es Chriſtus Filius Dei*, Matth. 16.

15. Moyſes Deum propter peccatum idololatriæ ad iram provocatum ſuis precibus reconciliavit, *Exo.* 32. Et B. Petrus tria millia hominum in Pentecoſte ſua prædicatione ab errore revocavit, *Act.* 2.

16. Moyſes legem in tabulis lapideis populo apportavit, *Exo.* 34. Et beatus Petrus legem Chriſti uſque ad mortem prædicavit, Ioann. 20. cap. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.*

17. Moyſes facie ad faciem cum Deo loquens, ſplendidam faciem ſuam populo demonſtravit, *Exo.* 34. Et beatus Petrus ſuccenſus igne charitatis, lucens ſplendore intellectus, verba Chriſti ſuſcepit. Nam aliis abeuntibus ipſe dixit intrepidus: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes*, Ioann. 6.

18. Moyſes oravit Deum pro populo ſuo, ne deleretur in deſerto, *Numeri* 14. Et pro curatione Mariæ ſororis Aaron exauditus eſt, *Numeri* 12. Et beatus Petrus continuè oravit pro populo ſibi cōmiſſo: quia paſcendas oves à Chriſto ſuſcepit, *Ioann.* 21. Etiam Æneam paralyticum curavit, *Act.* 9. Tabitham ſuſcitavit, ut dicitur *ibidem*.

19. Moyſes Core, Dathan, & Abiron eorumque complices ſeditionem ſuſcitantes vivos ad infernum terra ipſos abſorbente deſtinavit, *Numeri* 16. Et beatus Petrus Ananiam, & Saphiram ad infernum condemnavit, *Act.* 5.

20. Moyſes ſacrificia, quibus populus Deum coleret, inſtituit, *Levi. per totum.* Et B. Petrus poſt Paſſionem Domini anno ſequenti tenuit ſacerdotalem cathedram in partibus Orientis annis ſeptem, ubi primam Miſſam celebravit, & modum celebrandi tradidit cunctis fidelibus Chriſtianis.

Plura autem collata ſunt beato Petro, quæ non fuerunt collata Moyſi.

1. Moyſes diffidit ad aquam contradictionis,

nis, & pro illo peccato graviter punitus fuit, ut habetur *Numeri* 20. *cap.* Beatus Petrus negavit Chriſtum, & Dominus reſpexit Petrum, *Matth.* 26.

2. Moyſes altitudinem Divinorum myſteriorum, & præcipuè Chriſti vidit in figura, *Exo.* 3. *cap.* Beatus Petrus in veritate, cui dictum eſt à Domino: *Duc in altum*, Luc. 5. cap. Super quo dicit *Ambroſ. ut habetur* 24. *q.* 1. *c. Non turbatur:* Denique etſi aliis imperetur, ut laxent retia ſua, ſoli tamen Petro dicitur: Duc in altum, hoc eſt, in profundum diſputationum. Quid enim tam altum, quàm altitudinem divitiarum videre, ſcire Dei Filium, & profeſſionem Divinæ generationis aſſumere?)

3. Moyſes vidit claritatem Chriſti in Trãsfiguratione, *Matth.* 17. Beatus Petrus in Reſurrectione. Luc. ultimo: *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.*

4. Moyſes fuit teſtis Chriſti per viſionem, & allocutionem in Transfiguratione, *Luc.* 9. *cap.* Beatus Petrus fuit teſtis Chriſti per omnium ſenſuum certificationem in Reſurrectione, *Luca ultimo*. Ideo dixit Act. 10. cap. *Dedit eum manifeſtum fieri, non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo: nobis, qui manducavimus, & bibimus cum illo, poſtquam reſurrexit à mortuis.*

5. Moyſes, licèt unxerit Aaron in Sacerdotem, *Exod.* 29. *cap.* non tamen mutavit eius nomen. Chriſtus autem unxit beatum Petrum in Sacerdotem, aliud ſibi imponendo nomen, ſcilicet Petrus, quod primò ſibi imponendum promiſit, cùm dixit Ioann. 1. *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Secundò promiſſum impoſuit. Marc. 3. *Et impoſuit Simoni nomen Petrus*. Tertiò impoſitum confirmavit, cùm dixit Matth. 16. *Et ego dico tibi: quia tu es Petrus*, &c.

6. Moyſes cognomen habuit temporale, Petrus autem ſpirituale: habuit enim triplex cognomen. Dictus eſt enim Simon Ioannis, quod interpretatur Domini pulchritudo; quia habuit pulchritudinem morum. Secundò, Simon Petrus, quod interpretatur ſaxum; quia data eſt ei firmitas fidei. Tertiò, Simon Bar-Ionas, quod interpretatur filius columbæ: quia habuit abundantiam lacrymarum; nam columba gemitum habet pro cantu.

7. Moyſes non interfuit miraculis Chriſti. Beatus Petrus omnia miracula Chriſti vidit. Lucæ 10. c. *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt; & audire, quæ vos auditis, & non audierunt.*

8. Moyſes habuit Spiritum ſanctum ſolùm ad prophetandum. Beatus Petrus habuit Spiritum ſanctum ad peccata relaxandum. Ioann. 20. cap. *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, &c.

9. Moyſes, ut regeret populum, indigebat aliorum auxilio, *Numeri* 11. *cap.* Beatus Petrus, ut mundum ad fidem Chriſti traheret, Matthiam elegit in Apoſtolorum collegio, *Act.* 1.

10. Moyſes vidit gloriam Dei ſuper tabernaculum deſcendentem, *Exo.* 40. Beatus Petrus vidit humanitatem Chriſti cum gloria in cælum aſcendentem, *Act.* 1.

11. Moyſes pluribus ſanitatem impetravit. Beatus Petrus umbrâ ſui corporis infirmos ſanavit, *Act.* 5.

12. Moyſes nemini cælum aperuit: quia omnes Patres ante Paſſionem Chriſti ad limbum deſcendebant, à quo liberati ſunt per eius Paſſionem. Zach. 9. *Tu quoque in Sanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.* Beatus Petrus claves regni cælorum à Domino accepit. Propterea Chriſtus dixit ei verbum propoſitum:

Tibi dabo claves regni cælorum.

Prælationis.	Operationis.
Iuriſdictionis.	Paſſionis.
Remiſſionis.	Sublimationis.
Dilectionis.	Glorificationis.

PRIMO. *Tibi dabo claves Prælationis.* Chriſtus enim beatum Petrum ſummũ Pontificem fecit, & Vicarium ſuum inſtituit, quando ei dixit: *Paſce oves meas.* Ad quam prælationem concurrerunt quatuor.

Primò. Pater ipſum elegit. Matth. 16. *Caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in cælis.*

Secundò. Filius electum examinavit, & maximè in duobus, ſcilicet in fide recta, quando dixit: *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?* Et Petrus reſpondit: *Tu es Chriſtus Filius Dei.* Et in dilectione ſyncerâ, quando dixit: *Simon Ioannis, diligis me plus his?* Et Petrus reſpondit: *Tu ſcis Domine, quia amo te.*

Tertiò. Spiritus ſanctus electum, & examinatum confirmavit, quando in Pentecoſte ad robur ſe ſibi effudit. Pſal. *Ego confirmavi columnas eius.*

Quartò. Tota Trinitas electo, examinato, & confirmato, poteſtatem prælationis donavit.

Iſta autem poteſtas eſt in peccatorum remiſſionem. Ioann. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Et licèt dicatur Lucæ 5. *Quis poteſt remittere peccata, niſi ſolus Deus?* Tamen Deus remittit peccata per auctoritatem, Chriſtus per excellentiam, & Sacerdos per miniſterium. Nam peccatum facit in homine tria: ſcilicet Dei inimicitiam, deformem maculam, & obligationem ad poenam æternam, juxta illud Threnorum 2. *cap. Quomodo obtexit caligine*: Ecce deformis macula: *In furore ſuo Dominat filiam Sion*: Ecce Dei inimicitia. *Proiecit de cælo in terram inclytam Iſrael*: Ecce obligatio ad poenam æternam. Iſta tria ſolus Deus virtute contritionis dimittit, qui ſolus remittit offenſam, lavat maculam, & diſſolvit obligationem æternam, ut patet *Luc.* 15. in filio prodigo, de quo dicitur, quòd pater oſculatus eſt eum: quia remiſit ei offenſam; & ſtolâ primâ ipſum induit: quia lavit maculam, & ornavit animam; & quòd mortuus fuerat, & revixit: quia abſtulit ab eo poenam æternam.

Sacerdos autem remittit peccata, quantum ad alia tria. Nam peccatorem à Deo abſolutum eſſe demonſtrat, pœnæ præſenti, & ſatisfactoriæ ipſum ligat, & de ipſa pœna partem relaxat. Iſta tria notantur *Ioann.* 11. in ſuſcitatione Lazari. Solus enim Chriſtus ipſum à mortuis ſuſcitavit; tamen Diſcipulis tria commiſit: ſcilicet ut lapidem tollerent, ut eum ſolverent, & ut liberè abire permitterent. Lapidem tollere eſt poenam purgatoriam in ſatisfactoriam commutare, peccatorem ſolvere eſt ipſum abſolutum eſſe à Deo oſtendere; liberè abire permittere eſt poenam aliquam liberè indulgere; quæ omnia beatus Petrus à tota Trinitate accepit.

SECVNDO. *Tibi dabo claves Iuriſdictionis*, ſcilicet in excommunicando, & abſolvendo. Iſtæ autem ligant omnes, & ſolutiones non ſunt in cælo: quia ibi omnes ſunt ſoluti. Nec ſunt in inferno: quia ibi omnes ſunt ligati. Sed ſunt in mundo, ubi ſunt quidam ligati, & quidam ſoluti. In inferno quidem ſunt omnes ligati, & excommunicati per illam ſententiam Matth. 25. *Diſcedite à me, maledicti, in ignem æternum.* Ideo Sancti eis non loquuntur, ſed ſemper ab eis avertentur. Pſalm. *Avertiſti nos retrorſum poſt inimicos noſtros.* Nec participabunt cum eis in Divino officio, de quo dicitur *Tob.* 13. *Per vicos Ieruſalem Alleluia cantabitur.* Ipſi autem à templo Dei erunt excluſi. Apoc. ultimo c. *Foris canes, & venefici.* Nec ipſos ſalutabunt, id eſt, ſalutem æternam non optabunt. Imo ſicut dicitur in Pſalm. *Lætabitur iuſtus, cùm viderit vindictam.* Excluſi etiam erunt à participatione Sacramentorum, & maximè à participatione Panis vitæ. Matth. 15. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Non participabunt etiam Sancti cum eis in menſa. Iſa. 65. *Ecce ſervi mei comedent, & vos eſurietis.*

TERTIO. *Tibi dabo claves Remiſſionis in indulgentiarum largitione.* Sciendum, quòd indulgentiæ valent quantùm ad forum Eccleſiæ, & quantùm ad judicium Dei ad remiſſionem poenæ. Ratio autem, quare valeant iſtæ indulgentiæ, eſt unitas corporis myſtici, in qua multi in operibus juſtitiæ ſuperogaverunt ad menſuram debitorum ſuorum, & multas etiam tribulationes injuſtè ſuſtinuerunt patienter, per quas multitudo poenarum poterat expiari, ſi eis deberetur, quorum meritorum tanta eſt copia, quòd omnem poenam debitam nunc viventibus excedunt, & maximè propter meritum Paſſionis Chriſti; & ſic iſta merita Paſſionis Chriſti, & aliorum Sanctorum ſunt theſaurus Eccleſiæ. Non enim eſt iſte theſaurus de auro, argento, vel lapidibus pretioſis, ſed de pretioſo Sanguine Chriſti, & aliorum Sanctorum, ac de labore Virginum, Doctorum, &c. Huius autem theſauri Petrus, & Succeſſores ſui habent claves, qui ipſum, prout juſta cauſa exigit, poſſunt diſtribuere. Ad quam exiguntur quatuor. Auctoritas ex parte facientis. Charitas ex parte recipientis. Pietas, ſcilicet ad honorem Dei: quia pietas eſt cultus ſoli Deo debitus. Vtilitas, ſcilicet proximi quoad opera miſericordiæ.

Quæritur 1. Ad quid valeant iſtæ indulgentiæ?

Reſpondetur, quòd valent ad poenæ remiſſionem. Exemplum. Aliquis debet luere in purgatorio pro peccato non ſatisfacto per decem annos: habitâ iſtâ indulgentiâ decem annorum, ſatisfactum erit pro poena illa. Si verò quis plus participaret de indulgentia,

quàm

Digitized by Google

quàm meruiſſet pro peccatis poenam, tunc illa indulgentia valet ſibi ad maius meritum, quoad præmium accidentale in vita æterna ultra præmium eſſentiale.

Quæritur 2. An æqualiter habeat indulgentiam ſtans in foribus illius Eccleſiæ, ſicut diſtans per centum milliaria, vel ultra?

Reſpondetur, quòd æqualiter habet indulgentiam uterque; ſed diſtans habet maius præmium ratione laboris in charitate aſſumpti, quem laborem non ſuſtinuit vicinus Eccleſiæ.

Quæritur 3. Quid operatur indulgentia à poena, & culpa?

Reſpondetur, quòd talis indulgentia valet ad hoc: quia talis anima ſic decedens non tangit poenas inferni, nec purgatorii, ſed ſubitò volat ad cælum. Sic quando eſt annus iubilei, vel indulgentia de itinere contra infideles pro recuperatione Terræ ſanctæ, etiam pro ingreſſu Religionis, &c.

Quæritur 4. An illæ indulgentiæ valeant defunctis?

Reſpondetur, quòd indulgentia valet, ſicut verba privilegii ſonant. Vnde indulgentia quandoque datur ſub illa forma: Quicunque iverit, vel miſerit contra infideles, habeat indulgentiam plenariam pro ſe, & patre, & matre defunctis; & tunc illæ animæ exiſtentes in purgatorio, hac conditione impletâ, ſtatim volarent ad cælum. Cùm enim animæ exiſtentes in purgatorio ſint membra huius noſtri corporis myſtici, propter charitatem, cum qua deceſſerunt, capaces ſunt omnium bonorum, quæ fiunt, & quæ facta ſunt. Et ſicut ſtomachus omnibus membris corporis ſubſtantiam cibi diſtribuit; ſic Eccleſia omnia merita tã præſentia, quàm præterita ſuis membris diſtribuit. Vnde vivens poteſt ſatisfacere pro defuncto, ſicut liber pro incarcerato ſatisfacere poteſt; unde relaxabitur, nec judex eſt injuſtus ſic acceptans, ut patet.

Quæritur 5. An unus indulgentiam, quam acquirit, poſſit dare alteri vivo, vel defuncto?

Reſpondetur, quòd ſi in privilegio ſic contineatur, quòd talis indulgentia poſſit acquiri etiam non euntibus perſonaliter, tunc illa indulgentia eis proderit, aliàs non. Nam privilegium tantum valet, quãtum ſonat, &c.

Quæritur 6. An habeat indulgentiam, qui non facit eleemoſynam?

Reſpondetur, quòd ſi in privilegio ſic contineatur: Quicunque porrexerit manus adjutrices, &c. tunc non dans, non eſt capax indulgentiæ.

Quæritur 7. An intelligatur dediſſe, qui dedit panem, vinum, ova, linum, &c?

Reſpondetur, quòd ſic: quia debet penſari conditio perſonarum ſecundùm facultatem earum, prout quævis commodiùs poteſt.

QVARTO. *Tibi dabo claves Dilectionis.* Nam beatus Petrus fuit ferventior in amore Chriſti, cuius ſignæ ſunt quatuor:

Primum ante Paſſionem. Quia propter eius amorem omnia terrena contempſit. Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Quid enim ſunt procraſtinantes? contra quos dicit: *Ecce*. Quid ad tempus reponentes? contra quos dicit: *Reliquimus*, non repoſuimus. Quid dividentes? contra quos dicit: *Omnia*. Quid res ſuas exteriores relinquentes, ſed ſuas voluntates retinentes? contra quos dicit: *Et ſecuti ſumus te*.

Secundum ſignum fuit in Paſſione. Quia ſecum mori voluit, quando dixit Luc. 22. *Paratus ſum tecum, & in carcerem, & in mortem ire*. Non enim volebat mori ante eum: quia nolebat carere tam dilecti præſentiâ; nec volebat vivere poſt eum: quia non reputabat vitam, ſed mortem amaram. Volebat autem mori cum eo: quia hoc reputabat ſibi gloriam, & coronam.

Tertium fuit poſt Paſſionem. Quia ſemper fuit in lacrymis. Habuit enim lacrymas doloris: eò quòd Magiſtrum negavit. Lucæ 22. *Egreſſus foras flevit amarè*. Vnde dicit *Clemens*, quòd quandocunque galli cantum audiebat, lacrymas emittebat. Habuit lacrymas compaſſionis: eò quòd amicum mortuum videbat. Ioann. 16. cap. *Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit*. Habuit lacrymas devotionis: eò quòd ad amicum videndum ſemper ſe parabat. Habuit lacrymas conſolationis. Vnde dicit *Clemens*, quòd ſemper in ſinu ſudarium ferebat, quo fluentes lacrymas detergebat: ſic enim in conſuetudinem induxerat flere, quòd tota eius facies aduſta lacrymis videbatur. Pſalm. *Fuerunt mihi lacryma mea panes die, ac nocte*.

Quartum ſignum fuit poſt Reſurrectionẽ. Quia ipſe ad monumentum cum Ioanne præcucurrit. Et ſicut dicit *Gregor. homil. 22. in Evang.* Illi præ ceteris cucurrerunt, qui præ ceteris amaverunt.) Aliquando enim cucurrerunt ſimul, aliquando Ioannes præcucurrit

citiùs Petro, aliquando Petrus citiùs Ioanne: quia prior monumentum intravit; per quod datur intelligi, quòd ambo dilexerunt Chriſtum ſapienter, ſed Ioannes magis dulciter, Petrus autem magis conſtanter, &c.

QVINTO. *Tibi dabo claves Operationis*. Fuit enim eius operatio efficax ſecundùm virtutem, & hoc quadrupliciter.

Primò. Secundùm virtutem credendi, quando dixit: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, De eius fide dixit Chriſtus Lucæ 22. *Simon, ecce ſatanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*. Vbi habetur, quòd eius fides multum fuit à diabolo tentata, cùm dicitur: *Ecce ſatanas*, &c. Hoſtis enim, ubi invenit locum magis munitum, ibi majorem exercet conatum. Eius fides fuit à Chriſto valde roborata, cùm dicitur: *Ego autem rogavi*, &c. Eius fides fuit omnibus in exemplum data, cùm dicitur: *Et tu aliquando converſus*, &c.

Secundò. Secundùm virtutem ſanandi. Non ſolùm enim ſanabat, ſicut ceteri, verbo orationis, ſed etiam verbo jnſſionis, ſicut patet in ſanatione Æneæ, *Act.* 9. Etiam umbrâ corporis ſui, ut dicitur *Act.* 5. Etiam impoſitione baculi ſui, ſicut patet in diſcipulo jàm per 40. dies defuncto, qui ad impoſitionem baculi ſui reſuſcitatus eſt.

Tertiò. Secundùm virtutem prædicandi. Tam gratioſè enim prædicabat, quòd aliquando una die tria millia hominum convertebat, ut dicitur *Act.* 2. Hoc eſt enim gratioſi prædicatoris. Vnde *Chryſoſt. in Matth. hom.* 36. *inc. anth.* dicit: Teſtimonium ſtudioſi agricolæ eſt meſſis foecunda: aſſidui Doctoris documentum, Eccleſia plena.)

Quartò. Secundùm virtutem orandi. Nam eius oratio aliquando aperiebat cælum, ut patet *Act.* 10. ubi dicitur, quòd *ſuper eum cecidit mentis exceſſus, & vidit cælum apertum*. Aliquando faciebat deſcendere Spiritum ſanctum, ſicut patet *Act.* 8. in Samaritanis. Aliquando expoliabat infernum, ſicut quando ſuſcitavit defunctum, quem Simon magus ſuſcitare non potuit. Aliquando vincebat dæmonium, ſicut patet in dæmone, qui Simonem magum per aera deferebat.

SEXTO. *Tibi dabo claves Paſſionis*. Paſſus eſt enim conſimilem pœnam cum Chriſto, prout Chriſtus ei dixit Ioann. ultimo: *Sequere me*. Sapien. 18. *Simili pœnâ ſervus cum Domino afflictus eſt*. Noluit autem pati rectus, ſed reverſus, propter quatuor cauſas, quas ipſemet aſſignavit.

1. Quia propter honorem Domini non reputabat ſe dignum.

2. Quia Chriſtus paſſus eſt propter mundum redimendum; ideo debuit ad mundum reſpicere. Ipſe autem patiebatur propter acquirendum cælum; ideo debuit ad cælum reſpectum habere.

3. Ad ſignificandum humani generis lapſum. Chriſtus autem ſemper rectus ſtetit, & nunquam per peccatum cecidit: homo verò caput mentis in terram defixit, & contra Deum recalcitravit.

4. Ad innuendum, quòd homo mutaverat amorem ſpiritualem in mundanum. Homo enim rectus in cruce poſitus, ſi revolvitur, illud, quod erat dexterum, efficitur ſiniſtrum; tunc igitur homo dexteram mutavit in ſiniſtram, quando amorem cæleſtium convertit in amorem mundanum.

SEPTIMO. *Tibi dabo claves Sublimationis*. Nam in judicio habiturus eſt magnam ſublimitatem: quia ſuper thronos 12. ſedebit, & ceteros judicabit, & illa talis ſeſſio erit ad ſententiæ judicis approbationem. Pſalm. *Vt faciam in eis judicium conſcriptum*. Hæc autem ſublimitas eſt ei ad quadruplicem dignitatem.

1. Ad eius immenſum honorem. Proverb. ult. *Nobilis in portis vir eius, quando ſederit cum ſenatoribus terræ*.

2. Ad magnam dæmonum confuſionem. 1. Corin. 6. *Neſcitis, quoniam Angelos judicabimus?*

3. Ad malorum condemnationem. Ibidem: *An neſcitis, quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt?*

4. Ad bonorum conſolationem, ſcilicet quando videbunt Sancti fratrem ſuum Chriſtum eſſe judicem, & ſororem ſuam Virginem Mariam eſſe mediatricem, & fratres ſuos Apoſtolos eſſe intercеſſores, & aſſeſſores, &c.

OCTAVO. *Tibi dabo claves Glorificationis*. Chriſtus enim fecit eum in ſuis domibus janitorem. Apoc. 11. *Habet poteſtatem claudere cælum nubibus, & aperire portas eius*. Deus enim habet quadruplicem domum.

1. Habet Eccleſiam militantem, in qua habitant peregrini: clavis huius domus eſt clavis indulgentiæ. Peccatori igitur volenti re-

Digitized by Google

redire ad Eccleſiam per pœnitentiam, Petrus aperit oſtium cum clavi remiſſionis, & indulgentiæ. Ioann. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*.

2. Habet patriam cæleſtem, in qua habitant filii: clavis huius domus eſt clavis miſericordiæ. Animabus ergo Sanctorum, volentibus intrare in domum cæleſtis patriæ, aperit oſtium cum clavi miſericordiæ: Pſal. *Ianuas cæli aperuit*.

3. Habet purgatorium, in quo habitant debitis obligati: clavis huius domus eſt clavis juſtitiæ; nam juſtitia Dei requirit, quòd nullum malum remaneat impunitum. Animabus igitur debentibus intrare purgatorium aperit oſtium cum clavi juſtitiæ. Pſalm. *Aperite mihi portas juſtitiæ*, &c. Iuſti enim aliquando quædam cremabilia ſecum portant. Has tres claves Chriſtus tradidit Petro. Vnde *diſ.* 50. *cap. Conſiderandum*, dicit *Gregorius*: Conſiderandum nobis eſt, cur omnipotens Deus eum, quem cunctæ Eccleſiæ præferre diſpoſuerat, ancillæ vocem pertimeſcere, & ſeipſum negare permiſit. Quod nimirum magnæ actum pietatis diſpenſatione cognoſcimus, ut is, qui futurus erat Paſtor Eccleſiæ, in ſua culpa diſceret, qualiter aliis miſereri debuiſſet. Priùs itaque eum offendit ſibi, & tunc præpoſuit ceteris, ut ex ſua infirmitate cognoſceret, quàm miſericorditer aliena infirma toleraret. *Hæc ibi*.

4. Habet infernum, in quo habitant incarcerati: clavis huius domus eſt clavis mortis æternæ. Animabus ergo damnatis Petrus non aperit oſtium, neque claudit; ſed Chriſtus aperit oſtium, & claudit, ubi peccatores irrevocabiliter includit, & clavem cuſtodit. Apoc. 1. *Habeo clavem mortis, & inferni*. Ejuſdem 9. cap. *Data eſt ei clavis putei abyſſi*. Rogemus Dominum Ieſum Chriſtum, &c. Amen.

SERMO XXXVI.

IN VISITATIONE GLORIOSAE VIRGINIS MARIAE.

Maria abiit in montana. Luc. 1. cap.

BEatus Ambroſius *lib.* 2. *in Lucam* dicit: Mariam, quæ ante ſola in intimis penetralibus verſabatur, non à publico virginitatis pudor, non à ſtudio aſperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardavit. In montana cum feſtinatione Virgo, officii memor, injuriæ immemor, affectu vigente non ſexu, relictâ perrexit domo.) Super quo talem moveo quæſtionem.

Verum beata Virgo rationabiliter ſponſum ſuum Ioſeph reliquerit, ut cognatæ ſuæ obſequia præſtaret?

AD iſtam quæſtionem reſpõdent quatuor Doctores, duo veteris Teſtamenti, & duo novi.

Primus eſt David in Pſal. dicens: *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum, in loco, quem poſuit. Etenim benedictionem dabit legislator: ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorũ in Sion.* Aſcenſiones cõſimiles exercuit Deipara in præsẽti, quando in mõtana cum feſtinatione ſolicita abiit, & Eliſabeth ſalutatâ in eius miniſterio quaſi mẽſibus tribus humiliter ſtetit. Trifarius hic fuit Virginis aſcenſus, ut difficilè rumperetur triplex funiculus. fervebat ſiquidẽ in quærenda gratia charitas, ſplendebat in carne virginitas, in obſequio eminebat humilitas.

Secundus eſt Salomon Cant. 3. cap. dicens: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrha, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii?* Fuit enim beata virgo virgula, id eſt, flexibilis ad pietatem; & ex aromatibus: quia fuit plena odoribus omnium gratiarum; & univerſi pulveris pigmentarii: quia omnes glorias, quas habuerunt alii Sancti particulariter,

ipſa

ipsa habuit universaliter.

Tertius est beatus *Ambrosius lib. primo in Lucam* dicens: Morale est omnibus, ut qui fidem exigunt, fidem astruant. Et ideo cùm Angelus abscondita nunciaret, ut fides astrueretur, exemplo senioris fœminæ & sterilis, conceptum Mariæ Virgini nunciavit, ut possibile Deo omne, quod ei placuerit, assereret. Vbi hoc audivit Maria, non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuncio, nec quasi dubitans de exemplo, sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio, in montana perrexit. Quo enim jam Deo plena, nisi ad superiora contenderet? Et hoc cum festinatione: quia nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.)

Quartus est beatus *Petrus Ravennas in sermone*, dicens: Denique mittitur ad Elisabeth Maria, Virgo ad sterilem, ad anum juvencula, ut ambæ pro certamine sumant, pariterque percipiant, altera de novitate fidem, altera de necessitate virtutem.)

Sciendum, quòd beata Virgo abiit in montana ad visitandum Elisabeth propter quatuor causas.

Primò. Propter charitatem, quæ more Angelico in Maria Virgine sursum tendebat. Vnde *Petrus Ravennas in sermone* dicit: Accepto igitur consensu Virginis, ut sine virili semine conciperet Dei Filium, discessit Angelus ab ea, visum utique subtrahendo, non famulatum; atque cælestia petit, quem virgo sequitur, dum in montana progreditur. Insuper plane & ultra Angelos gratiâ superveniente pervenit. Est ergo nimirum & in Angelis charitas, quæ supervenit in Maria.)

Secundò. Propter fidelitatem, quæ Mariam provexit usque ad dexteram Patris in excelsis: nam sua fide concepit Filium Dei. Vnde *Petrus Ravennas* dicit: At verò, cui aliquando dictum est: Spiritus sanctus superveniet in te? Denique veritas de terra orta est, & non de Angelica creatura: nec Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit. Hanc invenit gratiam Maria Virgo plena jam gratiâ.)

Tertiò. Propter humilitatem. Eandem enim humilitatem, quam Angelo Maria exhibuerat dicens: *Ecce ancilla Domini*, hominibus etiam exhibere curabat. Ideo festinanter abiit in montana, & Zachariæ domum intravit, ut Elisabeth visitaret, ac prægnanti vetulæ juvencula ministraret. Vnde *Ambrosius lib. 2. in Luc.* Didicistis virgines pudorem Mariæ, discite humilitatem. Venit propinqua ad proximam, junior ad seniorem. Nec solùm venit, sed etiam prior salutavit. Decet enim, ut, quantò castior virgo, sit tantò humilior. Noverat deferre senioribus. Sit magistra humilitatis, in qua est professio castitatis. Est & causa pietatis, est & norma doctrinæ. Contuendum est enim, quia superior venit ad inferiorem, ut inferior adjuvetur à majore.)

Quartò. Propter sanctitatem. Maria enim venit ad Elisabeth, & Christus ad Ioannem, ut ipsum sanctificaret: sicut etiam postea venit ad baptismum Ioannis, ut eum sanctificaret. Vnde *Petrus Ravennas in sermone*. Ideirco etiam Maria post conceptum ad Elisabeth properat: quia Iesus, qui in utero suo erat, Ioannem adhuc parvulum in ventre matris positum sanctificare festinat.) Propter istam hodie Maria abiit in montana, ut dicit verbum propositum:

Maria abiit in montana

Divinorum.	Prophetarum.
Angelorum.	Fœminarum.
Cælorum.	Creaturarum.
Patriarchatum.	

PRIMO. *Beata Virgo Maria hodie abiit in montana Divinorum*, scilicet sanctissimæ Trinitatis. Nam tota Trinitas in ea suas excellentissimas proprietates posuit.

Primò. Pater posuit suam potentiam. Vnde ipsamet dicit: *Fecit mihi Dominus magna, qui potens est*. Mirabilia enim, quæ fecit Pater in veteri Testamento, excellentiora fecit in Maria. Magnum fecit, quando creavit cælum, & terram, & omnem ornatum eorum: majus fecit in Maria, cùm in ea corpus minimum formavit, in quo totus Deus essentialiter continebatur. Apostolus ad Colos. c. 2. *In ipso habitat omnis plenitudo Divinitatis* (etiam) *corporaliter*. Et Ecclesia cantat: *Quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti*. Magnum fecit Deus, quando liberavit Hebræos sæpius in manu forti signis mirandis: maius fecit in Virgine; quia totum genus humanum inferno devicto per eius unicum Filium redemit. Magnum fecit Deus, quando pavit populum suum in deserto quadraginta annis mannâ de cælo: maius fecit in Virgine, quando formavit Panem verum, scilicet Christum in eius utero, qui di-

dicit : *Ego ſum Panis vivus, qui de cælo deſcendi*. Magnum fecit Deus, quando eduxit mel de petra, oleumque de ſaxo durissimo : ſed maius fecit in Virgine, quando à Ieſu Chriſto, qui eſt petra ſpiritalis, fluxerunt aquæ gratiarum, & oleum benignitatis, & miſericordiæ. 1. Corin. 10. *Bibebant de ſpirituali conſequente eos petra : petra autem erat Chriſtus*. Magnum fecit Deus, quando Iordanis conversus eſt in ſuum fontem : ſed maius fecit in Virgine, quando antiquus dierum, & canus æternitate vidit Virginem, & retroceſſit ad infantiam diei unius. Maximum miraculorum fecit Chriſtus, quando in cœna panem tranſubſtãtiavit in proprium Corpus, & vinum in proprium Sanguinem ſuum. Pſalm. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum*, &c. Iſtud verò, quo Verbum Caro factum eſt, eſt longè illo præſtantius, cùm ſit fundamentum eius: præcipuè, quia carnem, quam ab homine ſumpſit, in Deum transformavit, & tanto fœdere utramq; naturam conſeruit; ut nec ſuperiorem minueret aſſumptio, nec inferiorem conſumeret glorificatio. Propterea beata Virgo dicta eſt *Regina cæli*. Pſalm. *Aſtitit Regina à dextris tuis*, &c.

Secundò. Filius poſuit in ea ſuam ſapientiam. Vnde de ipſa dicitur: *Elegit eam Deus, & præelegit eam : & habitare eam fecit in tabernaculo ſuo.* De Apoſtolis enim Chriſtus dixit : *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*. Beatam autem Virginem non ſolùm elegit, ſed etiam præelegit, & ut omnibus præeſſet, elegit : quia ſic eſt Deo unita, qualiter nulla creatura eſt illi conjuncta, quæ ſoli Deo reſervata, ſoli Deo eſt mirabiliter copulata. Ideo ipſa ait : *Et radicavi in populo honorificato, & in partes Dei mei hæreditas illius*. Nam Pater æternus non habet radices : cùm ſit fons, & origo Divinitatis. Filius ex Patre velut ex radice procedit. Spiritus verò ſanctus ex Patre, & Filio procedit. Beata Virgo in ſupremo Angelo radicavit, & mox ut crevit, infra Divinitatem caput extulit, ſicque aſcendit, ut Mater Dei fieret. Propterea dicit : *Et in partes Dei mei hæreditas illius*, ſcilicet radicis, quam radicavi in populo meo. Vnde nullus eſt dignus habitare in tabernaculo Verbi, niſi Maria Virgo, quæ de caſtiſſimis, & puriſſimis ſanguinibus ſuis fabricavit illud. Et ſicut Chriſtus in ſole poſuit tabernaculum ſuum; ſic ipſa in ipſo ſole poſuit tabernaculum ſuum. Et ſicut unicuique Angelo ſociatur una anima beata hominum; ſic in ſede ſupremi Angeli, qui eſt Chriſtus magni conſilii Angelus, collocatur Virgo Maria. Cant. ultimo cap. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?*

Tertiò. Spiritus ſanctus poſuit in ea ſuam clementiam. Nam Spiritus ſanctus ipſam ſanctificavit. Pſal. *Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus*. Ipſam fœcundavit. Matth. 1. cap. *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt*. Ipſam in gratia confirmavit. Luc. 1. cap. *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*. Quam fecit oſtiariam paradiſi, quæ nos ſuis meritis in ipſum introducit. Vnde ſe ancillam nominans, Petrum in atrium Principis introduxit, *Ioann. 18. cap.* Ideo cantat ſancta Mater Eccleſia : *Tu Regis alti ianua, & porta lucis fulgida*. Ipſam etiam fecit feneſtram cæli, per quam Deus oculo miſericordiæ nos reſpicit. Vnde cantatur : *Intrent et aſtra flebiles, cæli feneſtra facta es*. Cant. 2. *Ecce ipſe ſtat poſt parietem noſtrum*, id eſt, poſt naturam noſtram : *reſpiciens per feneſtras*, id eſt, per Matrem ſuam.

SECVNDO. *Maria abiit in montana Angelorum*. Omnes enim eorum dignitates, & omnia eorum miniſteria ipſa una, & ſola in ſe comprehendit.

Primò quidem, Angelorum officium eſt miniſtrare, nunciare, & cuſtodire. Sed ipſa humano generi gratiam perditam annunciavit, & invenit, cui dictum eſt : *Inveniſti gratiam apud Deum*. In Eccleſia Dei miniſtra ordinata fuit. Eccli. 24. cap. *In habitatione ſancta coram ipſo miniſtravi*. Animas noſtras ſemper cuſtodivit ſub alis ſuæ pietatis ab inſidiis dæmonis.

Secundò. Archangelorum officium eſt ſecreta conſilia Dei ſcire, & maximè myſterium de Incarnatione Verbi cognoſcere, quod quidem ſuperiores Angeli cognoverũt à Deo per immediatè infuſam inſpiratiõnẽ. Medii cognoverunt à ſuperioribus per traditam illuminationem. Inferiores autem à mediis, & homines ſub velamine fidei cognoverunt ab Apoſtolis per prædicationem, ſicut dicit *Hieronym.* Sed beata Virgo cognovit per experientiam, & ſanctiſſimam inviſcerationem.

Tertiò. Virtutum officium eſt miracula facere, non aliquid de novo creando, ſed Deo miniſterium exhibendo. Sed beata Virgo præcipuè miniſterium exhibuit Deo

in

in maximo miraculorum : quoniam Angelo annunciante , & Spiritu sancto operante , & Virgine credente , mox Verbum in utero , mox intra uterum Verbum Caro est factum. Luc. 1. cap. *Beata , quæ credidisti : quoniam perficientur ea , quæ dicta sunt tibi à Domino* .

Quartò . Potestatum officium est arcere dæmones , ne tantum nobis noceant , quantum vellent . Beata Virgo refrænavit , & contrivit potestatem dæmonis. Gen. 3. *Ipsa conteret caput tuum* , id est , suggestionem , potestatem, & astutiam .

Quintò . Principatuum officium est regnis , & provinciis præsidere , hostes comprimere , bonos custodire , dæmones arcere, in tribulationibus protegere . Beata Virgo in omni gente principatum gerit , hostes comprimit , bonos custodit , dæmones conterit , in tribulatione protegit . Eccli. 24. *In omni gente , & in omni populo primatum habui* , quoad primum . *Omnium excellentium , & sublimium colla virtute calcavi*, quoad secundum,& tertium. *Et profundum abyssi penetravi*, quoad quartum . *Et in fluctibus maris ambulavi* , quoad quintum . Ideo cantat Ecclesia : *Maria Mater gratiæ , Mater misericordiæ : tu nos ab hoste protege , & horà mortis suscipe* .

Sextò . Dominationum officium est subditos sibi Angelos purgare , illuminare , & perficere . Sed beata Virgo à culpâ purgavit affectivam , ab ignorantia illuminavit intellectivam , ab infirmitate perfecit operativã .

Septimò . Thronorum officium est , ut super eos Deus quiescat , & sedeat , & judicia sua exerceat. Beata Virgo est thronus misericordiæ , gratiæ , & gloriæ . Misericordiæ peccatoribus , gratiæ justis , gloriæ Beatis . Psal. *Thronus eius sicut sol in conspectu meo* , quoad Beatos , quibus est ad magnam gloriam . *Et sicut luna perfecta in æternum* , quoad justos, quibus impetrat cælestem gratiam. *Et testis in cælo fidelis*, quoad peccatores, quibus impetrat misericordiam .

Octavò . Cherubim officium est plenitudinem scientiæ Dei habere . Sed beata Virgo transcendit omnem scientiam Angelicam , & humanam , modò audiendo per inspirationem , modò videndo per contemplationem , modò tangendo per operationem , modò gustando per affectionem , modò odorando per devotionem .

Nonò . Seraphim officium est ardere amore, & charitate Dei . Beata Virgo Maria plena fuit amore , dilectione , & charitate : quia gratia Dei cor ipsius sursum elevabat ad amorem cælestium , promovebat ipsam ad dilectionem , eam totaliter uniebat Dilecto per charitatem . Et sic patet , &c.

TERTIO . *Maria abiit in montana cælorum* . Rectè enim beata Virgo dicitur cælum propter sui amplitudinem : quoniam habuit amplum affectum ad diligendum , amplum uterum ad Deum capiendum , amplum intellectum ad cognoscendum , amplum sinum ad compatiendum . Eccli. 24. *Ego Mater pulchræ dilectionis , & timoris , & agnitionis , & sanctæ spei* . Siquidem amplitudo charitatis ampliavit eius affectum ; ideo dicitur : *Mater pulchræ dilectionis* . Amplitudo Divinitatis ampliavit eius uterum ; ideo dicitur : *Et timoris* . Per hoc enim est dæmonibus valde terribilis . Amplitudo sapientiæ , & veritatis ampliavit eius intellectum ; ideo dicitur: *Et agnitionis* . Amplitudo pietatis ampliavit eius sinum ; ideo dicitur : *Et sanctæ spei* . Vnde *Bernard. serm. 2. in Pentec.* dicit: Ad beatam Mariam sicut ad medium , sicut ad arcam Dei , sicut ad causam rerum omnium , sicut ad negotium seculorum respiciunt universi ; & qui habitant in cælo , & qui in inferno , & qui nos præcesserunt , & qui nos sequentur , & nati natorum , & qui ab illis nascentur . Qui in cælo sunt , ut restaurentur : qui in inferno , ut eripiantur : qui præcesserunt Prophetæ , ut fideles inveniantur : qui sequuntur , ut glorificentur . *Hæc ille* .

Dicitur autem beata Virgo cælum propter quatuor . Primò . Quia est sol . Cant. 6. *Electa ut sol* . Sicut enim sol tres planetas supra se , & tres habet infra se ; & ipse est medius ; sic beata Virgo habet supra se tres in Trinitate Personas , & infra se tres status salvandorum , scilicet virginum , continentium , & conjugatorum , & ipsa est in medio constituta , ut ipsam beatam Trinitatem reconciliet tribus statibus salvandorum . Eccli. 26. cap. *Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei* .

Secundò . Quia est luna . Cant. 6. cap. *Pulchra ut luna* . Est enim pulchra ut luna in sui principio : quoniam fuit in utero sanctificata . In sui medio: quoniam fuit sanctè conversata , cuius cogitationes semper fuerunt sanctæ , cuius affectiones semper fuerunt mundæ , cuius operationes semper fuerunt rectæ .

Tertiò . Quia est stella . Numeri 24. cap.

Orie-

Oriëtur ſtella ex Iacob. Eſt enim ſtella: quia in ea nullus fuit caſus, nec error. Inter Apoſtolos enim fuit caſus peccati; aut per infirmitatem mundanam, ſicut in Petro, qui timore mortis Chriſtum negavit; aut per ignorantiam, ſicut in Paulo, qui dicit: *Ignorans feci in incredulitate*. Aut per malitiam, ſicut in Iuda, qui dilexit maledictionẽ, & venit ei. Sed beata Virgo nullo iſtorum modorum cadere potuit, quæ dicit Eccli. 24. cap. *In me omnis gratia viæ, & veritatis. In me omnis ſpes vitæ, & virtutis*. Non enim cadere potuit per malitiam: quia erat fundata ſuper altitudinem Divinæ gratiæ; ideo dicit: *In me omnis gratia viæ*. Nec per ignorantiam: quia erat fundata ſuper altitudinem Divinæ notitiæ; ideo dicit: *Et veritatis*. Nec per infirmitatem: quia erat fundata ſuper altitudinem Divinæ potentiæ; ideo dicit: *In me omnis ſpes vitæ, & virtutis*.

Quartò. Quia eſt aurora. Cant. 6. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora cõſurgens?* Nam fulſit in ea lux auroræ, quando Spiritus ſanctus eam ſanctificavit: quia tunc tenebras originalis peccati ab ea abſtulit. 2. Reg. 23. cap. *Lux aurora oriente ſole mane abſque nubibus rutilat*. Aurora autem ſemper creſcit, donec diem perfectum faciat. Sic beata Virgo poſt ſuam ſanctificationem in utero ſemper crevit in mundo. Proverb. 4. *Semita iuſtorum quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem*. Ipſa enim fuit lux ſplendens in ſanctificatione. Proceſſit in Spiritus ſancti ſuperventione. Crevit in Filii conceptione. Facta eſt perfecta dies in ſui glorificatione. Et ſic patet, &c.

QVARTO. *Maria abiit in montana Patriarcharum*. Omnes gratias, & excellentias, quas habuerunt Patriarchæ; quibus Deo fuerunt accepti, multò excellentiùs habuit beata Virgo, ut patet, &c.

1. *Adam* tanquam primus parens humani generis habuit donum juſtitiæ originalis, per quam fuit in innocentia creatus. B. Virgo habuit ſolem, & fontem juſtitiæ, per quem nocentes, & peccatores ad ſtatum ſempiternæ innocentiæ perducuntur. Adam cito per peccatum perditâ juſtitiâ de paradiſo cecidit, quo caſu totam poſteritatem corrupit, & ad mortem condemnavit. Beata Virgo de maſſa corrupta concepta tantam gratiæ efficaciam obtinuit, ut conſervatâ innocentiâ ipſam vitam de cælo traxerit ad terram, per quam omnibus credentibus vita perpetua, & innocentia condonaretur. Adam propter inobedientiam maledictionem promeruit. Beata Virgo propter obedientiam maledictionem illam in benedictionem commutavit.

2. *Abel* virginitatem, & martyrium à Domino obtinuit, propter quæ primus juſtus vocatus eſt, ad quem reſpexit Deus, & ad munera eius, *Gen. 4. cap.* Sed virginitas eius fuit infœcunda, & martyrium ei ſoli profuit. Beata Virgo longè excellentiorem habuit virginitatem: quia cum fœcunditate concepit Deum, & hominem. Et excellentius martyrium eius fuit. Luc. 2. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, ſcilicet Paſſionis Ieſu Chriſti.

3. *Enoch*, qui cum Deo ambulavit, & Nomen Domini invocavit, tandem in paradiſum tranſlatus eſt. Beata Virgo non ſolùm Nominis Dei notitiam habuit, ſed Deus ipſe ſe totum eidem viſibilem ad cognoſcendum, pariterque palpandum præbuit, per quam Nomen Dei in univerſum orbem eſt mirabiliter diffuſum, quæ abſque Deo, quem mente, & ventre geſtabat, ambulare nequibat, in cuius uterum velut in paradiſum tranſtulit ſe ipſe Deus.

4. *Noe*, de quo propheticè dictum eſt Gen. 5. *Iſte conſolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum noſtrarum in terra, cui maledixit Dominus*. B. Virgo conſolata eſt totum genus humanũ, quæ genuit Dominũ omnium conſolatorem. In maſſa carnis humanæ ſubjectæ maledictioni concupiſcentiæ ſola Virgo produxit fructum vitalis germinis, per quem liberati ab errore idololatriæ, quo manuum noſtrarum opera colebamus, cæleſtem conſolatorem accepimus, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra mirâ pietate, & miſericordiâ ſuâ, &c.

5. *Melchiſedech* Rex, & Sacerdos obtulit Abrahæ panem, & vinum. Beata Virgo obtulit Verbo Divino carnem, & ſanguinem, in quæ panis, & vinum ſubſtantialiter in Sacramento convertuntur.

6. *Abrahæ* promiſit Deus, quòd ex eo egrederetur, in quo omnes gentes benedicerentur. Beata Virgo ſemen illud ſanctiſſimũ ex ſe produxit, per quod in æternam benedictionem univerſus orbis deduceretur. Gal. 3. c. *Abrahæ dicta ſunt promiſſiones, & ſemini eius*, &c.

7. *Iſaac* ſua oratione impetravit conceptum Rebeccæ, quæ concepit geminos, & ex illis duo populi orti ſunt, quorum major

ſerviret minori. Beata Virgo ſua humilitate concepit Chriſtum geminæ ſubſtantiæ, ſcilicet Divinæ, & humanæ naturæ, qui duos populos, ſcilicet Iudaicum, & Gentilem in unam fidem collegit: ſed Iudaicus populus ſuâ perfidiâ reprobatus ſervit Gẽtili populo, tanquam major minori.

8. *Iacob* vidit ſcalam, cuius cacumen cælum tangebat, & Dominum innixum ſcalæ, & Angelos deſcendentes, & aſcendentes per eam. Beata Virgo rectè dicitur ſcala trium graduum, ſcilicet humilitatis, virginitatis, & charitatis, cui Dominus eſt innixus per Incarnationem. Luc. 1. cap. *Dominus tecum.* Per quam tanquam per medium deſcendunt Angeli, & aſcendunt homines prædeſtinati.

9. *Ioſeph* pro ſalute fratrum ſuorum deſcendit in Ægyptum, ut tempore famis ſuâ providentiâ frumenti copiam diſtribueret. Beata Virgo in mundo orta eſt, ut ſalutem generi humano afferet. Pſalm. *Operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Vt tempore famis gratiæ Corpus Chriſti devota communione, velut frumentum, toti mundo ſaturitatem conferret, & miniſtraret.

10. *Moyſes* factus magnus in terra Ægypti liberavit populum Iſrael de manu Pharaonis per ſanguinem agni. Beata Virgo verum Agnum, & immaculatum genuit ex ſuo puriſſimo ſanguine, quem Chriſtus in pretium redemptionis humani generis in Cruce Deo Patri perſolvit.

11. *Ioſue* ſolem in medio cæli ſtare juſſit, ut Gabaon contereret. Beata Virgo verum ſolem juſtitiæ in medio uteri ſui novem menſibus ſiſtere promeruit, ut diaboli dominium auferret. Pſal. *Suſcepimus, Deus, miſericordiam tuam in medio templi tui*, &c.

12. *Gedeon* rorem in ſolo vellere conſpexit, terrâ ſiccâ manente. Beata Virgo cæleſtem imbrem, ſcilicet Verbum Dei in vellere, nempe in virginali utero ſuo ſuſcepit; & terra, id eſt, caro eius integra, & immaculata vitio concupiſcentiæ carens permanſit. Pſal. *Deſcendet ſicut pluvia in vellus.*

13. *Samſon* ſanctificatus in utero tanto ardore mulieres dilexit, ut etiam ſcienter in ſinu unius accubans ſe morti expoſuit. Beata Virgo amore caſtiſſimo Deum ad ſe attraxit, in cuius ſinu humanitatem noſtram ſuſcepit, ut pro omnibus hominibus innocenter moreretur.

14. *David* in Deum confidens, promiſſis divitiis, & filiâ Regis Saul pro uxore, Philiſthæum armatum aggreſſus, ſolâque fundâ & lapide necans, Iſraelitas liberavit, atque Michol Regis filiam ducentis Philiſthinorum præputiis adeptus. Deinceps ſenio confectus in ſinu Abiſag, ut calefieret, quieſcens, puellam reliquit intactam. B. Virgo, mater intacta ſpecie & pulchritudine ſua Deum attraxit, cuius humanitate univerſis mortalibus, mundum, carnem, dæmonem ſuperandi, media efficaciſſima præſtitit.

15. *Salomon* eam ſapientiam nactus divinitùs, quâ inter prædeceſſores ſimili nemo claruit unquam, tandem amore venereo ad mulieres alienigenas reſpiciens deſipuit, Deumque graviter offendit. Beata Virgo æterni Patris Sapientiam utero geſtiens, ac de ea Salomone plus longè participans, amore Divino indeſinenter exarſit, cunctiſque virtutibus inſtar ſideris clariſſimi toti terrarum orbi ad obitum uſque præluxit, dicente *Bernardo ſermone 1. ſuper Salve Reg.* Sicut ſol univerſa cæli lumina præcellit prærogativâ claritatis eximiæ; ſic totam rationem creaturarum (poſt Chriſtum) præcellit ſplendore virtutis, ac ſcientiæ, origo fontium & fluminum, mare, virtutum auctrix, ſcientia ſcientiarum ſanctarum Maria.)

16. *Ezechias* ſolem decem gradibus regredi in horologio aſpexit 4. *Reg.* 20. *cap.* Beata Virgo verum ſolem juſtitiæ à novem gradibus Angelorum ad decimum hominum deſcendere in horologio uteri ſui clarè vidit. Pſalm. *Minuiſti eum paulò minus ab Angelis*, &c.

QVINTO. *Maria abiit in montana Prophetarum.* Hi enim quandoque prophetabant de præterito, quandoque de futuro, quandoque de præſenti occulto. Beata Virgo prophetavit de præterito, cùm dixit: *Suſcepit Iſrael puerum ſuum.* De futuro, cùm ait: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* De præſenti occulto, quando Ioannẽ in utero Eliſabeth exultaſſe cognovit, de qua prophetaverunt principaliter quatuor Prophetæ.

1. David dicens in Pſalm. *Viſitaſti terram, & inebriaſti eam: multiplicaſti locupletare eam.* Nam Deus B. Virginem in Annunciatione per Angelum viſitavit, & ſalutavit; Spiritus ſanctus eam inebriavit, quando gratiâ ipſam replevit, & confirmavit; Filius ipſam locupletavit, quando ex ea carnem aſſumpſit.

2. Iſaias 7. cap. dicens: *Ecce Virgo concipiet,*

&

Digitized by Google

& pariet Filium , & vocabitur Nomen eius Emmanuel. Id eſt, nobiſcum Deus.

3. Ieremias 31. cap. dicens: *Novum creavit Dominus ſuper terram : mulier circundabit virum*. Homo enim circundat, quod eſt ſuum proprium, & non alienum. Virgo autem ſola puerum circundedit: quia tota Chriſti caro fuit ſua propria. Omnis enim figura perficitur ex pluribus lineis: quia corpus aliorum puerorum formatur ex commixtione utriuſque parentis. In Virgine autem fuit circundatio: quia circularis forma clauditur unâ ſolâ lineâ, et Corpus Chriſti formatum eſt ex ſola carne Virginis incorruptæ. Illud etiam, quod eſt circundatum, eſt ex omni parte clauſum. Sola ergo Virgo circundedit: quia in conceptione, & poſt partum Virgo permanſit.

4. Zacharias 11. cap. dicens: *Aperi, Libane, portas tuas*. Libanus interpretatur candidus, & ſignificat B. Mariam, quæ tota fuit candida, & habet tres portas, ſcilicet potentiæ, ſapientiæ, & miſericordiæ. Quidam enim peccant per infirmitatem. Iſtis aperit portam potentiæ, dando eis virtutem reſiſtendi. Quidam peccant per ignorantiam. Iſtis aperit portam ſapientiæ, dando eis lumen cognoſcendi. Quidam peccant per certam malitiam. Iſtis aperit portam miſericordiæ, dando eis gratiam poenitendi. Aperit enim manum ſuam ad largiendum. Prover. ult. cap. *Manum ſuam aperuit inopi*. Id eſt, Chriſto pauperi, cui ſex opera miſericordiæ exhibuit. Vnde *Bern.* dicit: Beata Virgo Dei Filium in utero ſuſcepit, nudum carne pannis operuit, eſurientem pavit, ſitientem lacte potavit, infirmum per infantiam non ſolùm viſitavit, ſed etiam omnia humana exhibuit: in carcere poſitum, id eſt, Crucis patibulo ligatum viſitavit, eius ſepulturæ interfuit. *Hæc ille*. Et ſic patet, &c.

SEXTO. *Maria abiit in montana, ſeminarum*. Nam, ut habetur 3. *Eſdra* 3. c. hoc expreſſerunt illi tres juvenes doctiſſimi, qui ſolventes quæſtionem eis propoſitam, quid in rebus eſſet fortius, moti à Spiritu ſancto cõvenienter ſcripſerunt. Primus dixit: Fortis eſt Rex, ſcilicet juſtitiæ, quæ tenet hominem à paradiſo excluſum. Secundus dixit: Fortius eſt vinum, ſcilicet miſericordiæ lætabundæ, quæ ſuper juſtitiam gradiens, ad incarnandum Deum diſponit. Tertius dixit: Fortior eſt mulier, nempe B. Virgo Maria, quæ effectualiter Deum traxit de cælo, & Regem tenet in ſinu. Veruntamen fortiſſima eſt Veritas, quæ de terra orta eſt, ſcilicet ex utero tantæ Virginis, & cælum obſtruſum reſeravit potenter ſuo Sanguine pretioſo, in ara Crucis in pretium noſtræ redemptionis effuſo, & per Crucis vexillum ſuperato humani generis hoſte crudeli. Ecce quòd reverſuri ad civitatem Iſrael, tria convenientiſſimè prophetantes de illa civitate cæleſti, venerantur juſtitiam, miſericordiam extollunt, Mariam proponunt alitricem, & ductricem Regis æterni, ſuper omnia verò adorant Veritatem increatam ex Regina cælorum naſcendam. Omnes enim benedictiones, quas habuerunt dominæ veteris Teſtamenti ſparſim, & ſingulatim, hæc una Virgo complexa eſt, velut Roſa triginta foliis exornata, ut verè dicatur: Trenta foglie hà la Roſa, id eſt, beata Virgo Maria.

Sciendum, quòd ſicut viri veteris Teſtamenti quaſi ſtellæ veri ſolis præmonſtrabant ortum & vitam; ſic omnes mulieres, quomodocunque laudibus attollantur, Mariæ Virginis figurabant virtutes, & mores perfectos, quarum benedictiones à Deo illis datas in ſe ipſa complectitur.

Benedicta fuit in *Eva* benedictione generationis maternæ. Illa enim fuit mater cunctorum in terra viventium. Maria Virgo eſt Mater cunctorum cælum aſcendentium. Matrimonium quippe terram, virginitas verò reparat cælum.

Benedicta fuit in *Sara* benedictione gratificationis, quæ peperit riſu. Hæc gaudium genuit in univerſo mundo.

Benedicta fuit in *Rebecca* benedictione prædeſtinationis, prudenter vendicante benedictionem Iacob, excluſo Eſau. Hæc reprobato antiquo populo Hebræorum, populum Chriſtianorum benedictionibus replevit.

Benedicta fuit in *Lia* benedictione actionis, cui ſeptem aſcribuntur filii nati, totam miſericordiam complectẽtes, quæ ſeptenario numero integratur. Hæc circa Chriſtum univerſa miſericordiæ opera fideliſſimè exhibuit, & circa nos jugiter exhibet.

Benedicta fuit in *Rachele* benedictione cõtemplationis, quæ peperit augmentum virtutum in Ioſeph, & dolorem ſævum, tædium vitæ præſentis in Beniamin. Hæc in virtutibus profecit copulata Ioſeph viro ſuo, cum quo emiſit votum virginitatis, ut faciliùs Divina contemplaretur, fugiens corrupte-

Digitized by Google

lam carnis, quæ dolorem auget, & cumulat.

Benedicta fuit in *Aseneth* benedictione dignificationis, quæ filia fuit Putipharis Sacerdotis. Hæc fuit ex progenie sacerdotali, & regali, quæ illum conciperet, qui erat Rex, & Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech. Psalm. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo.*

Benedicta fuit in *Maria* sorore Moysis benedictione laudationis, quæ Pharaone submerso canticum Domino decantavit. Hæc autem devicto hoste infernali per Incarnationem Verbi canticum Domino decantavit, dicens: *Magnificat anima mea Dominum*, &c. Lucæ 1. cap.

Benedicta fuit in *Æthiopissa* coniuge Moysis benedictione dilectionis, cui Moyses dedit annulum amoris, & memoriæ. Hæc autem signavit matrimonium inter lucidissimum Deum, & abominabilem humanam naturã, quæ tamen fuit formosa in Virgine Maria. Cant. 1. *Nigra sum, sed formosa.*

Benedicta fuit in *Thamar* benedictione defensionis, quam signa donata ab infamia præservaverunt. Huius autem Virginis inauditum à seculis partum defendit apud multos suspectum annulus matrimonii contracti cũ sene, armilla pudicitiæ comprobatæ, & virga potestatis Divinæ.

Benedicta fuit in *Rahab* benedictione liberationis, quæ exploratores Hebræos hospitio suscepit. Hæc autem honesta hospitissa liberatrix fuit populi non sui, sed futuri.

Benedicta fuit in *Axa* benedictione irrigationis, quæ irriguum superius impetravit. Hæc autem rorem cæli obtinuit. Isa. 45. c. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum.*

Benedicta fuit in *Debora* benedictione gubernationis, quæ sceptrum populi tenuit. Hæc autem populum Dei electum summâ prudentiâ gubernat, & regit.

Benedicta fuit in *Iahele* benedictione protectionis, quæ Sisaram clavo defixo in tempora eius occidit. Hæc autem hostem antiquum clavo prudentiæ suæ necavit.

Benedicta fuit in *uxore Manue* benedictione sanctificationis, cui Angelus annunciavit sanctificationem Samsonis. Huic autem annunciata est Nativitas, & Sanctificatio Salvatoris.

Benedicta fuit in *Noemi* benedictione præservationis, quæ, cùm esset amaro animo, præservata est in lege Dei. Hæc autem juxta Crucem angustiata præservavit fidem Iesu Christi.

Benedicta fuit in *Ruth* benedictione desponsationis, quæ nupsit Booz viro antiquo. Hæc autem Virgo Divina desponsatione copulata est matrimonio antiquo Ioseph justo.

Benedicta fuit in *Michol* benedictione deportationis, quæ de fenestra emisit David persecutiones sustinentem à Saul. Hæc autem spirituali decore aspectum in se trahit Divinum, & Iesum desiderabilem in Ægyptum deportat, fugientem persecutionem Herodis Regis.

Benedicta fuit in *Abigail* benedictione humiliationis, quam David humilem cognoscẽs duxit uxorem. Hæc autem sui humilitate facta est Sponsa Dei, dicens: *Ecce Ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbum tuum.*

Benedicta fuit in *Abisag* benedictione nutritionis, quæ antiquum David fovit in lecto, et pavit. Hæc autem antiquum dierum gestat in gremio, quem lactat ubere de cælo pleno.

Benedicta fuit in *Anna* benedictione consecrationis, quæ filium suum Samuelem consecravit Deo ab infantia sua. Hæc autem Puerum Iesum in medio templi Deo offert per Simeonem Sacerdotem.

Benedicta fuit in *Anna* Tobiæ benedictione devotionis, quę bonum maritalis societatis dem um intentæ viduitatis in Deum observavit. Hæc autem utrumque omni integritate virginitatis obtinuit.

Benedicta fuit in *Bersabee* benedictione observationis, quæ regnum impetravit Salomoni. Hæc autem velut fons, ex quo oritur Sapientia maior Salomone, finem ponit legi datæ in igne deserti, Vria occiso, dum servat legem veterem, ut terminetur, & ad Regem Regum transit, sub quo fulget lex libertatis, & gratiæ, scilicet novi Testamenti.

Benedicta fuit in *Thecaite* benedictione mediationis, quæ mediavit inter Ioab, & David pro pessimo Absalone. Hæc autem mediavit inter Deum, & hominem, quem Deo reconciliavit.

Benedicta fuit in *Abelana* benedictione provisionis, quæ sui sagacitate providit civitati suæ per decapitationem Sebæ. Hæc autem providit humano generi per amputationem potestatis iniqui serpentis.

Benedicta fuit in *Iudith* benedictione gubernationis, quæ amputavit caput Holofernis

Digitized by Google

nis pro gubernatione populi sui. Hæc autem sine gladio materiali, sed verbi Dei gladio spirituali totum genus humanum mira fortitudine gubernat.

Benedicta fuit in *Esther* benedictione superationis, quæ Aman cædentem populum Dei superavit. Hæc autem justitiæ rectitudine diabolum genus humanum invadentem subjugavit.

Benedicta fuit in *Sara* Tobiæ benedictione mortificationis, cuius septem amatores non casti à diabolo necati sunt. Hæc autem septem peccata mortalia mortificavit.

Benedicta fuit in *Sarepthana* vidua benedictione miserationis, quæ Eliam misericorditer hospitio suscepit, & pavit. Hæc autem humanum genus charitatis visceribus suscipit.

Benedicta fuit in *Sunamite* benedictione redemptionis, quæ vasis oleo plenis se ipsam à creditoribus mariti redemit. Hæc autem suæ gratiæ plenitudine totum genus humanum ab obligatione inferni absolvit.

Benedicta fuit in *Machabæa* Felice benedictione confortationis, quæ filios suos confortavit ad pœnam corporalem pro legis Dei defensione. Hæc autem omnes fideles Christianos confortavit ad sustinenda tormenta pro fidei veritate ostendenda. Ecce quomodò B. Virgo Rosa paradisi triginta foliis exornatur.

SEPTIMO. *Maria abiit in montana creaturarum*. Vnde ipsa dicit Eccli. 24. capite: *Quasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte Sion. Quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Iericho.*

1. Beata Virgo est cedrus in Libano. Nam odor cedrorum, quæ nascuntur in Libano, fugat serpentes, & interficit vermes; & beata Virgo fugat dæmones, & extinguit malas cogitationes. Licèt enim fuerit pulchra, à nullo tamen unquam potuit concupisci: quia eius puritas corda intuentium penetrabat, & motus illicitos extinguebat.

2. Beata Virgo est cypressus in monte Sion. Nam cypressus est tota medicinalis, scilicet cortice, foliis, & fructu; sic quicquid fuit in Virgine, fuit medicinale: scilicet cortex, id est, exterior conversatio sancta; & folia, id est, verba suavia; & fructus, id est, opera fructuosa. Ab eius conversatione suscepimus consolationem, à verbis eius devotam instructionem, ab eius fructu, nempe Filio, salvationem.

3. Beata Virgo est palma. Nam palma victoriam designat; & per beatam Virginem de omnibus adversitatibus, tribulationibus, angustiis, & tentationibus victoriam reportamus.

4. Beata Virgo est rosa plantata in Iericho, id est, creata in mundo. Vnde cantat sancta Mater Ecclesia. *Virgo Maria, non est tibi similis nata in mundo inter mulieres, florens ut rosa.* Quam nobis concedat Iesus Christus. Amen.

SER-

Digitized by Google

SERMO XXXVII.

IN FESTO S. MARGARITAE VIRG. ET MART.

Inventa eſt una pretioſa Margarita. Matth. 13. cap.

BEatus Hieronymus *lib. 1. contra Iovinianum* dicit: Apud Iudæos gloria erat in partubus, & in parturitionibus: & maledicta ſterilis, quæ non habebat ſemen in Iſrael: & beatus, cuius erat ſemen in Sion: & domeſtici in Ieruſalem, & in benedictione maxima ponebatur. Nam uxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filii tui ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ tuæ. Ecce ſic benedicetur homo. *Hæc ille.* Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtrum Beata Margarita invenerit æternam benedictionem per virginalis pudicitiæ incorruptionem?

AD iſtam quæſtionem reſpondent duo Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt beatus *Auguſtinus lib. de bono coniugali cap.* 21. dicens: Non eſt impar meritum continentiæ in Ioanne, qui nullas expertus eſt nuptias; & in Abraham, qui filios generavit. Illius enim cælibatus, & iſtius connubium pro temporum diſtributione Chriſto militaverunt.)

Secundus eſt beatus *Hieronymus lib. 2. contra Iovinianum* dicens: Ceterùm quis ignoret ſub alta diſpenſatione Dei omnes veteres Sanctos ejuſdem fuiſſe meriti, cuius nunc ſunt Chriſtiani? Quomodò autem Abraham placuit Deo in conjugio, ſic nunc virgines placent Deo in perpetua caſtitate.)

Sciendum, quòd virginitas commendatur quadrupliciter. Primò in Hebræis legibus. Hoc patet primò in viris. Nam Abel, qui primus inter juſtos à Domino commendatur, virgo fuit, ut *Auguſtinus* dicit *lib. de mirabilibus ſacræ Scripturæ*. Elias, & Eliſeus, & multi filii Prophetarum fuerunt virgines, ut *Hieronymus* dicit *in epiſtola ad Euſtochium*. Ieremias, ac Daniel etiam Propheta Domini, fuit virgo. Patet ſecundò in mulieribus. Nam Maria ſoror Aaron fuit virgo, quæ tamen prophetavit. Filia Iephte fuit virgo, ut patet *Iudi. 11. cap.* Et *Levit. 21. cap.* mandat Dominus per Moyſen, quòd ſummus Sacerdos uxorem non accipiat viduam, non repudiatam, non ſordidam, non meretricem, ſed uxorem accipiat virginem de populo ſuo. Et *ibidem* mandatur Sacerdotibus filiis Aaron, quòd non contaminentur in mortibus civium ſuorum, niſi tantùm in conſanguineis, & propinquis, id eſt, patre, matre, filio, & filia, fratre, & ſorore, quæ non eſt nupta viro.

Secundò, in Paganis gentibus. Vnde *Hieronymus lib. 1. contra Iovinianum* dicit: Certè Romanus populus, quanto honore ſemper virgines habuit, hinc apparet, quòd Conſules, & Imperatores, & in curribus triumphantes, qui de ſuperatis gentibus trophæa referebãt, & omnis dignitatis gradus eis de via cedere ſolitus eſt. Referunt fabulæ, Atalantam Calydoniam virginem ſemper in venatibus, ſemper in ſylvis, non tumentes uteros fœminarum, faſtidiaque conceptuum, ſed expeditam, & caſtam amaſſe virtutem. Harpalicem quoq; virginem Thraciam, inſignis Poeta deſcribit: & Reginam Volſcorum Camillam, quam Turnus, cui in auxilium venerat, laudare volens, non habuit quod amplius diceret, niſi virginem nominaret: O decus Italiæ virgo! Chalcoecus quoque illa filia Leo, virgo perpetua, peſtilentiam patriæ ſcribitur ſpontanea morte ſolviſſe, & Iphigeniæ virginis ſanguis adverſos placaſſe ventos. *Hæc Hieronymus.*

Tertiò, in ſummis cæleſtibus. Vnde *Hieronymus loco citato* ait: Nuptiæ terram replent, virginitas paradiſum. Qui enim in paradiſo virgines permanſerunt, ejecti de paradiſo copulati ſunt. Ejiciuntur de paradiſo; & quod ibi non fecerunt, in terra faciunt, ut ſtatim à principio conditionis humanæ virginitatẽ paradiſus, & terra nuptias dedicarit. In omni tempore ſint veſtimenta tua candida.

Can-

Candor veſtium ſempiternus virginitatis eſt puritas. *Hæc ille*. Completur etiam illud 8. *cap.* Zachariæ de virginibus Eccleſiæ prophetantis: *Complebuntur infantibus & puellis, ludentibus in plateis eius*. Iſtæ ſunt virgines, de quibus in 44. Pſalm. ſcriptum eſt: *Adducentur Regi virgines poſt eam: proxima eius afferentur tibi in lætitia, & exultatione: adducentur in templum Regis*. Nam in reſurrectione mortuorum non nubent, neque nubentur, ſed ſimiles erunt Angelis. Quod Angeli in cælis poſtea homines futuri ſūt, hoc virgines eſſe in terra cœperunt. Si Angelorum nobis ſimilitudo promittitur (inter Angelos autem non eſt ſexus diverſitas) aut ſine ſexu erimus, prout Angeli ſunt, aut certè (quod liquidò comprobatur) reſurgentes in proprio ſexu erimus, ſed ſexus non fungemur officio.

Quartò. In ſequentibus Chriſtum. Vnde *Hieronym. lib. 1. contra Iovinianum*: Legamus Apocalypſim Ioannis, & ibi reperiemus Agnum ſuper montem Sion, & cum illo centum quadraginta quatuor millia ſignatorum, habentium nomen eius, & nomen Patris eius ſcriptum in frontibus ſuis, qui cantant canticum novum: & nemo poteſt dicere canticum illud, niſi qui empti ſunt de terra. Iſti ſunt, qui cum mulieribus non ſe coinquinaverunt: virgines enim permanſerunt. Hi ſequuntur Agnum quocunque vadit. Empti enim ſunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno; & in ore ipſorum non eſt inventū mendacium, & ſine macula ſunt. De ſingulis tribubus, excepto tribu Dan, pro qua ponitur tribus Levi, duodena millia virginum ſignatorum creditura dicuntur, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati. Hi ſunt, qui cantant canticum novum, quod nemo poteſt cātare, niſi qui virgo eſt. Hi ſunt primitiæ Dei, & Agni, & ſine macula. *Hæc ille*.

Ad hoc autem, ut virginitas debitè ſequatur Chriſtum verum Agnum, oportet, quòd omnis virgo ipſum in corde ſuo jugiter exaltet quatuor modis.

Primò. Se humiliando. Nam propter defectum humilitatis, reprobatæ ſunt virgines fatuæ in ſeipſis gloriantes, *Matth.* 25. Ideo dicit, *Ambroſ. lib. de virginitate*. Non ſolùm prædicanda eſt virginitas, ut ametur; ſed etiā admonenda eſt, ne infletur. Et *Bern. ſuper Miſſus eſt, homil.* 1. dicit: Pulchra permixtio eſt virginitatis, & humilitatis. Nec mediocriter placet Deo anima illa, in qua humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem.)

Secundò. Ieſum Chriſtum magnificando. Debet enim virgo magnificare Deum cum beata Virgine dicens: *Magnificat anima mea Dominum*, Luc. 1. cap. Tale eſt canticum, quod cantant virgines ſequentes Agnum, & à nullo alio cantari poteſt, *Apoc.* 14.

Tertiò. Ieſum Deum confitendo nullo modo virgo de ſe confidat, ſed meminerit ſe in fictili vaſe theſaurum incomparabilem ferre. Vnde *Hieronym. in epiſt. ad Euſtochium* dicit: Nolo tibi venire ſuperbiam de virginitatis propoſito, ſed timorem. Onuſta incedis auro: latro vitandus eſt. Stadium eſt hæc vita mortalibus: hìc contendimus, ut alibi coronemur. Nemo enim inter ſerpentes, & ſcorpiones tutus ingreditur.)

Quartò. Ieſum ſolum honorando. *Ambroſ. de bono virginitatis* dicit: Virginitas, non quia virginitas, ſed quia Deo dicata eſt, honoratur. Vnde *Valer. l.* 1. *c.* 1. dicit, quòd in tēplo deæ Veſtæ erat quædam virgo pulcherrima nomine Æmylia, quæ videns ignem extinctum per negligentiam ſociæ, deam adoravit, & oratione completa velum, quod in capite portabat, foculo impoſuit, ſtatimque ignis emicuit. Si iſta virgo tantum illi idolo placuit, quantum virgo Chriſti Deo vero placebit? Hæc autem virginitas maximè requirit verecundiam. Vnde *Bern. ſuper Cantica ſermone* 86. dicit: Neſcio, an quicquam gratiùs verecundiâ adverti in moribus hominum queat, quæ eſt omnium ornatus ætatum, ſed in teneriori ætate amplius, pulchriuſque eniteſcit. Quid amabilius verecundo adoleſcente? Quàm pulchra hæc, & quàm ſplendida gemma morum in vita, & vultu adoleſcentis?) Cuius rationem aſſignat *Valerius libro quarto cap.* 5. dicens: Quia parens eſt omnis honeſti conſilii, tutela ſolemnium officiorum, magiſtra innocentiæ, chara proximis, accepta alienis, omni tempore, omni loco favorabilem præ ſe ferens vultum.) Et *Tullius lib.* 1. *de offciis* dicit: Sine verecundia nihil rectum eſt, neque honeſtum. Et *Ambroſ. lib.* 1. *de virginitate* dicit: Pudor individuus comes debet eſſe virginitatis, ſine quo non poteſt eſſe virginitas. Et *lib.* 1. *de offciis cap.* 17. dicit: Vt in ſenibus gravitas, in juvenibus alacritas; ita in adoleſcentibus verecundia, velut quadam dote commendatur naturæ.

Ad hanc autem virginitatem conſervan-

vandam requiruntur quatuor. 1. Abſtinentia. Vnde *Hieronym. in epiſt. ad Euſtochium* dicit: Pudicitia tuta non niſi per abſtinentiam eſſe poteſt. Et *Origen. ſuper Levitic.* Qui ſeipſum caſtrat propter regnum cælorum, id non aſſequitur, niſi ſe à ciborum affluentia reſecet, & niſi abſtinentiâ utatur miniſtrâ. Et *Chryſoſt. ſuper Matth.* Caſtitas ſine comitibus ſuis, jejunio, & temperantia, citò labeſcit: quòd ſi iis quaſi adminiculis roborata fuerit, perfacilè coronabitur. Ideo *Valerius lib. 2. cap. 1.* dicit, quòd vini uſus olim Romanis fœminis ignotus fuit, ne ſcilicet in aliquod dedecus prolaberentur: quia proximus à Libero patre intemperantiæ gradus ad inconceſſam Venerem eſſe conſuevit.) Et *Hieronym. lib. 1. contra Iovinianum* dicit: Eſus carnium, & potus vini, ventriſque ſaturitas ſeminarium libidinis eſt. Vnde *Terent. in Eunu.* Sine Cerere, & Baccho friget Venus.) Adeſſe ergo debet ratio, ut tales, ac tantas eſcas ſumamus, quibus non oneretur corpus, nec libertas animæ prægravetur.

2. Caſtigatio carnis. Vnde 1. Corint. 9. cap. dicit Apoſtolus: *Ego ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aerem verberans; ſed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo: ne forte cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Exemplum de beato Benedicto volutanti ſe inter ſpinas, & vepres intra illam gravem tentationem carnis.

3. Sancta exercitatio. Vnde *Gregor. lib. 2. moral. cap. 37.* dicit: Sæpè, quem tentationis certamen ſuperare non potuit, ſua deteriùs ſecuritas ſtravit: nam dum laſſum ſe quiſque in otio remittit, diſſolutam mentem corruptori proſtituit.) Et *Ovidius lib. de remedio amoris:*

Otia ſi tollas, periere cupidinis arcus,
Contemptæque iacent, & ſine luce faces.

4. Devota oratio. Nam hoc genus dæmoniorum, ſcilicet laſciviæ, non ejicitur niſi in oratione, & jejunio, *Matthæi 17. cap.* Et ejuſdem. 26. cap. *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.* Exemplum de beato Chriſtophoro, qui, cùm in carcere duabus puellis aſſociatus eſſet, ut eum ad laſciviam provocarent, ſua oratione ipſas ad Deum convertit.

Has quatuor virginitatis comites Chriſtus in ſe obſervavit. 1. Abſtinentiam per hoc, quòd ieiunavit, & eſurivit, *Matth. 4.* ubi de lapidibus noluit facere panes: cùm melior ſit refectio mentis, quàm ventris. Etiam ſitivit, quando ſedens ſic ſuper fontem, petivit à Samaritana bibere, *Ioann. 4. cap.*

2. Macerationem carnis. Iſa. 53. cap. *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum*, &c. Et Pſalm. *Vt non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras.*

3. Sanctam exercitationem. Iſa. 61. cap. *Spiritus Domini ſuper me: eò quòd unxerit me*, &c. Vnde circuibat caſtella, & civitates, docens in Synagogis, & prædicans regnũ Dei, & ſanans omnem languorem, & omnem infirmitatem, *Matth. 4. cap.*

4. Devotam orationem. Nam eo tempore, quo cœpit prædicare, egreſſus abiit in deſertum locum, ibique orabat, *Marc. 1. cap.* Ipſe etiam ſedebat in deſerto, & orabat, *Luc. 5. cap.*

Hæc autem virginitas facit quatuor. 1. Tentationum pellit incendia. Exemplum de Ioſeph, qui relictâ veſte apud dominam ſuã ſolicitantem ipſum de laſcivia, virginitatem ſuam cuſtodivit. Etiam Hippolytus fugiens amplexus laſcivos Phædræ, relicto enſe immaculatum ſe præſervavit.

2. Sanctarum meditationum ſenſus acuit & ingenia. Vnde *Apuleius de Deo Socratis* dicit: Artes aliæ, ſive ſcientiæ poſſunt ignorari ſine erubeſcentia, ut ratio pingendi, ſaltandi, cantandi, quas vir bonus poteſt ſine vituperatione contemnere: ſed neſcire bene vivere, nunquam audebis dicere ſine pudore.) Quoties ergo virgo neſciet bene vivere, & de hoc verecundabitur, acuet ingenium ad honeſtè vivendum. Et hoc quidem plurimi ſecuti ſunt, qui ſeipſos deformaverunt, ne in laſciviam prolaberentur. Exemplum de Spurina elegantiſſimo adoleſcente, qui, cùm mirâ ſui ſpecie alliceret oculos plurium illuſtrium fœminarum, cumque viris, & parentibus earum ſe ſuſpectum redderet, faciei decorem vulneribus deformavit.

3. Carnalium cogitationum luxum fugat, & vitia. Exemplum de illa virgine Antiochena pulchra nimium, quam omnes concupiſcebant, ſed ipſa hominum aſpectus fugiebat. Comperto autem, quòd Chriſtiana eſſet, coacta eſt aut idolis immolare, aut lupanar intrare, quod cùm facere recuſaret, ad lupanar ducta eſt. Ad ingreſſum autem laſcivorum certantium, quis illam primus ſtupraret, apparuit miles aſpectu terribilis confortans eam, ne timeret. Mutatis ergo veſtibus puella egreditur, miles verò clauſus in ca-

camera manet. Quidam autem advertens militem virum esse, & non puellam, exclamavit factum dolum. Vterque igitur ad martyrium ducitur, & miles, & puella; sicque virginitas custodita est. Ideo *Ambros. super Beati immaculati cap. 6.* dicit: Pudor plerumque corrector est noster: qui, dum præcipit nos pudere commissi, ne diutiùs pudeat, deserere, quæ erubescenda sunt, admonet.

4. Nostrorum actuum secura dat vestigia. Vnde *Valerius lib. 4. cap. 3.* narrat de Scipione, qui captâ Carthagine in Hispania omnes obsides, quos Pœni in ea urbe clausos tenebant, in suam potestatem redegit, simulque virginem ætatis adultæ. Quam, ut comperit illustri loco inter Celtiberos natam, & Indibili desponsatam, accersitis parentibus inviolatam tradidit, aurumque, quod pro redemptione allatum fuerat, summæ dotis adjecit. Vnde *Ambros. in quodam serm.* Solet citiùs mereri indulgentiam, quò verecundiùs deprecatur.

Beata Margarita habuit hunc thesaurum virginitatis in magna custodia per carnis mortificationem. Apostolus ad Galat. 5. cap. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* Per sensuum cohibitionem. Iob 31. cap. *Pepigi fœdus cum oculis meis.* Per fugam, & elongationem. 1. Corint. 6. cap. *Fugite fornicationem.* Talem thesaurum quæsivit Iesus Christus in suis fidelibus, quem invenit in beata Margarita, sicut dicit verbum propositum:

Vna pretiosa Margarita inventa est

A Deo.
Ab Angelis.
A Patriarchis.
A Prophetis.
Ab Apostolis.
A Martyribus.
A Confessoribus.
A Virginibus.
A Fidelibus.

PRIMO. *Vna pretiosa Margarita inventa est à Deo.* Nam pietas Salvatoris apparuit in eo, quòd negotiator factus est, & in mundum venit, negotiari animas nostras. Vnde *simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.*

In isto negotiatore sunt septem miranda. Primum est, quia sua pretiosa pro vili pretio tradidit. *Augustin.* Venale habeo. Quid Domine? Regnum cælorum. Quo emitur? Paupertate regnum, dolore gaudium, labore requies, ignominiâ gloria, morte vita.

Secundum est, quia nostra vilia carè emit. Dedit enim pretiosum Sanguinem suum pro nobis. 1. Petri 1. cap. *Non corruptibilibus auro, &c. redempti estis, sed pretioso Sanguine Agni immaculati Iesu Christi.* Et 1. Corint. 6. *Empti estis pretio magno, &c.* Ideo dedit seipsum totum. Eph. 5. cap. *Tradidit semetipsum pro nobis.*

Tertium est, quia nihil habentibus ad solvendum omnia bona sua tradidit, sicut pueri faciunt. Psal. *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.*

Quartum est, quia nullum decipit; ideo semper ultra sortem pretii solvit. Psal. *Quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita. Augustinus.* Quod Deus diligentibus se præparavit, merita omnium transcendit, & vota. Rom. 8. cap. *Non sunt condigna passiones hujus temporis, &c.*

Quintum est, quia de datis, & acceptis strictam rationem exigit. Lucæ 16. cap. *Redde rationem villicationis tuæ.* Et Matth. 18. cap. *Voluit rationem ponere cum servis suis.*

Sextum est, quia servos suos super bonis suis negotiari, & lucrari voluit. Lucæ 19. c. *Negotiamini, dum venio.*

Septimum est, quia servis suis ad negotiandum bona sua dedit secundùm eorum qualitates. Matth. 25. cap. *Vni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum: unicuique secundùm propriam virtutem.*

Iste negotiator venit in mundum istum, ut sibi hanc Margaritam emeret, pro qua Deitatem, Animam, Carnem, & Sanguinem dedit; & ipsa omnem idolorum culturam fugit. Fuit enim rore cælesti generata: quia cor suum aperuit, & rorem Spiritus sancti suscepit, & suggestioni diabolicæ se clausit, & sic pretiosa Margarita generata fuit. Aperuit nanque Deo suam memoriam, & ibi recepit Dei continuam recordationem. Aperuit suam intelligentiam, & ibi concepit Dei recognitionem. Aperuit suam voluntatem, & ibi concepit Dei amorem.

SECVNDO. *Vna pretiosa Margarita inventa est ab Angelis.* Nam Angeli custodierunt eam, ut contereret suggestionem dæmonis, qui habet magnam potentiam, superbiam, astutiam, & experientiam. Vnde dicitur Apoc. 12. cap. *Proiectus est draco:* Ecce potentia. *Magnus serpens:* Ecce superbia. *Antiquus:* Ecce experientia. *Qui seducit universum orbem:* Ecce astutia.

His armis pugnavit dæmon contra beatam Margaritam; ſed ipſa protectione Angelorum contrivit omnia eius machinamenta. Fregit enim eius potentiam, quando ipſum ei apparentem in ſpecie draconis virtute ſanctæ Crucis evaneſcere fecit. Fregit eius ſuperbiam, quando pedem ſuper collum eius poſuit. Fregit eius aſtutiam, quando ſibi in nullo nocere potuit, & quando ipſum coegit fateri, quòd ideo ſibi apparuit, quatenus ei conſuleret, ut monitis Præſidis obediret. Fregit eius experientiam: quia in nullo ſuis ſuggeſtionibus conſentire voluit. Pſal. *Angelis ſuis Deus mandavit de te*, &c.

TERTIO. *Vna pretioſa Margarita inventa eſt à Patriarchis*, qui domos proprias reliquerunt, ut Abraham, *Gen. 12. cap.* Et de beata Margarita dicit Pſalm. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum*. Ipſa enim advertens, quòd pater ſuus intendebat eam trahere ad cultum idolorum, eius ſocietatem fugit, & oves ſuæ nutricis paſcebat. Periculum eſt enim bonis habitare cum malis. Pſalm. *Cum perverſo perverteris*. Quia mali ſunt igne concupiſcentiæ inflammati; ideo boni ſæpiùs corrumpuntur. 1. Cor. 15. cap. *Corrumpunt bonos mores colloquia mala*. Mali ſunt luto avaritiæ inquinati; & ideo boni ſæpiùs inficiuntur. Mali ſunt pice adhærentis ſuperbiæ infecti; & ideo boni ſæpiùs denigrantur. Mali ſunt tenebris ignorantiæ obſcurati; & ideo boni ſæpiùs obſcurantur. Beata ergo Margarita noluit habitare cum malis, ne aut inflammaretur igne concupiſcentiæ, aut inquinaretur luto avaritiæ, aut inficeretur pice ſuperbiæ, aut obſcuraretur tenebris ignorantiæ.

QVARTO. *Vna pretioſa Margarita inventa eſt à Prophetis*. Nam Prophetæ maximè floruerunt virtute humilitatis, ut clariùs Divina myſteria intelligerent.

Beata Margarita tantò humilior fuit in conſpectu ſui, ut fulgidior eſſet in conſpectu Dei. Sæpe enim res lucidæ nigrum habent effectum, ſicut oſtendit beatus *Auguſtinus lib. de civitate Dei* triplici exemplo. Nam oleum lucidum maculas nigras effundit. Argentum fulgidum lineas nigras tingit. Ignis ſplendidus nigra facit cuncta, quæ tangit. Sic ſancti viri Prophetæ Dei, licèt luceant inſtar olei per pietatem, inſtar ignis per charitatem, inſtar argenti per famæ claritatem tamen apud ſe nigreſcebant per humilitatem. Vnde *Ieremias* dixit: *A, a, a, Domine Deus, ecce neſcio loqui: quia puer ego ſum*.

Beata Margarita coram ſe fuit humilis, ut Deo fieret grandis. Pſalm. *Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei: magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum*. Cùm enim Olybrius Præfectus eam ſibi conjugio copulare vellet, magis voluit affligi cum populo Chriſtianorum, quam temporalis proſperitatis habere jucunditatem.

QVINTO. *Vna pretioſa Margarita inventa eſt ab Apoſtolis*, quorum fidem imitata eſt. De hac fide dicit Pſalm. *Eloquia Domini eloquia caſta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum*. Ex quo elicitur, quòd fides catholica eſt caſta per puritatem ſynceram: quia nulla adulterina falſitate polluitur, quod eſt contra fidem Hæreticorum. Eſt examinata per tribulationem immiſſam: quia nulla adverſitate frangitur, quod eſt contra fidem inſtabilium. Eſt probata per proſperitatem mundanam: quia nulla proſperitate allicitur, quod eſt contra fidem avarorum. Eſt purgata per Spiritus ſancti gratiam: quia ſeptiformi dono Spiritus ſancti fulcitur, quod eſt contra fidem malorum Chriſtianorum.

Beata Margarita hunc theſaurum fidei in corde ſuo fixit, ut tyranni argumenta facilè devinceret. Cui cùm diceret, quòd non convenit, ut puella tam nobilis habeat Deum crucifixum; ipſa reſpondit: Chriſtus pro redemptione noſtra crucifixus aſſeritur, ſed nunc in æternum vivere affirmatur, &c.

SEXTO. *Vna pretioſa Margarita inventa eſt à Martyribus*, qui pro Chriſto occiſi ſunt. Eius nanque paſſio multũ fuit Paſſioni Chriſti conformis. Chriſtus enim fuit denudatus in patibulo, Margarita expoliata in equuleo. Chriſtus fuit flagellatus ad columnam, ut diſciplinam pro nobis portaret, Margarita tota fuit virgis lacerata, ut poſt hanc vitam aliam diſciplinam non ſentiret. Chriſtus fuit perforatus clavis, Margarita fuit lacerata vinculis. Chriſtus paſſus eſt in patibulo, quod erat ſupplicium latronum, Margarita in equuleo, quod erat ſupplicium malefactorum. Chriſtus fuit totus Sanguine plenus, Margarita tota fuit ſanguine cruentata. Chriſtus paſſus eſt in aere, ad innuendum, quòd eſt Mediator Dei & hominum, Margarita paſſa eſt in aere, ad innuendum, quòd eſt noſtra interventrix apud Deum. Chriſtus

in

in ſua Paſſione Patri ſpiritum commendavit, & pro ſuis crucifixoribus, & pro omnibus fidelibus interceſſit; ſic Margarita oravit Deum pro ſe, pro ſuis occiſoribus, & pro invocantibus ipſam.

SEPTIMO. *Vna pretioſa Margarita inventa eſt à Confeſſoribus*. Nam ipſa ardens charitate tota ivit aduſta, ſed non combuſta. Vnde poterat dicere illud Eccli. 51. *In medio ignis non ſum æſtuata*. Fuit enim in medio ignis: quia habuit carnem impugnantem. Galat. 5. cap. *Caro concupiſcit adverſùs ſpiritum*. Dæmonem inflantem. Iob 41. cap. *Halitus eius prunas ardere facit*. Hominem ſolicitantem: quia Præfectus eam in uxorem accipere cupiebat. Pulchritudinem allicientem, quæ jam multas deceperat. Proverb. ult. cap. *Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo*. Superavit autem omnia iſta ardentiſſimâ charitate per quatuor, quæ Deo præſtante intrinſecus habebat. Per gratiam afflantem. Dan. 3. cap. *Fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem*. Per conſcientiam delectantem. Proverb. 15. cap. *Secura mens quaſi iugè convivium*. Per ſpem lætificantem. Rom. 12. c. *Spe gaudentes, in tribulatione patientes*. Per carnem virgineam refrigerantem. Lucæ 1. cap. *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*.

OCTAVO. *Vna pretioſa Margarita inventa eſt à Virginibus*. Nam theſaurus virginitatis invenitur quatuor modis.

1. Dando Deo proprium affectum, ut ſcilicet nihil diligat, niſi cæleſtem Sponſum. Eſt enim zelotipus, & non vult cum adultero adamari. Iſa. 28. cap. *Coanguſtatum eſt ſtratum, ita ut alter decidat*.

2. Dando Deo proprium intellectum, ut ſcilicet de nullo cogitet, niſi de cæleſti Sponſo. 2. Cor. 10. cap. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti*.

3. Dando Deo proprium cenſum, ſcilicet bona ſua non vanè expendendo, ſed pauperibus Chriſti tribuendo. Matth. 19. cap. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo*.

4. Dando Deo propriam intentionem, & motum: nam ſicut imago Dei in ſanctis viris non inficitur; ſic virginitas recta intentione innovatur. 2. Cor. 4. cap. *Licèt is, qui foris eſt, homo noſter corrumpatur; tamen is, qui intus eſt, renovatur de die in diem*.

NONO. *Vna pretioſa Margarita inventa eſt à Fidelibus*. Nam magnas virtutes in ſua paſſione oſtendit, ex quibus multa infidelium millia converſa ſunt ad fidem Chriſti. Nam in igne fuit poſita, ſed non aduſta. In aere fuit in equuleo ſuſpenſa, non tamen in animo læſa. In aqua: quia in aquis gelidis fuit poſita, & permanſit illæſa. In terra: quia fuit terræmotu concuſſa. Factus eſt enim terræmotus; ac ſi terra non poſſet tantum facinus ſuſtinere.

Terræmotus fit quatuor de cauſis. 1. In deteſtationem ſceleris. Oſee 4. c. *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt: propter hoc lugebit terra*. 2. In ſignum doloris. 3. In ſignum, & incuſſionem timoris; & ſic factus eſt terræmotus in Paſſione Chriſti, ut dolorem oſtenderet. 4. In confuſionem peccatoris, qui valde confundi debet, quando ad præceptum Dei inſenſibile elementum movetur, & ipſe ad pœnitentiam non commovetur.

Terræmotus ergo factus eſt in paſſione beatæ Margaritæ in tanti ſceleris deteſtatione, in doloris & compaſſionis oſtenſionem, in timoris incuſſionem, & in peccatorum magnam confuſionem. Vnde *quidam Sanctus* dicit de ea: Beata Margarita fuit timoris Dei inſtantiâ prædita, religione compta, compunctione perfuſa, honeſtate laudabilis, patientiâ ſingularis; nihilque in ea contrarium Chriſtianæ religioni inveniebatur, odioſa patri ſuo, dilecta Domino Ieſu Chriſto, cum quo vivit, & regnat in ſempiterna ſecula. Amen.

SERMO XXXVIII.

IN FESTO SANCTAE MARIAE MAGDALENAE.

Vides hanc mulierem ? Lucæ 7. cap.

CHryſoſtomus *in homil. de proditione Iuda*, quæ incipit : *Pauci hodie*, dicit : Ante proditionis tempus meretrix unguentum ſupra Domini caput effudit, Grandem fidem, multam reverentiam, mirandam correptionem oſtendit. Et quando proſtituta lupanar exivit, tunc diſcipulus gehennam intravit : quando illa mercedem ſui corporis abdicabat, tunc ille pretium Magiſtri Sanguinis poſtulabat.) Super quo talem moveo quæſtionem ,

Vtrum beata Maria Magdalena poſt amiſſam virginitatem recuperaverit per pœnitentiam priſtinam dignitatem ?

AD iſtam quæſtionem reſpondeo ponendo quatuor Concluſiones ex intentione ſanctorum Doctorum .

Prima concluſio eſt iſta. Beata Maria Magdalena non ſolùm mente, ſed etiam corpore fuit corrupta. Patet teſtimonio Chriſti dicentis Matth. 21. cap. *Amen dico vobis, quòd publicani, & meretrices præcedent vos in regnum Dei*. Super quo dicit *Gloſſa interlinearis* : Publicani, ut Matthæus : meretrices, ut Magdalena .

Cyrillus ſuper illud Lucæ 7. Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, dicit : Mulier quidem inhoneſtæ vitæ, promens autem fidelem affectum, venit ad Chriſtum, quaſi petens veniam commiſſorum ſibi elargiri .

Auguſtinus ſuper Pſalm. 140. dicit : Illa mulier, quæ erat in civitate peccatrix, venit, & acceſſit ad pedes Ieſu . Illa impudica, quondam frontoſa ad fornicationem, frontoſior ad ſalutem, irrupit in domum alienam .

Gregorius homilia 33. *in Evangelia* ait : Quia enim hæc mulier turpitudinis ſuæ maculas aſpexit, lavanda ad fontem miſericordiæ cucurrit .

Sanctus Thomas 2. *ſen. diſ.* 9. *artic.* 8. *in reſp.* dicit : Quidam dicunt, quòd ſolùm virgines ad ordines Angelorum aſſumuntur, eò quòd cognata eſt Angelis virginitas, ut *Hieronymus* dicit ; alii verò electi decimum ordinem conſtituunt . Sed hoc non eſt verum : cùm multi non virgines, ut Petrus, & Magdalena, multis etiam virginibus eminentiores ſint .)

Speculum Eccleſia in ſermone , Non veni vocare iuſtos, affirmat : Hæc Maria in Magdalum caſtellum marito traditur, ſed ab eo Ieroſolymam fugiens , generis immemor , legis oblita, vulgaris meretrix efficitur : & poſtquam ſe fecit ſpontè turpitudinis proſtibulum, facta eſt jure dæmoniorum delubrum .

Secunda concluſio eſt iſta. Hæc mulier peccatrix eſt eadem , quæ fuit ſoror Lazari, & quæ unxit Dominum unguento . Iſta concluſio eſt *Hieronymi* , & *Chryſoſtomi* . Sed *Origenes* dicit, quòd non eſt eadem ; quod probat ex tribus .

1. Ex tempore . Nam ſoror Lazari unxit Dominum ante ſex dies Paſchæ , ut habetur *Ioann.* 12. *cap.* Illa verò peccatrix infra biduum ante Paſcha . Præmittit enim Matthæus Dominum dixiſſe : *Scitis , quia poſt biduum Paſcha fiet* . Marcus autem dicit : *Erat Paſcha & azyma poſt biduum* .

2. Ex loco . Nam illa peccatrix legitur Dominum unxiſſe in domo Simonis leproſi . Magadalena verò ſoror Lazari unxit Dominum in domo Marthæ : quia dicitur , quòd Martha miniſtrabat .

3. Ex facto . Nam illa peccatrix unxit pedes Domini , Magdalena verò ſoror Lazari unxit caput Domini recumbentis .

Auguſtinus autem, & *Greg.* dicunt, quòd fuit una , & eadem mulier, quam 4. Evangeliſtæ narrant Dominum unxiſſe. Sed bis hoc fecit . Primò quidem in principio ſuæ converſionis, intermedio tempore prædicationis Chriſti, quod *Lucas* narrat . Secundò verò hoc fecit

in-

imminente Chriſti Paſſione, quod tres alii Evangeliſtæ narrant.

Ad primum ergo de diſſonantia temporis dicendum eſt ſecundùm *Auguſtinum*, quòd Ioannes ſervat ordinem hiſtoriæ, Matthæus autem, & Marcus per recordationem interponunt, quòd prius fuerat factum immediatè ante proditionem Iudæ, quæ ex hoc facto creditur occaſionem habuiſſe.

Ad ſecundum de diſſonantia loci poteſt intelligi, quòd eadem ſit domus Simonis leproſi, etiam Mariæ, & Marthæ; ita quòd Simon fuerit paterfamilias domus. Dicitur autem leproſus: quia priùs leproſus fuerat, & à Chriſto curatus.

Ad tertium dicitur ſecundùm *Auguſtinum*, quòd eadem mulier unxit pedes, & caput ipſius Chriſti recumbentis.

Tertia concluſio. Beata Maria Magdalena per ſui pœnitentiam non potuit recuperare virginalem innocentiam. Iſtud declarat *ſanctus Thomas* 3. *part. quæſt.* 30. *art.* 3. dicens: Homo per peccatum duplicem dignitatem amittit: unam quantùm ad Deum, ſcilicet, quâ computatus erat inter filios Dei per gratiam; & hanc dignitatem recuperat per pœnitentiam, quod ſignificatur *Luca* 15. *cap.* in filio prodigo, cui pater pœnitenti juſſit reſtitui ſtolam primam, & annulum, & calceamenta. Aliam verò dignitatem amittit ſecundariam, ſcilicet innocentiam, de qua (ſicut ibidem legitur) gloriabatur filius ſenior dicens: *Ecce tot annis ſervio tibi, & mandatum tuum nunquam præterivi*. Et hanc dignitatem pœnitens recuperare non poteſt. Eadem ratio eſt de recuperatione virginitatis, & de recuperatione innocentiæ. Quia ſuper illud Amos 5. *Virgo Iſrael cecidit* &c. dicit *Glo.* Non negat, ut reſurgat, ſed ut reſurgere virgo poſſit: quia ſemel oberrans ovis, etſi reporterur in humeris paſtoris, non habet tantam gloriam, quantam quæ nunquam erravit. *Hæc Sanctus Thomas*.

Et *Quodlibeto* 5. *artic.* 3. ait: In virginitate duo poſſumus conſiderare, quorum unum eſt ipſa integritas mentis & corporis, & ſic Deus poteſt virginem reparare poſt ruinam. Poteſt enim mentem reintegrare per gratiã, & corpus conſolidare per miraculum. Alia autem eſt cauſa integritatis prædictæ, ſcilicet, quia mulier virgo non fuiſſet cognita à viro, & quantùm ad hoc Deus non poteſt virginem reparare poſt ruinam. Non enim poteſt facere, ut ea, quæ jam eſt cognita à viro, non fuerit cognita, ſicut nec de aliquo, quod factum eſt, poteſt facere, quòd non factum fuerit. Potentia enim Dei ſe extendit ad totum ens. Vnde ſolùm id à Dei potentia excluditur, quod repugnat rationi entis, & hoc eſt ſimul eſſe, & non eſſe; & ejuſdem rationis eſt, quod fuit, non fuiſſe. Vnde *Auguſtinus lib.* 26. *contra Fauſtum cap.* 5. dicit: Quiſquis dicit, ſi omnipotens eſt Deus, faciat, ut ea, quæ facta ſunt, facta non fuerint, non videt ſe hoc dicere: Faciat, ut ea, quæ vera ſunt, eo ipſo, quo vera ſunt, falſa ſint. Et *Hieronymus ut habetur* 32. *quæſt.* 5. *cap. Si Paulus*, aſſerit: Cùm Deus omnia poſſit, non poteſt virginem reparare poſt ruinam. *Hæc Sanctus Thomas*.

Quandoque tamen pœnitens recuperat aliquid maius: quia, ut *Gregorius* dicit *in homil. de centum ovibus*. Qui ſe erraſſe à Deo conſiderant, damna præcedentia lucris ſequentibus recompenſant. Majus ergo gaudium de eis fit in cælo: quoniam & Dux in prælio plus eum militem diligit, qui poſt fugam reverſus hoſtem fortiter premit, quàm illum, qui nunquam terga præbuit, & nunquam fortiter aliquid geſſit.) His enim, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti, ſcilicet prædeſtinatis, qui, quotieſcunque cadunt, finaliter tamen reſurgunt, cedit in bonum, ſcilicet hoc, quòd cadunt: non quia ſemper in majori gratia reſurgant, ſed quia reſurgunt in permanentiori gratia, non quidem ex parte ipſius gratiæ (quia quantò gratia eſt major, tantò de ſe eſt permanentior) ſed ex parte hominis, qui tantò ſtabiliùs in gratia permanet, quantò eſt cautior, & humilior, & ferventior. Dicit enim Apoſtolus Rom. 8. cap. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Vbi dicit *Gloſſa Auguſtini*, quòd hoc adeo verum eſt, ut, ſi qui horum devient, & exorbitent, hoc ipſum Deus faciet eis in bonum proficere. Nempe ideo proficit eis in bonum quòd cadunt: quia humiliores redeunt: quia & doctiores fiunt.

Hoc autem contigit Beatæ Mariæ Magdalenæ per pœnitentiam ſuam. Vnde *Chryſoſtomus* dicit ſic: Sic ergo meretrix honeſtior effecta eſt virginibus. Poſtquam enim accẽſa eſt pœnitentiâ, exarſit in Chriſti amorem. Et hæc quidem, quæ dicta ſunt à beato Evangeliſta, agebantur exterius. Quæ verò revolvebat eius intentio, multò ferventiora his erant, quæ ſolus Deus inſpiciebat.)

Quarta concluſio. Beata Maria Magdalena vir-

virginitatē mentis & corporis per ſui pœnitentiam recuperavit. Iſtud declarat *Sanctus Thomas ſecunda ſecundæ quæſt.* 152. *articulo* 3. *ad* 3. dicens: Virtus per pœnitentiam reparatur quantùm ad id, quod eſt formale in virtute, non autem quantùm ad id, quod eſt, materiale in ipſa. Non enim, ſi quis magnificus conſumpſit ſuas divitias, per poenitentiam peccati reſtituuntur ei divitiæ. Et ſimiliter ille, qui peccando virginitatem amittit, per poenitentiam non recuperat virginitatis materiam, ſed recuperat virginitatis propoſitum, ſcilicet perpetuò abſtinendi à delectatione venerea, ad vacandum rebus Divinis. Circa materiam autem virginitatis eſt aliquid, quod miraculosè reparari poteſt divinitùs, ſcilicet integritas membri, quæ accidentaliter ſe habet ad virginitatem. Aliud autem eſt, quod nec miraculo raparari poteſt, ut ſcilicet qui expertus eſt voluptatem veneream, fiat non expertus. Non enim poteſt Deus facere, ut ea, quæ facta ſunt, non ſint facta. *Hæc Sanctus Thomas.*

Et *prima parte quæſt.* 25. *artic.* 4. *ad* 3. dicit ſic: Omnem corruptionem mentis & corporis poteſt Deus auferre à muliere corrupta, licèt ab ea auferri non poſſit, quòd corrupta non fuerit; ſicut nec ab alio peccante auferre poteſt, quòd non peccaverit, & quòd charitatem non amiſerit.)

Beata Maria Magdalena per pœnitentiam habuit propoſitum firmatum voto integritatis ſervandæ, & per miraculum recuperavit integritatem membri. Cuius ſignum eſt: quoniam aſperrimam cremum petiit, & in loco Angelicis manibus præparato per 30. annos incognita manſit. Qualibet autem die ſeptem horis canonicis ab Angelis in æthera elevabatur, & cæleſtium Agminum glorioſos concentus corporalibus etiam auribus audiebat. Vnde diebus ſingulis his ſuaviſſimis dapibus ſatiata, & inde per eoſdem Angelos ad locum proprium revocata, corporalibus alimentis nullatenus indigebat, prout narrat *Hegeſippus in quodam tractatu*. Sic autem elevari per Angelos, eſt privilegium virginum, ut patet de Adam in ſtatu innocentiæ, de Eliſeo Propheta, Beata Virgine, Ioanne Baptiſta, Paulo, Ioanne Evangeliſta, Thoma de Aquino. Ergo beata Maria Magdalena veraciter recuperavit integritatem virginitatis quantùm ad animam, & quantùm ad corpus. Ideo dicitur: *Vides hanc mulierem?* ſcilicet per poenitentiam recuperaſſe integrè virginitatem, pro qua adipiſcenda tam lamentabiliter flevit.

Vides hanc mulierem?

In ſtatu offenſionis.
In ſtatu converſionis.
In ſtatu ſatisfactionis.
In ſtatu attractionis.
In ſtatu protectionis.
In ſtatu glorificationis.

PRIMO. *Vides, id eſt, conſideras hanc mulierem, ſcilicet beatam Mariam Magdalenam, in ſtatu offenſionis?* Gravitas enim offenſionis eius in tribus conſiſtit: ſcilicet in peccatorū magnitudine, in peccatorum certitudine, in peccatorū multitudine. Magnitudo peccatorum notatur, cùm dicitur in Evangelio: *Et ecce mulier.* Certitudo peccatorum notatur, dùm dicitur: *quæ erat in civitate.* Multitudo peccatorū notatur, cùm dicitur: *Peccatrix.* Magnitudo peccatorum eius cauſabatur ex quatuor, quæ ipſam induxerūt ad ruinam. 1. Pulchritudo. Proverb. 11. cap. *Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra, & fatua.* 2. Divitiæ. 3. Libertas, dum ſcilicet non eſt ſub lege viri. 4. Simplicitas, dum ſcilicet non habet providentiam in ſe, quoad regimen vitæ ſuæ, ſed facilè ſeducitur. Vnde viri procantes, vel domantes mulieres habent ſeptem prodimenta, ad ſeducendum eas, & quia ſequuntur paſſiones ſenſus, facilè vincuntur, ut patet.

Primum prodimentum eſt laudatio. Procans enim laudat mulierem dicens: Tu pulchrior es omni muliere: natura non poſſet fingere aliam pulchriorem: beata illa mater, quæ te genuit, tam delicatè nutrivit. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Ecce tu pulchra es amica mea: oculi tui columbarum. Favus diſtillans labia tua: mel, & lac ſub lingua tua. Quis non arderet in amorem tui?

Secundum eſt locutio. Procans enim dicit amaſiæ ſuæ: O ſi poſſem tibi loqui in ſecreto, bene eſſet tibi! Nihil mali dicerem, nec quod ad cōfuſionē tui accederet, ſed potiùs ad laudem, & gloriam tui. Si ſcires, quàm magna ſunt, quæ dicta fuerunt pridiè de te, vehementer exultares. Etiam plures fuerunt, qui malè locuti ſunt de te, quos ego durè increpavi. Tu credis quibuſdam, qui applaudunt

dunt tibi in faciem, ſed retro te pungunt.

Tertium prodimentum eſt promiſſio. Procans enim promittit fidem amaſiæ ſuæ, quòd tale negotium nunquàm dicet alicui propter honorẽ ſuũ; & quòd nunquã alteri cõmiſcebitur. Sed caveat ſibi mulier fragilis: quoniam quamprimùm conſenſerit ei, divulgabit eam per civitatem, quòd talis eſt amaſia ſua, & habet cum ipſa omne ſuum beneplacitum. Nam quatuor ſunt, quæ non poſſunt celari: ſcilicet ignis, ſcabies, tuſſis, & amor. Iſta ſeipſa manifeſtant nullo perquirente.

Quartum prodimentum eſt copulatio. Procans enim promittit ſe illam ducere in uxorem: cùm autem ſatisfecerit libidini ſuæ, & cognoverit eam gravidam, recuſat illam ducere. Si autem vir promiſerit eam ducere in uxorem, & ſecuta fuerit copula carnis, tenetur eam ducere. Si autem aliam duxerit iſtâ rejectâ, non eſt illa uxor eius, ſed concubina, ut patet.

Quintum prodimentum eſt comminatio. Procans enim minatur juvenculæ, quòd, niſi conſentiat ei, divulgabit eam meretricem per totam civitatem, & manifeſtabit converſationem eius, & ambaſciatas, quas mittit quibuſdam juvenibus: ſicut fecerunt quondam illi ſenes contra Suſannam, quam tamẽ Deus protexit per Danielem Prophetam, *Daniel.* 13. *cap.* &c.

Sextum prodimentum eſt fictio. Procans enim fingit ſe eſſe divitem, & quòd induet eam velut nobilem, & dabit ei, quicquid ipſa petierit, imo omnia ſuo dabit arbitrio, & gubernationi ſuæ, cùm ipſa videatur prudentiſſima, & non curat de dote eius, imo ipſe vult eam & dotare de ſuo, & tenere matrem eius libentiſſimè.

Septimum prodimentum eſt commiſſio. Procans enim committet alicui antiquæ, ut faciat talem ambaſciatam tali juvenculæ, & quòd ardet amore ipſius, & tanquam deſperatus occidet ſeipſum, niſi habuerit eam, & donat illi antiquæ multa, & plurima donaria mittit illi per iſtam antiquam, quæ confortabit eam, & illa juvencula fidens in iſtam, conſentiet illi procanti.

Certitudo peccatorum cauſatur ex hoc, quòd mulier ſeptem modis graviter peccat.

1. Ornando viſum, & faciem ſuam ultra debitum. Vnde *Cyprianus lib. de habitu virginum* dicit: Non virgines tantùm, aut viduas, ſed & nuptas puto etiam omnes ominò fœminas admonendas, quòd opus Dei & facturam eius, & plaſma adulterare nullo modo debeant, adhibito flavo colore, vel nigro pulvere, vel rubore, aut quolibet lineamento nocivo corrumpente medicamine. Manus quidem Deo inferunt, quando illud, quod ille formavit, reformare contendunt. Impugnatio iſta eſt Divini operis prævaricatio, & veritatis. Deum videre non poteris, quando oculi tibi non ſunt, quos Deus fecit, ſed quos diabolus infecit.) Vnde mulierum fucatio, de quo *Cyprianus* loquitur, eſt quædam ſpecies fictionis, quæ non poteſt eſſe ſine gravi peccato. Vnde *Auguſtinus* dicit *in epiſtola ad Poſſidium*. Fucari pigmentis, quo rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia eſt, quâ non dubito, etiam ipſos maritos ſe nolle decipi, quibus ſolis permittendæ ſunt fœminæ ornari ſecundùm veniam, non ſecundùm imperium.)

Sciendum, quòd non ſemper talis fucatio eſt cum peccato mortali, ſed ſolùm, cùm fit propter laſciviam, vel in Dei contemptum, in quibus caſibus loquitur *Cyprian.* Nam aliud eſt fingere pulchritudinẽ nõ habitam, & aliud eſt occultare turpitudinem ex aliqua cauſa provenientem, puta ægritudinem, vel aliquid hujuſmodi: hoc enim eſt licitum; quia ſecundùm Apoſtolum 1. Cor. cap. 12. *Quæ putamus ignobiliora eſſe membra corporis, his honorem abundantiorem circundamus.*

2. Portando capillos alienos, aut ultra modum colendo ſuos. Vnde 1. Petri 3. cap. dicitur: *Sit non extrinſecùs capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus.* Vbi dicit *Glo. Cypriani*: Serico, & purpurâ indutæ Chriſtum ſyncerè induere non poſſunt: auro & margaritis ornatæ & monilibus, ornamenta mentis & corporis perdiderunt.) Sed *Glo. ibidem* dicit, quòd mulieres eorum, qui in tribulatione erant, contemnebant viros, & ut aliis placerent, ſe pulchrè ornabant, quod fieri Apoſtolus prohibet, in quo etiam caſu loquitur *Cyprianus*. Non autem prohibet mulieribus conjugatis ornari, ut placeant viris, ne detur eis occaſio peccãdi cum aliis. Vnde 1. Timot. 2. c. dicit Apoſtolus: *Mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa.* Per quod datur intelligi, quòd ſobrius, & moderatus ornatus non prohibetur mulieribus, ſed ſuperfluus, & inverecundus, & impudicus. Etiam, ſi nulla eſt mulier,

quæ

quæ vellet dormire cum muliere mortua, ut haberet capillos ſuos, quomodo ergo audet portare capillos mulieris mortuæ?

3. Dum eſt vanitatibus ornata, aſpicere, & aſpici delectando. Nam muliebris cultus ſæpè viros ad laſciviam provocat. Proverb. 7. cap. *Ecce mulier occurrit tibi ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas*. Quæ laqueus venatorum eſt. Hoc enim eſt dare viris incentivum peccandi, & quando hac intentione ſe ornat, ut alios provocet ad concupiſcentiam, mortaliter peccat. Vnde *Auguſtinus in epiſtola ad Poſſidium* dicit: Nolo, ut de ornamentis auri, vel veſtis præproperam habeas in prohibendo ſententiam, niſi in eos, qui neque conjugati ſunt, neque conjugari cupientes, cogitare debent, quomodò placeant Deo.

4. Vanas cantilenas addiſcendo, in quibus verba laſciva, & ad luxuriam provocantia continentur. Nam *corrumpunt bonos mores, colloquia mala*, ut Apoſtolus dicit.

5. Facetiis vanis, quando, & cum quo non debet, utendo. Mulier enim non debet cum viris loqui ea, per quæ vir poſſet ad laſciviam provocari: debet enim pro ſui honeſtate eſſe taciturna, & ad vocem viri pavere.

6. Moleſtata in peccatum cadendo. Tunc enim amiſsâ verecundiâ, & pudicitiâ, effrænatè peccat. Iere. 3. cap. *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere*.

7. Perſeverando in peccato. Nam impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit. Ideo dicit Pſalm. *Non me demergat tempeſtas aqua: neque abſorbeat me profundum: neque urgeat ſuper me puteus os ſuum*. Multitudo peccatorum cauſatur ex laſcivia, & vanitate mulieris, quam Deus odio habet ſecundùm illud Pſalm. *Odiſti obſervantes vanitates ſupervacuè*.

Sunt enim duæ mulieres valde contrariæ, ſcil. domina Honeſta, & domina Vana. Primò. Domina Honeſta multum fuit appretiata à viro ſuo ratione fidelis deſponſationis, juxta illud Oſee 2. *Sponſabo te mihi in fide*. Vnde vir frangens fidem uxori, graviùs peccat quoad Deum; licèt quoad mundum graviùs offendat mulier, quàm vir: quia ſupponit alienum filium, & privat legitimos ſuâ hæreditate.

Secundò. Ratione ſynceræ dilectionis. Eph. 5. *Viri, diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam*. Chriſtus autem dilexit Eccleſiam ad eius ſalvationem, pro ea ſuſtinendo Paſſionem propter eius peccatorum remiſſionem.

Tertiò. Ratione virtualis diſpoſitionis. Apoc. 12. cap. *Signum magnum apparuit in cælo. Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim*. Nam domina Honeſta eſt ornata virtutibus, ſplendens in conſpectu Dei tanquam *Sol*, ſcilicet, fide, ſpe, & charitate. Omnis enim eius fides, ſpes, & charitas eſt in Deo magis quàm in viro. *Luna*, id eſt, vanitas mundi eſt ſub pedibus eius: quia hanc apparentiam pulchritudinis, & vanitatis vilipendit, potiùs volens turpis apparere cum honeſtate, quàm pulcherrima cum vanitate, juxta illud: *Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo*. Et ſicut ſol eſt pulchrior res mundi; ſic domina Honeſta eſt pulchrior res in domo viri ſui. Eccli. 26. cap. *Sicut ſol oriens mundo in altiſſimis Dei, ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus* viri ſui. Et ſicut ſubtracto ſole omnia corrumpuntur; ſic tota domus ſine domina Honeſta eſt inordinata. Eccli. 26. cap. *Gratia ſuper gratiam mulier ſancta, & pudorata*.

In capite eius eſt corona ſtellarum duodecim propter duodecim conditiones mulieris Honeſtæ.

1. Eſt diſcreta. Proverb. 14. cap. *Mulier ſapiens ædificat domum ſuam*.

2. Eſt immaculata. Eccli. 40. cap. *Ædificatio civitatis confirmabit nomen, & ſuper hanc mulier immaculata computabitur*.

3. Eſt virtuoſa. Ruth 3. cap. *Scit omnis populus, te eſſe mulierem virtutis*.

4. Eſt ſancta per contemptum terrenorum. Iudith 8. cap. *Ora pro nobis: quia mulier ſancta es*.

5. Eſt ſobria. Eccli. 36. cap. *Qui poſſidet mulierem bonam, inchoat poſſeſſionem*.

6. Eſt tacita in verbis. Eccli. 26. capite: *Mulier ſenſata, & tacita, non eſt immutatio erudite animæ*.

7. Eſt verecunda in moribus. Eccli. 26. c. *Mandata Dei in corde mulieris ſanctæ*.

8. Eſt verax in ſermone. Iudith 8. *Omnia, quæ locuta eſt, vera ſunt*.

9. Eſt concors cum viro ſuo. Eccli. 7. cap. *Mulier, ſi eſt tibi ſecundùm animam tuam, non projicias illam*.

10. Eſt diligens in opere. Proverb. 12. cap. *Mulier diligens corona eſt viro ſuo*.

11. Eſt obediens viro ſuo. Eph. 5. cap. *Mulieres ſubdita ſint viris ſuis*.

12.

Digitized by Google

12. Eſt miſericors in eleemoſynarum exhibitione. Prov. ult. cap. *Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem.*

Domina Vana eſt multum deteſtanda à viro. Prover. 7. cap. *Et ecce mulier occurrit illi ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas: garrula, & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis, nunc iuxta angulos inſidians,* &c. uſque: *& neſcit, quòd de periculo anima illius agitur.* De huius vanitate poteſt dici: Signum magnum apparuit in velo, id eſt, in obſcuritate mundi. Mulier amicta mole, & cauda ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtultitiarum duodecim. Quamvis enim mulier propter honeſtatē licitè poſſit aliqualem caudam deferre, ſcil. quantum ſufficere poſſit ad cooperiendos talos, ſi inclinaretur, ſicut etiam quidam uſi ſunt talari tunica in veteri Teſtamento; exceſſus tamen caudæ in uno, aut duobus brachiis panni eſt omnino prohibitus propter multa.

1. Quia hoc, quod ſuperfluè expenditur, eſt pauperum. *Ber. epiſt.* 42. Clamant nudi, clamant famelici: Quid proſunt tot mutatoria, vel extenſa in perticis, aut plicata in manticis? noſtrum eſt, quod vanè expenditis &c.) Vnde Chriſtus dixit Luc. 11. cap. *Quod ſupereſt, date eleemoſynam.*

2. Quia in hyeme cauda per cœnum, & lutum trahitur, & ſic pannus corroditur. Habacuc 2. cap. *Væ, qui multiplicat non ſua. Vſquequò aggravat contra ſe denſum lutum? Quia tu ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de populis propter ſanguinem hominis.*

3. Quia cauda colligit pulveres, & inde generantur vermes, & tineæ corrodentes pannum. Iac. 5. *Veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt: & manducabunt carnes veſtras ſicut ignis.*

4. Cauda ſuſcitat pulveres, & offendit alios gradientes per viam. Pſalm. *In pulverem mortis deduxiſti me.* Tale incenſum porrigit domina Vana, tanquam clericus diaboli.

5. Cauda purgat vias, & plateas. Maritus enim talis dominæ, ut faceret ei hujuſmodi caudam, ſuſtulit bona pauperum rapinis, uſuris, & doloſis mutuationibus.

6. Propter mundandam hujuſmodi caudam oportet tenere famulum, vel famulam, qui blaſphemant talem dominam, & interdum ſuſcitantur rixæ in domo, ſi non ſit bene mundata cauda.

7. Quia tales famuli peccant in amiſſione temporis, quo occupantur in purgatione caudæ, quod deberent expendere in opus honeſtius, & talis domina eſt cauſa talis peccati.

8. Talis mulier aſſimilatur accipitri, qui non facilè volat ad rapinam, niſi habeat pulchram caudam.

9. Talis mulier aſſimilatur ſerpenti propter fraudulentiam, qui eundo facit viam tortuoſam, ne cognoſcatur, quo vadat. Eccli. 25. cap. *Commorari leoni, & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam.*

10. Cauda iſta eſt ſella diaboli. *Exemplum.* Sanctus Zeno, dum ſemel iret poſt beatum Ambroſium, vidit quandam mulierem cum longa cauda incedentem, & coepit ridere. Requiſitus autem à beato Ambroſio, cur riſiſſet, ait: Vidi quoſdam dæmones dormientes ſuper caudam talis mulieris: & dum ipſa tranſiret per viam lutoſam, elevavit caudam, & dæmones in ea dormientes ceciderunt in lutum; unde alii dæmones ſequentes illam mulierem valde riſerunt, propterea riſi. Sanctus Ambroſius oravit Dominum, ut videret quæ ſanctus Zeno viderat, & exauditus à Domino eadem vidit.

11. Cauda eſt receptaculum pulicum, in qua reconduntur.

12. Sicut pavo habet gloriam ſuam in cauda faciendo rotam; ſic talis mulier in cauda maximè gloriatur.

Item domina Vana eſt amicta mole, nempe maxima gravitate peccati in ſui vana exornatione. Iſa. 3. cap. *Pro eo, quòd elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt collo extento; & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant; decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia, & periſcelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & ſpecula, & ſindones, & vittas, & theriſtra. Et erit pro ſuavi odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro criſpanti crine calvitium, & pro faſcia pectorali cilicium.* Nam in talibus exceſſibus offendit duodecim modis.

1. Offendit Deum, deformándo ſibi faciem, & formam à Deo datam, non propter occultandam maculam, ſed ad vanita-

tem, & laſciviam oſtendendam; & tunc peccat mortaliter, nec poteſt communicare.

2. Offendit Chriſtũ occidendo animas, quas ipſe redemit, dum eas ad peccandum provocat, vel etiam à bono exercitio diſtrahit.

3. Offendit beatam Virginem, quæ ſummè diligit caſtitatem, & humilitatem; deteſtatur autem laſciviam, & ſuperbiam.

4. Offendit Angelos, datos hominibus ad cuſtodiam, eos impediendo à fructu miniſterii ſui.

5. Offendit ſeipſam, omne tempus ſibi datum ad ſalutem & pœnitentiam inaniter expendendo.

6. Offendit ſeipſam per indevotionem ad Miſſam ſtando. 1. Cor. 11. cap. *Mulier oret velato capite propter Angelos*. Id eſt, vel propter Sacerdotes, qui talibus vanitatibus contaminantur. Vel propter Angelos, id eſt, propter homines ſtãtes ad Miſſam, & Divina officia, qui ſcandalizantur. Vel propter Angelos, qui adſunt celebrationi Miſſæ, & officiorum. Pſalm. *Prævenerunt Principes coniuncti pſallentibus in medio iuvencularum tympaniſtriarum*. Qui offenduntur ex indevotione harum vanitatum.

7. Offendit ſeipſam, meritum ſuæ orationis perdendo. Iſa. 1. cap. *Cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt*.

8. Offendit ſeipſam multipliciter infamando. Vnde ſicut fumus ignem, & palea in crinibus equi venditionem; ſic vanitas in muliere meretricium, & laſcivam intentionem ſignificat.

9. Offendit proximum indebitè alienum retinendo. Nam ſi quis creditor debeat habere aliquid à marito dominæ Vanæ, non poteſt exigere propter ſuperfluas expenſas, quas fecit maritus eius pro ea.

10. Malum exemplum dominæ Honeſtæ præbendo. Quia propter talem vanitatem viſam domina Honeſta ſuperata à tentatione, concupiſcit eadem vel conſimilia vana.

11. Sequitur damnum marito dominæ Honeſtæ non portantis vanitates. Quia continuè apud eum conqueritur mulier, uſquequo oporteat pauperem maritum ſibi de ſimilibus vanitatibus providere; unde ſæpè evadit uſurarius, ne ob ſuperfluitatem expenſarum in majorem paupertatem deveniat.

12. Proximum ad murmurandum de ipſa provocando, cui tales vanitates diſplicent; unde in cõmuni, & privatim omnes deteſtantur eius vanitates. Talis domina Vana ſæpius excuſat ſe dicens, ideo ſe pulchram facere, ut placeat viro ſuo. Sed iſta eſt excuſatio in peccatis: quia vir eam magis videt in domo, quàm extra domum. Eſt enim mulier talis diſſimilis tabernario, qui cùm duplex habeat vinũ in taberna, ſcil. bonũ & malũ, ſervat bonũ pro exiſtentibus quotidie in taberna, & malũ pro forenſibus. Iſta verò domina Vana, dum exit, cupit placere forenſibus, in domo autem coram viro eſt turpis, & maculoſa in ſignum, quòd non diligit eum.

In capite dominæ vanæ eſt corona ſtultitiarum duodecim, propter duodecim malas eius conditiones.

1. Eſt ſuperba. Quia ſequitur propriam voluntatem, & vult eſſe domina in domo. Eccli. 25. capite. *Mulier, ſi primatum habeat, contraria eſt viro ſuo*.

2. Eſt odioſa per infamiam converſationis. Proverb. 30. cap. *Per tria movetur terra, & quartum non poteſt ſuſtinere*: ſcilicet *per odioſam mulierem, cùm in matrimonio fuerit aſſumpta*.

3. Eſt cupida per amorem terrenorum. Zachar. 5. cap. *Ecce duæ mulieres egredientes, & ſpiritus in alis earum, & habebant alas, quaſi alas milui*. Qui eſt rapaciſſimus.

4. Eſt luxurioſa. Iere. 2. cap. *In omni colle ſublimi, & ſub omni ligni frondoſo, tu proſternebaris meretrix*.

5. Eſt ebrioſa. Eccli. 26. cap. *Mulier ebrioſa ira magna: & contumelia, & turpitudo illius non tegetur*.

6. Eſt clamoſa. Proverb. 9. cap. *Mulier ſtulta & clamoſa, plenaque illecebris, & nihil omnino ſciens, ſedit in foribus domus ſuæ ſuper ſeliam in excelſo urbis loco, ut vocaret tranſeuntes per viam, & pergentes itinere ſuo*.

7. Eſt crudelis. Eccli. 25. capite. *Nequitia mulieris immutat faciem eius, & obcæcat vultum ſuum tanquam urſus*.

8. Eſt inverecunda. Iere. 3. cap. *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere*.

9. Eſt fallax in ſermone. Proverb. 5. *Ne intendas fallaciæ mulieris. Favus enim diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius. Noviſſima autem illius amara quaſi abſynthium, & acuta quaſi gladius biceps*.

10. Eſt vaga. Proverb. 7. capite. *Garrula, & vaga, quietis impatiens*.

11. Eſt dæmoniaca. Lucæ 13. cap. *Erat mulier habens ſpiritum immundum*.

12.

12. Eſt fatua. Proverb. 11. cap. *Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra, & fatua.*

Cùm ergo Maria Magdalena nonnullis hiſce vanitatibus implicita fuerit, permaximè Deum offendit. Ideo, vides hanc mulierem in ſtatu offenſionis?

SECVNDO. *Vides hanc mulierem in ſtatu converſionis? Sanctus Gregorius hom. 33. in Evang.* dicit: Cogitanti mihi de Mariæ pœnitentia, flere magis libet, quàm aliud dicere. Cuius enim vel ſaxeum pectus hujus peccatricis lacrymæ ad exemplum pœnitentiæ non emolliant? Conſideravit namque quid fecit, & noluit moderari quid faceret. Super convivantes ingreſſa eſt, non juſſa venit, inter epulas lacrymas fudit. Diſcite quo dolore ardet, quæ flere inter epulas non erubeſcit. *Hæc ille.*

Ad perfectam pœnitentiam requiruntur quatuor. Primò, quòd ſit univerſalis. Pœnitentia enim eſt quædam medicina animæ infirmæ peccatis: curatio autem corporis non eſt ſalubris, ſi aliqua pars remaneat ægrota; ita etiam pœnitentia de uno peccato & non de omnibus eſt inutilis animæ. Ideo dixit Ezechias Iſa. 38. capite: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

Secundò, quòd ſit interna. Aqua enim pœnitentiæ non perfectè lavat animam à ſordibus peccatorum, niſi ad intrinſeca animæ ingrediatur. Ierc. 4. cap. *Lava à malitia cor tuum.*

Tertiò, quòd ſit pœnalis. Nam ſicut in vulneribus corporis dolor maior in extricanda ſanie cedit in ſalutem; ita in morbis mentis pœnæ ſunt quædam medicinæ, quibus anima ſanatur. Pſalm. *Quoniam ego in flagella paratus ſum: & dolor meus in conſpectu meo ſemper.*

Quartò, quòd ſit liberalis. Quia ſicut in civilibus pœna eſt ſatisfactoria, ſi ſit voluntariè accepta; ſic in moralibus quantò pœnitentia eſt magis voluntaria, tantò eſt magis ſatisfactoria. Ideo modica pœnitentia in hoc mundo plus ſatisfacit, quàm multa pœnitentia in purgatorio, cùm ſit voluntaria; ſed pœna purgatorii eſt violenter inflicta. Ideo dicitur Iudic. 5. c. *Qui ſponte obtuliſtis animas veſtras, benedicite Domino.*

Perfectã pœnitentiã impediũt quatuor. Primò. Cõſcientia indurata. Sunt enim quędã animę ita duræ ſicut ſaxa, quòd nulla cõpunctione, aut inſpiratione valent immutari, ſicut Iudæi ab initio fuerunt duræ cervicis, quibus dicitur Ezech. 36. *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum.* Tales enim non ſunt apti ad pœnitentiam, ſed ad æternam reprobationem. Eccli. 3. cap. *Cor durum malè habebit in noviſſimo*, &c.

Hoc impedimentum non fuit in Magdalena. Ideo dicitur in Evangelio: *Mulier.* Nam mulier facilè compatitur infirmo propter mollitiem cordis ſui. Vnde proverbialiter dicitur illud Eccli. 36. *Vbi non eſt mulier, ingemiſcit egens.* Et propter hoc facilè inclinatur ad pœnitentiam.

Secundò. Conſuetudo firmata. Nam conſuetudo vertitur in naturam, & ita in neceſſitatem. Sicut enim cibus malus poteſt non ſumi, ſed ſumptus neceſſariò nocet, & ſicut ægritudines inveteratæ fiunt incurabiles; ſic conſuetudo peccandi firmat habitum malum, ut non poſſit tolli. Ierc. 13. capite. *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas: & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.*

Hoc impedimentum non fuit in Magdalena. Ideo dicitur in Evangelio: *Erat.* Quod eſt temporis præteriti imperfecti: quia peccatum eius non erat inveteratum, ſed facilè ſanabile.

Tertiò. Diſſenſio provocata. Nam pugna continua eſt inter rationem, & paſſionem; inter intellectivam, & ſenſitivam partem. Gal. 5. cap. *Caro concupiſcit adversùs ſpiritum: & ſpiritus adversùs carnem.* Hæc enim ſibi invicem adverſantur. Et Rom. 7. *Video in membris meis aliam legem repugnantem legi mentis meæ*, &c.

Hoc impedimentum non fuit in Magdalena. Ideo dicitur in Evangelio: *In civitate.* Scilicet Iſraelem, quæ dicitur viſio pacis: quia anima perfectè contrita ſubjicit ſibi paſſiones contrarias.

Quartò. Innocentia æſtimata. Si enim aliquis peccator ſua falſa opinione exiſtimat ſe innocentem, non flectitur ad pœnitentiam. Exemplum. Infirmus non vult recipere medicinam, quando exiſtimat ſe non infirmari, ut patet in phreneticis, & fatuis. Similiter dicitur convenienter, quòd Deus nunquam fecit de fatuo ſapientem. Ratio eſt: quia nunquam aliquis acceſſit ad Chriſtum, qui diceret, & æſtimaret ſe fatuum, & rogaret pro ſapientia habenda. Ierc. 2. cap. *Dixiſti: Abſque peccato, & innocens ego ſum: & propterea avertatur furor tuus à me.* Sed Dominus ſubjungit: *Ecce ego iudicio contendam tecum, cò*

quòd dixeris : non peccavi . Quàm vilis facta es nimis , iterans vias tuas !

Hoc impedimentum non fuit in Magdalena. Ideo dicitur in Evangelio: *Peccatrix*. Non enim reputavit ſe innocentem .

Perfectam pœnitentiam præcedunt quatuor . Primò . Diligens inveſtigatio . Nam veri pœnitentes diligenter inveſtigant , quomodo poſſint Chriſti miſercordiam invenire . Cant. 3. cap. *Surgam , & circuibo civitatem : quæram,quem diligit anima mea* . Exemplum . Illi , qui ſunt dejecti à gratia alicuius Principis , quærunt quomodo valeant priſtinam gratiam recuperare , Patet de Semei , qui , cùm provocaſſet David ad iram,quæſivit diligenter,ut in gratiam rediret, 2. *Reg.* 19. *cap.*

Sic Magdalena longâ inveſtigatione quæſivit gratiam Chriſti , quam tandem invenit . Ideo dicitur in Evangelio : *Vt cognovit* , &c.

Secundò . Diligens præparatio . Verus poenitens poſt inveſtigationem ſolicitè ſe debet præparare per bonum propoſitum , & firmam voluntatem perſeverandi in bono . Exemplum de filio prodigo , *Luca* 15. *cap.*

Sic Magdalena , poſtquam invenit , quem quærebat , ſufficienter ſe præparavit ad perficiendum quod intendebat . Ideo dicitur in Evangelio: *Attulit alabaſtrum unguenti* . Voluntas enim eſt ſicut alabaſtrum per firmitatem boni propoſiti , continens unguentum pretioſum , ſcilicet gratiam Spiritus ſancti . Iſa. 61. cap. *Spiritus Domini ſuper me, eò quòd unxerit me* .

Tertiò . Erubeſcens attritio . Nam verus poenitens veniens in conſpectum Dei omnia proſpicientis, debet vehementer erubeſcere . Verecundia enim eſt paſſio , quam incurrit appetitus de aliquo turpi , & maximè in conſpectu honeſtorum . Cùm autem foeditas peccati ſit maxima & turpiſſima , & præſentia vultus Dei ſit honeſtiſſima ; ideo peccator veniens in conſpectum Dei per poenitentiam , debet vehementer erubeſcere, contra quod dicitur Ierem. 3. cap. *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi : noluiſti erubeſcere.*

Sic Magdalena , poſtquam præparata venit in faciem Chriſti,ducta cõſcientiâ de peccatis,maximam habuit verecundiam. Ideo nõ ſtetit in conſpectu Chriſti, ſed quærebat ſe occultare . Ideo dicitur in Evangelio: *Et ſtans retrò* , ſcilicet, vultum Chriſti ferre non ſuſtinens .

Quartò . Inclinans humiliatio . Nam perfectè pœnitens debet ſeipſum perfectè humiliare : quia contraria contrariis curantur . Omne autem peccatum procedit ex ſuperbia : cùm nullus peccet mortaliter , niſi ex inobedientiæ cõtumacia Divinorum præceptorum . Numeri 15. cap. *Anima , quæ peccaverit per ſuperbiam , peribit de populo ſuo* . Quoniam adversùs Deum rebellis fuit .

Sic Magdalena , poſtquam erubuit , ſeipſam humiliavit . Ideò dicitur in Evangelio: *Secùs pedes Domini* . Scilicet , humiliter ſe proſternendo , ut ſic faciliùs miſericordiam à Deo conſequeretur .

Perfectam poenitentiã concomitantur quatuor. Primò . Confeſſio pura. Nam ſicut aqua munda inquinamenta carnis abluit ; ſic confeſſio pura ſordes mentis diluit. Pſalm. *Dixi, confitebor adversùm me iniuſtitiam meam Domino : & tu remiſiſti impietatem peccati mei* . Quia verò in diluvio lacrymarum peccata non ſolùm dimittuntur , ſed etiam elongantur , ideo ſequitur : *Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt* .

Hanc confeſſionẽ habuit Magdalena,quam ſignificat pedum ablutio , & ipſa lavit pedes Ieſu . Ideo dicitur in Evangelio : *Lacrymis cœpit rigare pedes eius* .

Secundò . Satisfactio perfecta de peccatis jam confeſſis . Nam ſicut per confeſſionem abluitur culpa ; ita per ſatisfactionem , quæ fit in pœnitentia , dimittitur pœna , & abſtergitur . Proverb. 20. cap. *Livor vulneris abſterget mala* . Id eſt , opus ſatisfactionis abſterget pœnam , ad quam peccator erat obligatus perſolvendam , duriùs quidem in alio ſeculo , ſi non perſolverit in iſto .

Hanc ſatisfactionem habuit Magdalena , quam ſignificat pedum abſterſio , & ipſa abſterſit pedes Ieſu . Ideo dicitur in Evangelio: *Et capillis capitis ſui terſit* . Licèt enim per actum confeſſionis abluatur culpa , non tamen poena , alioquin fruſtra imponeretur poenitentia poſt confeſſionem .

Tertiò.Reconciliatio conſummata poſt perfectam ſatisfactionem . Nam poſt plenam ſatisfactionem anima Deo reconciliatur: quia ſi talis tunc morereretur , ſtatim ad cælum aſſumeretur .

Hanc reconciliationem habuit Magdalena, quam ſignificat actus oſculationis . Ideo dicitur in Evangelio : *Et oſculabatur pedes eius* . Qui enim mutuo reconciliantur , ſolent oſculari . Vnde David , quando reconciliavit ſibi Abſalom , oſculatus eſt eum , 2. *Reg.* 14. *cap.*

Quar-

Quartò. Conſolatio amœna poſt reconciliationem. De natura enim cujuſvis actus virtuoſi eſt, ut delectationẽ afferat poſt triſtitiam, ſicut actus vitioſus relinquit triſtitiam poſt delectationam. *Seneca*. Extrema gaudii luctus occupat. Salomon. *Riſus dolore miſcebitur*. Vnde Angelus bonus in principio viſitationis ſuæ conturbat, ſed poſtmodum lætificat, *Luca* 1. Econtra autem angelus malus.

Hanc conſolationem habuit Magdalena, quam ſignificat actus unctionis. Ideo dicitur in Evangelio: *Et unguento unguebat*. Vnde vehemẽter exhilarata fuerat, & ex delectatione quaſi inebriata ſpiritu nullam verecundiam patiebatur, ſeipſam hominibus manifeſtando, ſuam pœnitentiam non occultando, in conſpectu convivantium ingrediendo, in domum alienam abſque licentia irruendo, quaſi importuna convivio, opportuna beneficio. Vnde deinceps ſanctiſſimam duxit vitam, ut patet.

TERTIO. *Vides hanc mulierem in ſtatu ſatisfactionis?* Nam, quia peccata multa habuit, ideo multipliciter ſatisfecit.

Primò. Per opera pietatis, & miſericordiæ: quoniam Chriſtum pavit. Ioan. 12. c. *Fecerunt autem ei cœnam*, ſcilicet Martha, & Maria. Chriſtum hoſpitio recepit. Lucæ 10. cap. *Intravit Ieſus in quoddam caſtellum*, &c. Chriſtum in tribulatione poſitum viſitavit. Ioann. 19. cap. *Stabant iuxta Crucem Ieſu Mater eius, & Maria Magdalene*. Chriſti ſepulturæ obſequium præbuit. Marci 16. cap. *Maria Magdalene, &c. emerunt aromata, ut venientes ungerent Ieſum*.

Secundò. Per opera humilitatis, & pœnitentiæ: quoniam offenderat Deum oculis, capillis, ore, unguentis; ideo in his omnibus ſatisfecit, ſcilicet de oculis lacrymas emittendo, capillis pedes tergendo, ore pedes oſculando, unguentis pedes ungendo. *Gregorius*. Quot in ſe habuit oblectamenta, tot de ſe invenit holocauſta. Convertit ad cumulum virtutum numerum criminum, ut totum ſerviret Deo in poenitentia, quicquid Deum contempſerat in culpa.)

Tertiò. Satisfecit per opera liberalitatis, & gratiæ. Nam Chriſto dedit munus à corde, cùm dicitur: *Dilexit multum*. Munus ab ore, cùm dicitur: *Oſculabatur pedes eius*. Munus à manu, cùm dicitur: *Vnguento unguebat*. Munus ab obſequio, cùm dicitur: *Lacrymis coepit rigare pedes eius*. Iſta quatuor antiqui ſuis hoſpitibus exhibebant (quæ Phariſæus Chriſto exhibere contempſit) ſcilicet munus à corde: quia recipiebant eos ex charitate. Hanc charitatem Chriſto exhibere Phariſæus contempſit: quia parum dilexit. Ideo dicitur: *Cui autem minus dimittitur, minus diligit*. Exhibebant munus ab ore, ſcilicet oſculum in ſignum ſecuri hoſpitii. Iſtud Phariſæus non habuit: quia Chriſto oſculum non dedit. Exhibebant munus à manu: quia ungebant caput ad refrigerium. Iſtud Phariſæus non habuit: quia caput Chriſti non unxit. Exhibebant manus ab obſequio: quia lavabant eis pedes ob laborem itineris. Iſtud Phariſæus non habuit: quia pedes Chriſti non unxit.

QVARTO. *Vides hanc mulierem in ſtatu attractionis?* Nemo enim poteſt venire ad Deum, niſi ab ipſo trahatur. Ioann. 6. cap. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*. Traxit autem Chriſtus Magdalenam quinque funiculis.

Primò. Suâ amabili viſione. In facie quidem Chriſti ſplendor Divinitatis relucebat, qui ad ſe peccatores trahebat. *Hieronymus*. Certè fulgor, & majeſtas Divinitatis occulta in humana facie relucebat: nam ad ſe trahere poterat ſuo aſpectu.) Eſther 15. capite. *Valde mirabilis es, & facies tua plena eſt gratiarum*.

Secundò. Potenti dignatione. Si enim in magnete lapide hæc virtus eſt, ut annulos, & feſtucas ſibi copulet; quantò magis Dominus omnium creaturarum ad ſe trahere poterat quos volebat, ut dicit *Hieronymus*.

Tertiò. Internâ inſpiratione. *Gregorius in homil.* Quid miramur fratres: Mariam venientem, an Dominum ſuſcipientem? Suſcipientem dicam, an trahentem? Sed meliùs dicam, trahentem, & ſuſcipientem: quia nimirum ipſe eam per miſericordiam traxit intus, qui per manſuetudinem ſuſcepit foris.)

Quartò. Odoriferâ converſatione. Cant. 1. c. *Trahe me: poſt te curremus in odorem unguentorum tuorum. Bern.* Omnino propter manſuetudinem, quæ in te prædicatur, Domine Ieſu, currimus poſt te; audientes, quòd non ſpernas pauperem, peccatorem non horreas, non publicanum ſupplicantem, non peccatricem lacrymantem, &c.

Quintò. Devotâ oratione. Orationes enim ſunt quidam funiculi, per quos Deus nos ad ſe trahit. *Auguſtinus*. Quem trahat, & quem non trahat: quare iſtum trahat, & il-

illum non trahat, noli velle judicare, ſi non vis errare. Semel accipe, & intellige. Nondum traheris, ora, ut traharis.

QVINTO. *Vides hanc mulierem in ſtatu protectionis?* Nam ipſa habuit quoſdam murmuratores contra ſe.

Primus fuit Phariſæus. Ideo dicitur in Evangelio: *Videns autem Phariſæus, qui vocaverat eum*, &c. uſque: *quia peccatrix eſt*. Et iſte murmuravit ex ſuperbia.

2. fuerunt Scribæ. Ibidem. *Et cœperunt quidam, qui ſimul accumbebant, dicere intra ſe: Quis eſt hic?* &c. Et iſti murmurabant ex invidia.

3. fuit Martha. Lucæ 10. cap. *Domine, non eſt tibi cura, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare?* Et iſta murmurabat ex zelo, vel laboris anguſtiâ.

4. fuit Iudas. Ioann. 12. cap. Dixit ergo Iudas: *Quare unguentum iſtud non venit trecentis denariis, & datum eſt egenis?* Et iſte murmurabat ex avaritia: quia fur erat.

5. fuerunt Diſcipuli. Matth. 26. c. *Indignati ſunt Diſcipuli dicentes: Ut quid perditio hæc unguenti facta eſt?* Et iſti murmurabant ex indiſcreta miſericordia.

Inſtabant Angeli. Ioann. 20. cap. *Vidit duos Angelos, qui dicunt ei: Mulier quid ploras?* Et iſti eam interrogabant ex lætitia.

Demum Chriſtus. Ibid. Qui dixit ei: *Noli me tangere*. Et hic erat querulus propter fidem Magdalenæ imperfectam. Vnde dixit ei: *Nondum enim aſcendi ad Patrem meum*, ſcilicet in corde tuo, &c.

Sed circa murmurationem Phariſæi ſciendum, quòd Phariſæus in corde ſuo murmurabat novem modis, quibus Chriſtus reſpondebat per ſingulas partes Evangelii.

1. Dicebat: Iſta meretrix non eſt vocata ad convivium noſtrum. Quis ei hoc ſignificavit? Quis eam adduxit?

Chriſtus reſpondit dicens: Ego, qui in hunc mundum veni peccatores ſalvos facere, ipſam invitavi, ipſam vocavi, cùm dixi: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat*. Non ergo temerariè, ſed prudenter acceſſit: non enim domum tuam intravi propter ſumendum tuum cibum, ſed ad reficiendos peccatores, & ſanandos ægrotos: *quia meus cibus eſt, ut faciam voluntatem Patris mei*, &c.

2. Dicebat: Iſta mulier eſt vaga, & inſtabilis: motus eius ad ſalutem eſt violentus, & non multum deliberatus; unde non perſeverabit diu in hoc propoſito.

Chriſtus reſpondit dicens: Omnia vana mundi contempſit, ſtabilique animo ad fontem miſericordiæ acceſſit lavanda, non deinceps caſura in peccatum; unde dicitur in Evangelio: *Vt cognovit, quòd Ieſus* (id eſt, Salvator) *accubuiſſet in domo Simonis leproſi*. Ecce, quòd fuit vocata. *Attulit alabaſtrum*. Id eſt, firmum propoſitum in gratia perſeverandi.

3. Dicebat: Iſta mulier ſine rubore, & verecundia, fronte meretriciâ, & præſumptuosâ huc acceſſit.

Chriſtus reſpõdit dicens: Advertens ſe præbuiſſe magnum ſcandalum toti civitati, erubeſcit coram nobis apparere. Vnde humiliter accedens *ſtat retrò*, petens ſibi indulgeri.

4. Dicebat: Iſta mulier non recognoſcit peccatum ſuum: quia cum arrogantia, neminem ſalutando, neminem reverendo, nemini inclinando, ad nos introivit.

Chriſtus reſpondit dicens: Quia cognoſcit peccatum ſuum, & ſe graviter Deum & homines offendiſſe, non ſalutat, non reveretur homines, quaſi eos ad peccatum alliciendo, ut priùs faciebat, ſed mutatis moribus miſericordiam Dei interpellat; ideo ſtat *ſecùs pedes Domini*.

5. Dicebat: Nos habebamus colloquia valde honeſta, propter quæ augebatur in nobis devotio, & conſolatio, & iſta mulier venit ad tribulandum nos.

Chriſtus reſpondit dicens: *Gaudium eſt Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem iuſtis, qui non indigent pœnitentiâ*. Vnde non interrumpit conſolationem veſtram, ſed ſuâ pœnitentiâ nos lætificat; ideo *lacrymis* pedes Domini lavat.

6. Dicebat: Iſta mulier coinquinavit corpus ſuum vivendo luxuriosè cum mundanis, & diſcolis; modò autem venit, ut fornicetur cum Sacerdotibus, & Deo devotis.

Chriſtus reſpondit dicens: Non venit fornicari, cùm abjecerit omnia inclinantia ad fornicationem, ſed ſecundùm legem venit ad Sacerdotes, à peccatis ſuis mundari; ideo *capillis capitis ſui* tergit pedes Domini, humili obſequio eos deputat, quos ad peccatum priùs componebat.

7. Dicebat: Iſta mulier venit propter fallaciam & proditionem, ſicut legitur 2. *Reg.* 20. *cap.* de Ioab, qui oſculans Amaſam ipſum occidit. Fortè aliquis promiſit ei ma-

Digitized by Google

magnum thesaurum, si nos in eius concupiscentiam adduxerit.

Christus respondit dicens: Ista mulier ex devotione osculatur pedes Domini in signum reconciliationis: quia enim fuerat Dei inimica; ideo *osculatur* pedes Domini, ad innuendum, quòd erat Deo reconciliata.

8. Dicebat: Ista mulier est fatua, & imprudens. Nonne poterat expectare in aliam horam, & fortè magis sobriam?

Christus respondit dicens: Non est fatua, sed prudens: quia scribitur: *Ne tardes converti ad Dominũ Deum tuum, & ne differas de die in diem.* Nec debet expectare horã magis sobriam: quia in quacunque hora ingemuerit peccator, & conversus fuerit ad Dominum, omnium iniquitatum eius, quas fecerat, non recordabitur; ideo unguento pretioso ungit pedes Domini, & *domus* (id est, Ecclesia) *impleta est ex odore unguenti*.

9. Dicebat: Iste Christus debet esse similis huic meretrici: quoniam *si hic esset Propheta, sciret utique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix est*.

Christus respondit dicens: *Simon, habeo tibi aliquid dicere*, &c. usque: *rectè iudicasti*. Vbi Christus ostendit, se esse verum Deum, qui venit condonare peccata. Præterea *Petrus Ravennas* dicit: Erras Pharisæe. Lutum tangit sol, sed non immutat solem. Medicũ, cùm tangit vulnera, putredo non corrumpit. Iudicem, quamvis tangatur reus, maculare non potest. Ideo dixit Christus mulieri: Remittuntur tibi peccata. Fides tua te salvam fecit: vade in pace. Et sic patet.

SEXTO. *Videt hanc mulierem in statu glorificationis?* Nam Christus de ea dixit Lucæ 10. cap. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*. In quo verbo denotavit Christus partem Mariæ fore majoris gloriæ, quàm partem Marthæ, in septem.

1. Maria elegit optimã partem, id est, diuturniorem: quia vita contẽplativa hìc incipit, & in cælesti patria perficitur: quia amoris igne, qui hìc ardere incipit, cùm ipsum, quem amat, viderit, in amore amplius igneſcit.

2. Meliorem, id est, quietiorem: quia vita activa in labore corporis consistit, contemplativa verò in otio mentis. Ioan. 11. cap. *Maria autem domi sedebat*. *Glo.* Maria sedet: quia in Christo mentis requie fruitur.

3. Meliorem, id est, digniorem: quia activa corpore ministrat proximo, contemplativa verò spiritu ministrat Deo. Psalm. *Mihi autem adhærere Deo bonum est*. *Isidorus*. Contemplativa vita est, quæ vacat ab omni negotio, & in sola delectatione defigitur.

4. Meliorem, id est, pulchriorem. Rachel enim erat pulchra facie, & Lia lippis erat oculis, *Gen. 29. & 33. cap. Vitæ eius vitæ pulchræ*. Proverb. 3. cap.

5. Meliorem, id est, securiorem: quia activa incedit per viam, ubi sunt pericula, contemplativa verò per cælum. *Greg.* Facilè evadit laqueos in terris, qui mentem habet in cælis. Proverb. 3. cap. *Omnes semitæ eius pacificæ*.

6. Meliorem, id est, pretiosiorem, & cariorem: quia activa multorum est, contemplativa verò paucorum; quod significatum est in arca Noe; quæ inferius erat lata, & superius in cubito consummata, *Gen. 6. cap.*

7. Meliorem, id est, jucundiorem, & devotiorem: quia Maria ungit, Martha verò pungit. Nam Christus in Resurectione sua primò Mariæ apparuit. 2. More solito eam allocutus est, ut, quem non cognoscebat videndo, cognosceret audiendo, quando dixit ei: *Noli me tangere*. 3. Se palpandum ei præbendo: quia mulieres accesserunt, & tenuerunt pedes eius. 4. Officium Apostolatus ei injungendo, quando dixit: *Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum*, Ioann. 20. c. Vt sic cognosceret ipsa gaudia suæ glorificationis per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

SER-

SERMO XXXIX.

IN FESTO SANCTI IACOBI APOSTOLI.

Sedeat unus ad dexteram tuam. Matth. 20. cap.

MAtthæi vigesimo quarto capite dicitur: *Duo erunt in agro: unus assumetur, & unus relinquetur.* Super quo verbo talem moveo quæstionem.

Vtrum beatus Iacobus rationabiliter assumptus fuerit ad spiritualium dispensationem; qui Christo attinebat secundum temporalem cognationem?

AD istam quæstionem respondent duo Doctores Ecclesiæ. Primus est *beatus Augustinus super illud Iacobi 2. Nolite in personarum acceptione fidem habere Domini nostri Iesu Christi, Epist. 29. ad Hieronymum* dicens: Quis ferat, si quis divitem eligat ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore, & sanctiore?)

Secundus est *sanctus Thomas secunda secundæ, quæst. 63. artic. 2. ad 1.* dicens: Circa consanguineos Prælati distinguendum est: quia quandoque sunt minus digni, & simpliciter, & per respectum ad bonum commune, & sic si dignioribus præferantur, est peccatum personarum acceptionis in dispensatione spiritualium. Quandoque verò consanguinei sunt æquè digni, ut alii; & sic licitè possunt consanguinei absque personarum acceptione aliis præferri: quia saltem in hoc præeminent, quòd de ipsis major fiducia haberi potest, ut unanimiter secum negotia Ecclesiæ tractent. *Hæc sanctus Thomas.*

Sciendum, quòd ad dignitatem Ecclesiasticam potest quis assumi quatuor modis.

Vno modo, attentâ conditione non faciente ad causam, propter quam sit dignus hoc dono. Exemplum. Si quis promoveat Petrum ad prælationem, vel magisterium, quia est dives, vel quia est consanguineus suus, & sic est peccatum acceptionis personarum. Deuter. 16. cap. *Non accipies cuiusquam personam, nec munera.* Consanguinitas enim facit aliquem dignum ad hoc, quòd instituatur hæres patrimonii, non autem ad hoc, quòd conferatur ei prælatio Ecclesiastica.

Secundo modo, attentâ conditione faciente ad causam dignitatis, vel debiti. Exemplum. Si quis promoveat aliquem ad magisterium propter sufficientiam suam, hìc attenditur causa debita, & non persona; & sic majoris dignitatis est ille, qui magis abundat in spiritualibus bonis, & gratiæ donis. Vnde *Glossa* super illud *Ephes. 6. cap. Non est personarum acceptio apud Deum*, dicit: Iudex justus causas discernit, non personas.

Tertio modo, attentâ conditione boni communis. Exemplum. Ille, qui est minus sanctus, & minus sciens, potest magis conferre ad bonum commune propter potentiam, vel industriam secularem: & quia dispensationes spiritualium principaliùs ordinantur ad utilitatem communem secundùm illud 1. Corinth. 12. cap. *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem*; ideo quandoque absque acceptione personarum in spiritualium dispensatione illi, qui sunt simpliciter minus boni, melioribus præferuntur, sicut etiam & Deus gratias gratis datas quandoque concedit minus bonis. Vnde *Extra, de officio custodis, cap. 2.* supra versum: *Sanctiores*, dicit *Glossa*, quòd sufficit eligere bonum, non autem requiritur, quòd aliquis eligat meliorem. Quia sic omnis electio posset habere calumniam.

Quarto modo, attentâ liberalitate assumentis, quando scilicet gratis datur alicui, quod ei non debetur; & talis est collatio munerum gratiæ, per quæ peccatores assumuntur à Deo; & in hac donatione non habet locum acceptio personarum: quia apud Deũ nulla potest esse iniquitas vel peccatum: nam cuilibet potest absque injustitia de suo dare, quantum vult, & cui vult, secundùm illud Matthæi 20. cap. *An non licet mihi quod volo, facere? Tolle quod tuum est, & vade.* Et

sic

ſic dixit Chriſtus Iacobo, & Ioanni, filiis Zebedæi: *Sedere meeum ad dexteram, vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Quod exponitur quadrupliciter. Secundùm *Chryſoſtomum. Non eſt meum dare vobis*: quia non habeo illud à me, ſed à Patre. Secundùm *Rabanum. Non eſt meum dare vobis*: ſine veſtro merito, & labore. Secundùm *Remigium. Non eſt meum dare vobis*: talibus, quales vos eſtis, ſcilicet ſuperbis, & ambitioſis, ſed humilibus. Secundùm *Hieronymum. Non eſt meum dare vobis*: ratione cognationis carnalis, ſed electionis æternalis. Dicit autem *Chryſoſtomus*, quòd deſiderare bonum opus, bonum eſt: quia eſt noſtræ voluntatis, & noſtra merces. Deſiderare primatum terrenum vanitas eſt. Deſiderare primatum Eccleſiaſticum vanitas, & fatuitas eſt: quia oportet, quòd ſit ſervus ſubditorum. Deſiderare primatum cæleſtem temeritas eſt. Deſiderare ipſum ex meritis, providentia eſt. Quia verò Iacobus deſideravit remunerationem cæleſtem, & gloriam ex meritis cum Chriſto, ei interroganti: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum*: Reſpondit: *Poſſumus*. Ideo Pater Chriſto ait: Sedeat unus ad dexteram tuam per prædeſtinationem æternæ electionis, ſecundùm illud: *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*, &c.

Sedeat unus ad dexteram tuam

Per electionem.
Per humiliationem.
Per aſsumptionem.
Per prædicationem.
Per paſſionem.
Per glorificationem.
Per ſubventionem.

PRIMO. *Sedeat unus ad dexteram tuam per electionem*. Divina enim electio non attendit conſanguinitatem, ut patet in filiis Zebedæi cognatis Chriſti, quos non elegit ad cuſtodiam Eccleſiæ, ſed Petrum: nec etiam ad regnum ſine martyrio, quibus dixit: *Neſcitis, quid petatis*. Multis enim comminatur Dominus, qui eligunt ad prælationes eccleſiaſticas conſanguineos per Habacuc 2. cap. dicens: *Væ illi, qui ædificant Sion in ſanguinibus*. Figura Iudic. 9. capite de Abimelech ſpurio, qui volens regnare ſuper Sichimitas ait: *Conſiderate, quod os veſtrum, & caro veſtra ſum*. Et promotus occidit 70. fratres ſuos uno excepto.

2. Divina electio non attendit nobilitatem. Baruch 3. cap. *Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt ſtaturâ magnâ, ſcientes bellum. Non hos elegit Dominus*. Et 1. Cor. 1. cap. *Videte vocationem veſtram fratres: quoniam non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles. Sed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, ut confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus*, &c.

3. Divina electio non attendit fragilitatem. Iſa. 3. cap. *Dabo pueros principes eorum, & effæminati dominabuntur eis, & irruet populus*. Exemplum. Levitæ à viginti annis & ſupra debebant miniſtrare circa tabernaculum Domini, ut dicitur *Num. 1. cap.*

4. Divina electio non attendit puſillanimitatem. Deut. 20. cap. *Qui formidoloſus eſt, & corde pavido, revertatur*.

5. Divina electio reprobat ſuperbiæ vanitatem, ut patet in Core, Dathan, & Abiron, contra quos deſæviit ira Dei: quia per ſuperbiam, & violentiam volebant accipere ſummum ſacerdotium, *Num. 16.* Et in Ozia, qui percuſſus eſt leprâ: quoniam præſumebat adolere incenſum coram Domino, 2. *Paralip. 26. cap.*

6. Divina electio reprobat falſitatem. Oſee 4. c. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi*. Et Iſa. 22. cap. *Hæc dicit Dominus exercituum: Vade, & ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpoſitum templi, & dices ei: Quid tu hic? aut quaſi quis hic? Quia excidiſti tibi hic ſepulcrum, excidiſti in excelſo memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi. Ecce Dominus aſportari te faciet, ſicut aſportatur gallus gallinaceus*.

7. Divina electio reprobat cupiditatem, ut patet in Iaſone, 2. *Mach. 4. cap.* Quia verò quædam iſtorum erant in Iacobo; ideo Chriſtus refrænavit petitionem eius.

Eſt autem commendandus beatus Iacobus ex Divina electione propter quatuor.

Primò, Ratione religionis. Nam beata Anna habuit primum virum Ioachim, de quo genuit beatam Virginem Matrem Chriſti. Quo mortuo accepit ſecundum virum Cleopham, de quo genuit aliam Mariam,

matrem Iacobi minoris, Ioſeph juſti, Simonis, & Thaddæi. Quo mortuo accepit tertium virum Salome, de quo genuit tertiam Mariam, matrē Iacobi majoris, & Ioannis Evangeliſtæ. Hæc autem propter Chriſtum virum ſuum reliquit. *Chryſoſtomus.* Non eam vicit maritalis affectus: quia ille temporalis erat maritus, iſte autem æternus Sponſus.) Cognovit enim, quòd ampliùs prodeſſet marito ſuo, ſi propter Deum relinqueret virum, quàm ſi propter virum relinqueret Deum; cuius religionem, & ad Chriſtum reverentiam beatus Iacobus valde approbavit, & ipſam in hoc bono propoſito confirmavit, ſuadens Zebedæo patri ſuo, ut ſuper hoc non triſtaretur: quoniam ſic eſſet voluntas Dei, cui nemo reſiſtere poteſt.

Secundò. Ratione vocationis. Nam ut dicitur Matth. 4. cap. *Ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Iacobum, & Ioannē fratrē eius cum Zebedæo patre eorum reficientes retia ſua, & vocavit eos. Illi autem relictis retibus & patre, ſecuti ſunt eum.* Cùm enim Chriſtus ſit lux mundi, qui ſequitur eum, illuminatur. Ioann. 8. cap. *Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.*

Tertiò. Ratione annumerationis. Fuit enim tertius inter Apoſtolos. Primus fuit Petrus, ſecundus Andreas, tertius Iacobus, ut dicitur *Matth.* 10. *cap.* Qui etiam dictus eſt Boanerges, id eſt, filius tonitrui, ut dicitur *Marc.* 3. *cap.*

Quartò. Ratione ſanctificationis. Chriſtus enim Diſcipulos ſuos baptizavit. Ioan. 15. cap. *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis.* Ibid. 13. *Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet.* In quo baptiſmo puritatem innocentiæ aſſecuti ſunt; quamvis in Pentecoſte pleniùs ſanctificati fuerint per adventum Spiritus ſancti. Pſalm. *Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum.*

SECVNDO. *Sedeat unus ad dexteram tuam per humiliationem.* Vnde *Ambroſius in quodam ſermone* dicit: Quiſquis cupit Divinitatis tenere faſtigia, humilitatis ima ſectetur. Quicunque vult fratrem prævenire regnando, priùs illum præveniat obſequendo, ſicut ait Apoſtolus: Honore invicem prævenientes. Vincat eum officiis, ut poſſit eum vincere ſanctitate.)

Sciendum, quòd mater Iacobi, & Ioannis, quæ vocata eſt Maria Salome, habuit opinionem regni ex hoc, quòd Dominus dixerat: *Poſt tres dies reſurgam.* Putavit enim eum illicò regnaturum, & aviditate fœminea præſentia cupivit, immemor futurorum. Ambitio enim filiorum eius apparet in quatuor.

Primò. In ſubmiſſione. Sagaces enim fuerunt in hoc, quòd per ſe non petiverunt, ſed matrem ſubmiſerunt: tum ne ceteros Condiſcipulos ſcandalizarent (*Chryſoſtomus.* Si nos rogamus Magiſtrum, forſitan ceterorum fratrum corda concutimus.) tum ut faciliùs impetrarent (*Prafatus.* Ipſe Dominus, qui maternos animos filiorum miſeratione implevit, faciliùs exaudiet maternum affectum.) tum quia, ſi non diſcretè peteret, Chriſtus ſibi faciliùs indulgeret. *Idem.* Si reprehenſibilis inventa fuerit, facilè merebitur veniam: ipſe ſexus excuſabit errorem.

Secundò. In excuſatione. Nam petere primatum pro aliquo ipſo ignorante, tolerabile eſt, pro conſentiente reprehenſibile eſt, pro ſe autem vituperabile eſt. Hi autem, ut excuſarentur ab ambitionis nota, matrem ſubmiſerunt, ne viderentur ipſi petere.

Tertiò. In reſponſione. Nam Chriſtus benignè ipſos reprehendit, dicens: *Neſcitis, quid petatis. Chryſ.* Benignè quidē eos reprehendit. Nō enim dixit: Non ſedebitis, ne duos confunderet. Nec dixit: Sedebitis, ne ceteros irritaret. Matrem autem noluit reprehendere propter ſimplicitatem, antiquitatem, & maternū amorem. Sed dixit eis: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Illi autem reſponderunt: *Poſſumus.* Non intelligentes de calice paſſionis, quem etiam non poterant viribus ſuis bibere, ſi gratia Dei non adjuviſſet eos, quod patet in Paſſione Chriſti, in qua omnes relicto eo fugerunt, *Matth.* 26.

Quartò. In zelatione, ſeu vindicatione. Nam zelo Domini inflammati voluerunt, ut ignis deſcenderet de cælo, & conſumeret Samaritanos. Quibus Chriſtus dixit: *Neſcitis, cuius ſpiritus eſtis. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare*, Luc. 9. capite.

TERTIO. *Sedeat unus ad dexteram tuam per aſſumptionem.* Fuit enim Beatus Iacobus coram Chriſto in vita ſua valde gratioſus per eius aſſumptionem quadrupliciter.

1. Cùm Chriſtus habuerit ſeptuaginta duos Diſcipulos, voluit eligere ad quædam ſingularia facta duodecim ex illis. Iſte fuit unus de

de illis duodecim, quando in Apoſtolatum eſt aſſumptus.

2. Si Chriſtus voluit facere gratiam quatuor Apoſtolis in revelatione myſteriorum Dei, iſte fuit aſſumptus cum eis, *Marc.* 13. *capite*.

3. Si Chriſtus voluit facere gratiam tribus, iſte fuit unus ex illis: quia Petrum, Iacobum, & Ioannem aſſumpſit ad ſuam glorioſam Transfigurationem, *Matth.* 17. *cap.*

4. Si Chriſtus voluit oſtendere potentiam ſuæ Divinitatis in miraculis coram tribus Apoſtolis, iſte fuit unus ex illis, ut patet in ſuſcitatione puellæ Archiſynagogi, *Luc.* 8. *cap.* Magna eſt ergo Iacobi commendatio ex aſſumptione.

QVARTO. *Sedeat unus ad dexteram tuam per prædicationem.* Vnde Matth. 10. cap. dicitur: Ieſus convocatis duodecim Diſcipulis ſuis, dedit illis poteſtatem ſuper omnia dæmonia, ut ejicerent ea, & curarent omnem languorẽ, & omnem infirmitatẽ, præcipiens eis, & dicens: *Euntes prædicate dicentes: quia appropinquavit regnum cælorum. Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eicite.*

Beatus Iacobus poſt Aſcenſionem Domini, dum per Iudæam, & Samariam prædicaret, in Hiſpaniam tandem ivit, ut ibi verbum Domini ſeminaret, ubi novem diſcipulos acquiſivit: tandem modicùm ibi proficiens, in Iudæam rediit, ubi quatuor magna fecit.

Primò. Philetum convertit. Nam cùm in Iudæa prædicaret, Hermogenes magus cum Phariſæis diſcipulum ſuum nomine Philetum miſit ad Iacobum convincendum. Cumque Iacobus Philetum rationabiliter conviciſſet, & multa miracula coram eo feciſſet, ſcilicet cæcos illuminando, infirmos curando, leproſos mundando, mortuos ſuſcitando; tandem Philetus ad fidem Chriſti converſus eſt.

Secundò. Artem magicam ſubvertit. Nam Hermogenes prædictus videns Philetum ad fidem Chriſti converſum, iratus, arte ſua magica eum immobilem fecit, dicens: Videbimus, ſi Iacobus tuus te ſolvet. Quod cùm Philetus Iacobo per puerum nunciaſſet, miſit ad eum Iacobus ſudarium ſuum, dicens: Accipiat ſudarium, & dicat: Dominus erigit eliſos, & ipſe ſolvit compeditos. Statimque ut ſudario tactus eſt, ſolutus eſt à vinculis.

Tertiò. Dæmones accendit. Nam Hermogenes advocans dæmones, præcepit eis, ut Iacobum cum Phileto ad ſe adducerent, volens ſe de ipſis vindicare. Venientes autem dæmones, ut juſſa perficerent, in aere ululare cœperunt, dicentes: Iacobe Apoſtole, miſerere nobis: quia, antequam tempus noſtrũ advenit, ardemus: Angeli Dei catenis igneis nos religatos tenent, & cruciant.

Quartò. Hermogenem ad pœnitentiam adduxit. Nam Hermogenes ligatus à dæmonibus ad Iacobum adductus eſt, à quo cùm peterent dæmones licentiam ſæviendi in eum, non conceſſit hoc Iacobus, ſed ait Phileto, ut bona pro malis reddamus, tu Hermogenem ſolve. Quo ſoluto, ait Iacobus Hermogeni: Vade liber, quò volueris: non eſt enim legis Chriſti, ut invitus quis convertatur. Ille autẽ prænoſcens iram dæmonum ſumpto baculo Iacobi, abiit, & omnes libros artis magicæ ad Iacobum adduxit, quos ille in mare projici juſſit; quibus projectis, Hermogenes pœnitentiâ ductus fidem Chriſti ſuſcepit, prædicavit, & virtutes plurimas in Chriſti Nomine fecit; unde multos convertit.

QVINTO. *Sedeat unus ad dexteram tuam per paſſionem.* Si enim Chriſtus intravit in gloriam Dei merito ſuæ Paſſionis (Lucæ 24. cap. *Sic oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.*) eodem modo fideles intrant in gloriam Dei per paſſionem. Act. 14. cap. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Et Rom. 8. capite. *Si filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur.*

Beati Iacobi paſſio commendatur ex quatuor. Primò. Ratione demonſtrationis. Cùm enim Chriſtus prædixiſſet ei: *Calicem quidem meum bibetis:* atque ut ſciret, de quo calice loqueretur, tempore ſuæ Paſſionis vadens ad hortum, ut oraret Patrem, aſſumpſit Iacobum cum Petro, & Ioanne dicens: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.*

Secundò. Ratione conſultationis. Antequam enim Apoſtoli diſpergerentur per mũdum ad prædicandum, congregato Concilio in Ieruſalem, Symbolum compoſuerunt, in quo quiſque ſuum articulum poſuit. Iacobus autem tertium articulum poſuit dicens: *Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto.* Quos articulos unanimiter prædicaverunt, & Scripturis ſacris expoſuerunt, ut patet in actibus Apoſtolorum, pro quorum pariter defenſione mortem ſubire non dubitaverunt.

Tertiò. Ratione miraculoſæ operationis.

Nam, cùm duceretur ad decollandum, convertit Ioſiam, qui funem collo eius injecerat, quem etiam baptizavit. Cumque tranſiret per viam ad paſſionem, paralyticum in via jacentem perfectè ſanavit.

Quartò. Ratione præmiationis. Nam primus inter ceteros Apoſtolos paſſus eſt capitis obtruncationem, quamvis etiam cum eo decollatus fuerit Ioſias; & ſic primus inter eos præmia æterna vidit.

SEXTO. *Sedeat unus ad dexteram tuam per glorificationem*. Nam eius anima ſedet ad dexteram per contemplationem Divinitatis, & humanitatis Chriſti. Eius autem corpus ſedet ad dexteram per miraculoſam translationem, in qua oſtendit miracula in quatuor elementis.

1. In aqua. Quia diſcipuli mari ſe exponentes ſine regimine, tranquillum mare habuerunt. Pſalm. *In mari via tua: & ſemita tua in aquis multis*.

2. In aere. Quia ventus ſecundus eis flavit, qui eos ad portum deduxit. Pſalm. *Deduxit eos in portum voluntatis eorum*.

3. In terra. Quia, cùm corpus in terra ſuper quendam lapidem poſuiſſent, mox lapis ceſſit, & in ſepulcrum ſe mirabiliter coaptavit.

4. In igne. Quia draconem ignem ſpirantem virtute Crucis per medium corporis ſciderunt diſcipuli, qui corpus Sancti Iacobi ad ſepulturam duxerunt. Pſalm. *Conculcabis leonem, & draconem*.

SEPTIMO. *Sedeat unus ad dexteram tuam per ſubventionem*. Nam in omni ſtatu beatus Iacobus ſubvenit ſuis devotis, fideliter ſe invocantibus. Peccatoribus enim impetrat peccatorum remiſſionem: ſicut refert *Beda* de illo, qui peccatum in ſchedula ſcripſit, & remiſſionem promeruit. Morientibus ſubvenit contra dæmonum infeſtationem, ſicut patet in illo, cui laboranti in extremis apparuit beatus Iacobus, & baculo utens pro lancea, & ſacculo mulierculæ pro ſcuto, dæmones effugavit.

Mortuos protegit, ne incurrant æternam damnationem. Quia refert *Hugo de ſancto Victore*, quòd quidam vadens ad ſanctum Iacobum, cùm ſuaſu dæmonis ſeipſum occidiſſet, & ad infernum ductus fuiſſet, à beato Iacobo liberatus eſt. Alios plures à diverſis infortuniis, & periculis defendit: ſicut patet de illo, qui liberatus eſt à cuſtodia turris; & de illo, qui injuſtè ſuſpenſus, cæleſti dulcedine refocillatus, & patri redditus eſt. Et ſic de multis aliis ad gloriam Sancti ſui. Amen.

SERMO XL.

IN FESTO SANCTI DOMINICI CONFESSORIS PATRIS NOSTRI.

Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita. Matth. 5. cap.

DAvid Propheta in Pſalm. dicit: *Fundamenta eius in montibus ſanctis: diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob. Gloriosa dicta ſunt de te, civitas Dei*. Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtrum religioſior inſtitutio beati Dominici ardentiſſimæ charitatis ſit celebrior portio chori Angelici ſuperna civitatis?

AD iſtam quæſtionem reſpondent tres Doctores.

Primus eſt beatus *Hieronymus contra Vigilantium* dicens: Ei, qui aſſerit, eos meliùs facere, qui utuntur rebus ſuis, & paulatim fru-

Digitized by Google

fructus poſſeſſionum pauperibus dividunt, quàm eos, qui poſſeſſionibus venundatis ſemel omnia largiuntur; non à me eis, ſed à Deo reſpondebitur: Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me.)

Secundus eſt beatus *Auguſtinus lib. de eccleſiaſticis dogmatibus cap.* 70. dicens: Bonum eſt facultates cum diſpenſatione pauperibus erogare. Melius eſt prò intentione ſequendi Dominum in ſimul donare, & abſolutum ſolicitudine egere cum Chriſto.

Tertius eſt *Sanctus Thomas Quodlib.* 3. *artic.* 13. docens ſequentia. Maximè utile eſt peccatoribus, ut ad religionem tranſeant. Peccatoribus enim duo neceſſaria ſunt ad ſalutem. Primò quidem, ut de peccatis præteritis pœnitentiam agant. Secundò, ut de cetero à peccatis abſtineant. Ad utrumque autem horum maximè operatur religio. Primò enim ſtatus religionis eſt ſtatus perfectæ poenitentiæ, ita quòd nulla ſatisfactio adæquari poteſt pœnitentiæ religioſorum, qui & ſe, & ſua totaliter Deo dant; unde pro nullo peccato imponi poteſt homini pro pœnitentia, ut religionem introeat. Tamen in commutationem ſatisfactionis, quantumcunque gravis, conſulitur religionis ingreſſus, ut patet 33. *quæſt.* 2. *cap. Admonere*. Vbi Stephanus Papa quendam, qui uxorem interfecerat, inducit, ut ingrediatur monaſterium, & humiliatus ſub manu Abbatis cuncta obſervet, quæ ſibi fuerint imperata; alioquin injungit ei graviſſimam poenitentiam, ſi eligit in ſeculo remanere. Similiter etiam ad vitanda peccata plurimum valet religionis ſtatus. Difficile enim eſt, quòd in ſeculo commorantes à rebus mundi non alliciantur; propter quod *Matth.* 19. *cap.* ſecundùm expoſitionem *Chryſoſtomi* Dominus dicit, hoc eſſe impoſſibile, ſcilicet quòd dives, qui divitiis inhæret per amorem, intret in regnum cælorum. Sed dives, qui habet divitias, quòd intret, eſt valde difficile. Vnde Eccli. 31. c. dicitur: *Beatus dives, qui inventus eſt ſine macula.* Et hujuſmodi difficultatem ſubdit, dicens: *Quis eſt hic, & laudabimus eum?* Propter quod, ut *Gregorius* dicit, Sancti viri, ut ab illicitis abſtineant, etiam licita prætermittunt. Et Dominus dicit: *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores* ad pœnitentiam. Nam Matthæũ publicanum ad ſtatum perfectionis vocavit, *Matth.* 9. *cap. Hæc Sanctus Thomas*.

Sciendum, quòd Religio Prædicatorum commendatur quoad quatuor. Primò. Quia ordinatur principaliter ad docendum, prædicandum, & confeſſiones audiendum. Nam Religio fratrum Prædicatorum ordinatur ad utilitatem proximorum, ad obſequium Dei, & ad conſervationem Divini cultus. Magis autem procuratur utilitas proximorum per ea, quæ pertinent ad ſpiritualem animæ ſalutem, quàm per ea, quæ pertinent ad ſubveniendum corporali neceſſitati, quantò ſpiritualia corporalibus ſunt potiora. Nullum enim ſacrificium eſt magis Deo acceptum, quàm zelus animarum, ut *Gregorius* dicit *ſuper Ezech.*

Secundò. Quia ordinatur principaliter ad ſtudendum. Nam ſtudium litterarum eſt neceſſarium Religioni inſtitutæ ad prædicandum, & ad alia hujuſmodi exercendum. Vnde Apoſtolus dicit ad Titum 1. cap. de Epiſcopo, ad cuius officium huiuſmodi actus pertinent: *Amplectentem eum, qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem; ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere*. Competit enim huic Religioni principaliter intendere ſtudio litterarum pertinentium ad doctrinam, quæ ſecundùm pietatem eſt, ut dicitur ad *Titum* 1. *cap.* Aliis autem doctrinis intendere non pertinet ad fratres Prædicatores, quorum tota vita Divinis obſequiis mancipatur, niſi in quantum ordinãtur ad ſacram doctrinam, ut patet in *Conſtitutionibus eorum, cap. de Prædicatoribus, & cap. de ſtudentibus*.

Tertiò. Quia profeſſio fratrum Prædicatorum eſt ſecurior. Nam ſancti Patres, qui hanc Religionem inſtituerunt, nolentes hominibus injicere damnationis laqueum, ſed magis viam ſalutis, ordinaverunt talem profeſſionis formam, in qua periculum eſſe non poſſet; unde profeſſio eorum eſt cautiſſima, & ſecuriſſima forma profitendi: quia non promittunt ſe ſervare regulam, ſed obedientiam ſecundùm regulam. Vnde ex voto obligantur ad obſervanda ea, quæ ponuntur in regula tanquam præcepta, & quæ Prælatus ſecundùm tenorem regulæ eis præcipere voluerit. Cetera verò, quæ non continentur in regula ſub præcepto, non cadunt directè ſub voto; unde ea prætermittendo, non peccant mortaliter, ut patet in *conſtitutionibus eorum, cap. de profeſſione*.

Quartò. Quia Religio fratrum Prædicatorum non obligat ad culpam. Nam profeſſioni fratrum Prædicatorum non contrariat

riatur, niſi id, quod eſt contra præceptum regulæ. Tranſgreſſio autem, vel omiſſio aliorum non obligat nec ad peccatum veniale, neque ad mortale ex ſuo genere, ſed ſolùm ad poenam taxatam ſuſtinendam. Vnde in *conſtitutionibus eorum in prologo* dicitur ſic: Volumus, & declaramus, ut conſtitutiones noſtræ non obligent nos ad culpam, ſed ad poenam tantùm, niſi propter præceptum, vel contemptum. Iſta Religio figurata eſt per montem, in quo Lot ſalvatus eſt, ut dicitur *Gen. 19. cap.* Propterea non poteſt civitas, id eſt, Religio fratrum Prædicatorum abſcondi poſita ſupra montem, id eſt, firmitatem, & altitudinem æternæ ſalutis, quam beatus Dominicus Spiritu ſancto inſpirante adinvenit, & inſtituit.

Non poteſt civitas abſcondi poſita ſupra montem

Divinitatis ſupernorum.
Ordinabilitatis Angelorum.
Maturitatis Patriarcharum.
Intellectualitatis Prophetarum.
Noſcibilitatis Apoſtolorum.
Immobilitatis Occiſorum.
Charitatis Confeſſorum.
Venuſtatis Immaculatorum.
Sublimitatis creatorum.

PRIMO. *Beati Dominici Religio, & vita non poteſt aſcondi poſita ſupra montem Supernorum.* Nam beatus Dominicus præviſus eſt, eſſe ſimilis Filio Dei. Dan. 3. cap. dicitur: *Ecce ego video viros ſolutos quatuor, ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt: & ſpecies quarti ſimilis Filio Dei.* Tres viri in camino ardentis charitatis ſunt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Deut. 4. *Deus tuus ignis conſumens eſt.* Et quartus eſt Beatus Dominicus, qui maximâ ardebat charitate. Centurio in Paſſione Chriſti hunc prævidit ardentem charitate, cùm ait: *Verè Filius Dei erat iſte*, Matth. 27. Et Ioann. Apoc. 1. c. dicit: *Vidi ſimilem Filio hominis.* Rectè ergo B. Dominicus eſt ſimilis Filio Dei in mundi converſione, ſicut Chriſtus fuit Filius Dei in mundi redemptione.

Status mundi ſunt quatuor. Primus fuit creationis; & tunc generatio Filii Dei fuit exemplar talis productionis. Pſalm. *Omnia in ſapientia feciſti*, &c. Ioan. 1. cap. *Omnia per ipſum facta ſunt.*

Secundus fuit redemptionis; & tunc generatio Filii Dei per Virginē fuit exemplar. Pſalm. *Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cùm acceperit me.* Ioan. 1. cap. *Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.*

Tertius fuit converſionis. Lucæ 14. cap. *Miſit ſervum ſuum horà cœnæ dicere invitatis, ut venirent*, ſcilicet per poenitentiam. Et tunc B. Dominicus fuit exemplar. Vnde cantatur de eo:

Mundum vocans ad agni nuptias,
Horà cœnæ paterfamilias
Servum mittit, promittens varias
Vitæ delicias.
Ad hoc convivium tam permagnificum
Elegit nuncium ſanctum Dominicum.

Quartus erit innovationis, & tunc Enoch, & Elias erunt exemplar. Malach. 4. capite. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, & percutiam terram anathemate.* Apoc. 11. capite dicitur: *Dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis.*

Quia verò beatus Dominicus fuit in tertio ſtatu mundi, ſcilicet converſionis; ideo, ut mundus faciliùs converteretur, debuit in omnibus eſſe ſimilis Filio Dei per ardentiſſimam charitatem.

1. In Annunciatione. Sicut enim Chriſtus fuit annunciatus beatæ Virgini per Angelum dicentem: *Ecce concipies in utero, & paries Filium*, Luc. 1. cap. ad oſtendendam prolis magnitudinem quantùm ad effectum humanæ redemptionis; ſic B. Dominicus matri ſuæ per Spiritum ſanctum in ſpecie catuli accenſam faculam in ore baiulantis, quâ totum mundum illuſtrabat, monſtratus eſt, ad oſtendendū eius officium, quantùm ad effectum humanæ converſionis, ſecundùm illud Luc. 16. cap. *Sed & canes veniebant, & lingebant ulcera eius.* Id eſt: Prædicatores ulcera peccatorum linguâ medicinalis prædicationis ſuaviter ſanabant, &c.

2. In demonſtratione. Sicut enim Chriſtus monſtratus eſt gentibus, quas ad ſe vocavit per apparitionem ſtellæ (unde dicunt Matth. 2. cap. *Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum*) ſic beatus Dominicus cuidam matronæ, dum ipſum de ſacro fonte le-

Digitized by Google

levaret, ſtellam lucidiſſimam in fröte geſtans, per Spiritum ſanctum demonſtratus eſt. Vnde cantatur de eo:

Stella micans in fronte parvuli
Novum ſubar præmonſtrat ſeculi.

3. In reconciliatione. Sicut enim Chriſtus venit in mundum, ut ipſum reconciliaret Deo Patri per charitatem (Rom. 5. cap. *Cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii eius*) ſic beatus Dominicus miſsus eſt in mundum, ut reconciliaret ipſum Filio Dei, qui venerat mundum judicare, & finem peccatoribus imponere, ſecundùm illud Matth. 5. cap. *Valet ultra, ut mittatur*. Sicut patet in viſione oſtenſa quibuſdam ſanctis viris.

4. In prædicatione. Sicut enim Chriſtus venit in mundum, ut prædicaret myſterium regni Dei (Lucæ 4. cap. *Aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei: quia ideo miſſus ſum*) ſic beatus Dominicus miſsus eſt à Deo ad prædicandum, ſecundùm illud Gal. 1. cap. *Cùm autem complacuit ei, qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam, ut revelaret Filium ſuum in me, ut evangelizarem illum in gentibus: continuò non acquievi carni, & ſanguini*, &c.

5. In inſtitutione. Sicut enim Chriſtus elegit duodecim Apoſtolos, quibus tradidit regulam, & formam vivendi ſecundùm charitatem, *Matth.* 10. *cap.* quibus mandavit ut prædicarent, *Marc.* 16. *cap.* ſic beatus Dominicus volens eligere regulam bene vivendi, præmiſſis orationibus, & jejuniis cum duodecim fratribus novum Ordinem, qui diceretur fratrum Prædicatorum, inſtituit, quē à Papa Honorio confirmari inſtanter petiit, & ſic factum eſt.

6. In refectione. Sicut enim Chriſtus ſemel ſatiavit quatuor millia hominum ex ſeptem panibus, *Mar.* 8. *cap.* & alia vice quinque millia hominum ex quinque panibus, *Ioan.* 6. *cap.* ſic beatus Dominicus ſemel Bononiæ ſatiavit ſexdecim fratres ex uno pane multiplicato in manibus eius cæleſti benedictione. Iterum Romæ impetravit à Deo panes ſufficientes ad ſatietatem ſemel centum, aliâ vice quadraginta fratrum, allatos miniſterio Angelorum, ut patet.

7. In ſolutione. Sicut enim Chriſtus miſit Petrum ad mare, ut denarium in ore eius inventum daret pro tributo, *Matth.* 17. *cap.* ſic B. Dominicus non habens unde ſolveret pro navigio, oravit ad Dominum, & apparuit denarius in terra miraculosè, quem ſolvit nautæ.

8. In ſuſcitatione. Sicut enim Chriſtus adoleſcentem à mortuis ſuſcitavit, *Lucæ* 7. *cap.* & filiam Archiſynagogi, *Lucæ* 8. *cap.* & *Matth.* 9. & Lazarum quatriduanum, *Ioann.* 11. *capite*; ſic beatus Dominicus nepotem domini Stephani de foſsa nova Cardinalis ſuſcitavit, & architectum laborantem in Eccleſia ſancti Xiſti diu mortuum ſub maceria cadentem ſuſcitavit, & Toloſæ 40. peregrinos in flumine ſubmerſos ſuſcitavit.

9. In renunciatione. Sicut enim Chriſtus, ut cognovit, quia venturi erant homines ad ipſum, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit ab eis, *Ioan.* 6. *cap.* ſic beatus Dominicus intelligens ſe electum Epiſcopum Cameranenſem, omnino renuit, & fugit.

10. In penetratione. Sicut enim Chriſtus, ut certificaret Diſcipulos ſuos de veritate ſuæ Reſurrectionis, intravit ad eos januis clauſis, & multis argumentis ſe reſurrexiſse probavit, *Ioann.* 20. *cap.* ſic beatus Dominicus, cùm ſero ad quoddam monaſterium declinaſset, oratione fuſa clauſis januis cum ſocio introivit. Etiam diſcedens à conflictu Hæreticorum cum quodam cōverſo Ciſtercienſi ſero ad quādam Eccleſiā declinavit, in quam januis clauſis mox intravit cum ſocio, prece ad Deum præmiſsâ.

11. In tranſubſtantiatione. Sicut enim Chriſtus mutavit aquam in vinum in conſpectu Diſcipulorum ſuorum, *Ioann.* 2. *cap.* ſic beatus Diminicus in partibus Toloſanis cum multis fratribus iter faciens, compatiens infirmitati eorum ob ſtomachi neceſſitatem, cùm vinum deficeret, juſſit vas magnum impleri aquâ, quam in vinum convertit oratione fuſa.

12. In diſciplinatione. Sicut enim Chriſtus in fonte Divinitatis omnia didicerat, ita ut mirarentur Iudæi dicentes: *Quomodò hic litteras ſcit, cùm non didicerit?* Ioann. 7. cap. ſic beatus Dominicus requiſitus à quodam Doctore, in quibus libris ſtuduerat magnalia, & ſecreta myſteriorum Dei, quæ prædicabat, reſpondit: In libro charitatis, qui de omnibus docet.

13. In ſuperatione. Sicut enim Chriſtus ſuperavit diabolum tentantem eum, ut de pinnaculo Templi ſe demitteret, *Matth.* 4. *cap.* ſic beatus Dominicus, dum quadam nocte devotiùs oraret, diabolus de tecto Eccleſiæ

ma-

magnum lapidem juxta eum projecit, ut etiam tangeret caputium cappæ eius: ſed vir Dei immobilis perſeverans in oratione, diabolum ſuperavit, qui ſubitò voce horribili ejulans confuſus abſceſſit.

14. In miſeratione. Sicut enim Chriſtus fuit miſericors, ita ut etiam juvenem volentem ſe ſequi, docuerit, ut venditis omnibus, pretium eorum pauperibus erogaret, *Matth. 19. cap. & Luc. 18. cap.* ſic beatus Dominicus, cùm Palentiæ in Hiſpania ubi ſtudebat, fames valida eſſet, libros cum omni ſua ſupellectili vendidit, & pretium eorum pauperibus erogavit, ſecundùm illud Iob 31. cap. *Ab infantia crevit mecum miſeratio: & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum.*

15. In maceratione. Sicut enim Chriſtus jeiunavit 40. diebus, & 40. noctibus, ut dicitur *Matth. 4. cap.* ſic beatus Dominicus in partibus Toloſanis, ut ab hæreſi revocaret quaſdam matronas, per totam quadrageſimam in pane & aqua jejunavit, & ſuper nudam tabulam poſt longam vigiliam laſſa membra reclinabat, quas tandem convertit.

16. In præſervatione. Sicut enim Chriſtus juſſit Petrum ad ſe venire illæſum ſuper aquas, *Matth. 14. cap.* ſic beatus Dominicus cum in partibus Toloſanis quendam fluvium pedes tranſiret, libri eius in aquam ceciderunt. Die autē tertia piſcator quidā hamū ibi projiciens, libros illæſos extraxit, nullam maculam habentes.

17. In oratione. Sicut enim Chriſtus in montem exivit ſolus orare, *Matth. 14. capite.* ſic beatus Dominicus continuè in Eccleſia pernoctabat vigilans, & orans, & tres ſingulis noctibus manu propria ſibi dabat diſciplinas cum catena ferrea: unam pro ſe, ſecundam pro peccatoribus, qui ſunt in mundo, tertiam pro animabus, quæ cruciabantur in purgatorio.

18. In compaſſione. Sicut enim Chriſtus maximè compatiebatur peccatoribus, eos benignè ſuſcipiendo (quia non egent, qui ſani ſunt, medico, ſed malè habentes, *Matthæi 9. cap.*) ſic beatus Dominicus peccatis hominum mirabiliter compatiens, quando appropinquabat villæ, vel civitati, quam poterat à longe videre, totus in lacrymas ſolvebatur.

19. In curatione. Sicut enim ad tactum fimbriæ veſtimenti Chriſti mulier, quæ duodecim annis fluxum ſanguinis patiebatur, ſalva facta eſt, *Matth. 9. cap.* ſic ad oſculum manus beati Dominici Miſſam celebrantis reſtrictum eſt lubricum carnis in quodam ſcholari.

20. In expulſione dæmonum. Sicut enim Chriſtus ab obſeſſis corporibus multa dæmonia expulit, *Matth. 12. capite, & Luc. 8. cap.* ſic beatus Dominicus, cùm ſibi præſentatus eſſet quidam multis obſeſſus dęmoniis, ſuo ſcapulari cum circa collum cinxit, & liberavit.

21. In fatigatione itineris. Sicut enim Chriſtus fatigatus ex itinere ſedebat ſuper fontem, ad quem confluebat multitudo populorum, quibus prædicabat, *Ioann. 4. cap.* ſic beatus Dominicus poſt laborem itineris ad aliquem fontem declinabat, & multitudo populorum ad eum exibat, ut audirent verbum Dei, quos ad pœnitentiam convertebat.

22. In prævisione. Sicut enim Chriſtus novam inſtituens Eccleſiam vidit multos ex Diſcipulis ſuis retro abeuntes, alios convocans ait: *Nunquid & vos vultis abire?* Qui dixerunt: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes*, Ioann. 6. capite: ſic beatus Dominicus in principio ſui Ordinis, ſuper eum facto Spiritu Domini, convocatis fratribus ad capitulum, prædixit eis, quoſdam ex ſuis fratribus ab Ordine egreſſuros; quod non multò poſt rei probavit eventus, aliis remanentibus in Ordine.

23. In converſatione. Sicut enim Chriſtus communem vitam duxit cum peccatoribus, adeo ut Phariſæi dicerent: *Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat, & bibit Magiſter veſter?* Marc. 2. cap. ſic beatus Dominicus, ſalvo honeſtatis timore, cum fratribus ſuis converſabatur firmâ mentis æqualitate, placidâ facie, magnâ benignitate, ſuavi eloquio, mirâ ædificatione.

24. In diſtinctione. Sicut enim Chriſtus deſignavit ſeptuaginta duos Diſcipulos ſuos, & miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem civitatem, & locum, quo erat ipſe venturus, *Luc. 10. cap.* ſic beatus Dominicus fratres ſuos per totum mundum binos diſperſit, ut verbum Domini prædicarent.

25. In exhortatione. Sicut enim Chriſtus, antequam ex hoc mundo tranſiret ad Patrē, hortatus eſt Diſcipulos ſuos ad charitatem, humilitatem, & paupertatem, *Ioann. 14. cap.* ſic beatus Dominicus inſtante vitæ termino, convocatis duodecim fratribus conventus Bononienſis teſtamentum condidit, dicens: Hæc ſunt, quæ vobis filiis hæreditario jure

poſ-

poſſidenda relinquõ: Charitatem habete, humilitatem ſervate, paupertatem voluntariam poſſidete, &c.

26. In recreatione. Sicut enim Chriſtus cũ Diſcipulis ſuis cœnam fecit, in qua Paſſionem ſuam eis prædixit, *Matth. 26. cap.* ſic beatus Dominicus paulò ante obitum ſuum Bononiæ quoſdam compatriotas ſuos, valde Deo devotos viſitavit, prædicens eis, dum adhuc eſset ſanus: Scitote, quòd ante Aſſumptionem Dominæ noſtræ ſubmovebor ab hac vita mortali; quod rei probavit eventus. Nam parum ante Aſſumptionem Dominæ noſtræ obiit.

27. In dilatatione. Sicut enim Chriſtus in cœna oravit pro dilatatione Chriſtianæ Religionis, dicens: *Pater, manifeſtavi Nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi: nunc autem pro eis rogo*, &c. Ioan. 17. cap. Et ad Petrum ait: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos*, *Luc. 22. cap.* ſic beatus Dominicus in Deum abſorptus, elevatis manibus ait: Pater ſancte, tu ſcis, quia libenter perſtiti in voluntate tua, & eos, quos dediſti mihi, cuſtodivi, & conſervavi; quos in manus tuas commendo. Et cõſolans eos ait: Scitote, me utiliorem vobis fore mortuum, quàm vivum: quia ad Patrem vado, &c.

28. In revelatione. Sicut enim inſtante Chriſti morte Centurio vidit gloriam Dei, & ait: *Verè Filius Dei erat iſte*, Matth. 27. cap. ſic inſtante beati Dominici obitu, quidam ſcholaris Bononiæ vidit in Eccleſia sãcti Nicolai fratrum Prædicatorum beatum Dominicum ſedentem in cathedra, gloriâ, & honore coronatum, ſicut ipſe eidem revelavit, & ſic certificatus eſt.

29. In operatione miraculorum. Sicut enim in morte Chriſti multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt, *Matth. 27. cap.* ſic in morte beati Dominici multi mortui ſuſcitati, & multi alii à variis languoibus ſanati ſunt, ut pateret eius ſanctitas.

30. In incorruptione. Sicut enim Corpus Chriſti in triduo, quo fuit in ſepulcro, non vidit corruptionem (Pſalm. *Non dabis Sanctum tuum, videre corruptionem*) ſic beati Dominici corpus diu jacens in ſepulcro, ſcilicet per decennium, in die tranſlationis eius integrum inventum eſt, & incorruptum, mirâ fragrantiâ odoriferum. Rectè ergo Ioannes dixit: *Vidi ſimilem Filio hominis*.

SECVNDO. *Vita, & Religio beati Dominici non poteſt abſcondi poſita ſupra montẽ Angelorum.* De hoc monte dicitur Ezech. 28. cap. *Tu ſignaculum ſimilitudinis in deliciis paradiſi Dei fuiſti, plenus ſapientiâ, perfectus decore: Omnis lapis pretioſus operimentum tuum. Tu Cherub extentus, & protegens, poſui te in mõte ſancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulaſti, perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ.* Inter omnes Angelos beata Virgo tenet ſupremum locum, juxta illud: *Exaltata es, ſancta Dei Genitrix, ſuper choros Angelorum ad cæleſtia regna.* Et hoc per virginitatem, & humilitatem. Signaculum autem huius ſimilitudinis fuit beatus Dominicus. Pſal. *Habitans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat.* Scil. per munditiam virginitatis, quæ quidem fuit ſimilis virginitati S. Mariæ quantùm ad quatuor.

Primò per integritatem. Sicut enim beata Virgo habuit virginitatem mentis, & carnis; ſic beatus Dominicus integritatem carnis habuit, & puritatem mentis ſervavit: una enim ſine alia non ſufficit. Apoc. 1. cap. *Vidi ſimilem Filio hominis veſtitum podere, & præcinctum zonâ aureâ ad mamillas.* Quia ipſe beatus Dominicus fuit Angelicus per integritatem carnis: quoniam in pectore fuit cinctus per munditiam cogitationis, & zonâ aureâ per charitatem cordis.

Secundò, per dedicationem. Sicut enim beata Virgo primò Deo vovit, & dedicavit ſuam virginitatem (ut habetur 27. *quæſt. 2. cap. Beata Maria* propoſuit ſe conſervaturam votum virginitatis in corde) ſic beatus Dominicus ſuam virginitatem Deo devovit, & vendidit. Proverb. ultimo cap. *Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo.* Per ſindonem, quæ multis everſionibus ad candorem deducitur, virginitas deſignatur, quæ multis macerationibus habetur: iſta Deo venditur, quando ei dedicatur. Cingulum caſtitatis, quo ſinus fluxibilium cogitationum reſtringitur, Chananæo traditur: quia Chriſto velut zelatori ſuæ ſponſæ ipſa virginitas devovetur.

Tertiò, per diffuſionem. Sicut enim beata Virgo, licèt fuerit pulcherrima, à nullo tamen potuit concupiſci (quia puritas eius in alios diffundebatur, & omnes motus illicitos extinguebat) ſic beati Dominici virginitas omnem concupiſcentiæ æſtum ex oſculo manus ſuę à lubrico ſcholari extinxit, ſecundùm illud Cant. 5. c. *Manus meæ ſtillaverunt myrrham.*

Quartò, per confirmationem. Sicut enim beata virgo in Annunciatione fuit confirma-

tu in gratia, ut nullum æſtum libidinis ſenſerit in conceptione Chriſti (Lucæ 1. *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*) ſic beatus Dominicus in inſtitutione ſui Ordinis confirmatus fuit in gratia, ut ex tunc nullum unquam ſenſerit ſtimulum venereæ voluptatis, aut peccati mortalis. Pſal. *Ego confirmavi columnas eius*. In cuius ſignum beata Virgo hunc habitum, quem portant fratres Prædicatores, eiſdem tradidit. Cùm enim ipſa ſanaſſet Magiſtrum Reginaldum virum peritiſſimum per ſacram unctionem, deſiderantem hunc ordinem ingredi, dixit ei beata Virgo: Conſtans eſto: quoniam votum tuum implebitur. In cuius ſignum: Ecce hic eſt habitus, quem tu, & fratres Prædicatorum portabunt. Quem aſſumptum detulit beato Dominico, qui reverenter illum ſuſcipiens, eo ſe, & præfatum Magiſtrum, & fratres ſuos induit. O pretioſum habitum! O venerandum prodigium! O cæleſte miniſterium! Regina cælorum, quæ in redemptionem mundi Verbum æternum propriâ carne induit Spiritu ſancto ſanctificante, Eadem in reconciliationem ſeculi Portitores Divini Verbi proprio habitu induit Spiritu ſancto confirmante. O cum quanta devotione, & reverentia debet hic habitus portari! Nulla Religio poteſt gloriari, quòd ſuum habitum à Virgine Matre cælitùs miſſum aſſumpſerit.

Nec vacat à myſterio hic habitus. *Cappa nigra* mortificationem carnis deſignat: quia fratres Prædicatores debēt eſſe mortui mundo, ut de eis dicatur illud Coloſſ. 3. cap. *Mortui enim eſtis*, ſcilicet de mundo non curantes. *Et vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.*

Tunica alba ſignificat puritatem mentis, quam debent habere, ſi Deum cupiant videre. Matth. 5. cap. *Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt*.

Scapulare ſignificat obedientiam, quæ eſt jugum Chriſti. Ibid. 11. c. *Tollite iugum meum ſuper vos*, &c. uſque: *invenietis requiem animabus veſtris*.

Zona ſignificat caſtitatem. *Hieronym.* Quacunque virtute polleas, quibuſcunque operibus niteas; ſi cingulo caſtitatis careas, omnia per terram, neceſſe eſt, trahas.

Calceamenta ſignificant ſanctorum exemplorum imitationem. Exo. 12. cap. *Calceamenta habebitis in pedibus*. Et Eph. 6. *Calceati pedes in in præparatione Evangelii pacis*. Pedes enim ſunt affectiones animæ, quæ calceantur exemplis Sanctorum. Philip. 3. cap. *Obſervate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram*.

In quorum confirmationem allegare placet, quod *Chronicon breve* de habitu & origine ſacri Ordinis noſtri tradit hiſce verbis: Venerabilis Abbas Ioachim, Floriacēſis Ordinis inſtitutor, fratribus ſuis habitum, quem dictus Magiſter Reginaldus à beata Virgine acceperat, propheticè demonſtrans, in quodam monaſterio ſui Ordinis, quod eſt in Calabria, depingi, & etiam in Eccleſia ſancti Marci de Venetiis opere muſivo fieri fecit, dicens: Ciró ſurget in Eccleſia Dei novus Ordo docentium, cui præerit unus maior; & cum eo, & ſub eo erunt duodecim, præfatum Ordinem regentes. Quia ſicut Iacob Patriarcha cum duodecim filiis ingreſſus eſt Ægyprum; ſic ipſe cum duodecim illis in illo Ordine poſt ipſum ingredientur, & illuminabunt mundum. *Hæc ibi*.

Habet autem hæc Religio ad ſui protectionem Angelos cuſtodes, ſecundùm illud Iſaiæ 62. cap. *Super muros tuos, Ieruſalem, conſtitui cuſtodes*. Nam cùm quidam Legiſta Bononienſis intraſſet Ordinem Prædicatorum, amici, & parentes eius cucurrerunt ad conventū, ut neoveſtitum vi extraherent. Cumque Fratres pavidi vellent mittere ad milites, & patronos conventus, ait beatus Dominicus: Non indigemus auxilio humano: quoniam circa conventum video plures, quàm ducentos Angelos ad noſtri cuſtodiam, & protectionem paratos: apertoque conventu, & portis, orationibus ſe dederunt. Territi, ac confuſi, & nil videntes inimici illi Fratrum indulgentiam, & miſericordiam humiliter à beato Dominico impetraverunt, atque in ſe reverſi fratrem illum Legiſtam in ſuo propoſito confirmaverunt, pluribus eorum hunc ſacrum Ordinem intrantibus.

Iſte enim Ordo præmonſtratus eſt quadruplici Angelorum miniſterio.

Primò. In cuſtodiendo. Sicut enim poſt expulſionem Adæ, & Evæ de Paradiſo voluptatis poſitus fuit Cherubim, ad cuſtodiam ligni vitæ; ſic iſte Ordo poſt ſcelera Chriſtianitatis, & hæreſes ſubortas collocatus fuit in paradiſo militantis Eccleſiæ ad cuſtodiam, & protectionem legis Dei. Vnde præmemoratus *Abbas Ioachim ſuper Ieremiam* dicit: Collocabit Deus interim Cherubim Doctores veritatis, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ, obſervationis utique regularis, & ſpiritualis, nec

du-

Digitized by Google

dubium paupertatis; qui & verſatilem gladium ſermonis myſtici ſic in ſuis actibus habeant, ut & zelum reprehenſionis in alios ſervida charitate diffundant. *Hæc ille*.

Secundò. In ſubvertendo. Vnde *Abbas Ioachim ubi ſuprà*: Sicut Sodomam duo Angeli everterunt, & Synagogam ſimiliter duo Angeli: Ioannes & Chriſtus; ſic & nunc oportet, ut duo Angeli officium prædicationis habentes in duobus Ordinibus, deſignati in Moyſe, & Elia, ſubvertant Eccleſiam in ſpiritu. Et illa quidem dicebatur Pentapolis. Synagoga quoque velut piſcina Probatica quinque porticibus cingebatur, & Eccleſia Latina Patriarchatibus quinque innititur, in quibus tanta eſt multitudo languentium, ut, niſi turbetur imperium, nullus aſſequi poterit ſanitatem. Motio autem aquæ motio populi Chriſtiani eſt, in qua neceſſe eſt, ut unanimes in charitate ſalventur, ceteris in ſuis erroribus derelictis. *Hæc ille*.

Tertiò. In ulciſcendo. Vnde *Abbas Ioachim ubi ſuprà*: Iſti ſunt ſeptem illi Angeli ſuas phialas effundentes, unus in terram, alius in mare, & tertius in fontes, quartus in ſolem, quintus in ſedem beſtiæ, ſextus in flumen Euphraten, ſeptimus in aerem. Nam terra Iudæos, mare Paganos, fontes Philoſophos, ſol Religioſos, ſedes Hæreticos, flumen tyrannos, aer Eccleſiaſticos ſignificat. Ecce qualiter vulneratus eſt tribulationis anguſtiis populus Chriſtianus! Sed ad Doctores, & operarios, viros pacis in proximo conſurgendos, & mittendos in meſſem populi Chriſtiani ſermo convertitur: ut quantum glorificaverit ſe peccator, & in deliciis fuerit, tantum dari ſibi debeat tormenti dejectionis à gloria, & luctus contritionis à pœna. *Hæc ille*.

Quartò. In convertendo. Hic enim ordo eſt ille primus Angelus, ut dicitur *Apoc. 8. cap.* qui tubâ cecinit, & facta eſt grando Divinæ diſſipationis hominum, & ignis Divinæ inflammationis, mixta ſanguine propter incorporationem dominicæ Paſſionis: quia ad ſonum huius tubæ, & per verba ſua fracti, & diſſipati ſunt errores tanquam per grandinem primitiæ fructuum. Inflammati autem ſunt homines, & accenſi ad charitatem Dei, & per devotam converſionem incorporati ſunt in merito Sanguinis Chriſti. 2. Tim. 4. cap. *Inſta opportunè, importunè; argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina*.

TERTIO. *Vita, & Religio beati Dominici non poteſt abſcondi poſita ſupra montem Patriarcharum*. Vnde *Abbas Ioachim ſuper Iere.* dicit: Ponit Matthæus ab Abraham uſque ad David generationes quatuordecim, totidem ab eo uſque ad tranſmigrationem Babylonis, itemque totidem ab ea uſque ad Chriſtum. Significat enim prima ſtatio eorundem primum ſtatum à generationibus ſeculorum, inchoatum utique ab Abraham in perſona Dei Patris, & ordine laicorum. Secunda ſecundùm ſtatum inceptum à Chriſto in perſona Filii, & ordine clericorum. Tertia tertium ſtatum à diebus noſtris exorſum in perſona Spiritus ſancti, & ordine ſpiritualium contemplantium Dominum, & uſque in finem ſeculi prorogandum. Sed quia ab anno milleſimo ducenteſimo, & ultra mihi ſuſpecta ſunt tempora, & momenta; tales neceſſe eſt contra abundantia vitia prædicare, & plangere, quibus & voluntaria paupertas arrideat, & ſpiritualis doctrinæ, ac vitæ pietas in futuræ tribulationis aculeis non obſiſtat. Verùm in terra Beniamin verba doloris, tantique diſcriminis revelentur in religionem, & vitam extremi Ordinis in proximo revelandi, & naſcendi Racheli, id eſt, Eccleſiæ generali, nulla eſt ambiguitas intellectus. *Hæc ille*.

Sciendum, quòd religio beati Dominici fundata eſt in culmine perfectionis, & virtutis ſanctorum Patriarcharum, ut patet diſcurrenti per ſacram Scripturam.

Primò. In reformatione. Vnde *Abbas Ioachim ubi ſuprà* dicit: Alicubi dictum eſt, quòd in ſeptem temporibus terminandus erat ſecundus ſtatus, ſex ex eis datis ad laborem, ſeptimo ad quietem, ſecundùm quod Angelorum ſeptenarius exigit, & in ſeptem diebus fecit opera ſua Deus, & tertius ſtatus generalem obtineat uſque in finem ſeculi ſabbatiſmum. Vnde, quia vult Deus à laboribus ſeculi Eccleſiam ſuam quieſcere, ne juſti pereant cum fornicatoribus in diluvio gentium futurarum, præmonet patenter Præcones Evangelicos prædicare in toto orbe terrarum, ut ſaltem onera ſua myſtica omnis abjiciat, vel deponat, ut in ſabbato pœnitentiæ requieſcat. Quod quidem futurum eſt, ut quaſi de Babylone ad montana Ieruſalem multi conſcendant de ſervitute ſeculi in ſpiritus libertatem, & de cunctis finibus, & Eccleſiis Chriſtianis in Occidente Aquiloneque diffuſis ad ſpiritualem vitam in Viris Evangelicis reformandam, ferentibus holo-

cauſtum quoad votum, & victimam quoad martyrium, ſacrificium quoad peccati gemitum, thus quoad officii debitum, oblationem quoad compaſſionis affectum. Ecce de aliquorum converſione in proximo facienda. *Hæc ille*.

Secundò. In propitiatione. Vnde *Abbas Ioachim ubi ſuprà*: Neceſſe eſt, ut vivant homines ſecundùm ſpiritum, & detrahatur ad nihilum ſuperbia omnis carnis. Quia verò omnis homo carnaliter vivens corrumpit per malitiam omnem terram, neceſſe eſt, ut ſuperveniat imperii cataclyſmus, ut intelligatur, quod dicitur, quòd ſupra quàm creditur, omnia devaſtabit. Inde: Ego diſperdam eos cum terra. In ſignum autem talis diluvii, ne ſimilis utique tribulatio fiat ulteriùs, & deletio omnis carnis, ponetur arcus in nubibus cæli, qui inter Deum, & hominem ſedeat. Arcus prædicatio danda eſt cæli nubibus, evangelizantibus regnum Dei, in ſpirituali Eccleſia ſuſcitandis, ut ſit propitiatio in ſuadenda pœnitentia univerſis. *Hæc ille*.

Tertiò. In pacificatione. Vnde *Abbas Ioachim ubi ſupra*: Hi ſunt columba, quam ſpiritus Domini, alter Noe (qui requies dicitur) propter tribulationum impetus (quibus mundus fornicatur & abſumitur) emiſit, & emittet ex arca: ut ceſſantibus aquis diluvii gentium futurarum, quæ ad ſublevandam arcam contemplantis Eccleſiæ in ſublime convenient, fornicatores, giganteſque famoſos de terra, facientes irritam fidem ſuam, ſervida ſeveritate ſubvertat, & ramos virentis olivæ, ſcilicet juſtitiæ opera cum doctrinæ foliis laudis, & pacis ſedulò reportet ad arcam. *Hæc ille*.

Quartò. In juſtificatione. Vnde *Abbas Ioachim ubi ſuprà*: Puto ego, quòd, ſicut olim elegit Deus Patres ſeniores, ſecundò Apoſtolos; ita & nunc tertiò pueros eligat ad litteraturam propter eos, quibus vetera viluerunt, ad prædicandum regni Evangelium. Sed & pueri Hebræorum, in hujuſmodi pueris deſignati, veſtes, & ſpolia ſeculi in cultum Divinum abjiciunt, ramos arborum, juſtorum doctrinas, & vites, imo propagines de ſecularibus auferunt, ferentes flores munditiæ, & palmas victoriæ, quâ mundum calcant, diabolum ſuperant, carnem frænant, in juſtitiæ operibus extollendo gratias agunt, & laudes Domino Abrahæ Patri excelſo; qui à filio ſub tegmine uſque ad corrigiam caligæ de his, quæ ad juſtitiam pertinent, veritatem impugnantibus, non dimittunt. Ex horum ſiquidem ore prædicatio laudis perficitur, dum non aliud in ore nũciãt, quàm in converſatione demonſtrant. *Hæc ille*.

Quintò. In diſpenſatione. Vnde *Abbas Ioachim ubi ſuprà*: Verùm quoad hoc Ioſeph primogenitus Rachelis exaltatus eſt in Ægypto, Scripturarum ſomnia differendo; quem puto alium Ordinem ſuſcitandum in mundo, diſpenſatorem utique verbi Dei.)

Sextò. In prædicatione. Vnde *Abbas Ioachim ubi ſuprà*: Tribus Beniamin, qui raptus eſt in mentis exceſſum, Ordinem contemplantium innuit, ut veluti ſpecu latores eximii ceteris fidelibus caveant, ne à ſuperveniente Aquilonari malitia per teporem fidei à charitatis incendio refrigeſcant. Tales confortari debent in medio Eccleſiæ, & creſcere non tam multitudine, quàm virtute: ut ſint reverà filii gemini Beniamitæ, quoad Dei, & proximi charitatem. Ieruſalem Eccleſia eſt, collectio ſcilicet laicorum, quos confortare tenentur, & roborare in fide. Thecua eſt cœtus clericorum ſecularium, inter quos clangendo buccinâ exponunt myſteria Scripturarum. Verriculatorum ordo eſt regularium, ſuper quos vexillum Crucis aſſumptæ debent ad perfectionis ſtudium explicare. Vnde reverà conjicitur, quòd Ordo Evangelicus, ſuſcitandus ex novo, in Beniamin filiis deſignatus, exhortationis habebit officium, quâ & per fidem laicos revocet, & per doctrinam clericos excitet, & per religionem remotos à ſeculo per merita vitæ ſpiritualis informet. *Hæc ille*.

Septimò. In miſeratione. Nam Patriarchæ ſancti floruerunt hoſpitalitate, & miſericordiâ, quam maximè beatus Dominicus obſervavit. Cùm enim quidam propter nimiam egeſtatem Hæreticorum perfidiæ adhæſiſſet, beatus Pater ſeipſum venundare diſpoſuit, ut ex pretio Hæreticis venundatum liberaret. Superna verò clementia eius ſuffragio, & lacrymis aliter providit. O mira pietas, & miſericordia!

QVARTO. *Vita, & Religio beati Dominici non poteſt abſcondi poſita ſupra montem Prophetarum*. Vnde *Abbas Ioachim ſuper Ieremiam* dicit: Licèt enim novus Ordo prædicantium Eccleſiæ oriatur, tamen Ordo ille initiatus eſt in Prophetis, Apoſtolis, & Doctoribus tertii temporis Eccleſiaſtici curſus, & cognitus, & electus, & acceptatus à Deo. In utero ergo Eccleſiæ formatus in fide eſt

Or-

Digitized by Google

Ordo Doctorum (quem prænovit Deus à diebus priſtinis) in ſeculorum finibus revelandus, ſanctificanduſque in vulva ſpiritualis Eccleſiæ, & profectione doctrinæ. Et bene primò formatur, ſecundò ſanctificatur: quia primò in fide inſtruitur, ſecundò in religioſa converſatione dicatur. Tales in proximo pariet Eccleſia generalis jam ſeneſcens. Rectus ergo ordo formationis eorum, ſanctificationis, & emiſſionis ex utero ſcribitur: quia fideles, quia ſpirituales, quia obedientes: fideles in doctrina, ſpirituales in vita, obedientes etiam in preſſura. *Hæc ille.*

Sciendum, quòd ordo Prædicatorum præmonſtratus eſt in Prophetis. 1. In Moyſe. Vnde *Abbas Ioachim ubi ſuprà* dicit: Sicut per Moyſen & Ioſue Chananæos Dominus Iſraelitis ſubjecerat, Chriſtianos per Paulum, & per Ioannẽ Evangeliſtã ſtravit idololatras; ſic & nunc per duos futuros ordines, ſignatos in illis, gentes incredulas ſubjugabit, & convertet. Nam ſi fuerit numerus filiorum Iſrael Iudæorum pariter, & Chriſtianorum Deum videntium, imo ſcientium, reliquiæ in cæcitate relictæ, populi utriuſque, iterum ſalvæ fient, ad Dominum ſcilicet convertendæ. *Hæc ille.*

2. In Ioſue. Vnde *Abbas Ioachim ubi ſuprà*: Ad ruinam Iericho, mundi ſuperbiæ, quæ imperium denotat, deſolandum, Reges multi contra Iſraelitas Chriſtianos convenient, ſed expugnabuntur à Ioſue, qui in ſublimi clypeum elevabit, expectando auxilium non ab homine, ſed à Deo. Viris ergo Evangelicis canentibus ante arcam ſpiritualem vitam, novale novabitur cordium pœnitentium, ut faciem terræ conſcientiæ removeant, & de verbi Dei ſemine ſpinas erroris extirpent. *Hæc ille.*

3. In David. Vnde primo Paralipo. 20. cap. dicitur: *Factum eſt eo tempore, quo ſolent Reges ad bella procedere, congregavit Ioab exercitum, & robur militiæ, & vaſtavit terram filiorum Ammon, perrexitque, & obſedit Rabba. Porro David manebat in Ieruſalem, quando Ioab percuſſit Rabba, & deſtruxit eam. Tulit autem David coronam Melchom de capite eius.* *Gloſſa* dicit ſic: Ioab bellum inchoavit, David perfecit. Chriſtus enim bellum agit, cùm Prædicatorum Ordo contra mundi potentes ſcutum fidei opponit. Sed finis certaminis, & triumphi ad Chriſtum refertur, qui operatur in nobis velle, & perficere. Qui coronam, quam diabolo abſtulit, ſibi aptavit, ſcilicet fideles, qui quaſi corona eum ambiunt. Vnde Pſ. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*, &c. *Hæc ibi.*

4. In Salomone. Vnde 3. Reg. 4. cap. dicitur: *Habebat Salomon duodecim præfectos ſuper omnem Iſrael, qui præbebant annonam Regi, & domui eius: per ſingulos enim menſes in anno, ſinguli neceſſaria miniſtrabant.* *Gloſſa.* Ne quid deſit in domo Regis, Ordo Prædicatorum diſcurrendo, & loquendo laborat, ut menſa Domini abundet, & inde nutriantur fideles. *Hæc ibi.*

5. In Mardochæo. Vnde Eſther 2. cap. dicitur: *Duo eunuchi Regis, qui ianitores erant, & in palatii primo limine reſidebant, voluerunt Regem interficere, quod Mardochæum non latuit.* *Gloſſa.* Duo eunuchi Hæretici, & ſchiſmatici ſunt, qui fraudis & malitiæ venenum geſtantes contra veritatem conſiliant, ut eam credentibus auferant, & Chriſtum, id eſt, fidem Chriſti in ipſis fidelibus interficiãt. Sed eorum iniquitatem Ordo Prædicatorum manifeſtat, ut innocentes ſalventur, & illi juſta unctione puniantur. *Hæc ibi.*

6. In Elia. Vnde *Abbas Ioachim ſuper Ier.* dicit: Potens eſt Deus, qui clauſit cælũ Eccleſiæ, & clauſurus eſt iterũ, tẽporibus Antichriſti aperire corda ſimplicia, & dare prædicationis pluviam ſuper terram; ut ſublatis, & arefactis ſtudiis in ſuperbis, Viris humilibus datâ gratiâ, ceteri velut oves in locis paluſtribus, & paſcuis ubertimis collocentur. *Hæc ille.* 2. Eccli. 48. cap. dicitur: *Surrexit Elias quaſi ignis, & verbum illius quaſi facula ardebat.* Talis fuit beatus Dominicus, in ſe ardens per fervorem ſpiritus; ut alios accenderet, & illuminaret verbo ſacræ doctrinæ. Ideo ei dicitur illud Iſaiæ 42. cap. *Dedi te in lucem gentium.* Vt ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ per ferventem prædicationem in Eccleſiam diffundendam. Vnde *Abbas Ioachim ſuper Ierem.* Multæ viduæ erant in Iſrael, Eccleſiæ paſtorales in populo Chriſtiano, & ad nullas earum miſſus eſt ſpiritualis Elias malitiæ perſcrutator, niſi in futuris Viris Evangelicis zelantibus legem Dei, ad mulierẽ viduam Sarepthanam, Romanam Eccleſiam in Italia conſtitutam, imo ſub toto imperio Latino diffuſam. *Hæc ille.*

7. In Eliſeo. Vnde *Abbas Ioachim ubi ſuprà*: Certè vita cõtemplativa olim in veteri Teſtamento viguit ſub Elia, & Eliſeo, & filiis Prophetarum in filiis Iſrael. Sed quia torrens charitatis deficit in eis, gratia ſpiritua-

tualis propter errores nefariæ Iezabelis, vita ipſa, migravit ad Græcos ſub Paulo primo eremita, Antonio, & aliis eremitis. Inter eos quoque reperti ſunt Hæreſiarchæ, & falſi religioſi utriuſque ſexus; qui quia fornicati ſunt à Deo ſuo, vita ipſa ceſſavit ab eis, & propagata eſt in Benedicto, imo in nutrice, ſeu ſorore potiùs Benedicti, quemadmodum in veteri muliere vidua Sarepthana Romanam Eccleſiam deſignante. Sed quia ibi fractum eſt capiſterium ſuper menſam, & regula monaſtica eſt diviſa; non potuerunt niti jejuniis, ſed deliciis, epuliſque vacare. Vnde & compulſa eſt ſpiritualis religio ipſa ad albos Ciſtercienſes confugere, in quibus ex parte manet intacta, quouſque veniat quod perfectum eſt poſt ſextum tempus Eccleſiæ, in quo velut in ſabbato ceſſet labor, & ſervitus, & detur contemplantibus Dominum ſabbatiſmus. Creabit Dominus novum ſuper terram, ſcilicet Eccleſiam: fœmina circundabit virum, ſpiritualis religio perfectos in novitate ſpiritus ambulantes. Virgo illa Mater Chriſtum peperit contra jura naturæ. Nunc verò Romana Eccleſia novum Ordinem Virorum ſpiritualium complectetur, & pariet in utero fidei in gremio charitatis. *Hæc ille.*

8. In Iſaia. Vnde *Abbas Ioachim ubi ſuprà*: Futurum eſt enim, ut cùm canes muti, clerici, lupis non potuerint latrare veſpertinis, miſſurus eſt Dominus alios præcones, qui & ſcientiam exuberem habeant, & paſtores Babylonicos, in mercenarios lupoſque converſos, valido clamore confundant. Hinc *Iſaias*: Egeni, & pauperes quærunt aquas, & non ſunt: lingua eorum ſiti aruit. Proinde dabo in ſupinis montium flumina, & in medio camporum fontes. Hactenus à pauperibus clericis, & ſimplicibus ſubtracta eſt ſcientia Domini ſecularibus in magiſtris; qui, etſi viſi ſunt ſcire pro tempore aliquid de doctrina Eccleſiæ, tamen totum ad avaritiam protrahebant. Vnde: Tulerunt aurum meum, & fecerunt inde Baal. Aurum eſt Scriptura Divina, quam ex decretorum, & aliorum compoſitionibus auferunt, & in decretales, & avaras ſententias, doctrinaſque transfundunt. Sicque neceſſe eſt, ut lingua ſimplicium ſiti avaritiæ areat, quam libera & profluа doctrina Evangelica non irrigat. Hæc eſt illa ſitis, & ſiccitas, arefacta cupiditas, de qua, etſi Samaritana hydropica biberit, ſupervenientem aliam non extinguit. Ergo non ſolùm ſupinis collibus & declivis in altis arefacta verticibus flumina concedentur, ſed etiam campis in mediis fontes erumpent, de quorum affluentia hortus ſponſæ reddetur irriguus, & abundanter bibet populus univerſus. Montes utique ſunt Prælati, Eccleſiaſticique magiſtri, in ſeculo ſua Gymnaſia erigentes. Supini colles Viri religioſi ſunt, quibus in ſpirituali vita Doctores proflui promittuntur. Sed & campi mundi fideles ſunt, in quorum medio Prædicatores ſuſcitabuntur è proximo, qui ſiccitatem in mundi ſermonibus auferant, & Divinis eloquiis multiplicatis ſtudiis inferant ubertatem; ad quã Iſaias invitat, dicens: Omnes ſitientes venite ad aquas. Et qui non habent argentum, tam ſimplices, quàm edocti, indifferenter confluent ad gratiam ubertatis, videntes terram, Eccleſiam in toto orbe diffuſam, repletam ſcientiâ Domini, tanquam aquâ maris opertam. *Hæc ille.*

9. In Ieremia. Vnde Ierem. 38. cap. dicitur: *Audiit Abdemelech Æthiops vir eunuchus, qui erat in domo Regis, quòd miſiſſent Ieremiam in lacum, & locutus eſt ad Regem, dicens: Domine mi Rex, malè fecerunt viri iſti omnia, quæcunque perpetrarunt contra Ieremiam, mittentes eum in lacum.* *Gloſſa* dicit ſic: Iſte Æthiops eunuchus, qui timore, & amore Dei compunctus, Prophetam eripuit, ſignificat Prædicatores de gentibus, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cælorum: qui veræ charitatis inſtinctu iniquè oppreſſos ſtudent verbo, & exemplo de fovea perditionis eruere. Quod & nomen eius teſtatur: Abdemelech enim ſervus Regis interpretatur: illius ſcilicet, de quo dicitur: Rex magnus ſuper omnes Deos; cui Ordo Prædicatorum ſervit per verbum Evangelii, gentes aſſociando fidei. *Hæc ibi.* Et 18. c. dicitur: *Surge, & deſcende in domũ figuli, & ibi audies verba mea.* Super quo *Abbas Ioachim*: Domus figuli Eccleſia eſt, ad quam futuri Viri Evangelici venire jubentur. Surge, inquit, à quiete ſpiritus, & deſcende ad laborem doctrinæ, verba Domini narraturus. Vel certè tales in Propheta iſto ſurgunt, à ſeculo fugiendo; deſcendunt, peccatoribus compatiendo; in domum figuli, viſitando; ut annuncient verbum Domini, prædicando. *Hæc ille.*

10. In Ezechiele. Vnde Ezech. 2. cap. dicitur: *Et ecce manus miſſa eſt ad me, in qua erat involutus liber, & expandit illum coram me.* Super quo *Gregorius hom. 9. ſuper Ezech.* di-

dicit: Sicut per Prophetam Prædicatorum Ordo, ſic per librum, quem accipit, Scripturæ ſacræ paginæ deſignantur. Liber autem involutus eſt ſactæ Scripturæ eloquium obſcurum, quod profunditate ſententiarum involvitur, ut non facilè ſenſu omnium penetretur. Sed coram Propheta liber expanditur: quia coram Prædicatoribus ſacri elòquii obſcuritas aperitur. *Hæc ille.*

11. In Amos. Vnde Amos 9. cap. dicitur: *Comprehendet arator meſſorem, & calcator uvæ mittentem ſemen. Gloſſa:* Per hos omnes ſignificatur Ordo Prædicatorum.

12. In Zacharia. Vnde Zachariæ 6. cap. dicitur: *In quadriga quarta erant equi, varii, & fortes.* Iſti equi ſunt Prædicatores, Chriſtum per mundum portantes. Et dicuntur varii, non tantùm propter habitum, ſed etiam propter varietatem virtutum. Et dicuntur fortes: quia fortiter ſciunt pugnare, & ſe defendere. Et ſunt in quadriga quarta: quia in prima ſunt equi rufi, id eſt, ordo Martyrum. In ſecunda equi nigri, id eſt, ordo Confeſſorum, qui ſe per macerationem denigraverunt. In tertia equi albi, id eſt, ordo Virginum. In quarta equi varii, id eſt, ordo Doctorum, & Prædicatorum. Vnde *Abbas Ioachim ſuper Iere.* dicit: Ipſi ſunt equi varii, & fortes ad diſcurrendum per terram, deſignati utique in Moyſe, & Elia, quorum unus Pharaonem, & eius exercitum dejecit in mari rubro, alter domum Achab cum Iezabele, & Sacerdotibus Baal zelo Divino peremit. *Hæc ille.*

13. In Simone Sacerdote magno. Vnde Eccli. 50. cap. dicitur; *In accipiendo ipſum ſtolam gloriæ, & veſtiri eum in conſummatione virtutis. Gloſſa.* Ordo Prædicatorum accipiendo ſtolam gloriæ, & veſtiendo ſe conſummatione virtutum, indicium dignitatis ſuæ, & ornatum fidei, & veſtimentum bonæ operationis demonſtrat.

14. In Nehemia, qui, ut dicitur Eccli. 49. cap. *Erexit muros everſos.* Sic beatus Dominicus erexit Eccleſiam Dei penè collapſam, & ab Hæreticis diſſipatam.

15. In Ioanne Baptiſta, qui fuit Præco primi Adventus Chriſti. Et beatus Dominicus fuit Præco ſecundi adventus eius, ſcilicet ad judicium. Vnde *Abbas Ioachim ſuper Ieremiam* dicit: Quòd dicitur curſor levis, explicans vias ſuas, poteſt hoc referri ad duos illos Prophetas futuros in mundum, qui diſcurſu ſolicitudinis vias ſeculi evangelizando verbum Domini ſine ſarcina temporalium explicabunt. *Hæc ille.*

Beatus Dominicus rectè fuit Propheta, tanquam futurorum præſcius. Nam, cùm in partibus Toloſanis quoſdam Hæreticos convicciſſet, & illi eſſent incendio adjudicati, ſpiritu prophetico prævidit unum illorum, Raymundum nomine, futurum ſervum Chriſti, unde prohibuit eum cremari, dicens: Adhuc iſte magnus erit ſervus Chriſti, & frater Prædicator. Mira res! Poſt viginti annos detentus hæreſi, Deo inſpirante converſus eſt, & factus frater Prædicator optimo fine quievit.

Similiter dum eſſet in civitate Segovia, & vellet proponere verbum Dei, nobiles diu occupati circa litteras regales, quas tunc acceperant, quaſi tædio affecti nolebant intereſſe prædicationi; quibus beatus Dominicus ait: Nunc uſque, fratres mei, terreni, & mortalis Regis edicta, jam ergo cæleſtis, & immortalis audite mandata. Indignatus autem nobilis quidam, ait: Nunquid verboſus iſte detinebit nos tota die? Et abiens domum, murmurando aſcendit equum; cui beatus Dominicus ait: Ecce nunc, Domine, receditis, ſed ante finem anni equus veſter proprio carebit ſeſſore, & ad turris veſtræ elaboratum præſidium præoccupante interfectore non poteritis pervenire. Nondum anno peracto idem nobilis cum proprio ſuo filio, ac conſobrino fuit à ſuis æmulis atrociter peremptus, dum ad turrim, quam ſibi ædificaverat, ut poſſet evadere, feſtinaret.

QVINTO. *Vita, & Religio beati Dominici non poteſt abſcondi poſita ſupra montem Apoſtolorum.* Vnde *Abbas Ioachim ſuper Ierem.* dicit: Nunc quoque tertio loco ſuſcitandi ſunt Viri alii Evangelici, Apoſtolorum officium imitantes, qui abeant prædicando, fodiant conſcientias diſcutiendo, tollant lumbare de ſecularibus & carnalibus actibus Chriſtianos quoslibet revocando.)

Sciendum, quòd Apoſtoli habuerunt quatuor prærogativas, quibus fuit dotatus beatus Dominicus. Prima fuit electionis. Ioann. 15. cap. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Sic beatus Dominicus à Chriſto electus eſt. Vnde *Abbas Ioachim ſuper Ierem.* Primo tempore ſemen Abrahæ electum eſt ex omnibus Gentibus. Secundo. Semen Chriſti, id eſt, Apoſtoli ex Iudæis. Tertio. Eligendi ſunt alii ex omni Iudæa, & Gente, id eſt, in omni Eccleſia de Gentibus congregata. Sicut enim illi fuerunt primitiæ Iſraelitarum in primo ſta-

ſtatu, Apoſtoli in ſecundo credentium; ita tunc in exordio tertii ſtatus nonnullæ primitiæ Chriſtianorum ſanctificandæ ſunt Domino, & ſpargendæ in mundo. Si enim ad initia tertii oculos vertimus, profectò multi ſurgent Evangelii æmulatores, qui & honeſtè vivent, & audacter vitioſa corda corripient. Ipſi dabuntur in civitatem quoad religionis unitatem, munitam Apoſtolicis viribus; in columnam rectæ vitæ, & ſanæ doctrinæ, ferream quoad rigorem; & in murum quoad pœnitentiam, æreum quoad Prædicationis officium ſuper omnem terram populi Chriſtiani. *Hæc ille*.

Secunda fuit confirmationis. Pſalm. *Ego confirmavi columnas eius*. Et Luc. 24. cap. *Ego mitto promiſſum Patris mei in vos. Vos autem ſedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto*. Sic beatus Dominicus fuit confirmatus. Vnde *Abbas Ioachim ſuper Iere.* Dudum ſub quarti apertione ſignaculi multa fuit lætitia Rectoribus eremitarum, & virginum, dum de mundanis gaudiis, tanquam tranſitoriis, in monachorum collegiis nullam conſolationem admitterent. Sed in Scripturarum paſcuis oblectamine carebant, donec Spiritus ex alto veniens corda ſimplicia ſanctaque inſtrueret, & uſque ad interiora eremi velaminiſque minaret. Quod ſub ſeptimi apertione ſignaculi, & die ſeptimo, quo Moyſes educitur de medio nebulæ, quæ montem texerat ſex diebus, complendum non ambigo. Quia neceſſe eſt, ut quod linguis igneis Apoſtolis eſt oſtenſũ, pleniore myſterio in futuris Viris Evangelicis, revelandis in mundo tempore iſto ſexto, comple-a tur. *Hæc ille*.

Semel oranti beato Dominico Romæ in Eccleſia ſancti Petri apparuerunt beati Apoſtoli Petrus, & Paulus; Petrus dans ei baculum, & Paulus librum, dicentes: Vade, & prædica verbum Dei: quia ad hoc miniſterium à Deo miſſus es. Et ſtatim Spiritus ſanctus in ſimilitudinem linguæ ignitæ apparuit ſuper caput beati Dominici; unde in gratia, & ſapientia confirmatus eſt.

Tertia fuit prædicationis. Marc. 16. cap. *Prædicate Evangelium omni creaturæ*. Ad hoc autem officium inſtitutus eſt Ordo fratrum Prædicatorum. Vnde *Abbas Ioachim ſuper Ieremiam* dicit: Gens conſurgens de finibus terræ, ſagittam & arcum arripiens, ſpiritualiter ſignificat Viros Evangelicos de mundo ſurgendos, & de cunctis Eccleſiæ finibus congregandos contra filios ſeculares, qui arrepto ſcuto fidei ſagittam Verbi Domini in hoſtes Crucis impellant, rigorem pœnitentiæ non ſervantes. Sed quia vox prædicationis eorum audienda eſt undequaque; meritò quaſi mare ſonabit, non tam ad plenitudinem ſcientiæ, quàm ad amaritudinem vitæ. Vnde dicitur: Magna eſt, velut mare, contritio tua. Verùm nomine maris doctrina Evangelica denotatur, ſicut Scriptura veteris Teſtamenti in terra: quia etſi eos oportebit veteris habere ſcientiam, non tamen vitam veterem prædicabunt, ut homines peccatores non vivant amodò ſecundùm carnem, ſed ſecundùm ſpiritum. *Hæc ille*.

Beatus Dominicus apparuit in viſione Papæ Innocentio, tanquam ſuſtentator Eccleſiæ Romanæ, dum inſtaret pro confirmatione Ordinis ſui, qui diceretur Ordo fratrum Prædicatorum. Nam dictus Papa vidit in ſomnis, quòd Eccleſia Lateranenſis gravem minabatur ruinam; & tremens vidit ex adverſo, quòd beatus Dominicus, ne ipſa caderet, humeris ſuppoſitis ſuſtentabat. Evigilans autem intellexit, quòd beatus Dominicus tanquam unus Apoſtolorum Eccleſiam Dei ſuſtentaret.

Quarta fuit loquutionis. Act. 2. cap. *Loquebantur variis linguis Apoſtoli magnalia Dei*. Et beatus Dominicus donum linguarum accepit à Spiritu ſancto. Nam de Toloſa vadens Pariſium, quoſdam peregrinos obvios habuit in via diverſorum idiomatum, quibus evangelizavit Ieſum ſecundùm eorum idiomata, loquens eis, & intelligens eos.

SEXTO. *Vita, & Religio beati Dominici non poteſt aſcendi poſita ſupra montem Martyram*. Vnde *Abbas Ioachim ſuper Ierem.* dicit: Futurum eſt, ut quemadmodum Iudæi contra Chriſtum & Diſcipulos fremuerunt; ita & nunc in ſpiritum Domini, & in eius alumnos ſæviant falſi Chriſtiani, tam laici, quàm clerici, eorumque ſalutis ſermonibus non intendant.

Sciendum, quòd beatus Dominicus quatuor modis paſſus eſt martyrium. Primò. Ex voto. Nam aſſiduè Deum orabat, ut ſibi hanc gratiam infundere dignaretur, quòd ſe totum aliquando ſaluti poſſet impendere proximorum.

Secundò. Ex itinere. Nam cùm ſemel indicta eſſet generalis diſputatio contra Hæreticos, & Epiſcopus civitatis vellet cum põpoſa ſocietate procedere, beatus Dominicus

ait:

Digitized by Google

ait : Non in confidentia hominum, ſed in auxilio Dei congrediendum eſt. Armemus nos devotis orationibus, humilitatis exemplis, & excalceatis pedibus contra Goliath procedamus. Annuentes itaque viro Dei, dum Divinâ providentiâ per quoddã nemus ducerentur à quodam Hæretico per ſpinas & vepres diu ambulando, ſanguine cruentabantur pedes eorum. Itaque vir Dei patientiſſimè ferens, & in laudes prorumpens, hortabatur omnes ad patientiam, promittens, quòd victoriam reportarent ex hoſtibus. Mirum prodigium. Hæreticus iſte ad fidem Chriſti veram convertitur, & ceteri abjurata hæreſi ad gremium Eccleſiæ fideles redeunt. Vnde *Abbas Ioachim ſuper Ieremiam* dicit : Cùm enim Eccleſia generalis deficiet quoad laborem, & mundi ſuperbia corruet quoad errorem (quia finis univerſæ carnis jam venit) ad Dominum Viri Evangelici populum exhortaturi diſcurrent. Nam rivi erunt quoad ſcientiam, currentium quoad obedientiam, aquarum quoad abundantiam. Tales aquæ evelli nequeunt per alicuius malitiam. *Hæc ille*.

Tertiò. Ex congreſſu. Cùm enim in prædicatione multa contra Hæreticos adduxiſſet, & in libellum quendam redegiſſet, uni Hæreſiarchæ libellum obtulit, ut ad rationes fidei reſponderet. Qui libellum oblatum in ignem projiciens tertiò exilientem ab igne illæſum coram aliis Hæreticis evidenter cognovit. Statuta die beatus Dominicus in ignem cum libello ingrediens illis videntibus inuſtus exivit. Vnde *Abbas Ioachim ſuper Ieremiam*. Exibunt de ſeptimo Angelo tubâ canente Prædicatores eximii, quorum pars ſub ſexto comprimetur à beſtia infideli, ut repleatur terra ſcientiâ Domini ad Deum cognoſcendum.

Quartò. Ex aggreſſu. Tranſiens enim aliquando per locum, ubi paratæ ſibi erant inſidiæ gaudenter laudans Deum, comprehenſus eſt ab Hæreticis, qui dixerunt ei: Nunquid tu mortis horrore concuteris ? Quid acturus eras, ſi comprehendiſſemus te ? At ille : Rogaſſem vos, ne repentinis me ſubitò perimeretis vulneribus, ſed paulatim, & ſucceſſivè membra ſingula mutilaretis; deinde oſtenſis coram meis oculis detruncatis membrorum particulis, ipſos oculos eruentes, ad ultimum ſemivivum laceratumque corpus ſic permitteretis in ſuo ſanguine volutari, ac deinceps ad libitum necaretis. Vnde *Abbas Ioachim ſuper Ieremiam* dicit : Moab, & Ammon duo filii Lot, qui nati ſunt de inceſtu, duos Ordines extremos in proximo revelandos inſinuant; quos tantò duriùs afflictio ſeculi deprimet, quantò inſtantiùs contra ipſum eorũ vexatio ſub Eccleſiæ fluctuatione conſurget.) Sicut enim Abraham liberatus eſt de Vr Chaldæorum prædicans unum Deum contra eos; ſic beatus Dominicus evaſit illæſus ab incendio Hæreticorum, conſcribens veritatem fidei adversùs eos. Et ſicut Iſaac portabat ligna ſuæ immolationis; ſic beatus Dominicus offerebat votum ſuæ interitionis. Et ſicut Iacob ſenſit moleſtias Eſau in ſua perſecutione; ſic beatus Dominicus ſenſit inſidias Hæreticorum in fidei defenſione. Et ſicut Ioſeph erat in agro, ut fratres ſuos inveniret; ſic beatus Dominicus inter vepres & ſpinas pedes fauciabat, ut Hæreticos ad fidem converteret. Et ſicut Moyſes ab exploratoribus calumniam patiebatur; ſic beatus Dominicus ab Eccleſiæ Paſtoribus repulsâ datâ affligebatur. Vnde *Abbas Ioachim ſuper Ieremiam* dicit : Poteſt fieri, ut per Liguriam prædicatione diffuſa Viri Evangelici conſequenter revertantur in Galliam, vel certè ad omnes indifferenter tam clericos, quam laicos convertendos : ſed Paſtores Eccleſiæ futuros Viros affligent, ne prædicare audeant verbum Dei.) De beato autem Dominico cantat Eccleſia : *Sitiebat ſervus Chriſti martyrium, ſicut ſitit cervus ad aquæ fluviam*.

SEPTIMO. *Vita, & Religio beati Dominici non poteſt abſcondi poſita ſupra montem Confeſſorum.* Nam hi intellectum ſuũ Divinæ ſapientiæ dedicaverunt, ut eam ad ſalutem animarum effunderent. Vnde *Abbas Ioachim ſuper Ieremiam* : Viri illi Evangelici circuibunt prædicando, & conſiderando opera ſingulorum, ſcrutantes in lucernis verbi & operis Ieruſalem, Eccleſiam univerſam : ipſi exploratores Iericho, Eccleſiæ clericorum, & ſubjectorum eorum. Et quia aliud probant eos facere quàm docere, muros, eorum Rectores, in tuba exhortationis evertent, & carnalia eorum ſtudia, & corrupta, amara, & languida ex verbo Crucis Evangelicæ ſana reddent. *Hæc ille*.

Sciendum, quòd Confeſſores habuerũt quatuor prærogativas, quibus fuit dotatus beatus Dominicus. Prima eſt abſtinentiæ. Eccleſiaſtes 2. cap. *Cogitavi à vino abſtrahere carnem meam, ut animum meum transferrem*

ad sapientiam. Beatus autem Dominicus, ut sapientiam addisceret, vinum per decennium non bibit.

Secunda est lacrymarum. Psalm. *Fuerunt mihi lacryma mea panes die, ac nocte*. Præcipuum autem studium beati Dominici fuit ubique, & omnibus horis lacrymas fundere pro peccatoribus pro conservatione vineæ, quam nuper ipse plantaverat. Vnde dicitur de eo, quòd claustrum, & altaria lacrymis consecrabat. Et iterum. *Pernox cum Christo proprium non possidebat lectulum, post lacrymarum fluvium vix humi dans corpusculum*.

Tertia est orationis. *Glossa super Tob.* 3. *cap.* dicit: Oratio lenit Deum, lacryma cogit: hæc mitigat, illa pungit. Cùm quidam frater discretus, & devotus septem noctibus vigilasset, ut videret, qualiter beatus Dominicus oraret, asseruit, quòd in oratione modò stans, modò ingeniculans, modò prostratus in terram, modò elevatis manibus in cælum, modò extensis in similitudinem Crucis, modò cancellatis & junctis manibus, modò inclinans profundè Deum orabat, propter quod merito suæ orationis multa miracula fecit in vita.

De Moyse legitur *in Canone dist. 36. cap. Si quis*: Est aliud opus, quod facit Moyses. Ad bella non vadit, non pugnat contra inimicos. Sed quid facit? Orat: & donec ille orat, vincit populus eius. Si relaxaverit & dimiserit manus, populus ejus vincitur, & fugatur. Oret ergo & Sacerdos Ecclesiæ indesinenter, ut vincat populus, qui sub eo est, hostes invisibiles Amalecitas, qui sunt dæmones impugnantes eos, qui piè volunt vivere in Christo.)

Hoc advertens beatus Dominicus, cùm quidam frater Thomas Apulus seduceretur à quibusdam satellitibus diaboli, & cogeretur exire Ordinem, indutus vestibus secularibus cum eis ibat. Quo cognito beatus Pater Ecclesiam intravit, ibique diutiùs orans fratrem illum ad Ordinem revocavit. Et sicut Moyses sua oratione aquas Mara in dulcedinem convertit; sic beatus Dominicus Cremonæ coram beato Francisco in conventu Minorũ aquam putei salsam, & turbidam in dulcem, & clarissimam permutavit. Et sicut Moyses quendam Deum blasphemantem lapidari fecit, *Levit.* 24. *cap.* sic beatus Dominicus quandam mulierem blasphemãtem quinque mensibus loquelâ privavit. Et sicut Elias oravit, & cælum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum; sic beatus Dominicus apud Segoviam civitatem extra muros prædicans in festo Nativitatis Domini, cùm nondum esset seminatum propter sterilitatem terræ (quia per annum, & ultra non pluerat) oravit Dominum pro fertilitate terræ, & subitò pluvia magna irrigavit terram, & ex tunc seminaverunt, & messem uberem sequẽti anno habuerunt. Et sicut Elias in itinere fatigatus suâ oratione panem à Deo promeruit, 3. *Reg.* 19. *cap.* sic beatus Dominicus rediens in Italiam cum fratre Ioanne cõverso inter alpes Longobardiæ valde fatigato oravit ad Dominum, & impetravit panem suavissimum miri candoris ad refectionem prædicti converſi. Et sicut Elisæus suscitavit puerum Sunamitidis; sic beatus Dominicus per Franciam vadens, cùm perveniſſet ad castrũ Castellionis, filium ſororis Capellani, qui eum hospitio receperat, à mortuis suscitavit oratione fusa ad Dominum.

Quarta est doctrinæ, & veritatis. Ecc li. 15. cap. *In medio Ecclesiæ aperuit os eius, & implevit eum Dominus spiritu sapientiæ, & intellectus*. Et de beato Dominico dicitur: *O lumen Ecclesiæ, Doctor veritatis, Rosa patientiæ, Ebur castitatis: aquam sapientiæ propinasti gratis: Prædicator gratiæ nos iunge Beatis*. Vnde Romanus Pontifex ipsum, & successores eius instituit Magistros sacri Palatii, & Inquisitores hæreticæ pravitatis post sedem Apostolicam.

OCTAVO. *Vita, & Religio beati Dominici non potest abscondi posita supra montem Virginum*. Vnde eius virginitas assimilatur lilio. Psal. *Iustus germinabit sicut lilium: & florebit in æternum ante Dominum*. Inter omnes autem justos, qui tunc temporis erant, beatus Dominicus fuit sublimior, de quo dicitur 4. Esdræ 5. cap. *Ex omnibus floribus orbis elegisti tibi lilium unum*. Id est, beatum Dominicũ. In cuius signum, cùm quilibet Sãctus deferat spirituale signum, quo dignitas eius designatur: ut beatus Petrus claves, Paulus ensem, scilicet Divini verbi (juxta illud: *Assumite gladium spiritus, quod est verbum Dei*) Andreas Crucem, Petrus Martyr palmam, Thomas de Aquino librum apertum cum radiis solis circunquaque, Franciscus stigmata, & ita de aliis; sic beatus Dominicus defert lilium in viridario sanctæ Matris Ecclesiæ, quam alii Sancti admirantes interrogant, dicentes illud Cant. 5. & 6. cap. *Quo abiit dilectus tuus*, scilicet Christus, *ô pulcherrima*

mu-

mulierum? Quò declinavit dilectus tuus? & quaremus eum tecum. Et ipſa reſpondet, dicens: *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum*, id eſt, ad Religionem fratrum Prædicatorum; *ut paſcatur in hortis* ſacræ doctrinæ, & regularis vitæ; *& lilia*, id eſt, virtutes beati Dominici *colligat*. Qui rectè defert lilium propter quatuor.

Primò. Ratione coloris. In eius enim ſtipite eſt viriditas, per quam fides deſignatur. Ierem. 17. cap. *Benedictus vir, qui confidit in Domino: & erit folium eius viride.* Viriditas quidem in folio eſt ſignum vitæ; & fidei confeſſio ſignum eſt ſpiritualis vitæ. In foliis lilii eſt candor, per quem carnis virginitas deſignatur. In granis interioribus eſt quaſi auri ſplendor, per quem charitas Chriſti demonſtratur. Cantic. 5. cap. *Dilectus meus*: ſcilicet beatus Dominicus, *candidus* per virginitatem: *rubicundus* per charitatem: *electus ex millibus*, id eſt, præ aliis Sanctis.

Secundò. Ratione odoris quoad vitam odoriferam. 2. Corint. 2. cap. *Chriſti bonus odor ſumus.* Et ſicut in lilio ſunt ſex folia; ſic beatus Dominicus ſex odores emiſit. Primus eſt odor conſtantiæ, ut à ſancto propoſito non poſſet moveri quocunque modo. Alter eſt patientiæ, ut in adverſis non conturbaretur. Pſal. *Proba me Domine, & tenta me.* Tertius eſt in gratiarum actione. Iſaiæ 35. c. *Lætabitur deſerta, & invia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium.* Quartus eſt devotæ orationis. Pſal. *Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum, in conſpectu tuo.* Quintus eſt pietatis, ut inimicos inſtrueret, & pro ipſis intercederet. Cant. 2. cap. *Ego flos campi, & lilium convallium.* Sextus eſt perſeverantiæ. Eccli. 50. cap. *Quaſi lilia, quæ ſunt in tranſitu aquæ.* Id eſt, perſeverans in mundo labenti.

Tertiò. Ratione vigoris. Nam radix lilii eſt magni vigoris: quia valet contra tumorem ſplenis, & ſignificat humilitatem beati Dominici contra ſuperbiam ſeculi; qui, cùm eſſet Generalis Magiſter Ordinis Prædicatorum, voluit tamen cedere Magiſterio, ne tale officium cuiquam ſucceſſorum eius fieret perpetuum. Pſalm. *Humiliata eſt in pulvere anima noſtra.*

Quartò. Ratione ſaporis. Nam ſuccus lilii valet contra morſum ſerpentis; ſic ſuccus beati Dominici valuit contra tentationem diaboli, apparentis in forma draconis, qui nitebatur abſorbere fratres, qui erant in ſocietate eius, ut ab eo diſcederent, quos tamen ad Ordinem convertit.

Similiter beatus Dominicus, tanquam lilium, valuit ad clarificandum viſum, quoad cæcos, quos illuminavit. Valuit ad faciem colorandam, quoad leproſos, quos ſanavit. Valuit ad maturanda apoſtemata quoad infirmitates, febres, hydropiſim, & reliquas corporis paſſiones, quas curavit, ut ſibi dicatur illud Iudith 13. cap. *Subveniſti ruinæ ante conſpectum Dei noſtri.*

NONO. *Vita, & Religio beati Dominici non poteſt abſcondi poſita ſupra montem creaturarum.* Aſſimilatur enim beatus Dominicus quatuor generibus creaturarum. Primò, Cæleſtibus, ſcilicet ſoli, lunæ, & ſtellæ. Fuit enim beatus Dominicus tanquam ſol ratione illuminationis. Eccli. 50. cap. *Quaſi ſol refulgens, ſic iſte effulſit in templo Dei.* Nam duodecim radios maximos emiſit, qui ſunt duodecim genera Fratrum Ordinis ſui, ſcilicet Martyrum, quorum primicerius fuit beatus Petrus Martyr, quem ſecuti ſunt frater Dominicus ſocius ejus, frater Conradus Teutonicus, frater Guilielmus, frater Bernardus de Rupe forti, frater Stephanus de Narbona, frater Raymundus Carboni, qui in caſtro Avinionenſi diœceſis Toloſanæ ab Hæreticis pro fide Chriſti, & obedientia ſanctæ Romanæ Eccleſiæ occiſi fuerunt cantando *Te Deum laudamus*. Etiam alii multi.

Secundum eſt Doctorum, quorum primicerius fuit beatus Thomas de Aquino, quem ſequuti ſunt frater Ioannes Pariſienſis, frater Nerveus Natalis, frater Durandus de ſancto Portiano, frater Durandellus, & alii plures.

Tertium eſt Prælatorum, quorum primicerius fuit beatus Petrus de Tarantaſia, dictus Papa Innocentius Quintus, quem ſecutus eſt beatus Nicolaus de Tarviſio, dictus Papa Benedictus Vndecimus, & beatus Michael Ghislerius, dictus Papa Pius Quintus.

Quartum eſt Cardinalium, quorum primicerius fuit beatus Hugo poſtillator totius ſacræ Script. quem ſecuti ſunt dominus Robertus Anglicus, dominus Nicolaus de Prato, & alii multi.

Quintum eſt Epiſcoporum, quorum primicerius fuit beatus Auguſtinus de Vngaria, quem ſecutus eſt frater Ioannes de Saxonia, frater Ioannes de Vincentia, & alii multi.

Sextum eſt fratrum devotorum, quorum primicerius fuit Fr. Reginaldus de ſancto Æ-

gidio, quem secuti sunt frater Henricus Antisiodorensis, frater Iordanus, frater Pelagius Hispanus, frater Petrus Consalvus Hispanus, frater Mauritius Toletanus, frater Dominicus de Valerica, frater Bernardus de Cantio, frater Gualterus Germanus, frater Bernardus de Vasconia, frater Ioannes de Valentia, frater Calbertus Lugdunensis, frater Dominicus Segovienſis, frater Isnardus Papiensis, frater Ambrosius Senensis, frater Iacobus de Mevania, frater Iacobus de Venetiis, frater Marcolinus Forlivienſis, frater Simon Ariminensis. Hi omnes sunt beati, & maximis clarent miraculis, & alii plures.

Septimum est Prædicatorum, quorum primicerius fuit frater Guilielmus Peraldus, quem secuti sunt frater Rao Romanus, frater Nicolaus Goranus, frater Iacobus de Voragine, & alii multi.

Octavum est Iurisc̄osultorū, quorū primicerius fuit S. Raymundus de Pēnaforte compilator decretalium, quem secuti sunt frater Ioānes Colonienſis compilator summæ Confessorum, frater Brocardus Teutonicus, frater Rogerius Brixienſis, frater Bartholomæus Pisanus, frater Vlricus Argentinensis, & alii plurimi.

Nonum est Historiographorum, quorum primicerius fuit frater Vincentius Belvacensis compilator speculorum historialis, naturalis, moralis, & doctrinalis; quem secuti sunt frater Martinus Hispanus cum chronicis suis, frater Petrus de Francia cum catalogo summorum Pontificum, frater Bartholomæus Tridentinus cum legendis Sanctorum, frater Petrus Kallo, frater Philippus Ferrarienſis cum suo mensali, & alii plures.

Decimum est Philosophorū, & Logicorū, quorum primicerius fuit beatus Albertus Magnus, quem secuti sunt frater Gratiadeus Asculanus, frater Franciscus de Prato, frater Stephanus de Reate, frater Nicolaus de Roma, & frater Thomas de Anglia, & alii multi.

Vndecimum est moralium peritorum, quorum primicerius fuit frater Guido Ariminēsis, quem secuti sunt frater Conradus Asculanus, frater Henricus Ariminensis, Magister Guido de Guetiis Bononienſis, & alii plures.

Duodecimum est Grammaticorum, quorum primicerius fuit frater Nicolaus Trivech, quem secuti sunt frater Ioannes Ianuensis cū suo Catholicon, & frater Martinus de Dacia cum suo libro modorum signandi, & frater Dominicus Hispanus cum suo correctorio mense, & alii multi. Ecce quomodo beatus Dominicus tanquam sol emisit duodecim radios illuminationis totius mundi. Eccli. 42. cap. *Sol illuminans per omnia respexit*. Et *Abbas Ioachim super Ierem.* dicit: Sicut deficientibus patribus in deserto sub Iosue, & Caleb terram sunt filii Israel promissionis ingressi; ita nunc sub Evangelizātibus testibus secuturis spiritualium intelligentiam assequentur. Vita enim illorum propter utriusque scientiam Testamenti in melle simul, & lacte versabitur, ut de verbis simplicibus proficiat justus, & de eloquiis mysticis stupeat eruditus. *Hac ille*.

Item beatus Dominicus assimilatur lunæ. Eccli. 50. cap. *Quasi luna plena in diebus suis lucet*. Et hoc ratione perfectionis. Vnde *Abbas Ioachim super Ierem.* dicit: Ecce dolorem pœnitentiæ necesse est innovari ubique ad vocem filii, & Ordinis orituri, ut non excusetur mundus de gratia, sed potiùs timeat de ruina. Prævalentibus malis in Ecclesia quasi de Iudæa ipsius prædicatio transibit ad gentes erroribus involutas, ut ibi granum frumenti Christi Evangelium & mortificetur, & corruat, ut plurimum fructum ferat. *Hac ille*.

Ab ista luna processerunt tres radii, id est, tres Ordines religiosi.

Primus fuit fororum inclusarum, quarum caput fuit monasterium sororum de Pruliano, deinde secutum est monasterium sororum de Montargis, cui præfuit beata Amicitia de Iviniato; & monasterium sanctæ Agnetis de Bononia, cui præfuit beata Cecilia, & multa alia monasteria clausa, in quibus floruerunt sanctissimæ dominæ.

Secundus fuit fratrum de militia coadjutorum sancti Dominici, quorum habitum, & Religionem approbavit Sedes Apostolica, in qua floruerunt plures sancti viri.

Tertius fuit fororum de pœnitentia beati Dominici, quarum Religionem confirmavit Ecclesia Romana, & multis privilegiis dotavit; in qua floruerunt beata Margarita de Castello, beata Catharina de Senis, beata Ioanna de Oropito, beata Benvenuta de Austria, & multæ aliæ. Eccli. 43. *Vas castrorum in excelsis, in firmamento cæli resplendens gloriosè*. Luna autem dicitur vas castrorum, juxta illud Virgilii: *Castra fave Lucina tuis*.

Rursus beatus Dominicus assimilatur stellæ ratione dilectionis. Eccli. 50. cap. *Quasi stella matutina in medio nebulæ*. Et vocatur

ista

iſta ſtella Lucifer : quia præcedit ſolem in ortu ſuo . Vnde *Abbas Ioachim ſuper Ieremiam* dicit : Sicut turbati ſunt Ægyptii in fluctibus rubri maris , vel Iudæi in Principibus Romani imperii ; ſic & nunc turbato populo Chriſtiano ſub Alemanorum Principibus conſtituto , ſonent neceſſariò elationes perſecutionum , aſcendentium undique , & irruentium in Eccleſiam generalem, datis aliis ad reſpirationem fidelium,& conſolationem, quaſi ſole contemplantibus veritatem ; aliis quaſi lunâ in communi vita degentibus ; aliis quaſi ſtellis prædicantibus verbum Dei , deſignatis in Moyſe & Elia , & duobus in monte Eccleſiæ teſtibus , & ordinibus affuturis, ad quorum prædicationem ædificabitur Eccleſia in ſpiritu , ſed in carnaliter viventibus attenuata manebit . *Hæc ille* .

Religio enim beati Dominici eſt ſtella ſalvationis , ſicut ſtella maris . Nam ſoror ſancti Thomæ defuncta apparuit ei in ſomnis dicens , ſe in purgatorio eſſe , ſed poſt quindenam ab inde liberari , & evadere . Cumque ab ea quæreret de fratre ſuo , reſpondit , quòd jam in paradiſo erat . Interroganti autem an ipſe in brevi migraret , vel ſalvaretur , reſpondit : Tu quidem , ſi perſeveraveris , ſalvus eris , ſed alio modo venies, quàm nos . Poſt quindenam verò apparuit ei frater ſuus nuncians ei ſalutem ſororis ſuæ , à quo cùm quæreret , an ipſe ſalvaretur , reſpondit : Non oportet te quærere , frater , de hac re : tu enim in bono ſtatu es ; ſed tene quod habes , & perſevera , ſicut cœpiſti, & ſcias pro certo , quòd nulli , aut pauci de Ordine tuo damnantur .

Præterea vita , & Religio beati Dominici aſſimilatur terreſtribus , ſcilicet paradiſo , arbori , & currui .

Primò . Aſſimilatur paradiſo terreſtri , de quo dicitur Gen. 2. cap. *Plantaverat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis à principio , in quo poſuit hominem, quem formaverat* . Quia Religionem beati Dominici ab æterno prævidit in Eccleſia plantandam , in qua beatus Dominicus formatus à Deo , id eſt in utero ſanctificatus , & à Spiritu ſancto in gratia confirmatus (quod patet : quia in infantia deprehenſus eſt ſæpe relicto lecto , ſuper nudam humum accumbere) in ea Religione primus poſitus eſt .

Porrò fons egrediebatur à loco voluptatis, qui diviſus eſt in quatuor capita . Iſte fons eſt doctrina veræ fidei , quæ egreditur ab hac Religione . Vnde *Abbas Ioachim ſuper Ieremiam* dicit: Oportebit Ieſum tranſire per mediam Samariam ad ſuadendam fidem Latinæ Eccleſiæ illibatam in filiis obedientibus , & diſſeminantibus verbum Dei . Hinc mulier Samaritana loquitur cum Ieſu , dum Conſtantinopolitana ſedes redit ad Eccleſiæ unitatem , de qua neceſſe eſt , ut hauriat aquas, in vitam ſalientes perpetuam , non ſitim litteralis ſcientiæ inferentes; ut Eccleſia eorum, quæ virum uſurpaverat alienum , carnalem litteræ intellectum , redarguatur per Virum Evangelicum , & fidelem , & convertatur in lumine Romanæ Eccleſiæ profectura . *Hæc ille* . Quatuor flumina ſunt quatuor intellectus ſacræ Scripturæ , quibus irrigatur tota Eccleſia .

Secundò . Aſſimilatur arbori , id eſt, Cruci . Nam beatus Dominicus defert Crucem cum Crucifixo in manu ſiniſtra , juxta illud 1. Corint. 1. cap. *Nos prædicamus Chriſtum crucifixum : Iudæis quidem ſcandalum,Gentibus autem ſtultitiam.* Tanto enim fervore prędicabat Crucem Chriſti, ut abſorptus charitate , trãsformaretur facie.Et ſicut Chriſtus ſæpiùs fuit diſciplinatus propter peccatores (Iſa. 53. cap. *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum.*) ſic beatus Dominicus omni die tres diſciplinas cum catena ferrea ſibi dabat uſque ad ſanguinis effuſionem , in memoriam Paſſionis Chriſti , qui ter diſciplinatus fuit , ſcilicet in templo, in atrio prætorii , in platea . Et ſicut Chriſtus bajulabat Crucem ſuam , ut ſanctificaret per ſuum Sanguinem populum, *Hebr.* 13. *cap.* ſic beatus Dominicus bajulavit Crucem Chriſti per arduam pœnitentiam, quâ ſe plurimum macerabat , ut Hæreticos , & infideles Deo conſecraret , juxta illud : *Exeamus ad eum extra caſtra , improperium eius portantes* . Et ſicut Chriſtus in Cruce cum lacrymis orabat pro peccatoribus (Hebr. 5. cap. *Cum clamore valido , & lacrymis orans exauditus eſt pro ſua reverentia .*) ſic beatus Dominicus ubertimè flebat , orans pro peccatoribus . Vnde dicitur de eo : *Crebrò adiungens ſedulis fletus orationibus* . Et ſicut de latere Chriſti in Cruce pendentis profluxit Sanguis , & aqua; ſic ex corpore beati Dominici profluebat ſanguis per diſciplinam , & aqua per lacrymarum exuberantiam . Vnde *Abbas Ioachim ſuper Ieremiam* dicit : Expectabitis lucem, id eſt, duos futuros Ordines in Moyſe & Elia in monte Eccleſiæ cum Domino apparentes : quòd ſi non acquieveritis veritati , plorabit

in

in abſcondito anima mea : quia dolebunt ſpirituales Viri de peccatoribus obſtinatis, & flebunt ex paſſionis debito in abſcondito tẽpeſtatis. Ploratis pro miſeriis plorabit pro ſpiritualibus tentamentis, deducet lacrymas pro æternis miſeriis : quia captus eſt grex Domini in peccatis. *Hæc ille*. Et ſicut Chriſtus voluntariè ſeipſum obtulit Deo Patri (Phil. 2. cap. *Factus eſt obediens uſque ad mortem Crucis*) ſic beatus Dominicus per obedientiam voluntatem ſuam Deo dedicavit, & corpus proprium paſſioni, & martyrio libenter obtulit. Vnde *Abbas Ioachim ſuper Ieremiam* : Puto, quòd in Ordine futuro infra metas ſeculi ſtatus & initium tertii, & apertione ſexti ſignaculi tria iſta invenientur, ut alii laborent manibus, alii prædicent populis, alii contemplentur in Eccleſiis. Omnes erunt quaſi coloni in exhortatione ſermonis, Viri in perfectione virtutis, viatores in paupertate cordis, vagi in ſolicitudine boni operis, fortes in tolerantia paſſionis ; qui conſecrati Domino Nazareno, ſanctam, & immaculatam ſe Domino victimam, hoſtiamque delibent, qui ſic eos manere præcipit ; & deſiderat, donec veniat. *Hæc ille*. Et ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea, mundans eam lavacro aquæ, in verbo vitæ, *Eph. 5. cap.* ſic beatus Dominicus purgavit Eccleſiam. Vnde *Abbas Ioachim ſuper Ieremiam:* Ventilatores Doctores Evangelii ſuſcitandi in area Eccleſiæ generalis, quorum ventilabrum, ſcilicet doctrina, quam in manibus operationum habebunt, permundabit aream Eccleſiæ, & mundabit à paleis vitiorum, terrenæque ſubſtantiæ, & congregabit frumentum electorum in horreis Sanctorum, & peccatores velut paleas aſſumet igne judicii pœnitentialis, vel tẽporalis, perpetuæq; preſſuræ. *Hæc ille*. Et ſicut Chriſto in Cruce moriente ſol obſcuratus eſt horâ ſextâ, velum templi ſciſſum eſt, & ſpolia Iudæorum ablata ſunt ; ſic beato Dominico prædicante Crucem Chriſti, mundanæ eccleſiæ Hæreticorum evacuatæ ſunt. Vnde *Abbas Ioachim ſuper Ieremiam*: Sicut enim Dominus olim ſpoliavit Ægyptum, & ditavit, ac locupletavit populum evocatum ; ſimiliter faciet Dominus, ut vacuatis clericis, & Eccleſiis bonis ſuis, ſpolia tranſeant ad Viros ſpiritu pauperes, habituque mendicos. De cunctis Eccleſiæ finibus Viri ſunt Evangelici ſuſcitandi, qui ſpolia velut hoſtes ſpirituales Eccleſiarum auferant mundanarum. *Hæc ille*. In cuius ſignum datâ Eccleſiâ beato Dominico Toloſæ, dominus Fulco Epiſcopus Toloſanus ſextam partem decimarum cum conſenſu Capituli tradidit eidem. Et ſicut Chriſto moriente multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt, &c. ſic beato Dominico prædicante multa corpora defunctorum reſuscitata ſunt : quia multos mortuos adhuc vivens ſuſcitavit. Et ſicut Chriſto moriente plures percutientes pectora ſua revertebantur in Ieruſalem ; ſic beato Dominico prædicante plures Hæretici ad fidem Chriſti converſi ſunt. Pergens enim cum Epiſcopo Oxomenſi Toloſam, deprehendit ſpiritu prophetico in itinere hoſpitem ſuum hæretica pravitate corruptum, quem ad fidem Chriſti convertit. Et ſicut Chriſtus in Cruce ſuſtinuit opprobria : quoniam prætereuntes blaſphemabant eum, &c. ſic beatum Dominicum contra Hæreticos diſputantem irridebant adverſarii veritatis, ſputa, lutum, & hujuſmodi vilia projicientes in eum, & à tergo pro deriſu ſibi paleas alligantes. Vnde *Abbas Ioachim ſuper Ierem.* dicit : Quod autem ſequitur de oratione Ieremiæ, ad ſpirituales viros referendum eſt, pro Chriſto Domino & Eccleſia improperium ſuſtinentes.)

Hanc arborem Crucis beatus Dominicus velut ſeraphicus ardenti charitate ſuccenſus aſcendit, in qua tot ſigna perfectionis oſtendit, ut verè poſſit dicere illud *Hilarii lib. de Trinit.* Cognovit me repertus ſecundùm cor tuum David, & dignus Divinæ ſapientiæ munere Salomon, & viſo Domino Sabbaoth Iſaias, & ante formationem in utero ſanctificatus Ieremias, & occulti myſterii teſtis Ezechiel, & inclytus deſideriorum Daniel, & electus ex publicano Matthæus in Apoſtolum, & revelatione myſteriorum cæleſtium dignus Ioannes, & ex perſecutore Apoſtolus vas electionis tuæ Paulus, in profundo maris vivens, raptus in tertium cælum, raptus in paradiſum. *Hæc ille*.

Hanc arborem Crucis Chriſti firmavit beatus Dominicus in ſua Religione, in cuius medio extenſis brachiis ardens, charitas ipſum poſuit, ut innovaret memoriam Paſſionis dominicæ in cordibus multorum, quæ jam tradita erat oblivioni. Hinc dicitur Eccli. 36. c. *Innova ſigna : immuta mirabilia*. Quia enim ſignum dominicæ Crucis inveteratum, & abolitum erat apud ignaros propter defectũ verbi Dei ; ideo obſecrat Eccleſia dicens : *Innova ſigna*. Multa verò mirabilia, & ſtupen-

Digitized by Google

penda myſteria Crucis Chriſti jam defluxerunt, quæ per beatum Dominicum ſunt immutata, ſeu renovata. Vnde *Abbas Ioachim ſuper Ieremiam* dicit: Cùm enim in mundi area boni, & mali pariter ſint commixti, neſcio, quis de tantæ confuſionis barathro poſſit vel debeat excuti, niſi ſaniori conſilio plus mente, quàm corpore pedem myſticum retrahat, & ad montana vitæ cæleſtis cum feſtinatione conſcendat. Sed quia neceſſe eſt, ut juſtus etiam, quæ non rapuit, nunc exolvat; non debet proinde palmes, ſi à perverſo, ſterilique præcidatur, areſcere, ſed florere, ubi vindictam in ſui gloriam viderit de malitia fieri peccatoris. Annunciate ergo & vos Viri Evangelici in gentibus poſiti è longinquo, & auditum facite convicinis. Levate ſignum Crucis, prædicate Evangelium omnibus, & nolite celare exterminium mundi huius. *Hæc ille.*

Habet autem hæc arbor tres ramos. In medio reſidet beatus Dominicus. In ramo dextro beatus Petrus Martyr. In ſiniſtro beatus Thomas de Aquino. Sicut in Synagoga fuerunt tres Patriarchæ, ſcilicet Abraham: & iſte ſignificat beatum Dominicum ratione Religionis. Iſaac: & iſte ſignificat beatum Petrum Martyrem ratione immolationis. Iacob: & iſte ſignificat beatum Thomam de Aquino ratione contemplationis. Iſti ſunt tres Apoſtoli, qui aſcenderunt cum Chriſto in monte Thabor, ſcilicet Petrus, & hìc Dominicus: Iacobus, & hìc Petrus Martyr: Ioannes, & hìc Thomas de Aquino, quibus revelatum eſt Sacramentum Paſſionis Chriſti in horto, & myſterium glorificationis in monte. Iſta myſteria præcipuè ſunt revelata, & fundata in Ordine Prædicatorum, in cuius ſignũ Ordo iſte præ aliis habet in ſuo ſigillo Crucifixum: quia fratres Prædicatores debent habere ſemper memoriam dominicæ Paſſionis. Ezech. 9. cap. *Signa Thau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium.* Præterea in Hoſtia conſecranda in toto Ordine Prædicatorum eſt Crucifixus, aut hoc Nomen Ieſus in modum Crucis. Cant. 8. cap. *Pone me, ut ſignaculum, ſuper cor tuum.* Quia verò manus ſiniſtra vicinior eſt cordi, quàm dextera; ideo ut Prædicatores jugiter corde meditentur Paſſionem Chriſti, & gloriam eius, communicant cum manu ſiniſtra. Lucæ 15. cap. *Date annulum in manum eius, & calceamẽta in pedes, & occidite vitulum ſaginatum.* Et 2. Cor. 1. cap. *Dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.*

Hic enim Ordo eſt vas electionis, de quo dicitur Actor. 9. cap. *Vas electionis mihi eſt iſte: ut portet Nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Iſrael.* Hæc arbor eſt cathedra, in qua ſedit David, id eſt, beatus Dominicus, de quo dicitur 2. Reg. 23. cap. *David ſedens in cathedra ſapientiſſimus Princeps inter tres*, ſcilicet eorum, qui reſident in arbore Crucis, de quibus dictum eſt.

In hac cathedra ſedit beatus Dominicus, tanquam Doctor, docens quatuor genera hominum.

Primum genus eſt activorum, dicens eis illud Gen. 18. cap. *Lavate pedes veſtros, & requieſcite ſub arbore.* Quos docet quatuor lectiones.

Prima eſt, ut ab æſtu vitiorum ſe protegant; ſicut fecit Ionas ſub hedera, *Ionæ 4. c.*

Secunda eſt, ut contra fatigationem vitiorum fortitudinem reſumant; ſicut Elias requievit ſub arbore iunipero, & fortitudine reſumpta ambulavit in fortitudine illa uſque ad montem Dei Horeb, 3. *Reg. 19. cap.*

Tertia eſt, ut fructum arboris aſpiciant, ad cuius fructus aſpectum ab ignitis diaboli tentationibus ſe expediant; ſicut filii Iſrael aſpexerunt ſerpentem æneum in palo, & à morſibus ſerpentum liberati ſunt, *Numeri 21. capite.*

Quarta eſt, ut amaritudinem adverſitatum patienter ferant; ſicut fecit latro dexter dicens: *Nos quidem digna factis recipimus: hic verò nihil mali geſſit.* Luc. 23. cap.

Secundum genus eſt contemplantium, quos docet quatuor lectiones.

Prima eſt, ut ſemoti à terrenis actibus ſecuri habitent; ſicut dicitur *Dan. 4. cap.* quòd vidit arborem magnam, in cuius ramis aves cæli, nempe contemplativi morabantur, &c.

Secunda eſt, ut Deum videant; ſicut fecit Zachæus, qui, ut Deum videret, aſcendit in arborem ſycomorum, *Luc. 19. cap.* Pſalm. *Reſpice in faciem Chriſti tui.*

Tertia eſt, ut fructum colligant, & ſe illo ſatient. Cant. 7. cap. *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius.*

Quarta eſt, ut ad devotionem cordis ſe exerceant; ſicut Moyſes, qui percuſſit virgâ petram, & fluxerunt aquæ in abundantia, *Exo. 17. cap.* Sic percuſſæ erant mulieres, quæ ſequebantur Dominum ad Crucem flentes.

Tertium genus eſt inſtorum, qui ligantur

ad

ad Crucem, quòs docet quatuor lectiones.

Prima eſt, ut peccatum abominando deſtruant; ſicut Achior fuit ligatus ad arborem, *Iudith 6. cap.*

Secunda eſt, ut exemplo Chriſti ſe conforment; ſicut beatus Andreas ad exemplum Chriſti ad Crucem ligari voluit.

Tertia eſt, ut Deum homini reconcilient; ſic Chriſtus affigi Cruci voluit. Ioann. 12. cap. *Ego, ſi exaltatus fuero à terra, omnia trahàm ad meipſum.*

Quarta eſt, ut ad amorem Chriſti alios invitent; ſicut fecit Petrus, 1. Pet. 2. cap. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia eius.*

Quartum genus eſt peccatorum, quos docet quatuor lectiones.

Prima eſt, ut peccata diluant in ſanguine Chriſti, ne malam crucem pro eis ſubeant. Nam pro gaſtrimargia ſuſpendetur guloſus in inferno. Hæc eſt crux piſtoris, *Geneſ. 40. cap.* Pro ſuperbia contemnetur ſuperbus. Hæc eſt crux Aman, *Eſther 7. cap.* Pro negligentia flagellabitur negligens. Hæc eſt crux filiorum Saul, 2. *Reg. 21. cap.* Pro ingratitudine punietur ingratus. Hæc eſt crux filiorum Iſrael, *Numeri 25. cap.* Pro blaſphemia damnabitur blaſphemus. Hæc eſt crux mali latronis, *Ioann. 19. cap.*

Secunda eſt, ut ſuam intentionem aquâ gratiæ irrigent; ſicut Moyſes percuſſit virgâ mare, & diviſæ ſunt aquæ, *Exodi 14. cap.*

Tertia eſt, ut vivacitatem fidei teneant; ſicut David proceſſit cum baculo contra Philiſthæum, quem tandem devicit, 1. *Reg. 17. c.*

Quarta eſt, ut firmiter in bono perſeverent; ſicut Iacob, qui in baculo ſuo tranſivit Iordanem iſtum, *Gen. 32.* Et quia beatus Dominicus illas lectiones docuit (juxta illud Ierem. 22. cap. *Aſcende Libanum, & clama: & in Baſan da vocem tuam, & clamà ad tranſeuntes*; id eſt, per vitæ munditiam, & candidiorem, & devotam orationem prædicavit) ideo beatus Ioannes Apoc. 7. cap. dicit de eo: *Vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei vivi, & clamavit voce magna.* Nam iſte Angelus eſt beatus Dominicus, ut dictum eſt ſuprà, qui habet ſignum Dei vivi, nempe Crucem Chriſti. Galat. 2. cap. *Chriſto confixus ſum Cruci.* Et 6. cap. *Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Sicut autem Chriſtus per ſui Paſſionem eduxit ſanctos Patres de limbo; ſic beatus Dominicus per ſui flagellationem in Cruce maximam animarum multitudinem liberavit à purgatorio, & hoc fuit ei ſpeciale privilegium.

Tertiò. Aſſimilatur vita, & Religio beati Dominici currui. Vnde dicitur 4. Regum 1. cap. *Ecce currus igneus, & equi ignei: & aſcendit Elias per turbinem in cælum: & Eliſeus levavit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.* Iſte currus eſt currus charitatis, in cuius medio reſidebat beatus Dominicus, qui aliquando viſus eſt, dum oraret, totus ſuccenſus igne. Ideo dicitur de eo: *Ardebat quaſi facula pro zelo pereuntium.* Quatuor equi ignei, quibus vehebatur, ſunt cuſtodia innocentiæ. Eph. 1. cap. *Elegit nos ante mundi conſtitutionem: ut eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate.* Cuſtodia mandatorum. Deut. 33. cap. *In dextera eius ignea lex.* Caſtificatio animæ. 1. Petri 1. cap. *Caſtificantes animas veſtras in obedientia charitatis.* Prædicatio veritatis. Eccli. 48. cap. *Verba eius quaſi facula ardebant.* Pallium autem ſui corporis (quod maxima charitate totum ſanguineum, & cruentatum erat propter aſſiduas diſciplinas, quas ſibi dabat pro ſalute, tam vivorum in mundo, quàm mortuorum in purgatorio) Eliſeus, id eſt, chorus Eccleſiæ hodie accepit, per quod fiunt miracula plurima, ut patet.

Quartò. Vita, & religio beati Dominici aſſimilatur rationalibus: ſcilicet homini, ſervo, & fratri.

Primò. Aſſimilatur homini. Vnde *Abbas Ioachim ſuper Ieremiam* dicit: Sed quia ſuſcitandus eſt iterum noſter Lazarus, & populus Chriſtianus ad vitam ſpiritus excitandus, inſiſtendum eſt precibus, & bonis operibus innitendum per Viros Evangelicos, in duabus ſororibus deſignatos, ſi fortè populus periturus, & peſſimus verbum Domini audiat, & ampliùs in vitiis non putreſcat. *Hæc ille.* Et Sibylla Erythræa dicit ſic: Eruntque in diebus ultimis duæ ſtellæ lucidiſſimæ, quibus erunt quatuor animalium facies. Tubam prioris ſtellæ reſument in paupertate, & dejectione, & ſerentes divitias vociferabunt nomen Agni, &c.) Quod quidem præmonſtratum eſt cuidam Doctori legenti Theologiam Toloſæ, cui viſum eſt, dum prævideret lectionem, quòd ſeptem ſtellæ intrabant ad ipſum, quarum una major, & ſplendidior ceteris videbatur; quæ ita in lumine creſcebant, quòd totum mundum illumi-

minabant. Cumq; poſt intraſſet ſcholas ad legendũ, ecce B. Dominicus cum ſex Fratribus eiuſdem habitus ad prædictum Doctorem acceſſit, qui poſt alloquium ipſorum viſionem intellexit.

Præterea aſſimilatur ſervo. Vnde Lucæ 14. dicitur: *Miſit ſervum ſuum horà cœnæ, dicere invitatis* &c. *Greg. in Glo.* dicit ſic: Hora cœnæ finis eſt ſeculi. Vnde Apoſtolus: Nos ſumus, in quos fines ſeculorum devenerunt. In hoc fine mittitur ſervus, id eſt, Ordo Prædicatorum ad invitatos per legem, & Prophetas, ut repulſo faſtidio, ad guſtandam cœnam ſe præparent. *Hæc Greg.*

Rursùs aſſimilatur fratri. Vnde Matthæi 4. cap. dicitur: *Vidit duos fratres. Gloſſa.* Vnitatem fraternæ dilectionis approbavit, ſine qua nullus in Ordine Prædicatorum admittitur.)

Quintò. Aſſimilatur artificibus: ſcilicet fabro, & figulo. De fabro quidem dicitur Eccli. 38. cap. *Faber ferrarius ſedens iuxta incudem.* Super quo dicit *Gloſſa:* Ordo Prædicatorum juxta durum præſentis vitæ laborẽ ſpiritualia arma fabricat.) De figulo dicitur ibidem ſic: *Figulus ſedens ad opus ſuum. Gloſ.* Ordo Prædicatorum, qui per diverſa officia miniſterium ſuum agunt: doctrinam ſecundùm auditores temperant, qui fragiles, & infirmos verbis, & exemplis formant, ut vaſa in honorem faciant.) Quia verò bonorum laborum glorioſus eſt fructus; propterea hodie ſcala cælo prominens fratri revelatur, per quam Pater tranſiens ſurſum ferebatur. Linguæ manus ſtudio ſcalam hanc erexit, quam Virgo cum Filio Mater ſurſum vexit. Tandem fulget in choro Virginum Doctor veritatis, ſertum honoris geminum gerens cum Beatis. Amen.

SERMO XLI.

IN FESTO SANCTI LAVRENTII MARTYRIS.

Deſtinavit in corde ſuo. 2. Cor. 9. cap.

BEatus Maximus *in ſer. huius diei* dicit: Sanctum eſt, ac Deo placitum, ut natalem ſancti Laurentii præcipua devotione veneremur, cuius radiantibus flammis victrix in hunc quoque diem toto orbe Chriſti coruſcat Eccleſia.) Super quo talem moveo quæſtionem.

Verum beatus Laurentius Divinorum omnipotentiam demonſtravit, qui tormentorum incendia ſuperavit?

AD iſtam quæſtionem reſpondent tres Doctores novi Teſtamenti. Primus eſt *ſanctus Ambroſius in homilia hodierna* dicens: Ardebat extrinſecùs Laurentius tyranni ſævientis incendiis, ſed maior illum intrinſecùs Chriſti amoris flamma torquebat. Et quamvis Rex improbus ligna ſubjiciens, incendia majora ſupponeret; tamen Laurentius has flammas fidei calore non ſenſit.

Alter eſt *ſanctus Leo Papa ſermone hodierno* dicens: Sæviſti perſecutor in Martyrem; ſæviſti, & auxiſti palmam, dum aggeras pœnam. Nam quid non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem tranſierunt triumphi etiam inſtrumenta ſupplicii?

Tertius eſt *Hugo lib. ſoliloquiorum* dicens: Hæc ſunt beneficia tua magna, Domine Deus Sanctificator Sãctorum tuorum, qui repleturus es inopiam mœrẽtium filiorum tuorum: quoniam factus es ſpes deſperatorum, & conſolatio deſolatorum. Tu Corona ſpei, quæ eſt Corona præparata vincentibus. Tu ſatietas famelicorum æterna, danda eſurientibus. Tu conſolatio ſempiterna, quæ ſolùm illis te tribuis, qui pro conſolatione tua conſolationem huius mundi contemnunt. Nam qui hìc conſolantur, tua conſolatione indigni habentur; & qui hìc cruciantur, à te conſolantur; & qui participant paſſiones, à te

Digitized by Google

coronantur. Tua enim dulcedo Stephano lapides torrentis dulcoravit. Pro tua dulcedine ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilii, &c. Hanc ut guſtavit Petrus, omnium terrenorum oblitus clamavit, dicens: Domine, bonum eſt nos hic eſſe, &c. Tua dulcedo craticulam Laurentio dulcem fecit. Hæc eſt illa beatitudo, Domine Deus noſter, quam expectamus, daturum te nobis, pro qua tibi, Domine, continuè militamus, pro qua mortificamur tota die, ut in tua vita vivamus. *Hæc ille*.

Sciendum, quòd multa adverſa in mundo contingant, non tamen Dei omnipotentiam negant, quæ quidem manifeſtatur quatuor modis.

Primò. Per viam creationis, quæ ſoli Deo competit, ut patet ratione, auctoritate, & exemplo.

Ratione ſic. Quantò aliqua cauſa eſt ſuperior, tantò ad plura ſe extendit. Nam in uno judicio unus officialis particularis poteſt ſolùm illud, quod ſpectat ad illud judicium; ſed judex univerſalis ſe extendit ad inſtituendum, & tranſmutandum, & colligendum omnes officiales. Ita eſt de Deo, & aliis cauſis ſecundis: quodlibet enim elementum poteſt tantùm illud, quod eſt ſibi ſecundùm ſui naturã conceſſum, & quilibet planeta, & quodlibet cælum, & quælibet intelligentia. Deus autem tanquam cauſa univerſalis, poteſt omnia, quæ poſſunt iſtæ cauſæ particulares ſimul & ſeorſum, & cum hoc iſtas cauſas inſtituit; ergo Deus eſt omnipotens.

Auctoritate ſic. Gen. 1. cap. dicitur: *In principio creavit Deus cælum, & terram*. Super quo dicit *Gloſſa*: Creare eſt ex nihilo aliquid facere.

Exemplo ſic. Pagani Babylonii ignorantes Deum omnipotentem, adorabant idolum Bel. Cumque Daniel non adoraret illud, dixit ad Regem: Non adoro idola manufacta, ſed Deum viventem: Deum, qui fecit cælum & terram, & habet poteſtatem omnis carnis. Cui Rex: Nonne Bel eſt Deus vivens, qui tanta comedit, & bibit per ſingulos dies? &c. *Dan.* 14. *cap.* Ex hoc arguitur, quòd Bel non erat Deus: quia indigebat auxilio hominum: Deus autem noſter nullo ſuffragio indiget. Pſal. *Dixi Domino: Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges*. Imo magis noſtris neceſſitatibus ſubvenit per ſui univerſalem providentiam, ut patet, quando populum ſuum pavit in deſerto quadraginta annis, dando ei manna, & carnes de cælo, *Exo.* 16. *cap.* Et quando dedit eis aquam de petra in abundantia, *Exo.* 17. *cap.* Et quando conſervavit veſtimenta, & calceamenta eorum, ne quadraginta annis conſumerentur vetuſtate, *Deut.* 29. *cap.*

Secundò. Per viam conſervationis, quæ ſoli Deo competit, ut patet ratione, auctoritate, & exemplo.

Ratione ſic. Nam ſicut opera artificialia, & artifices indigent operibus naturæ; ita natura indiget opere creationis, non ſolùm ut ſit, & ut præſtet materiam rebus artificialibus, ſed etiam ut conſervetur in eſſe, ut artificialia etiam conſerventur in eſſe.

Auctoritate ſic. Heb. 1. cap. dicitur: *Portans omnia verbo virtutis ſuæ*. Et *Auguſtinus* 4. *ſuper Gen. ad litteram cap.* 12. dicit: Creatoris potentia, & omnipotentis atque omnitenentis virtus cauſa eſt ſubſiſtẽdi omni creaturæ; quæ virtus ab eis, quæ creata ſunt, gerendis, aliquando ſi ceſſaret, ceſſarent omnes ſpecies, omniſque natura concideret. Et *Gregorius* 16. *moral. cap.* 18. dicit: Omnia in nihilum deciderent, niſi manus omnipotentis ea in eſſe conſervaret.) Sicut autẽ præſente ſole aer illuminatur, quo abſente obtenebratur; ſic præſente Deo, & providente omnia in eſſe conſervantur, qui ſi ſubtrahat ſui providentiam, cuncta annihilantur.

Exemplo ſic. Nam dii gentium, quos coluerunt filii Iſrael in templo in Ieruſalem, nõ fuerunt dii omnipotentes: quia non potuerunt ſeipſos conſervare, nec ſuos miniſtros: quinimo fuerunt comminuti per Ioſiam, & miniſtri eorum occiſi, 4. *Reg.* 23. *cap.* Nec fuerunt dii omnipotentes dii Troianorum, qui fuerunt victi à Græcis, nec potuerunt juvare Troiam, ut ponit *Virgilius primo Æneidos*. Similiter Elias comminuit Baal, & cetera idola, & quadringentos quinquaginta Propheras eorum occidit, quos adorabant Achab, & Iezabel, ut patet 3. *Reg.* 18. *cap.*

Tertiò. Per viam cooperationis, & defenſionis: quia Deus omnipotens eſt in omnibus omnia cooperans, & defendens, ut patet ratione, auctoritate, & exemplo.

Ratione ſic. Sicut anima rationalis eſt tota in toto, & tota in qualibet parte, per ſui præſentiam dando eis eſſe; & in omnibus ſenſibus, & potentiis, per ſui potentiam dando eis operationem, & ſuos & corporis actus cognoſcens; ita Deus eſt in omnibus re-

Digitized by Google

rebus per præſentiam dando eis eſſe, & per potentiam: quia omnes creaturæ obediunt ei, & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati eius. Omnia verò cognoſcit: quia omnia nuda, & aperta ſunt oculis eius.

Auctoritate ſic. Iſa. 26. cap. dicitur: *Omnia opera noſtra operatus es in nobis, Domine.* Iere. 23. cap. dicitur: *Cælum & terram impleo.* Et *Ambroſius lib. de Spiritu ſancto* dicit: Quis audeat dicere creaturam Spiritum ſanctum, qui in omnibus, & ubique ſemper eſt? Quod utique Deitatis eſt proprium.

Exemplo ſic. Nam Deus omnipotens defendit ſuos cultores. Dii autem Gentium ſuos cultores defendere nequiverunt. Vnde *Virgilius ſecundo Aeneidos* dicit, quòd capta Troiâ à Græcis, & igni datâ, Æneas vidit Priamum, & Hecubã, centumque nurus ipſorum, qui cucurrit ad templum, ut imploraret auxilium; cumque oraret, occiſus eſt, volutatus in ſanguine proprio. Et 4. *Reg. 19. cap.* dicitur, quòd Sennacherib Rex Syriæ, dum obſideret populum Dei, Angelus Domini una nocte occidit centum octoginta quinque millia virorum. Ingreſſus autem civitatem, ut oraret deum ſuum, à filiis ſuis interemptus eſt. Sed Deus noſter omnipotens defendendo populum ſuum, pluit lapides de cælo ſuper inimicos opprimentes eum, *Exodi 9.* Similiter tempore Eliſei fecit ſtrepitum in cælo curruum & equitum, quo inimici populi ſui concuſſi timore fugerunt omnibus dimiſſis, 4. *Reg. 7. cap.* Et defendens Eliſeum Prophetam circundatum ab inimicis, volentibus eum capere, ipſos cæcitate percuſſit. Etiam defendens populum ſuum, properantem in deſertum, Ægyptios in mari ſubmerſit, *Exo.* 24. Petrum quoque per Angelum ſuum à carcere liberavit, *Act.* 12. *cap.*

Quartò. Per viã proviſionis, ſecundũ quod ſui providentia cuncta gubernat, ut patet ratione, auctoritate, & exemplo.

Ratione ſic. Nam Deus omnia cognoſcit, & univerſalia, & particularia. Cùm autem cognitio eius comparetur ad res, ſicut cognitio artis ad artificiata; neceſſe eſt, quòd omnia ſupponantur ſuo ordini, ſicut omnia artificiata ſubduntur ordini artis.

Auctoritate ſic. Sap. 8. cap. dicitur: *Attingit enim à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.* Et *Auguſtinus in Enchiridion cap.* 11. dicit: Deus omnipotens non ſineret aliquod malum, niſi adeo eſſet bonus, ut bene faceret etiam de malo.

Exemplo ſic. Nam Ioſeph fuit venditus à fratribus in Ægypto, dum peregrinabatur, atque per malitiam uxoris Putipharis incarceratus fuit: tamen Deus providit ei de interpretatione ſomniorum, ut præficeretur toti Ægypto, *Gen. 39. cap.* Similiter populus Dei dura ſervitia peragebat in Ægypto, & Deus providit ei, educens eum de Ægypto, *Exo.* 13. *cap.*

Beatus Laurentius attendens omnipotentiam Dei, his quatuor modis invictiſſimum pugilem Chriſti ſe conſtituit. Vnde *Sanctus Leo Papa in ſermone huius diei* dicit: Ad eruditendum Dei populum nullorum eſt utilior forma, quàm Martyrum eloquentia. Facilis ad exorandum fit ratio, efficax ad ſuadendum, validiora tamen ſunt exempla, quàm verba, & pleniùs eſt opere docere, quàm voce; in quo excellentiſſimo genere doctrinæ beatus Martyr Laurentius, quam gloriosâ polleat dignitate, etiam perſecutores ipſius ſentire potuerunt: quum illa mirabilis animi fortitudo, de Chriſti principaliter amore concepta, non ſolùm ipſa non cederet, ſed etiam alios exemplo ſuæ tolerantiæ roboraret.) Et quia maximam gratiam in ſuperatione tormentorum à Deo obtinuit, ut plus poſſet ipſe, qui torquebatur, quàm tortores, qui in eum ſæviebant; ideo deſtinavit in corde ſuo, ſic conſtanter perſiſtere; imo Deus ipſe ab æterno deſtinavit in corde ſuo, mittere beatum Laurentium in mundum, tanquam Eccleſiæ ſuæ miniſtrum, & Martyrem digniſſimum, cuius exemplo ceteri fideles in fide firmarentur.

Deſtinavit in corde ſuo

Eius generationem.
Eius nuncupationem.
Eius aſſumptionem.
Eius diſpenſationem.
Eius obedientiam.
Eius victoriam.
Eius præeminentiam.

PRIMO. *Deus ab æterno deſtinavit in corde ſuo beati Laurentii generationem.* Sciendum, quòd generatio electorum valde commendatur Sap. 4. capite, ubi dicitur: *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate: immortalis eſt enim memoria illius: quoniam*

apud Deum nota eſt, & apud homines. Eſt enim generatio electorum commendabilis quoad quatuor.

1. Quia eſt pulchra quoad naturam, de qua dicitur Iob 8. cap. *Interroga generationem priſtinam, & diligenter inveſtiga patrum memoriam*. Hæc eſt enim illa, quâ omnis creatura obedit Creatori ſuo, de qua dicitur Iſa. 66. cap. *Nunquid ego, qui generationem ceteris tribuo, ſterilis ero?*

2. Quia eſt caſta quoad rectificationem, de qua dicitur in Pſalm. *Generatio rectorum benedicetur*. Hæc eſt enim illa, quâ creatura rationalis ſapienter, & rectè vivit. Eccli. 24. cap. *A generationibus meis implemini*.

3. Quia eſt clara quoad electionem, de qua dicitur 1. Petri. 2. cap. *Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta*, &c. Hæc enim eſt generatio gratiæ, quæ propriè convenit humilibus, de qua dicitur in Pſalm. *Generatio, & generatio laudabit opera tua*, &c.

4. Quia eſt immortalis quoad glorificationem, de qua dicitur Proverb. 27. cap. *Corona tribuetur in generatione, & generationem*. Hæc enim eſt generatio amoris, quæ convenit proximum diligentibus, de qua dicitur in Pſalm. *Hæc eſt generatio quærentium Dominum*: qui non ſolùm generantur naturaliter, ſed ex gratia, & hi fuerunt quatuor. Primus fuit Iſaac, qui natus eſt per repromiſſionem, *Gen.* 18. *cap.* Secundus fuit Samſon, ut habetur *Iudi.* 13. *cap.* Tertius fuit Samuel, prout legitur 1. *Reg.* 1. *cap.* Quartus fuit Ioannes Baptiſta, ut habetur *Luc.* 1. *cap.* Hos enim elegit Deus ad maxima facta peragenda.

Beatus Laurentius per ſingulare privilegium gratiæ natus eſt. Cùm enim quidam nobilis Dux in Hiſpania filium non haberet, quem tamen maximo deſiderio cupiebat, & à ſuis diis impetrare nequiret, conſuluit quendam Chriſtianum virum ſanctiſſimum, qui dixit ei: Scito, te nunquam filium habiturum, niſi perfidiâ deorum abjuraveris, & te Chriſtianum fieri promiſeris. Quod cùm ſpopondiſſet, filium ex propria uxore ſuſcepit. Diabolus autem cognoſcens fieri voluntatem Dei, & puerum natum futurum ſervum Chriſti, & dæmoniorum acerrimum expugnatorem, quatuor cautelis uſus eſt contra eum.

Primò. Nocte quadam puerum de cunis accipiens longè aſportavit, & ſub quadam lauro repoſuit, ut ibi fame periret; ſed Deus ipſum à dæmonis inſidiis cuſtodivit, mittens Angelos ſuos, qui eum cibo cæleſti alerent, & protegerent.

Secundò. Per multa tempora ipſe diabolus in perſona pueri nati in cunas ſe poſuit, ubi ſe multipliciter deformem exhibuit, nunc gibboſum, nunc monſtruoſum, omnibus oneroſum, & infeſtum ſe præbens.

Tertiò. Multas vexationes, & moleſtias parentibus eius intulit, quas tamen patienter tolerabant, putantes ipſum eſſe filium ſuum.

Quartò. Præ verecundia iſtud celantes, ad fidem Chriſti venire non audebant; & ſic patet primum.

SECVNDO. *Deus ab æterno deſtinavit in corde ſuo beati Laurentii nuncupationem.* Deus enim providit beato Laurentio quadrupliciter.

1. Immittendo ſibi gratiam. Gen. 22. c. *Dominus providebit ſibi de victima holocauſti*. Id eſt, dabit gratiam, quæ hominem facit coram Deo victimam holocauſti.

2. Immittendo ſibi fidei notitiam, Galat. 3. cap. *Providens autem ſcriptura: quia ex fide iuſtificat gentes Deus*.

3. Immittendo ſapientiam. Sap. 6. cap. *Qui vigilaverit ad illam, non laborabit: ſed in omni providentia occurret illi*. Per hanc enim providet ſibi in habitu, ne ſit notabilis; in locutione, ne ſit contemptibilis; in operatione, ne ſit reprehenſibilis.

4. Immittendo verbi Dei efficaciam. 2. Cor. 8. cap. *Providemus enim bona, non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus*.

Propter iſtam quadruplicem providentiam rectè vocatus eſt Laurentius quaſi lauream tenens, quæ eſt corona de lauro facta: quia olim de hujuſmodi ramis victores coronabantur.

Hæc autem arbor habet quatuor prærogativas. 1. Eſt continua viriditate amœna. Et beatus Laurentius viriditatem habuit per cordis munditiam, & puritatem. Nam beatus Sixtus magnus Philoſophus, & curiæ Romanæ Legatus, vir bonus, & ſanctus, ad prædicandum fidem Chriſti in Hiſpaniam pergens, Deo diſponente, puerum ſub lauro invenit, quem accipiens batizavit, & à lauro Laurentium nuncupavit, ac nutriri faciens, ipſum in ſpiritualem filium adoptavit, & ſic habuit Divinam gratiam.

2. Eſt odore grata. Et beatus Laurentius odorem ſuæ ſanctitatis longè lateque diffudit. Cùm enim jam creviſſet, beato Sixto, & toti curiæ ſuæ erat mirabiliter gratioſus: audiverat enim quomodò beatus Sixtus ipſum invenerat, & in filium ſuum adoptaverat, &

hoc

Digitized by Google

hoc propter notitiam fidei, quâ plurimum pollebat.

3. Est victoriæ ostensiva. Et beatus Laurentius prius omnes animi sui passiones devicit. Cùm enim quidam architriclinus curiæ beati Sixti Laurentio invideret propter eius gratiositatem, calce ipsum percussit, improperans ei, quòd nec patris sui notitiam haberet. Immutatus autem animo cœpit cogitare, & inquirere, quis esset pater suus, & hoc cum multa sapientia.

4. Est efficax, & virtuosa: quia calculum frangit, surditati subvenit, fulmen non metuit. Et beatus Laurentius fregit cor durum, spiritualem reddidit auditum, protexit parentes à fulmine sententiæ reproborum. Nam à beato Sixto recedens ibat per devia, & nemora vagabundus. Sero autem superveniente ascendit quandam arborem, ut ferarum pericula evaderet. Mediâ verò nocte ipso vigilante, Deo sic providente, maxima dæmonum multitudo sub arbore se conjecit, ad sua figmenta, & tentamenta declaranda; inter quos unus ait: Tot anni præterierunt, quòd Dux Hispaniæ filium habere non potuit, suasu autem cujusdam Christiani à Deo filium impetravit, post cuius ortum, & nativitatem ipsum è cunis accepi, & sub quadam lauro posui, quem beatus Sixtus inde transiens accepit, & baptizavit. Ego verò in cunas me reposui, & multam deformitatem simulans, molestus fui quamplurimis; unde Dux & Ducissa ad fidem Christi converti distulerunt. Alii dæmones hoc audientes, ipsum laudibus extulerunt. Mane autem facto abeuntibus dæmonibus, Laurentius lætus, & gratias agens Deo descendit, & ambulavit, quousque ad palatium prædicti Ducis pervenit. Cumque dæmonem illic reperisset, turpiter à domo effugavit. Et narrans prædicto Duci singula, quæ contigerant, se esse verum filium suum declaravit, & tandem patrem & matrem & maximam Paganorum multitudinem ad fidem Christi convertit. Et sic patet secundum.

TERTIO. *Deus ab æterno destinavit in corde suo beati Laurentii assumptionem*. Qualis esse debeat vita, & conversatio eorum, qui ad ordines sacros Ecclesiæ eliguntur, & assumuntur, declarat *Isidorus de vita clericorum, ut habetur dist.* 23. *cap. His igitur*, dicens sic: His igitur lege Patrum cavetur, ut à vulgari vita secluſi, à mundi voluptatibus se abstineant: nõ spectaculis, nõ pompis interſint: cõvivia publica fugiant, privata non tantùm pudica, sed & sobria colant: usuris nequaquam incumbant, neque turpium occupationes lucrorum, fraudisque cujusquam studium appetant: amorem pecuniæ, quasi materiem cunctorum criminum fugiant, & secularia officia, negotiaque abjiciant, honoris gradus per ambitiones non subeant: pro beneficiis medicinæ Dei munera non accipiant: pudorem, ac verecundiam mentis simplici habitu, incessuque ostendant: obscœnitatem etiam verborum, sicut & operum penitus exercentur: castimoniam quoque inviolati corporis perpetuò conservare studeant: senioribus debitam præbeant obedientiam. Tales enim esse debent, qui Divinis cultibus se mancipandos student. *Hæc ille*.

Hujusmodi fuit beatus Laurentius, Spiritu sancto plenus, qui devotione, & fervore Divini amoris fuit totaliter inflammatus. Unde poterat dicere illud Psalm. *Inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt: & ego ad nihilum redactus sum, & nescivi. Ut jumentum factus sum apud te: & ego semper tecum*.

Sciendum, quòd iste amor Divinus extinguit quadruplicem amorem inordinatum.

Primò. Extinguit amorem carnalem; ideo dicit: *Renes mei commutati sunt*. *Gregorius*. Gustato spiritu, desipit omnis caro. Istum amorem carnalem extinxit in beato Laurentio ignis Divinus, qui virginitatem mentis, & corporis integrè servavit.

Secundò. Extinguit amorem terrenum; ideo dicit: *Et ego ad nihilum redactus sum*. Qui enim mundum despiciunt, nihil à mundanis hominibus reputantur. 1. Cor. 4. cap. *Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus*. Istum amorem terrenum extinxit in beato Laurentio ignis Divinus: quia nihil terrenum concupivit; imo cùm esset filius nobilissimi Ducis, hæreditatem suam sprevit, in hoc similis Moysi, *Majores divitias æstimans, thesauro Ægyptiorum, improperium Christi*, Hebr. 11. cap. Unde *Chrysostomus* dicit: Verè non habet super terram quod amet, qui donum cæleste gustaverit.

Tertiò. Extinguit amorem domesticum, id est, parentum; ideo dicit: *Et nescivi*. Deuter. 33. cap. *Qui dixit patri suo, & matri suæ: Nescio vos; & fratribus suis: Ignoro illos, & nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum*. Istum amorem domesticum extinxit in beato Laurentio ignis Divinus: quia patriam, & parentes suos, qui erant in Hispa-

nia,

nia, deſeruit, & ob amorem Principum Apoſtolorum Romam cum beato Sixto perrexit; in hoc ſimilis Abrahæ, qui egreſſus de terra, cognatione, & domo patris ſui, venit in terram, quam monſtravit ſibi Deus, *Gen.* 12.

Quartò. Extinguit amorem proprium, & privatum; ideo dicit: *Vt iumentum factus*, &c. Qui enim ſeipſos deſpiciunt propter Chriſtũ, ſunt jumentum Chriſti: quoniam amor Divinus animam Deo conjungit. 1. Cor. 6. cap. *Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt*. Iſtum amorem privatum extinxit in beato Laurentio ignis Divinus: quia Deum ſuper omnia dilexit. Threnor. 1. c. *De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & eruditvit me*. Propter quod B. Sixtus in Papam electus, & coronatus, ipſum fecit ſuum Archidiaconum, & ordinavit, poſt quem in Romana ſede Archidiaconus non ſurrexit; & ſic patet.

QVARTO. *Deus ab æterno deſtinavit in corde ſuo beati Laurentii diſpenſationem*. Sciendum, quòd B. Laurentius habuit quadruplicem diſpenſationem.

Prima fuit prædicationis. Nam prædicator gratioſus extitit: quia ſub perſecutione Decii Cæſaris multa millia Gentilium ſua prædicatione convertit, qui martyrio coronati ſunt. 1. Cor. 9. cap. *Diſpenſatio mihi credita eſt, ut Evangelium prædicans lucrifacerem eos, qui ſine lege erant*. Et quantùm ad hoc aſſimilatur auro. Quando enim lamina auro obducta debet malleis cum argento incorporari, neceſſe eſt à tribus maximè præcaveri, ſcilicet à pulvere, vento; & humore. Conſimiliter ſi aurum charitatis debet adjungi cum argento ſonoræ prædicationis, oportet præcavere à pulvere terrenæ cupiditatis. Vnde *Proſper lib. de vita contemplativa, ut habetur* 1. *quæſt.* 2. *cap. Sacerdos*, dicit: Apoſtolus tamen, qui ſic Evangelium Dei prædicavit, ut nec de Evangelio viveret, ſed neceſſaria ſibi ſuis manibus miniſtraret, de ſe confidenter eloquitur: Ego autem nullo horum uſus ſum. Et quare hoc dixerit, ſecutus aperuit dicens: Expedit mihi magis mori, quàm ut gloriam meam quis evacuet. Evacuari dicit gloriam ſuam, ſi ab eis, quibus prædicabat, voluiſſet accipere vitæ temporalis expenſam. Nolebat quippe in præſenti laboris ſui fructum, ſed in futuro recipere. *Hæc ille*. Oportet etiam præcavere à vento humani favoris, & mundanæ ambitionis, & in hoc ſequi humilitatem Chriſti, qui, poſtquam prædicavit Apoſtolis myſterium regni Dei, lavit pedes eorum. Et beatus Laurentius, poſtquam evangelizaverat pauperibus regnum Dei, eorum pedes lavabat. Oportet etiam præcavere humorem noxium proprii amoris, ne in vacuum gratiam Dei recipere videatur. Et hoc fecit beatus Laurentius per omnimodam ſui dedicationem ad Deum; ſicut fecit Noe, qui interpretatur dedicans, & ſignificat illos, qui ſe totaliter Deo dedicant; & invenit gratiam coram Domino, *Gen.* 6. c. Et per jugem Dei memoriam; ſicut fecit Tobias, qui, quia memor fuit Dei in toto corde ſuo, non in parte, dabat ei Dominus gratiam, *Tob.* 1. *cap.* Et per ſolicitam ſui cuſtodiam.

Secunda fuit gratiæ. Epheſ. 3. cap. *Audiſtis diſpenſationem gratiæ, quæ data eſt mihi in vobis*. Nam gratiam, quam beatus Laurentius à Deo acceperat, fideliſſimè diſpenſavit. Veniens enim ad domum cujuſdam viduæ, quæ multos Chriſtianos in domo ſua abſconderat, quam lõgus dolor capitis detinebat, liberavit eam per ſuarum manuum impoſitionem. Rurſus eadem nocte in domum cujuſdam Chriſtiani veniens, quendam cæcum ibidem reperit; & facto ſigno Crucis eum illuminavit.

Tertia fuit temporalis. Vnde *Proſper*, *ut habetur* 12. *quæſt.* 1. *cap. Expedit*, dicit: Expedit facultates Eccleſiæ poſſideri, & propriàs perfectionis amore contemni. Non enim propriæ ſunt, ſed communes Eccleſiæ facultates.) Quæ debent pauperibus diſtribui, ut ſubveniatur eorum neceſſitatibus, ſicut habetur 12. *quæſt.* 2. *cap. Aurum*, & *cap. Gloriæ Epiſc.* Hoc autem attendens beatus Laurentius, theſauros Eccleſiæ, quos tradidit ei beatus Sixtus, Eccleſiis, & pauperibus fideliter diſpenſavit, juxta illud Pſal. *Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi*. Ipſe enim diſperſit: quia pluribus condiviſit, & non uni. Diſperſit, & non avarè retinuit: dedit, & non vendidit: dedit liberè ſine ſpe mercedis, lucri, aut commodi, aut obſequii: dedit non dandum poſt mortem: dereliquit pauperibus, ſcilicet Chriſti, non parentibus, non amicis, non divitibus.

Quarta fuit Sacramentorum. Vnde 1. Cor. 4. cap. dicitur: *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*. Beatus Laurentius, velut fidelis diſpenſator, Sacramenta Eccleſiæ magna charitate miniſtravit. Nam cùm Lucillo cæco ob nimium ploratũ, promiſiſſet illuminationem, ſi fidem ſuſciperet, inſtanter poſtulabat baptizari; quẽ di-

Digitized by Google

diligenter examinans beatus Laurentius de articulis fidei, tandem ipsum batizavit, statimq; qui cæcus fuerat, lumen recepit. Etiam multi alii cæci veniebant ad eum, & baptizabantur ab eo, & illuminabantur. Rursus baptizavit Hippolytum cum familia sua numero 19. Præterea baptizavit Romanum militem, afferentem urceum cum aqua. Et sic patet quartum.

QVINTO. *Deus ab æterno destinavit in corde suo beati Laurentii obedientiam in passione*. Nam gravissima supplicia pertulit: utpote, quia super craterem ferream assatus fuit. Hoc genus martyrii futurum in beato Laurentio præmonstratum est quatuor modis.

Primò. In Ducibus. Vnde Deus Moysi Levitic. 6. cap. dicit: *Hæc est lex holocausti: Crematur in altari tota nocte usque mane: ignis ex eodem altari erit*. Decius Cæsar dixit beato Laurentio: Aut sacrifica diis, aut nox ista in te cum suppliciis expendetur. Et beatus Laurentius ait: Gaudeo planè: quia hostia Christi effici merui: ego me obtuli sacrificium Deo in odorem suavitatis. Et ibidem 7. cap. dicitur: *Omne sacrificium simila, quod coquitur in clibano, & quicquid in craticula, vel in sartagine præparatur, eius erit Sacerdotis, à quo offertur*. Et de beato Laurentio dicitur: Meruit esse hostia Christi Levita Laurentius, qui, dum in craticula positus assaretur, non negavit Dominum; & ideo inventus est sacrificium laudis. Et 2. Paralipom. 24. cap. dicitur sic: *Surrexerunt autem contra eum servi sui, & occiderunt eum in lectulo suo, & mortuus est*. Et ibidem 35. cap. *Assaverunt Phase super ignem*. David in Psal. dicit: *Probasti cor meum, & visitasti nocte: igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas*. Et iterum: *Ossa mea sicut cremium aruerunt*. Salomon Eccli. ultimo cap. dicit: *Liberasti me à pressura flammæ, quæ circundedit me, & in medio ignis non sum æstuatus*. Et Cantic. ultimo cap. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*. Et Eccli. 38. cap. *Vapor ignis urit carnes eius*. Iob 23. cap. dicit sic: *Probavit me quasi aurum, quod per ignem transit*. Et 30. cap. *Cutis mea denigrata est super me, & ossa mea aruerunt*, &c.

Secundò. In Prophetis. Vnde Ieremias Threnorum 2. cap. dicit: *Succendit in Iacob ignem flammæ devorantis in gyro*. Ezech. 15. cap. dicit: *Ecce igni datum est in escam: utramque partem consumpsit ignis*. Propterea Laurentius dixit ad Decium hilari vultu: Ecce miser assasti unam partem: verte aliam, & manduca. Et Nahum 2. cap. dicitur: *Clypeus fortium eius ignitus*.

Tertiò. In Apostolis. Vnde Lucæ 24. c. dicitur: *Obtulerunt ei partem piscis assi*. Et Ioann. 12. cap. dicitur: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem*, &c.

Quartò. In Doctoribus. Vnde *Leo Papa* dicit: Laceratos artus, & multa verberum sectione concisos, subjecto præcipit igne torreri: ut per craterem ferream, quæ jam de fervore continuo vim in se haberet urendi, conversorum alterna mutatione membrorum, fieret cruciatus vehementior, & pœna productior.) Et *Augustinus in sermone* dicit sic: Non enim beatus Laurentius brevi, vel simplici passione perimitur. Nam, qui gladio percutitur, semel moritur: qui in flammarum camino mergitur, uno impetu liberatur. Hic autem longâ, & multiplici pœnâ cruciatur, ut mors ei non desit ad supplicium, & desit ad finem. Legimus beatos pueros in pœnarum suarum deambulasse flammis, & igneos globos pedibus conculcasse. Vnde & beatus Laurentius non minori gloria est præferendus: siquidem illi in pœnarum suarum flammis ambulabāt, hic in ipso supplicii sui igne discubuit. Illi vestigiis pedum conculcaverunt incendia, iste laterum suorum diffusione extinxit. Illi stantes in pœna elevatis manibus orabant ad Dominum, iste prostratus in pœna toto corpore Dominum deprecatur. *Hæc ille*.

B. Augustinus in serm. rursùm dicit: Beatum Martyrem Laurentium grano sinapis possumus comparare, qui diversis attritus passionibus, per totum orbem gratiâ sui meruit fragrare martyrii, qui antea constitutus in corpore erat humilis, ignotus, & vilis; posteaquam vexatus, laceratus, exustus est, universis per totum mundum Ecclesiis odorem suæ nobilitatis infudit.) Sed in sua passione Christus dedit ei quatuor consolationes, de quibus dicitur in Psal. *Nox illuminatio mea in deliciis meis*, &c.

Prima causabatur ex Divini amoris dulcedine, cùm dicitur: *Nox illuminatio*, &c. Tunc enim nox in delicium vergit, quando tribulatio amoris dulcedine superatur. Vnde dicebat: Tormenta tua epulæ mihi sunt.

Secunda causabatur ex securitate gratiæ. Vnde subditur: *Quia tenebræ non obscurabuntur à te*. Tunc tenebræ non obscurantur, quando quis in tribulatione positus, per peccati caligi-

ginem nõ obnubilatur. Vnde ſecurus dicebat: Deum meum colo, & ipſi ſoli ſervio; & ideo non timeo tormenta tua.

Tertia cauſabatur ex ſecuritate conſcientiæ, cùm dicitur: *Nox ſicut dies illuminabitur*. Quod quidem fit, quando tribulatio luce conſcientiæ ſerenatur. Vnde dicebat: Mea nox obſcurum non habet, ſed omnia in luce clareſcunt.

Quarta cauſabatur ex certitudine gloriæ; ideo ſubditur: *Sicut tenebræ, ita & lumen eius*. Tunc lumen eſt ſicut tenebræ, quando quis recipit multitudinem gaudiorum ſecundùm multitudinem paſſionum. Iſtam certitudinem habebat beatus Laurentius, qui dicebat: Gratias tibi ago Domine: quia januas tuas ingredi merui, &c.

SEXTO. *Deus ab æterno deſtinavit in corde ſuo beati Laurentii victoriam*. Vnde *beatus Auguſtinus tract. 27. in Ioan.* dicit: Beatus Laurentius manſit in Chriſto uſque ad tentationem, uſque ad tyrannicam interrogationem, uſque ad acerrimam comminationem, uſque ad peremptionem, in qua longa morte, quam bene manducaverat, & bene biberat, tanquam illâ eſcâ ſaginatus, & illo calice ebrius, tormenta non ſenſit, non ceſſit, & in regnum ſucceſſit.) Fuit autem adeo conſtans, & fortis, quòd non ſolùm tormentis non ſuccubuit, imo ex ipſis factus eſt perfectior in timore, ferventior in ardore, & jucundior in ardore. De primo dicit *Auguſtinus in ſermone*: Extenditur ſuper flammarum ignitos globos, & ſæpius verſatur in latere: ſed quantùm plus pœnarum tormenta patitur, tantùm ampliùs Chriſtum Dominum pertimeſcit.) De ſecundo æquè *Auguſtinus* dicit: Novo admirationis genere alius illum torquet, & alii ſævientis tormenta proficiunt. Devotiorem Laurentium Salvatori ſupplicia atrociora fecerunt.) De tertio *Idem* dicit: Cor eius tanta in fide Chriſti magnanimitate concaluit, ut deſpectis proprii corporis cruciatibus inſaniſſimo tortori ſuo triumphatis eius ignibus lætus illuderet.)

Sciendum, quòd beatus Laurentius quatuor ignes fortiter ſuperavit, & extinxit.

Primus fuit carnalis concupiſcentiæ. Nam ſequens beatum Sixtum ad martyrium, clamabat poſt eum, dicens: Quò progrederis ſine filio pater? Quò Sacerdos ſancte ſine miniſtro properas? Tu ſine miniſtro nunquam ſacrificium offerre conſueveras. Quid in me diſplicuit paternitati tuæ? Nunquid degenerem me probaſti? Experire certè, utrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti dominici Sanguinis diſpenſationem. Cui beatus Sixtus reſpondit: Non ego te deſero fili, neque derelinquo, ſed majora tibi debentur pro fide Chriſti certamina. Nos quaſi ſenes levioris pugnæ curſum recipimus, te autem quaſi juvenem manet glorioſior de tyranno triumphus. Poſt triduum me ſequeris Sacerdotem Levita. De extinctione ignis carnalis concupiſcentiæ *Maximus in ſermone* dicit: Ecce beatus Laurentius tranſit per ignem, quo non aduſtus inhorruit, ſed illuminatus effulſit: arſit, ne arderet; & ne ureretur, exuſtus eſt.)

Secundus fuit ignis ardentis avaritiæ. Nam cùm beatus Sixtus ad decollandum duceretur, beatus Laurentius clamabat poſt eum dicens: Noli me derelinquere pater ſancte: quia theſauros tuos jam expendi, quos tradidiſti mihi. *Beatus Leo Papa in ſermone* dicit: Armatur gemina face homo pecuniæ cupidus, & veritatis inimicus; avaritiâ, ut rapiat aurum; impietate, ut auferat Chriſtum. Nihil obtines, nihil proficis ſæva crudelitas. Subtrahitur inventis tormentis tuis materia mortalis, & Laurentio in cælum abeunte, tu deficis flammis tuis.)

Tertius fuit ignis materialis flammæ. Nã milites audientes theſauros, Laurentium tenuerunt, & Parthenio tribuno tradiderunt. Ipſe autẽ eum Decio præſentavit, cui Decius Cæſar ait: Vbi ſunt theſauri Eccleſiæ, quos apud te novimus eſſe abſconditos? Qui cùm ſibi non reſponderet, tradidit eum Valeriano Præfecto, ut vel theſauros prodat, & ſacrificet idolis; vel diverſis eum faciat interire ſuppliciis, & tormentis. Cumque nollet Laurentius votis eius annuere, dixit Decius: Afferatur lectus ferreus, ut requieſcat in eo contumax Laurentius. Miniſtri itaque eum exuunt, ſuper cratem ferream extendunt, & prunis ſuppoſitis eum cũ furcis ferreis comprimunt. Dixit autem Laurentius Valeriano: Diſce miſer: quia carbones tui mihi refrigerium, tibi autem æternum ſupplicium præſtant: quia ipſe Dominus novit, quòd accuſatus non negavi eum: interrogatus Chriſtum confeſſus ſum: aſſatus gratias ago. Et ſic pro aſtantibus orans, tandem emiſit ſpiritum. Vnde *Auguſtinus* ait: Corporali laborabat incendio, ſed Divinus ardor materialem reſtrinxit ardorem. Et *Ambroſius* dicit: Quamvis

vis Rex improbus ligna ſubjiceret, incendia majora ſupponeret, tamen ſanctus Laurentius has flammas fidei calore non ſenſit. Et *Leo Papa* inquit: Superari charitatis Chriſti flamma non potuit; & ſegnior fuit ignis, qui foris uſſit, quàm qui intus accendit.

Quartus fuit ignis furentis inſaniæ, ſcilicet perſequentium, quæ fruſtrata eſt. Vnde *Maximus* ait: Superatis flammarum miniſtris omne mundanæ inſaniæ reſtrinxit incẽdiũ: & ad hoc uſque diabolica profecit intentio, ut & vir fidelis ad Deum ſuum glorioſus aſcenderet, & crudelitas perſequentium cum ſuis ignibus confuſa torpeſceret. Furor enim gentilis accenſus craticulam parat ignitam, ut indignationis ſuæ flammas impiis ignibus vindicaret. *Hæc ille*.

SEPTIMO. *Deus ab æterno deſtinavit in corde ſuo beati Laurentii præeminentiam*, quæ in quatuor manifeſtatur.

Primò. In miraculorum operatione, ſcilicet in elongatione cujuſdam trabis, quæ in fabricam Eccleſiæ ſuæ deputata erat. In refectione calicis cryſtallini. In ſuſcitatione domini Stephani Iudicis Romani. In liberatione Henrici Imperatoris.

Secundò. In vigiliarum inſtitutione. Solus enim inter Martyres habet vigiliam. Sed vigiliæ Sanctorum propter multas inordinationes hodie in jejunia commutatæ ſunt. Mos enim fuit antiquitùs, ut in feſtivitatibus Sanctorum homines cum uxoribus, & filiabus ad Eccleſiam convenirent, & ibidem cum luminaribus pernoctarent: quia verò multa inconvenientia in his vigiliis fiebant, ſtatutum fuit, ut vigiliæ in jejunia converterentur. Nomen tamen vetus retentum eſt, ut non jejunia, ſed vigiliæ appellarentur.

Tertiò. In octavarum celebratione. Ipſe nanque ſolus cum S. Stephano habet octavas inter Martyres, ſicut beatus Martinus inter Confeſſores.

Quartò. In indulgentiarum diſtributione. Summus Pontifex certificatus de viſione cujuſdam monachi monaſterii ſancti Laurentii Romæ, & de cingulo ſibi dato per beatum Laurentium, ad cuius tactum ſurrexit quidam defunctus, celebratâ ſolemni Miſsâ, dedit omnibus Chriſti fidelibus verè pœnitẽtibus, confeſſis, Eccleſiam prædictam, & omnes Eccleſias per totum orbem dedicatas in honorẽ ſancti Laurentii, quartâ feriâ devotè viſitantibus, indulgentiam quatuor annorum & quatuor quadragenarum ad laudem Sancti ſui. Amen.

SERMO XLII.

IN FESTO ASSVMPTIONIS B. VIRGINIS MARIAE.

Maria optimam partem elegit. Luc. 10. cap.

DAmaſcenus *in ſermone hodierno* dicit: Hodie Virgo cæleſti templo invehitur, ſacra, & animata arca in templo non manufacto reponitur. Columba innocens avolans ex arca, id eſt, corpore, quo Deum ſuſcepit, pedibus requiem adinvenit.) Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtrum beata Virgo per ſui glorioſam Aſſumptionem obtinuerit beatitudinis omnium Sanctorum fructuoſam perfectionem?

AD iſtam quæſtionem reſpondent tres Doctores novi Teſtamenti. Primus eſt *beatus Hieronymus ad Paulam, & Euſtoch. de aſſumpt. beatæ Virginis tomo 9.* dicens: Legimus, quàm ſæpè ad funera, ſepulturaſque Sanctorum Angelos adveniſſe, & ad exequias eorum obſequia præſtitiſſe, nec non & animas electorum uſque ad cælos cum hymnis, &

laudibus detuliſſe, & eoſdem multo lumine reſplenduiſſe, inſuper & adhuc viventes in carne, ibidem miri odoris fragrantiam diutiùs perſenſiſſe. Si igitur talia, & tanta circa defunctos Deus dignatus eſt exhibere; quantò magis eius Genitrici in die obitus ſui credendum eſt cælorum militiam obviam adveniſſe, eamque ingenti lumine circunfulſiſſe, & uſque ad thronum gloriæ perduxiſſe? Nulli dubium eſt, totam illam cæleſtem curiam ſupernæ Ieruſalem ineffabili lætitia exultaſſe, tunc jucundatam fuiſſe inæſtimabili charitate, tuncque cum omni congratulatione jubilaſſe. *Hæc ille*.

Secundus eſt *ſanctus Bernardus* dicens *ſuper Eccli.* ſequentia verba: Verè in plenitudine Sanctorum detentio eius, cui nunquam defuit fides Patriarcharum, nec ſpiritus Prophetarum, nec zelus Apoſtolorum, nec conſtantia Martyrum, nec ſobrietas Confeſſorum, nec caſtitas Virginum, nec fœcunditas conjugatarum, nec puritas Angelorum.) In tantum enim fuit præ nimia gratiæ plenitudine ponderoſa, quòd, ſi ipſa ſola in una ſtatera poneretur, & ceteri Angeli, & omnes Sancti tam veteris, quàm novi Teſtamenti in ſtatera alia ponerentur; ipſa præ nimia gratiæ abundantia ampliùs ponderaret: quia omnes gratias, quas alii habuerunt particulariter, ipſa habuit univerſaliter; ideo ipſa eſt lucerna civitatis ſupernæ, quod notatur, cùm dicitur Maria, id eſt, Illuminatrix. Vnde illud, quod dicitur de Chriſto, poteſt etiam de ea dici. Apoc. 21. cap. *Lucerna*, ſcilicet illius civitatis ſupernæ, *eſt Agnus*. Similiter lucerna ejuſdem civitatis eſt beata Virgo Maria. Vnde *Bernardus* dicit: Mariæ præſentiâ totus illuminatur orbis, adeo ut & ipſa ſuperna civitas claritate rutilet, virgineæ lampadis illuſtrata fulgoribus.)

Tertius eſt *beatus Thomas tertia parte quæſt.* 27. *artic.* 5. *ad* 2. dicens: In rebus naturalibus primò quidem eſt perfectio diſpoſitionis; puta cùm materia eſt perfectè diſpoſita ad formam. Secundò autem perfectio formæ, quæ eſt potior. Nam & ipſe calor perfectior eſt, qui provenit ex forma ignis, quàm ille, qui ad formam ignis diſponebat. Tertiò autem eſt perfectio finis, ſicut cùm ignis habet perfectiſſimè ſuas qualitates, cùm ad locum ſuum pervenerit. Et ſimiliter in beata Virgine fuit triplex perfectio gratiæ. Prima quidem quaſi diſpoſitiva, per quam reddebatur idonea ad hoc, quòd eſſet Mater Chriſti, & hæc fuit perfectio ſanctificationis. Secunda autem perfectio gratiæ fuit in beata Virgine ex præſentia Filii Dei, in eius utero incarnati. Tertia autem perfectio eſt finis, quam habet in gloria. Quòd autem ſecunda perfectio ſit potior quàm prima, & tertia quàm ſecunda, patet per ordinem ad bonum. Nam primò in ſua ſanctificatione adepta eſt gratiam inclinantem eam ad bonum. In conceptione autem Filii Dei conſummata eſt eius gratia, confirmans eam in bono. In ſui verò glorificatione conſummata eſt eius gratia, perficiens eam in fruitione omnis boni. *Hæc ſanctus Thomas*.

Sciendum eſt, quòd beata Virgo eſt Imperatrix, & Regina cæli propter quatuor.

Primò. Ratione propinquitatis. Nam inter Chriſtum, & beatam Virginem eſt propinquitas filiationis, deſponſationis, & maternitatis. Eſt enim filia Dei. Pſalm. *Ipſe fundavit eam Altiſſimus*. Ideo habet ad ipſam paternum affectum. Pſalm. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam*: uſque: *Quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus*. Eſt etiam ſponſa Dei. Ioann. 3. cap. *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt*. Chriſtus autem eſt ſponſus. Pſalm. *Ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo*. Ideo ad ipſam habet amorem ſyncerum. Sap. 8. cap. *Hanc amavi, & exquiſivi à iuventute mea, & quæſivi eam mihi ſponſam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius*. Eſt etiam Mater Dei. Pſalm. *Homo natus eſt in ea*. Ideo ſuper ipſum habet maternæ auctoritatis imperium, & poteſt ſibi tanquã Mater Filio imperare. Hæc figuratur 3. Reg. 2. cap. ubi Bethſabee, mater Salomonis, imperavit ei, dicens: *Petitionem unam peto à te, ne confundas faciem meam*. Tunc enim faciem ſuam confunderet, quando illud, quod petit, denegaret; ideo Rex ſibi reſpondit: *Pete mater mea: neque enim fas eſt, ut avertam faciem tuam*.

Secundò. Ratione dignitatis. Pſalm. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate*. Vbi dignitas beatæ Virginis declaratur quoad tria.

1. Quoad locũ, cùm dicitur: *Aſtitit Regina à dextris tuis*. Hoc ſignificatur 3. Reg. 2. cap. ubi dicitur: *Poſitus eſt thronus matri Regis, quæ ſedit ad dexteram eius*.

2. Quoad habitum, cùm dicitur: *In veſtitu deaurato*. Apoc. 19. cap. *Vxor Agni præparavit ſe: & datum eſt ei, ut cooperiat ſe byſſino ſplendenti, & candido*. Proverb. ultimo cap.

Byſ-

Byſſus, & purpura indumentum eius. Pſalm. *Myrrha, & gutta, & caſſia à veſtimentis tuis.* Super quo dicit *Glo.* Hìc laudat Prophetaſponſam ab ornatu. His autem aromatibus odor virtutum ſignificatur, qui odor nuptiali gaudio adhibetur, ut in nuptiis fieri ſolet. Habẽt autem iſtæ ſpecies aromaticæ has proprietates. Myrrha enim eſt amara, & conſervat carnem à putredine, & vermes expellit; & ideo myrrha ſignificat carnis mortificationem, quæ, licèt ſit carni amara, tamen conſervat à putredine luxuriæ, & expellit vermes malæ concupiſcentię,& ſic caſtitas cuſtoditur. Gutta expellit omnes inflaturas,& tumores; & ideo ſignificat humilitatem, quæ cordis duritiam curat. Caſſia in aquoſis locis naſcitur, & creſcit, & ſignificat pietatem, quæ naſcitur in cordibus illorum, qui ſunt compaſſibiles,& devoti. Iſtæ tres ſpecies aromaticæ, id eſt virtutes: ſcilicet myrrha caſtitatis, gutta humilitatis, & caſſia pietatis, excellentiſſimè in beata Virgine fuerunt. Eius enim virginitas fuit odorifera Angelo, humilitas Deo, pietas toti mundo. Hoc veſtimentum eſt aureum quoad pretioſitatem, & fulgorem.

3. Quoad obſequium famulorum, cùm dicitur: *Circundata varietate*, ſcilicet Angelorum, & Sanctorum diverſitate, qui omnes beatæ Virgini famulãtur. Vnde *Gilbertus Epiſcopus & Martyr in ſuis homil.* dicit ſic: Solus Dominus Ieſus Chriſtus poteſt ipſam magnificare, quatenus ab ipſius majeſtate laudem accipiat & honorem Angelicis ſtipata choris, Archangelorum vallata turmis, Thronorum hinc inde poſſeſſa jubilationibus,Dominationũ circuncincta tripudiis, Principatuum circunſepta obſequiis, Poteſtatum amplexata plauſibus, Virtutum gyrata honoribus, Cherubim circunſtantiata hymnificationibus, Seraphim undique poſſeſſa ineffabilibus cantionibus. Apoſtolorum ſplẽdidiſſimus ordo ineffabili laude ipſam extollit, Martyrum exercitus omnimodè ſupplicat Dominæ tantæ, Confeſſorum multitudo innumerabilis continuum ſibi perſonat canticum, Virginum candidiſſima concio jugem choream ad ſuam celebrat gloriam, invitè etiam ſibi infernus ululat, & procaciſſimi dæmones conclamant. *Hæc ille.*

Tertiò. Ratione poteſtatis. Ipſa enim tanquam Imperatrix Angelos in miniſterium mittit, & ſecreta palatii cæleſtis eis committit. Vnde *Bernardus in quodam ſermone* dicit: Perſuadet, imo compellit nos celſitudo tua credere,ut regno Filii tui, beatiſſima Virgo Maria, ita imperiosè principaris, quòd per Angelorum miniſteria tuis ſæpe devotis ſubvenias. Si enim Angelus Angelum mittit; confidenter debet credere Chriſtiana devotio, quòd Imperatrix Angelorum tantò magis habet Angelos ad obſequium, quantò differentiùs præ illis nomen hæreditavit. Si enim Ioſue Dux Iſrael juſſit ſolem ſtare; quomodò non omnia ſidera ad nutum Imperatricis glorioſæ diſcurrunt? Si Cherubim, & Seraphim de fonte bibentes inferioribus Angelis quædam arcana revelant, quantò magis glorioſa Virgo de occultis Filii ſui, amplexu eius deguſtato, myſteria Angelis ſuis copioſiùs effundit? *Hæc ille.* Etiam dæmones tanquam proditores de palatio cæleſti expellit. Vnde *Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus* dicit ſic: Maria Mater miſericordiæ materna dignitate facta eſt & erga ſuperos imperioſa charitate, & ſuper inferos, & per diſtrictionem ubique prima, ubique magnifica; cui certè proprium eſt, & Angelos ſanctos in miniſterium mittere; & ad beneplacitum ſuum inferorum pacta caſſare. *Hæc ille.*

Quartò. Ratione auctoritatis. Tantam enim auctoritatem habet in cæleſti palatio, quòd omnibus aliis Sanctis omiſſis, ad ipſam licet in omni gravamine appellare.

1. Si quis gravatur à diabolo, ad ipſam appellare poteſt, ſicut ad Imperatricem. *Exemplum* de Theophilo, depoſito à vicedominatu ab Epiſcopo ſuo, qui deſperatus diaboli ſervũ ſe fecit, chirographo propria manu ſcripto, & diabolo tradito. Tandem quippe in ſe reverſus, & pœnitens, ad Reginam cæli appellavit, & ipſa omnia irritavit, chirographum Theophilo reddi juſſit, & veniam, ac gratiam eidem promeruit.

2. Si quis gravatur à tyranno,ad ipſam appellare poteſt, ſicut ad Reginam mundi. *Exemplum* de Baſilio, cui Iulianus apoſtata vadens ad prælium, cùm minatus fuiſſet, quòd in reditu ſuo civitatem eius deſtrueret, ſanctus Baſilius ad beatam Virginem appellavit; quæ militem quendam nomine Mercurium ſuſcitavit, qui ſuper equum aſcendens, & ad Iulianum pergens, lanceâ in eum directâ ipſum occidit. Vnde *Gilbertus* dicit ſic: Veniant ad beatam Mariam juſti cum Baſilio, effectum celerem percepturi. Veniant & peccatores cum Theophilo, in au-

xilium Mariam adepturi.)

3. Si quis gravatur à corpore proprio, ad ipſam appellare poteſt, ſicut ad Reginam. *Exemplum* de Maria Ægyptiaca, quæ multo tempore carnali concupiſcentiæ inſervivit, tandem ad beatam Virginem confugit, & appellavit, & ſic concupiſcentiam vicit, & caſtitatem ſervavit.

4. Si quis gravatur à juſtitia Dei, ad ipſam appellare poteſt, ſicut ad Imperatricem. Exemplum habetur *Eſther* 5. *cap.* Cùm enim Rex Aſſuerus Judæis eſſet iratus, Regina Eſther ad eum placandum acceſſit; cui Rex dixit: *Etiam ſi dimidium regni mei petieris, dabo tibi*. Iſta eſt beata Virgo, cum qua Deus diviſit regnum ſuum. Nam, cùm Deus habeat juſtitiam, & miſericordiam; juſtitiam ſibi retinuit, & beatæ Virgini Mariæ miſericordiam contribuit. Ideo ſi quis gravatur à foro juſtitiæ Dei, appellet ad forum miſericordiæ Dei. Hebr. 4. cap. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno*. Et cùm beata Virgo ſit thronus miſericordiæ Dei, quæ ſuperexaltat juſtitiam Dei; ideo

Maria optimam partem elegit

Legis Divinalis. Legis ſapientialis.
Legis naturalis. Legis ſpiritualis.
Legis Prophetalis. Legis finalis.

PRIMO. *Maria optimam partem elegit legis Divinalis*. Sciendum, quòd in lege Divinali continentur ſeptem mirabilia, quæ beata Virgo perfectiſſimè in ſe habuit.

Primò. Ignis æternus. Hebr. 12. cap. *Deus noſter ignis conſumens eſt*. Sicut enim ignis nullam permixtionem patitur propter ſui puritatem, ſed alia purificat; ſic Deus eſt tantæ puritatis, quòd nullam imperfectionē in ſe recipit, quin potiùs alia perficit. Hic ignis in ventre Virginis novem menſibus habitavit, quo tota fuit inflammata: quoniam totam ipſam Divinus amor implevit. *Hieronymus*. Mariam totam impleverat Spiritus ſanctus, totam incaluerat Divinus amor, ita ut in ea nihil eſſet, quod mundanus violaret affectus.) Et ſicut aurum ad præſentiam ignis liqueſcit; ſic anima beatæ Virginis ad præſentiam ignis Divini tota liquefacta eſt. Cantic. 5. cap. *Anima mea liquefacta eſt*. Vnde *ſanctus Odilo* dicit: Credimus, eam gaudiis interfuiſſe Aſcenſionis dominicæ, & in die Pentecoſtes cum Apoſtolis Spiritum ſanctum accepiſſe, quam conſtat à conceptione Chriſti pleniſſimè habuiſſe.) Ipſa enim Divinum ignem, & Spiritum ſanctum habuit per devotam orationem. Act. 1. cap. *Hi omnes erant perſeverantes in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Ieſu. Bernardus ſuper Miſſus eſt*, dicit ſic: Ingreſſus eſt Angelus ad eam. Quò ingreſſus? Puto, quòd in ſecretarium pudici cubiculi, ubi fortaſſis illa clauſo ſuper ſe oſtio, Patrem ſuum orabat in abſcondito. Solent nimirum Angeli aſtare orantibus, & in eis delectari, quos vident in oratione puras manus levare.)

Præterea ignem Divinum obtinuit per profundam humiliationem. Pſal. *Qui emittis fontes in convallibus*. Id eſt, gratiam præſtat humilibus; quæ maximæ fuit humilitatis. Luc. 1. cap. *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*. Vnde *Petrus Ravennas de Annunciatione beatæ Virginis*: Ecce quam vocavit Angelus Dominam, ipſa ſe cognoſcit, & fatetur ancillã: quia devotus animus infuſis beneficiis creſcit ad obſequium, & augetur ad gratiam, non ad ſuperbiam pertumeſcit, non ad arrogantiam proſilit.)

Rursùs ignem Divinum promeruit per purificationem. Pſal. *Cor mundum crea in me Deus: & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis*. Quam purificationem ipſa habuit, cùm Deus Pater ipſam ſanctificavit. Pſalm. *Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus*: ſcilicet in conceptione ſua, & in conceptione Chriſti. Lucæ 1. cap. *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te*. *Anſelmus*. Decebat, ut illius hominis conceptio, id eſt, Ieſu Chriſti ex ea Matre fieret, quæ ea puritate niteret, quâ maior ſub Deo nequit intelligi.

Item ignem Divinum habuit per tranquillam mentis devotionem, ſicut Chriſtus dixit Apoſtolis Lucæ ultimo cap. *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto*. Sedete, id eſt, à ſuperfluis curis quieſcite. Hanc vacationem habuit, quæ in ſuo thalamo clauſa manſit. *Bernardus ſuper Miſſus eſt*: Non eſt ſuſpicandum, quòd Angelus apertum invenerit oſtium Mariæ, cui nimirum in propoſito erat, frequentias hominum fugere, colloquia vitare, ne vel orantis ſilentium turbaretur, vel continentis caſtitas turbaretur.

Secundò. In lege Divinali continetur ſplendor Divinus. Hebr. 1. cap. *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ*. Hic enim ſplendor novem

men-

menſibus in ea habitavit, qui eam totam ſplẽdidam fecit, & illuminavit. Apoc. 12. cap. *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta ſole*. Id eſt, Divino ſplendore. Nam ipſa dicit illud Eccli. 24. cap. *Penetrabo inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino*. Ipſa enim illuminat obſcuros, ad expellendum tenebras peccati. Ipſa etiam illuminat neglĩgentes, & tepidos, juxta illud Epheſ. 5. cap. *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis: & illuminabit te Chriſtus*. Ipſa etiam illuminat in Deo ſperantes, & ſibi devotos, conſervando in lumine gratiæ Dei.

Tertiò. In lege Divinali continetur theſaurus ſapientiæ. Coloſſ. 2. cap. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi*. Hic theſaurus ſapientiæ fuit in ventre Virginis novem menſibus, qui eam ſapientiſſimam fecit. *Bernardus*. Quid de Deo non ſapiebat, in quo Dei ſapientia latebat?) Nam Angelus neſcivit explicare modum Incarnationis Chriſti, ſed ſolùm illud nunciavit. *Idem*. Spiritus ſanctus ſuperveniet, id eſt, ſuper Angelos, & omnem creaturam in te veniet; & ideo non me interroges: quia ſupra me eſt, & ad illud non potero. Aſcende ergo tu, & ne ſteteris inter Angelos: quia paululum cùm pertranſieris eos, invenies, quem diligit anima tua. Modus, quo de Spiritu ſancto concipies, Dei virtus eſt, & Dei ſapientia. Chriſtus in ſuo ſecretiſſimo concilio ſic obumbrando conteget, & occultabit, ut tantùm ſibi notus habeatur, & tibi. Scies utique, ſed illo Doctore quo auctore: non enim doceri poteſt, niſi à donante; nec poteſt addiſci, niſi à ſuſcipiente. Quis enim exceptâ fortaſsis illâ, quæ hoc ſola experiri meruit, intellectu capere poſsit, qualiter ille ſplendor inacceſsibilis virgineis ſe viſceribus infuderit? Et fortè dictum eſt, obumbrabit tibi: quia quod ſola per ſe Trinitas in ſola, & cum ſola Virgine voluit operari, ſoli datum eſt noſſe, cui datum eſt experiri: ac ſi dicat Angelus: Quid à me requiris, quod in te mox experieris, *Hæc ille*.

Quartò. In lege Divinali continetur fons miſericordiæ. Gen. 2. cap. *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis*. Hic fons pervenit ad nos per beatam Virginem, ſicut per aquæductum. Eccli. 24. cap. *Ego quaſi aquæductus exivi de paradiſo*, & de deliciis miſericordiarum Dei. Per iſtum aquæductum fluunt aquæ gratiarum de cælo in mundum. Vnde ſequitur: *Dixi: Rigabo hortum meum plantationum*. Et *Bernardus in ſermone de Nativitate Beatæ Virginis de aquæductu*. Deſcendit per aquæductum vena illa cæleſtis, non tamen fontis exhibens copiam, ſed ſtillicidia gratiæ arentibus cordibus noſtris infundens, aliis quidem plus, aliis minus. Plenus equidem aquæductus, ut accipiant ceteri de plenitudine, ſed non plenitudinem ipſam. Advertiſtis jam, ni fallor, quem velim dicere aquæductum, qui plenitudinem fontis ipſius de corde Patris excipiens, nobis edidit illum, ſed ſi non prout eſt, prout capere poteramus. Noſtis enim, cui dictum eſt: Ave gratiâ plena. An verò inveniri potuiſſe miramur, unde talis ac tantus fieret aquæductus, cuius nimirum ſummitas inſtar profectò ſcalæ Iacob cælos tangeret, imo & tranſcenderet cælos, ut vividiſſimum illum aquarum, quæ ſuper cælos ſunt, poſſet attingere fontem? Sed quomodò noſter hic aquæductus fontem attingit adeo ſublimem? Quomodò putas, niſi vehementiâ deſiderii, fervore devotionis, puritate orationis? Sicut ſcriptum eſt: Oratio juſti penetrat cælos. Et quis juſtus, niſi Maria juſta? de qua ſol juſtitiæ ortus eſt nobis. Quomodò ergo illa inacceſſam attigit Majeſtatem, niſi pulſando, petendo, quærendo? *Hæc ille*.

Quintò. In lege Divinali continetur niveus candor. Sap. 7. cap. *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula*. Hic candor puritatis refulſit in beata Virgine. Cant. 4. cap. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*. Cuius puritas non eſt paſſa ullam impuritatem ſibi permiſceri. Sap. 7. c. *Nihil inquinatum in eam incurrit*. Non enim ſibi ſe immiſcuit peccatum originale: quia fuit in utero à Spiritu ſancto ſãctificata. Nec aliquod mortale: quia fuit Patris potentiâ roborata. Nec aliquod veniale: quia fuit à ſplendore Filii illuſtrata. Nec aliquod actuale: quia fuit ab igne Spiritus ſancti inflãmata: Vnde quamvis eſſet pulcherrima, à nullo tamen unquam potuit concupiſci: quia eius puritas aliorum corda medullitùs penetrabat, & in eis omnes motus illicitos extinguebat. *Hieronymus in ſerm. de Aſſumptione*: Iure ſole perhibetur amicta, quæ luci illi inacceſſibili, & immarceſcibili videtur immerſa. Neque enim ab illa luce dicta eſt tangi, ſed operiri magis, & circunfundi, & tanquam ipſo igne concludi.)

Sextò. In lege Divinali continetur Divinus

nus odor, de quo dicitur Eccli. 24. cap. *Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris*. Hic odor fuit in beata Virgine. Ibidem. *Sicut cinamomum, & balſamum aromatizans odorem dedi*. Nam cinamomum, quando eſt bonum, & laudabile, multiplicem habet virtutem, & maximè valet contra vulnera labiorum. Quæ autem ſunt vulnera labiorum, niſi peccata locutionum? Iſta locutionum vulnera ſanat Virgo beata ex ſua locutione moderata. Omnia enim verba ſua fuerunt vulnerum noſtrorum medicina, & noſtrarum locutionum exempla. Ipſa enim fuit diſcreta in quærendo, quando dixit: *Quomodò fiet iſtud?* &c. Fuit humilis in obediendo, quando dixit: *Ecce ancilla Domini*, &c. Fuit curialis in ſalutando, quando ſalutavit Eliſabeth. Fuit grata in regratiando, quando beneficia Dei recognoſcens, dixit: *Magnificat anima mea Dominum*, &c. Fuit modeſta in reprehendendo, quando dixit: *Fili, quid feciſti nobis ſic* &c. Non enim eum maledixit, vel turbata increpavit, ſed cum modeſtia corripuit. Fuit pia in compatiendo, quando compaſſa eſt ſponſo, cui vinum defuerat; ideo dixit: *Vinum non habent*. Fuit ſapiens in conſulendo, quando dixit miniſtris: *Quodcunque dixerit vobis, facite*. Cant. 1. cap. *Curremus in odorem unguentorum tuorum*. Et Eccli. 24. cap. dicit de ſe: *Quaſi balſamum non mixtum odor meus*.

Eſt autem balſamum frutex duorum cubitorum in quantitate, ſimilis viti in ſtipite, in foliis autem ſimilis rutæ; unde poteſt dicere illud Gen. 40. c. *Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, creſcere paulatim in gemmas, & poſt flores uvas matureſcere.* Per vitem intelligitur Chriſtus. Ioann. 15. cap. *Ego ſum vitis vera*. Per tres propagines intelliguntur tres Divinæ Perſonæ. Nam in utero Virginis fuit Chriſtus velut vitis, ad cuius Incarnationem convenerunt Pater, qui hanc Incarnationem fecit; Filius, qui incarnatus eſt; Spiritus ſanctus, cuius virtute Chriſtus incarnatus eſt. In Chriſto fuerunt tria: ſcilicet natura Divina, Anima, & caro, velut gemmæ, flores, & uva.

Septimò. In lege Divinali continetur ſuavis dulcor. Eccli. 24. cap. *Spiritus meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel, & favum*. Hic dulcor fuit in beata Virgine. Cant 2. cap. *Fructus eius dulcis gutturi meo*. Sicut enim Petrus in Chriſti Transfiguratione tantâ iſtius fructus fuit plenus dulcedine, quòd inde nolebat diſcedere (Pſalm. *Guſtate, & videte: quoniam ſuavis eſt Dominus*. Et David. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine!*) ſic beata Virgo in Chriſti conceptione mira ſuavitate fuit repleta, ut omnibus memoriam ſuavitatis, & dulcedinis ſuæ eructaverit. *Bernardus*. Copioſiſſimâ charitate Virgo Maria ſapientibus, & inſipientibus debitricem ſe fecit: omnibus miſericordiæ ſinum aperit, ut de plenitudine eius accipiant univerſi: captivus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, juſtus gratiam, Angelus lætitiam. Denique tota Trinitas gloriam; Filii Dei Perſona carnis humanæ ſubſtantiam, ut non ſit, qui ſe abſcondat à calore eius. *Hæc ille*.

Quia verò beata Virgo meruit eſſe Mater Dei, & theſauraria ſecretorum cæleſtium; ideo Deus Pater, Filius, & Spiritus ſanctus hodie volentes eam honorare ſuper omnes creaturas, convocatis ad concilium quatuor dominabus, quarum diffinitione cuncta agunt, propoſuerunt: an beata Virgo hodie debeat aſſumi in cælum cum corpore & anima.

1. Acceſſit domina *Iuſtitia* dicens: Iuſtus es Domine, & rectum judicium tuum. Cùm ergo valde honores corpora Sanctorũ in terris, multò magis honorare debes corpus tuæ Matris. In magno enim honore vis haberi Crucem, quæ Chriſtum ad horam portavit, corpora Sanctorum, quæ fuerunt organa Spiritus ſancti, imagines pictas, quæ Sanctos repræſentant; ergo magis debes honorare corpus beatæ Virginis, in quo Chriſtus novem menſibus habitavit, quod fuit Spiritus ſancti organum, & Chriſti ſpeciale domicilium, totius Trinitatis nobile triclinum, in quo imago Dei illaba permanſit, in quo Dei Filius, qui eſt imago Patris, habitavit, per quam imago hominis, quæ corrupta erat, reparata fuit. Sed multorum Sanctorum corpora integra, & illibata conſervas, quorundã verò corpora miraculorum gloriâ illuſtras, quorundam autem crebra viſitatione fidelium magnificas, quorundam porrò ſepulcra auro, & gemmis exornas, quorundam Angelicis manibus ſepulcris præparatis exaltas. Cùm ergo corpus Virginis Mariæ non ſit minoris dignitatis, imo majoris; ideo magis debet honorari, ſcilicet per Aſſumptionem in cælum.

2.

2. Acceſſit domina *Potentia*, dicens illud *de Aſſumpt. B. Virginis tom. 9. lib. unico, qui Auguſtino tribuitur*: Si in poteſtate Salvatoris eſt, Sanctorum de capite capillum non perire, eſt & Matrem Mariam animâ, & corpore integrè poſſe ſervare. De cuius poteſtate, ſi nullus dubitet Eccleſiaſticorum; cur dubitandum eſt, voluiſſe quod attinet ad tantæ benignitatis gratiam? Si elegit Divina voluntas ſolâ gratiâ inter crepitantes vehementium ignium flammas non ſolùm puerorum corpora ſervare illæſa, verùm & veſtimenta ſervare inuſta; cur abnuat in Matre propria, quod elegit in veſte aliena? Ionam in ventre ceti præter naturalem uſum ſervavit incorruptum ſola miſericordia; Mariam incorruptam præter naturam non ſervabit gratia? Servatus eſt Daniel ab intemperatiſſima fame leonum; & non eſt ſervanda Maria tantis dotata meritis dignitatum, quam in vita præ ceteris gratia ſui conceptus honoravit? *Hæc Auguſtinus*. Qui ex ea naſcens potuiſti Virginem relinquere; ergo in morte ſingulari ſalvatione, & ſpirituali gratia potes eam à putredine, & pulvere alienam facere.

3. Acceſſit domina *Bonitas* dicens: Boni filii eſt magis parcere matri, quàm ſibi. Tam bonus Filius fuit Chriſtus, quòd in hac vita mortali, & maximè in partu magis pepercit Matri, quàm ſibi: quia tunc voluit Matrem gaudere, juxta illud: *Dum paris, & gaudes, cantant cæli agmina laudes*. Ipſe autem voluit flere, juxta illud Sap. 7. cap. *Primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans*. Cùm ergo poſt hanc vitam ſibi ipſi pepercerit ab illa ſententia, quâ dictum eſt: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*: ergo ad bonitatem Filii pertinet, quòd matrem excipiat ab eadem ſententia, juxta illud Pſalm. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*.

4. Acceſſit domina *Sapientia* dicens illud Proverb. 9. capite: *Sapientia ædificavit ſibi domum*. Sapiens autem architectus domum pulchram facit intus, & extra. Domus verò beatæ Virginis etiam in vita mortali fuit tota pulchra, & interius in anima per puritatem, & exterius in corpore per virginitatem. Si ergo in hac vita Sapientia Dei ædificavit ſibi domum pulchram, ad eandem Sapientiam pertinet eam etiam poſt hanc vitam non diminuere, ſed augere, ut ſit pulchra intus in anima per felicitatem, & extra in corpore per immortalitatem, juxta illud Cant. 4. cap. *Tota pulchra es, amica mea*.

His auditis, Deus Pater clamavit ad beatam Virginem, dicens illud Cantic. 2. cap. *Surge, propera, amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni: iam enim hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit. Veni de Libano ſponſa mea: veni, coronaberis*. Vbi dicit *Hugo de ſancto Victore*. Hyems, & imber eſt vita mortalis, quæ tanquam hyems ad aggrediendum bonum eſt pigra, ad perſeverandum eſt nubila, & tanquam imber eſt ad malum laſciva.)

Beata Virgo reſpondit illud Pſalm. *Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me*. Vnde *Hieronymus in ſermone* dicit ſic: Regina cæli hodie de præſenti ſeculo nequam eripitur, ſecuraque de ſua immarceſcibili gloria cæli palatium ingreditur, ubi una civitas Civium ſupernorum, ubi dulcis ſocietas Angelorum, ubi poſt labores, & ærumnas felix, & ſuavis refectio animarum.) Quâ aſſumptâ in ſede Trinitatis ſanctiſſimæ collocata eſt. Vnde *Bernardus*. Sublimis iſta dies, & ſplendor ſole refulgens, in qua Virgo regalis ad thronum Dei Patris vehitur, & in ipſius Trinitatis ſede repoſita naturam Angelicam ſolicitat ad videndum.

Tunc Deus Pater poſuit coronam auream ſuper caput eius, expreſſam ſigno ſanctitatis, *Eccli. 45. cap.* De qua corona dicitur Apoc. 12. cap. *In capite eius corona ſtellarum duodecim*. Quæ ſunt duodecim beneficia, quæ nobis exhibet; unde Regina mundi vocatur, juxta illud: *Ave mundi Princeps, & Regina*.

Prima ſtella eſt lapſorum ſublevatio. Dan. 11. cap. *Cumque corruerint, ſublevabuntur auxilio parvulo*. Id eſt, auxilio beatæ Virginis, quæ parvula dicitur propter ipſius humilitatem, &c.

Secunda ſtella eſt ſordidorum lavatio. 1. Reg. 25. cap. *Ecce famula tua ſit in ancillam, ut lavet pedes ſervorum tuorum*. Hæc dixit Abigail ad David, id eſt, Maria ad Chriſtum, quæ vult lavare conſcientias noſtras, intellectum, & affectum à ſordibus vitiorum, &c.

Tertia ſtella eſt cæcorum illuminatio. Eccli. 24. cap. *Illuminabo omnes ſperantes in Domino*.

Quarta ſtella eſt deſolatorum lætificatio. Cant. 1. cap. *Meliora ubera tua vino*. Scilicet lætificando.

Quin-

Quinta ſtella eſt tentatorum adjuvamen. Eccli. 24. cap. *Quaſi Platanus*, quæ habet folia ad modum ſcuti, *exaltata ſum iuxta aquas.* Id eſt, juxta populos baptizatos. Et Pſ. eam alloquitur, dicens: *Apprehende arma, & ſcutum: & exurge in adiutorium mihi. Effunde frameam*, &c.

Sexta ſtella eſt obduratorum mollificatio. Numeri 20. cap. *Cumque percuſſiſſet Moyſes virgâ bis ſilicem, egreſſa ſunt aquæ largiſtimæ.* Virga eſt beata Virgo, juxta illud: *Virgo Dei Genitrix virga eſt.* Silex eſt cor durum. Bina percuſſio fit, quando facit hominem peccatorem declinare à malo, & facere bonum, à quo egrediuntur aquæ lacrymarum largiſſimæ.

Septima ſtella eſt mortuorum vivificatio. Eccli. 24. cap. *In me omnis ſpes vitæ, & virtutis.*

Octava ſtella eſt in adverſis roboratio. Iſaiæ 26. cap. *Vrbs fortitudinis noſtræ Sion.* Id eſt, beata Virgo.

Nona ſtella eſt viæ ſalutis demonſtratio. Hæc eſt columna, quæ filios Iſrael introduxit in terram promiſſionis. Pſal. *Dedit nubem in protectionem eorum: & ignem, ut luceat eis per noctem.*

Decima ſtella eſt in morte protectio. Eccli. 15. cap. *Obviabit illi, quaſi mater honorificata.*

Vndecima ſtella eſt contra ignem purgatorii refrigeratio. Ierem. 18. cap. *Nunquid de petra agri deficiet nix Libani?* Id eſt, refrigerium de Maria poſt mortem noſtram?

Duodecima ſtella eſt in vita cæleſti ſuæ præſentiæ delectatio. Iudith 15. cap. *Tu gloria Ieruſalem, tu latitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri; & ideo erit benedicta in æternum.* Et ſic patet quomodò Maria optimam partem elegit legis Divinalis.

SECVNDO. *Maria optimam partem elegit legis naturalis.* Sciendum, quòd inter cetera creata rationalis creatura excellẽtiori quodam modo Divinæ providentiæ ſubjacet, in quantum & ipſa ſit Divinæ providentiæ particeps, ſibi ipſi, & aliis providens. Vnde & in ipſa participatur ratio æterna, per quam habet naturalem inclinationem ad debitum actum, & finem; & talis participatio legis æternæ in rationali creatura lex naturalis dicitur. Vnde cùm Pſalm. dixiſſet: *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ*: quaſi quibuſdam quærentibus, quæ ſunt opera juſtitiæ, ſubjungit: *Multi dicunt, quis oſtendit nobis bona?* Cui quæſtioni reſpondens, ait: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine.* Quaſi lumen naturalis rationis (quo diſcernimus, quid ſit bonum, & quid ſit malum, quod pertinet ad naturalem legem) nihil aliud ſit, quàm impreſſio Divini luminis in nobis. Continet enim lex naturalis duo præcepta. Primum eſt negativum, ſcilicet: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Secundum eſt affirmativum, ſcil. Omnia quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis.

Beata Virgo elegit optimam partem huius legis naturalis: quia ordinavit vitam ſuam, quantùm ad alios, ſecundùm iſta duo præcepta juſtitiæ. Nam primum præceptum ſervavit: quia nullum unquam læſit. Vnde *Ambroſius de Virginibus lib.* 2. dicit: Nullum fuit ſolita lædere, omnibus benè velle, majoribus natu aſſurgere, æqualibus non invidere, jactantiam fugere, rationem ſequi, amare virtutem. Quando iſta vel vultu læſit parentes? Quando diſſenſit propinquis? Quando faſtidivit humilem? Quando irriſit debilem? Quando vitavit inopem?) Et *Hieron. citatus à S. Bonav. in medit. vitæ Chriſti cap.* 3. Hanc iraſcentem nullus vidit, hanc maledicentem nullus audivit: omnis ſermo eius ita erat gratiâ plenus, ut cognoſceretur in lingua eius Deus.)

Secundum præceptum ſervavit: quia omnibus profuit quadrupliciter.

1. Verbo. Quia ſocias ſuas ſemper ad bonum informabat. *Hier. citatus ubi ſuprà.* Solicita erat circa ſocias ſuas, ne aliqua ex eis in ullo ſermone peccaret, ne aliqua in riſu vocẽ exaltaret, ne aliqua iniurias aut ſuperbiã contra parẽ ſuã exerceret. Sine intermiſſione benedicebat Deum; & ne fortaſsè in ſalutatione ſua à laudibus Domini tolleretur, ſi quis eam ſalutabat, illa pro ſalutatione ſua Deo gratias reſpondebat. Ab ipſa enim primò proceſsit, ut dum ſalutantur homines ſancti, Deo gratias dicant.)

2. Profuit obſequio. Quia tribus menſibus in obſequio Eliſabeth manſit. *Ambroſius ubi ſuprà.* Quàm religioſa in propinquas fuerit, Scriptura Divina commemorat. Nam & humilior facta eſt, ubi à Deo ſe cognovit electam; & ſtatim ad cognatam ſuam in montana proceſsit, non utique ut exemplo crederet, quæ jam crediderat oraculo. Beata enim, inquit, quæ credidiſti. Et tribus cum ea menſibus manſit. Tanti autem intervallo temporis non fides quæritur, ſed pietas exhibetur.)

3.

3. Profuit temporali ſubſidio. Vnde in perſona ſui dicitur de muliere forti Proverb. ultimo cap. *Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem*. Nam totum aurum, quod Magi obtulerunt, pauperibus tribuit, ita quòd poſtmodum in purificatione non habuit, unde poſſet emere agnũ. *Hieronymus ubi ſuprà*: De eſca, quam de manu Angeli virgo accipiebat, ipſa reficiebatur: quæ verò à Pontificibus accipiebat, pauperibus erogabat. Quotidie videbantur Angeli loqui ei, & quaſi chariſſimi obtemperabant ei.)

4. Profuit exemplo. Quia eius vita fuit omnibus ſanctitatis ſpeculum, & religionis exemplum. *Ambroſius ubi ſuprà*. Sit nobis tanquam in imagine deſcripta vita Mariæ, de qua velut ex ſpeculo, refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis. Hinc ſumatis exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magiſteria probitatis expreſſa, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, oſtendunt. Prodire de domo neſcia, niſi cùm ad Eccleſiam conveniret; & hoc ipſum cum parentibus, & propinquis. Domeſtico operoſa ſecreto, forenſi ſtipata comitatu, nullo tamen meliore cuſtode, quàm ſeipsâ, quæ inceſſu aſpectuque venerabilis, non tam veſtigium pedis tolleret, quàm gradum virtutis attolleret.) Et *Hieronymus ubi ſuprà*. In vigiliis inveniebatur prior, in ſapientia legis eruditior, in humilitate humilior, in carminibus David præſtantior, in charitate gratioſior, in puritate purior, & in omni virtute perfectior.) Quia ergo beata Virgo mundum ſuis illuminabat exemplis, ideo de ipſa dicitur Eccli. 26. cap. *Sicut ſol oriens mundo in altiſſimis Dei, ſic mulieres bonæ ſpecies in ornamentum domus eius*. Nam ſol eſt Chriſtus, mundus eſt beata Virgò, quæ illuminata à Deo illuminat totam Eccleſiam militantem. Quomodo autem beata Virgo dicatur mundus, oſtendit *Cyprianus* dicens: Lego, & intelligo: quia Virgo Maria eſt quidam mundus intelligibis, & admirabilis, cuius terra ſoliditas humilitatis, cuius mare latitudo charitatis, cuius cælum altitudo converſationis & contemplationis, cuius ſol ſplẽdor intelligentiæ, cuius luna decor munditiæ, cuius Lucifer fulgor ſanctitatis, cuius Arcturus gratia ſeptiformis, cuius ſidera aliarum virtutum ornamenta pulcherrima.) Nam perfectiones virtutum, quas Patriarchæ habuerunt in lege naturæ, beata virgo pleniùs habuit, ut patet.

Adæ, velut primo parenti totius humani generis, collata eſt à Deo juſtitia originalis, per quam juſtos homines generaret; ſed per peccatum hâc perditâ ſuam poſteritatem corrupit, & ad mortem condemnavit. Beata Virgo, ſervatâ innocentiâ integrali, vitam omnium viventium, ſcilicet Chriſtum ſolem juſtitiæ per ſui obedientiam de cælo traxit ad terram, per quem nocentes, & peccatores ad ſtatum ſempiternalis juſtitiæ, & vitam immortalem perducuntur.

Vxori Noe ſimul cum viro ſuo Noe collata eſt à Deo ſapientia fabricandi arcam, per quam genus humanum præſervatum eſt à vaſtitate diluvii. Beata Virgo mirâ ſapientiâ fabricans Corpus humanum Ieſu Chriſti, qui eſt arca Sapientiæ Dei, omnes electos in una fide ſalvavit. Qui extra hanc arcam inventi fuerint, peribunt regnante diluvio falſarum doctrinarum: ut Philoſophi, Hæretici, ſchiſmatici, apoſtatæ, obſtinati, velut corvi ex arca ejiciendi.

Evæ tanquam primæ matri collata eſt à Deo fœcunditas integralis, per quam ſine corruptione genus humanum propagaret; ſed hâc perditâ facta eſt miniſtra ſeductionis, mediatrix prævaricationis, ex ſe naſcituros tranſmittens ad inferos. Beata Virgo virginali fœcunditate miniſtravit benedictum fructum humano generi velut miniſtra propitiationis, & mediatrix redemptionis, ex ſua prole natos dirigens ad Superos.

Enoch collata eſt à Deo gratia præſervationis, qui cum Deo ambulans, à peccatoribus ſegregatus, translatus eſt in paradiſum. Beata Virgo copioſiori ſanctificatione benedicta eſt à Deo, quæ non ſolùm ipſius ortum ſanctificavit, ſed etiam vitam deinceps ab omni peccato immunem conſervavit, quæ verè fuit paradiſus terreſtris, in quem Deus ipſe translatus eſt. Cant. 4. cap. *Hortus concluſus, ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus*, &c.

Melchiſedech collata eſt à Deo gratia benedictionis. Hic enim Sacerdos Dei ſummi obviavit Abrahæ egreſſo à cæde Regum, & benedixit ei offerens panem, & vinum. Beata Virgo æternam benedictionem nobis attulit, generans Chriſtum Regem, & Sacerdotem, qui nobis miniſtravit Carnem ſuam, & Sanguinem ſuum in Sacramento viſibili ſub ſpeciebus panis, & vini, quibus ſalubriter communicamus.

Abrahæ collata eſt à Deo gratia promiſſionis, qui prolis fœcunditate dotatus miracu-

Digitized by Google

losè, pater multarum gentium dictus eſt. Beata Virgo ſuper omnes creaturas ad ineffabile myſterium Incarnationis dominicæ vocata pariter & electa, Redemptoris omnium Mater dicta eſt, quæ tam excelſam Prolem genuit, per quam omnis hominum generatio ſpiritualis procedit.

Rebeccæ collata eſt à Deo gratia electionis, quæ Deo diſponente virum ſuum decepit, ut abjecto Eſau Iacob benediceret. B. Virgo ſingulari beneficio, & privilegio vitam abſque omni peccato ducens, peccati mortiſque peremptorem peperit, vitæ juſtitiæque munus omnibus oſtendit, qui Divinitate occultata diabolo ejecto hominem benedixit.

Racheli collata eſt à Deo gratia dilectionis, ob cuius formoſitatem, & pulchritudinem ſervivit Iacob Laban quatuordecim annis. Beata Virgo mira præfulſit pulchritudine, quæ plena fuit gratiâ, de qua dicit Chriſtus Sap. 8. cap. *Quæſivi mihi hanc ſponſam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius*. Cui ſervivit, & obediens fuit triginta annis, ut patet.

Iſaac collata eſt à Deo gratia prædeſtinationis, qui ſua oratione ſterilitatem ab uxore ſua abſtulit, quæ geminos concepit: hic æternam prædeſtinationem implevit, quando volens benedicere filium majorem, benedixit minorem. Beata Virgo fœcundationem ſterilis Eliſabeth edocta meruit ſua oratione ſalutem populorum concipere, ſcilicet Ieſum Chriſtũ geminæ ſubſtantiæ, & unius perſonæ, quæ Gentilem populum tanquam minorem prælegit Iudaico populo in benedictione.

Iacob collata eſt gratia venerationis, qui ſcalam in via poſitus attingentem cælum, per quam Angeli deſcendebant ad eum confortandum, & venerandũ, & aſcendebant, Dominumq; innixum ſcalæ vidit. B. Virgo per plenitudinem gratiæ facta eſt ſcala, per quam Deus deſcendit ad hominem, ut homo aſcenderet ad Deum; quam Angeli admirantes deſcendunt ad eam venerandum, & eidem congratulandum, & aſcendunt per eius Aſſumptionem ad ipſam honorandũ cum Chriſto, qui facit eam conſedere ſecum in cæleſtibus, ut patet.

Ioſeph collata eſt gratia proviſionis, qui factus dominus Ægypti, providit per ſeptem annos univerſæ terræ de frumento. Invitavit etiam fratres ſuos, ut comederent ſecum panem. Beata Virgo electa Regina mundi à Deo providit humano generi, ne morte æterna periret, de frumento, concipiens Chriſtum, qui eſt granum frumenti. Invitavit etiam omnes in Chriſtum credentes, ut in Sacramento panis Chriſto communicent, juxta illud: *Ego ſum Panis vivus, qui de cælo deſcendi*, &c.

Abel collata eſt gratia martyrii, & paſſionis, qui primus hoſtiam obtulit Deo, pro qua ſanguinem ſuum fudit, propter quam juſtus à Deo vocatus eſt. Beata Virgo ſuaviſſimam Hoſtiam obtulit Deo Patri, & toti mundo, ſcilicet Chriſtum, de quo dicitur: *O verè digna Hoſtia*, &c. Martyriũ paſſa fuit, juxta illud: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*. Super quo *Bern.* dicit: Verè tuam, ò beata Mater, animam gladius pertranſivit, quando crudelis lancea Filio jam mortuo latus aperuit. Ipſius nimirum jam ibi anima non erat, ſed tua planè avelli nequibat; ut plus quàm Martyrem te non immeritò prædicemus, in quâ profectò ſenſum corporeæ paſſionis cauſaret affectus compaſſionis.) Ecce quomodo iſti duodecim Patriarchæ ſalutabant beatam Virginem dicentes: *Ave Maria*, ut conſtat ex primis litteris ſuorum nominum; conficientes coronam duodecim lapidum pretioſorum, quam Chriſtus hodie ejdem impoſuit. Pſalm. *Quoniam prævenisti eam in benedictionibus dulcedinis: poſuisti in capite eius coronam de lapide pretioſo*. Et hoc aſſumendo eam in cælum in corpore & anima, quam Aſſumptionem præviderant in figura duplici.

Prima eſt de fonte paradiſi. Gen. 2. capite: *Fons aſcendebat de terra ad irrigandam ſuperficiem terræ, qui inde dividitur in quatuor capita*. Iſte fons eſt beata Virgo, ut patet Eſther 10. cap. *Fons parvus*, ſcilicet per humilitatem, *crevit in fluvium*, ſcilicet per pietatem, *& in lucem*, ſcilicet per puritatem, *ſolemque*, ſcilicet per generationem Filii *converſus eſt*. Iſte fons aſcendebat de terra, ſcilicet militantis Eccleſiæ in ſui Aſſumptione, ad irrigandum, ſeu illuſtrandum paradiſum triumphantis Eccleſiæ (quia ſecundùm *Dionyſium cap. 3. de cæleſti Hierarchia*, ſemper inferiores illuminantur à ſuperioribus) qui dividitur in quatuor capita, ſcilicet quatuor Hierarchiarum: trium Cæleſtium, & unius Eccleſiaſticæ.

Secunda eſt de arca Noe, *Gen. 6. cap.* Iſta arca, quam fabricavit Noe (qui interpretatur quieſcens) ad habitandum in ea, eſt beata Virgo, quam fabicavit Deus, qui *requievit*

ab

ab omni opere, quod patrarat, Gen. 2. cap. In hac habitavit Deus, carnem noſtram aſſumẽdo. Hæc arca fuit elevata in ſublime à terra, quando fuit in cælum aſſumpta, per quam ſalvatum eſt genus humanum. *Bernardus*. Filioli, hæc peccatorum ſcala, hæc miſericordia, hæc maxima fiducia eſt. Hæc tota ratio ſpei noſtræ. Poteſt ne filius aut repelli, aut ſuſtinere repulſam? Quid ad Mariam trepidet humana fragilitas? Nihil auſterum, nihil terribile, tota ſuavis eſt. Age gratias ei, qui talem mediatricem benigniſſima miſeratione providit.) Ecce quomodo Maria optimam partem elegit legis naturalis.

TERTIO. *Maria optimam partem elegit legis prophetalis.* Sciendum, quòd beata Virgo, ut ſpiritum prophetiæ mereretur accipere, ordinavit vitam ſuam quadrupliciter, etiam ante conceptionem filii Dei.

Primò. Quoad Deum. Quia in ſua adoleſcentia, dum adhuc in templo cum ſuis coætaneis moraretur, vitam ſuam valde ordinavit, de cuius ordinatione dicit *Hieronymus citatus à S. Bonav. ut ſuprà*: Hanc regulam beata Virgo ſervabat, ut à mane uſque ad tertiam orationi inſiſteret, à tertia uſque ad nonam externo opere ſe occuparet; iterum à nona ab oratione non recedebat, quouſque illi Angelus appareret, de cuius manu eſcam accipere ſolebat, & ſemper in Dei amore proficiebat.)

Secundò. Quoad eius interiora. Quia habuit ſynceras affectiones, cogitationes ſanctas, & intentiones rectas.

De eius ſynceris affectionibus dicit *Ambroſius de virginibus lib.* 2. Quid nobilius Matre Dei? Quid ſplendidius eâ, quam ſplendor elegit? Quid caſtius eâ, quæ corpus ſine corporis contagione generavit? Nam de ceteris virtutibus eius quid loquar? Virgo erat non ſolùm corpore, ſed etiam mente, quæ nullo doli ambitu ſyncerum adulteraret affectum.)

De ipſius ſanctis cogitationibus *Idem* dicit ſic: Virgo beata ab ipſo ingreſſu Angeli inventa eſt domi in penetralibus ſine comite, ne quis intentionem eius abrumperet, ne quis obſtreperet. Neque enim comites fœminas deſiderabat, quæ bonas cogitationes comites habebat; quin etiam tunc ſibi minus ſola videbatur, cùm ſola eſſet. Nam quemadmodum ſola, cui tot libri adeſſent, tot Archangeli, tot Prophetæ?)

De rectis eius cogitationibus *Idem* dicit ſic: Corde erat humilis, verbo gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi ſtudioſior, non in incerto divitiarum, ſed in prece pauperis ſpem reponens: intenta operi, verecunda ſermone, arbitrum mentis ſolita non hominem, ſed Deum quærere.)

Tertiò. Quoad ſua exteriora. *Ambroſius ubi ſuprà*. Nihil in ea torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum; non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior, ut ipſa corporis ſpecies ſimulacrum fuerit mentis, & figura probitatis.)

Quartò. Quoad converſationem honeſtã, quâ ordinavit vitam per prudentiam, fortitudinem, juſtitiam, & temperantiam. *Bernardus*. Virgo beata fuit fortis in propoſito, temperata in ſilentio, prudens in interrogatione, juſta in confeſſione. Quòd turbata eſt, fuit verecundiæ virginalis: quòd non eſt perturbata, fuit fortitudinis: quòd tacuit, & cogitavit, fuit prudentiæ.) Et *Ambroſius ubi ſuprà*. Quid ego exequar ciborum parſimoniam, officiorum redundantiam, alterum ultra naturam ſuperfuiſſe, alterum penè ipſi naturæ defuiſſe? Illic nulla intermiſſa tempora, hìc congeminatos jejunio dies? Et ſi quando ſucceſſiſſet reficiendi voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias miniſtraret. Dormire non prius cupiditas, quàm neceſſitas fuit. Et tamen, cùm quieſceret corpus, vigilaret animus; qui frequenter in ſomnis aut lecta repetit, aut ſomno interrupto continuat, aut diſpoſita gerit, aut gerenda prænunciat. *Hæc ille*. Propter iſta enim beata Virgo promeruit ſpiritum prophetiæ, quæ in Cantico ſuo prophetavit de præterito, dicens: *Suſcepit Iſrael puerum ſuum*, &c. De futuro, dicens: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent*, &c. Et de præſenti occulto, quando Ioannem in utero matris eſſe cognovit.

Super choros Prophetarum ipſam exaltari præviderunt in anima, & corpore: *Moyſes* in virgæ operatione. Exodi 14. cap. *Leva virgam tuam, & extende manum tuam ſuper mare, & divide illud: ut ingrediantur filii Iſrael per medium eius*. Iſta virga elevata eſt beata Virgo, quando fuit in cælum aſſumpta, in cuius elevatione apertum eſt mare Divinæ miſericordiæ peccatoribus. Per iſtam virgam fuit Pharao flagellatus, id eſt, infideles. Amalech debellatus, id eſt, mundani. Aaron confirmatus, id eſt, activi. Moyſes ſublimatus, id eſt, contemplativi.

Aaron prævidit in nubis elevatione. Numeri 10. cap. *Elevata eſt nubes de tabernaculo fœderis: profectique ſunt filii Iſrael per turmas ſuas de deſerto Sinai, & requievit nubes in ſolitudine Pharan.* Iſta nubes elevata eſt beata Virgo aſſumpta de Eccleſia præſentis temporis, cum qua Chriſtus in morte pepigit fœdus; & proficiſcuntur filii Iſrael, id eſt, videntes Deum per fidem, de deſerto Sinai, quod interpretatur tentatio: quia de miſeria huius vitæ proficiſcuntur ad ſolitudinem Pharan, id eſt, ad locum fructiferum: quoniam quieſcit in fructibus paradiſi. Quieſcit autem in ſolitudine: quia ſola in throno gloriæ Ieſu Chriſti. Iſta nubes continebat Divinam præſentiam, Angelicam cuſtodiã, dirigebat in itineribus, protegebat ab hoſtibus. Sic B. Virgo cõtinebat Divinam præſentiã in Incarnatione, exhibuit Angelicam cuſtodiam in parturitione, dirigit in itineribus in ſua converſatione, protegit ab hoſtibus, quos fugavit in ſua conſummatione, &c.

Balaam in virgæ percuſſione. Numeri 24. cap. *Conſurget virga de Iſrael, & percutiet duces Moab.* Iſta virga conſurrexit: quia beata Virgo in cælũ aſcendit, & dæmones percuſſit.

Ioſue in arcæ deportatione. Si quis enim deſiderat vincere hoſtes malignos, Mariã accedat: quia ipſa eſt arca, quæ præceſſit filios Iſrael, dividens aquas Iordanis, ut tranſirent ſicco pede, & deducentes eam per circuitum Iericho muri eius illicò corruerunt, *Ioſue 6. cap. Bernardus.* Præceſſit nos Regina, & ita gloriosè ſublimata eſt, atque ſuſcepta, ut fiducialiter ſequantur ſervi Dominam clamantes: Trahe nos: poſt te in odorem unguentorum tuorum curremus.)

Vaſthi Regina in ſui introductione. Eſther 1. cap. *Præcepit Rex eunuchis, ut introducerent Reginam Vaſthi coram Rege, poſito ſuper caput eius diademate, ut oſtenderet cunctis populis, & Principibus illius pulchritudinem.* Quia univerſa agmina Sanctorũ, deſignata in ſeptem eunuchis, mandato Ieſu Chriſti Regis æterni, beatam Virginem conſummatam, & perfectã omni virtute, & gratiâ, in cælum hodie deduxerunt ad convivium æternum, &c.

Eſther in felici coronatione. Eſther 2. cap. *Erat enim formoſa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratioſa, & amabilis. Ducta eſt itaque ad cubiculum Regis, & adamavit eam Rex plus quàm omnes mulieres, habuitque gratiam, & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres, & poſuit diadema regni in capite eius*, &c. Et de beata Virgine *Bernardus* ait: Intuendum nobis eſt, quanto devotionis affectu à nobis eam Deus voluit honorari, qui totius bonitatis pulchritudinem poſuit in Maria; ut ſi quid ſpei, ſi quid ſalutis, ſi quid gratiæ in nobis eſt, ab ea noverimus redundaſſe.)

Noemi in ſalubri reverſione. Ruth 1. cap. *Venit Noemi de terra peregrinationis ſuæ, ac reverſa eſt in Bethlehem.* Et cap. 2. *Reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias à Domino Deo Iſrael, ad quem veniſti, & ſub cuius confugiſti alas.* Beata Virgo hodie reverſa eſt in Bethlehem cæleſte per corporalem præſentiam, ubi antea fuerat per contemplationum, & mediationum frequentiam, diſcedens à mundo.

Iudith in populi protectione. Iudith 13. cap. *Vivit Dominus, quoniam cuſtodivit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem, & non permiſit Dominus me ancillã ſuam coinquinari: ſed ſine pollutione peccati revocavit me vobis, gaudentem in victoria ſua, in evaſione mea, in liberatione veſtra.* Et c. 16. *Et Iudith magna facta eſt in Bethulia, & præclarior erat univerſæ terræ Iſrael: & erat procedens cum gloria magna.* Et de B. Virgine *Bernardus* ait: Beatam te dicent omnes generationes, quæ omnibus generationibus gratiam, & gloriam inveniſti. In te enim Angeli lætitiam, juſti gloriam, peccatores gratiam inveniunt.)

Berſabee in ſui exaltatione. 3. Reg. 2. cap. *Venit Berſabee ad Regem Salomonem, & ſurrexit Rex in occurſum eius, adoravitque eam, & ſedit ſuper thronum ſuum: poſituſque eſt thronus matri Regis, quæ ſedit ad dexteram eius.* Et de beata Virgine *Bernardus* ait: Quantum gratiæ in terris eſt adepta præ cæteris, tantum in cælis obtinet gloriæ ſingularis. Felicia prorſus oſcula labiis impreſſa lactentis; ſed nunquid non feliciora confitebimur, quæ ab ore ſedentis in dextera Dei Patris hodie in beata ſalutatione ſuſcepit, cùm aſcenderit in thronum, hodie epithalamium canens: Oſculetur me oſculo oris ſui?)

Abigail in Regis reconciliatione. 1. Reg. 25. cap. *Feſtinavit Abigail, & deſcendit ad radices montis. David autem, & viri eius deſcendebant in occurſum eius, quibus & illa occurrit.* Et de beata Virgine *Bernardus* ait: Ad Patrem verebaris accedere, ò homo, territus ſolo auditu. Ad Filium fuge Ieſum. Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forſitan

etiam,

etiam, ſi in ipſo majeſtatem vereris Divinam, advocatum vis habere ad ipſum. Ad Mariam recurre. Paratur ſiquidem humilitas in Maria; nec dubium dixerim: exaudietur & ipſa pro ſua reverentia.)

David in gaudio, & exultatione. 2. Reg. 6. capite: *David, & omnis Iſrael deducebant arcam Domini cum gaudio: & erant cum eo ſeptem chori.* Per David ſignificatur Chriſtus: per ſeptem choros univerſitas Sanctorum, qui omnes beatam Virginem honorabiliter in cælum deduxerunt, tanquam arcam, quæ continuit manna cæleſtis dulcedinis, quo nutriuntur filii Iſrael fideles in deſerto huius mundi. Hanc Chriſtus per ſeipſum venit reducere in civitatem, & domum æternam cum benedictione, & collocavit in throno ſecum. *Auguſtinus.* Vbi poſuit idem Rex, quod ex te ſumpſit; ibi poſuit & te Reginam, ex qua ſumpſit.) Et Pſal. *Surge Domine, in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ,* &c.

Salomon in gratiarum miniſtratione. Cant. 1. cap. *Introduxit me Rex in cellaria ſua.* Et hoc, ut ei miniſtret: Eccli. 24. cap. *In habitatione ſancta coram ipſo miniſtravi.* *Auguſtinus* de beata Virgine ait: Per te hæreditamus miſericordiam miſeri, ingrati gratiam, veniam peccatores, ſublimia infimi, cæleſtia terreni, mortales vitam, patriam peregrini. Quicquid per te habemus, quia non ſufficit, admirari eſt, enarrare difficile.)

Elias in nubis elevatione. 3. Reg. 18. cap. *Ecce nubecula, quaſi veſtigium hominis, aſcendebat de mari.* Beata Virgo fuit nubes, quæ aridos rigat, & fœcundat ſteriles: fructus ad maturitatem beatæ conſummationis producit propter ſui humilitatem.

Iſaias in claritatis coæquatione. Iſa. 30. cap. *Erit lux lunæ ſicut lux ſolis.* Quia claritas beatæ Virginis debuit eſſe multùm ſimilis claritati Chriſti in patria cæleſti, &c.

Ieremias in aquilæ volatione. Iere. 49. cap. *Ecce quaſi aquila aſcendet, & avolabit: & expandet alas ſuas ſuper Boſran.* Beata Virgo eſt aquila, quæ acutiſſimum habuit viſum fidei; ipſa quidem volavit per medium cæli contemplando. Sed hodierno die aſcendit, & volavit altiùs ceteris Sanctis, ſicut aquila, quæ altiùs volare dicitur. *Aug.* Vt redderes gloriæ peccatorem, uſque ad gloriam tu Glorioſa provecta es: ut ſuperno Rege excepto, nihil te ſit ſuperans in Superis.)

Ezechiel in montis habitatione. Ezech. 11. c. *Aſcendit gloriâ Domini de medio civitatis, ſteteruq; ſuper montem, qui eſt ad Orientem urbis.* Beata Virgo aſcendit de medio civitatis, ſcilicet mundanæ, ad montem gloriæ ſupernæ, ubi quieſcit coronata floribus ſexdecim Roſarum; in cuius coronæ anteriori parte ſunt quatuor Roſæ, in poſteriori quatuor, in dextera quatuor, in ſiniſtra quatuor; propter quod cantat Eccleſia: *Et ſicut dies verni circundabant eam flores Roſarum*, nempe vaticinia Prophetarum nominatorum hucuſque.

QVARTO. *Maria elegit optimam partem legis ſapientialis.* Sciendum, quòd lex ſapientiæ eſt lex Ieſu Chriſti, in qua diligenter ſe exercuit B. Virgo, maximè circa quatuor.

Primò. Circa aſſiduam orationem, & gratiarum actionem. Act. 1. cap. *Hi omnes erant perſeverantes in oratione cum mulieribus, & Matre Ieſu Maria.* Et *Glo.* ſuper illud Luc. 1. c. *Exaltavit ſpiritus meus*, &c. dicit ſic: Totum interioris animi affectum in agendis gratiarum laudibus offero: totum quod vivo, quod ſentio, quod diſcerno, in eius magnitudinem contemplandam, & in eius præceptis obſervandis impendo. In ipſo tantùm exulto, terrena non curo; proſperitas me non extollit, adverſitas me non frangit; ſed illius ſolâ ſpiritus meus delectatur memoriâ, à quo ſalus æterna ſperatur; illius perpetua divinitate lætatur, cuius conceptione caro mea fœcundatur.)

Secundò. Circa ſacrorum locorum viſitationem. Vnde *ſanctus Odilo* dicit: Si ſcire volumus, quid Dei Genitrix poſt Chriſti Reſurrectionem, antequam cælos aſcenderet, agebat: ſine dubio loca Nativitatis, Paſſionis, Sepulturæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis frequenter viſitabat, & in eis lacrymas fundebat, & oris ſui ſanctiſſima oſcula imprimebat.) Et *beatus Hieronymus in ſermone de aſſumptione ad Paulam & Euſt. tomo 9.* Fortaſſis præ nimio amore in loco, in quo Filius eius mortuus, ac ſepultus dicitur, interdum eam habitaſſe credimus, per quæ piis paſceretur internus amor obtutibus, non quòd jam viventem cum mortuis quæreret, ſed ut ſuis conſolaretur aſpectibus. Hoc enim habet impatiens amor, ut, quæ deſiderat, ſemper invenire ſe credat: ignorat quippe judicium, ratione multoties caret, modum neſcit, nec aliud cogitare poteſt, quàm quod diligit. Amor enim non accipit de impoſſibilitate ſolatium, neque de difficultate remedium.)

Ter-

Tertiò. Circa Apostolorum instructionem. Vnde *Hieronymus ubi suprà*. Ecce Domino Iesu ascendente in cælum, vacat Virgo in schola virtutum, conversatur cum senatoribus cæli intra curiam paradisi sub disciplina Spiritus sãcti,& magisterio totius Maiestatis Divinæ. Virgo beata intra chorum Apostolorum post Ascensionem Domini Iesu intrãs, & exiens, familiariùs de Christi Incarnatione, ac Resurrectione cum eis contulit; quam sanè beatissimam Virginem, etsi omnes Discipuli venerati sunt, Ioannes tamen ampliùs & specialiùs usque ad finem vitæ suæ sibi deservivit.)

Quartò. Circa cõmunem conversationem. Per speciales enim prærogativas gratiæ fuit conversata cum Apostolis. Cum Petro per Divinitatis & humanitatis cognitionem, cum Paulo per altam contemplationem, cum Andrea per præcordialem ad Crucem devotionem, cum Iacobo per virginitatis conservationem, cum Ioanne per maternalem affectionem, cum Thoma per fortium operum aggressionem, quando dixit Ioann. 11. cap. *Eamus & nos, & moriamur cum eo*. Cum Iacobo Alphei per eius in utero sanctificationem, cum Philippo per præcipuam cum Christo familiaritatem, cum Bartholomæo per ferventem orationem; unde dixerunt dæmones: Bartholomæe,incendunt nos orationes tuæ. Cum Matthæo per terrenorum despectionem, cum Simone per mandatorum Dei promptam executionem, cum Thaddæo per mentis munditiam, & purificationem.

Quia verò Apostolorum omnium in se coegit merita; ideo circa ipsam hodie novem miranda sunt exhibita, indubitanter ab omnibus Catholicis tenenda.

Primum est omnimoda consolatio, scilicet per Angelum à Deo missum, qui eam reverenter salutavit.

Secundum est Apostolorum omnium congregatio, scilicet per Angelos, qui eos per Iudæam dispersos congregaverunt ad ostium Virginis.

Tertium est sine dolore consummatio, scil. ut sine dolore moreretur.

Quartum est sepulturæ in valle Iosaphat præparatio, similis sepulturæ Christi de novo constructæ.

Quintum est exequiarum devotio, scilicet per Iesum, & eos, qui cum eo advenerant, & per Apostolos,

Sextum est Christi, & totius Curiæ cælestis obviatio, scil. post tres dies suæ mortis.

Septimum est Iudæorum persecutio, volentium feretrum evertere, & corpus illud comburere.

Octavum est miraculorum coruscatio circa eos, qui manus ad feretrum applicuerunt.

Nonum est in anima, & corpore simul assumptio ex eis, quæ Christus contulit cum Apostolis super hoc, ut patet in legendis ex dictis sancti *Cosmæ*, *Ioannis Damasceni*, & *Augustini*.

QVINTO. *Maria optimam partem elegit legis spiritalis*. Sciendum, quòd Angeli habent quatuor proprietates: scilicet charitatem, virginitatem, humilitatem, & ministerium. Eodem modo beata Virgo tria prima habuit. *Bernardus*. Beata Virgo in montana cum festinatione abiit; & hic fuit Virginis ascẽsus,ut difficilè rumperetur funiculus triplex: fervebat siquidem in quærenda gratia charitas, splendebat in carne virginitas,in obsequio eminebat humilitas.)

De ministerio ipsa dicit Eccli. 24. cap. *In habitatione sancta coram ipso ministravi*. Propterea ipsa hodie honorabiliter cælos ascendit. *Hieronymus*. Quis illud cogitare sufficiat,quàm gloriosè hodie Regina mundi processerit? Quanto devotionis affectu tota in eius occursum cælestium legionum prodierit multitudo? Quantis ad thronum gloriæ canticis sit deducta? Quàm placido vultu,quàm serena facie, quàm Divinis amplexibus à Filio sit susceptа, & super omnem creaturam exaltata? Hodierna die credendum est, militiam cælorum festivè Dei Genitrici obviam advenisse, eamque ingenti lumine circunfulsisse, & usque ad thronum gloriæ cum laudibus, & canticis spiritualibus perduxisse, cælestem quoque militiam Ierusalem tunc ineffabili lætitia exultasse, & jucundatam ineffabili charitate, omni gratulatione jubilasse. *Hæc ille*.

In eius autem Ascensu Angeli infimæ Hierarchiæ proponunt quæstionem Angelis mediæ Hierarchiæ, dicentes illud Cantic.3. cap. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii?* Quod exponens *Hieronymus ubi suprà*, de beatâ Virgine dicit: Sicut virgula fumi: quia gracilis, & delicata, quia Divinis extenuata disciplinis, & concremata intus in holocaustum incendio pii amoris,& desiderio charitatis. Vt virgula,

in-

inquit, fumi ex aromatibus: quia repleta multis eſt virtutum odoribus, manans ex ea fragrabat odor ſuaviſſimus etiam ſpiritibus Angelicis. Aſcendebat autem de deſerto præſentis ſeculi, virga de radice Ieſſe olim exorta. Sed mirabantur electorum animæ præ gaudio, quænam eſſet, quæ etiam meritorum virtutibus Angelorum vinceret dignitatem. *Hæc ille.*

Hunc aſcenſum decoris admirantes Angeli mediæ Hierarchiæ proponunt quæſtionē Angelis ſuperioribus, dicentes illud Cant. 6. cap. *Qua eſt iſta, qua pregreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol, terribilis, ut caſtrorum acies ordinata?* Quaſi aurora fuit Virgo, naſcendo; pulchra ut luna, concipiendo; ſed ut ſol refulgens, in corpore glorificato. *Bernardus.* Tota conglomeratur Angelorum frequentia, ut videant Reginam ſedentem à dextris virtutis Dei in veſtitu deaurato, in corpore ſemper glorificato, circundatam varietate.)

Eundem aſcenſum admirantes Angeli ſupremæ Hierarchiæ proponunt quæſtionem omnibus electis, dicentes illud Cant. 8. cap. *Qua eſt iſta, qua aſcendit de deſerto deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Bernardus.* Quid ni delicias dixerim virginitatis decus cum munere fœcunditatis, humilitatis inſigne, diſtillantem charitatis favum, miſericordiæ viſcera, plenitudinem gratiæ, prærogativam gloriæ ſingularis? Hæc eſt, cuius ſalutationis vox & ipſos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viſcera claudunt. Quòd ſi parvuli necdum nati animæ liquefacta eſt, ut Maria locuta eſt; quid putamus, quænam fuerit illa cæleſtium exultatio, cùm & vocem audire, videre faciem, & eius beatâ frui præſentiâ meruerunt? *Hæc ille.*

SEXTO. *Maria optimam partem elegit legis finalis.* Nam in ultima reſurrectione beatificabuntur non ſolùm animæ, ſed etiam corpora electorum. Beatitudo enim habet quatuor partes. Vna eſt Angelorum, & hæc eſt completa. Secunda eſt animarum, & hæc eſt imperfecta. Tertia eſt electorum in noviſſimo die. Quarta eſt Filii Dei quantùm ad Corpus, & Animam; & hanc partem elegit beata Virgo hodie.

Nam quaſi evacuatum eſt cælum quatuor vicibus. 1. Quando Chriſtus deſcendit in uterum Virginis: tunc enim tota Trinitas, & omnes Angeli aſſociaverunt Chriſtum in Incarnatione. 2. Quando Chriſtus inſtituit Corpus, & Sanguinem ſuum ſub Sacramento, in cœna. 3. In die Aſcenſionis Chriſti: tunc enim nullus Angelus in cælo remanſit, ſed omnes obviaverunt ſibi. 4. In Aſſumptione beatæ Virginis ad gloriam Dei. Ad quam nos perducat, &c. Amen.

SERMO XLIII.

IN FESTO SANCTI BERNARDI ABBATIS.

Lucerna fulgoris illuminabit te. Lucæ 11. cap.

Vtrum beatus Bernardus Eccleſiam militantem verè illuminavit per ſapientiam, quam à Deo impetravit?

APocalypſis 21. cap. dicitur: *Vnus de ſeptem Angelis oſtendit mihi civitatē ſanctam Ieruſalem deſcendentem de cælo, habentem claritatem Dei. Et civitas illa non eget ſole, neque lunâ, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna eius eſt Agnus.* Super quo talem moveo quæſtionem.

AD iſtam quæſtionem reſpondent duo Doctores.

Primus eſt Salomon Eccli. 50. cap. dicens: *Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi luna plena in diebus ſuis lucet. Et quaſi ſol refulgens, ſic iſte effulſit in templo Dei*

Se-

Secundus eſt Matthæus 5. cap. dicens: *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt.*

Sciendum, quòd inter Babylonem, & Ieruſalem nulla pax eſt, ſed pugna continua. Vnaquæque enim habet ſuum Regem. Rex Ieruſalem eſt Chriſtus Ieſus. Rex Babylonis eſt diabolus. Chriſtus regnat cum juſtitia, diabolus cum malitia. Rex Babylonis conatur ſeducere per ſpiritus immundos miniſtros ſuos, quos ponit de civibus Ieruſalem, ut faciat eos ſervire iniquitati ad iniquitatem, & ſic eos ad Babylonem trahat. Vnde, cùm ſpiritus miſericordiæ conſtitutus ſpeculator ſuper muros Ieruſalem, videret trahi unum de civibus ſuis, nunciavit Chriſto Regi captam prædam in Babylonem duci. Chriſtus verò advocavit ſpiritum timoris, ſtrenuum militem in talibus, quem juſſit reducere ad ſe captam prædam, qui promptus exequi imperata, mox hoſtes perſequitur; & factus eſt in auribus eorum ſonus, tanquam advenientis ſpiritus vehementis: timor enim ſuper eos intonuit, & ad vocem virtutis eius omne robur hoſtium contremuit, quos utique in fugam converſos timor ultrò perſecutus eſt, & ereptum concivem reducebat ad propria.

Vnus autem ex adverſariis, ſcilicet ſpiritus triſtitiæ non erat cum eis, quando venit timor; cumque cerneret ſocios tam turpiter fugientes, exivit ab inſidiis, in quibus latebat, à quibus auditâ causâ fugæ, quoniam timor opprobrium induxerat ſuper eos (nam timor, & tremor venerunt ſuper nos, & contexerunt nos tenebræ: ecce olongavimus fugientes, & manſimus in ſolitudine:) confortavit eos dicens: Nolite expaveſcere: ſcio enim quid facto opus ſit. Ibo, & ero ſpiritus mendax in angulis ſemitarum: amicum me ſimulabo timoris. Novi hunc ſpiritum: non eſt vi aggrediendus, ſed ſimulatione. Vos autem expectate finem.

Fecit ut dixerat, & capto viarum compendio, timorem præceſſit, reflectenſque iter per viam, quâ gradiebatur, obviavit timori, quem ſub prætextu doloris concivis erepti iniqua ſed amica immiſcens colloquia ſeducere cœpit. Timor verò ſimulationem non advertens, velut ovis, quæ perierat, ſequebatur ſpiritum triſtitiæ bono & innocenti animo, & neſciebat, quoniam de perditione ipſius agebatur: propè enim erat, ut ſpiritum timoris, & concivem hominem in foveam deſperationis præcipitaret. Pſalm. *Tota die contriſtatus ingrediebar: quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea. Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.*

Sed miſericordia ſpeculator hoc videns, indicat Chriſto Regi quod agitur. Rex autem ſubitò juſſit vocari unum de militibus ſuis, ſcilicet ſpem, quem cum equo deſiderii, & enſe lætitiæ in auxilium jubet accelerare timori. Spes verò fideliſſimus miles ad imperium Regis egrediens, cùm perveniſſet ad locum certaminis, vibrans enſem lætitiæ ſpiritum triſtitiæ effugavit, amboſque interram proſtratos, & dejectos erexit. Pſalm. *Secundùm multitudinem dolorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Sicque liberatum concivem, & impoſitum equo deſiderii (Pſalm. *Domine, ante te omne deſiderium meum*) ſpes præcedens trahebat funiculo promiſſionum cæleſtium, & timor ſequens urgebat eum flagello, facto de funiculis peccatorum ſuppliciorum infernalium. Ibat igitur voluntarius equus hinc tractus, & inde compulſus. Pſalm. *Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.* Sed in tam rapido curſu timendum ei fuerat ab incurſu.

Collegerunt itaque milites Babylonii concilium dicentes: Quid facimus? quia hic homo ſic evadit, quem tam ſecuri poſſidebamus. Defecit gaudium cordis noſtri: verſus eſt in luctum chorus noſter. Quomodò plauſus inferni verſus eſt in planctum? Cecidit corona capitis noſtri. Væ nobis: quoniam per ſolos duos milites, ſcilicet timorem, & ſpem, factum eſt gaudium magnum in illa civitate Ieruſalem ſuper ſui liberatione cõcivis. Quomodò periit verſutia diabolicæ malitiæ?

Vnus autem ex eis nequior ceteris, ſcilicet fraus, cùm ſceleris huius eſſet opifex, prophanum intulit concilium dicens: Vos neſcitis quicquam, nec cogitatis, quis modus ad capiendum eum ſit, & captus difficiliùs eripiatur. Vos ergo à longe me ſequamini: ego me in Angelum lucis transformabo, ut ignaros viæ tanquam advenas, & peregrinos docendi ſimulatione decipiam, qui dicunt illud Pſalm. *Advena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes patres mei.* In hunc itaque modum fraude poſitâ iter accelerant per præſumptionem meritorum, & vanam gloriam,

riam, atque lætitiam cum contemptu proximorum peccatorum exhortante eos: Immundum quid ne tetigeritis: quoniam non eſt tutum habitare cum ſcorpionibus.

Sed miſericordia ſpeculator Regi noſtro Chriſto annunciat, dicens: Venit quidē homo equo deſiderii impoſitus, ſed, plùs quàm oporteat, properat, eò quòd frænum, & ſella deſit. Hoſtes autem à longe ſequuntur, alii verò tanquam inveterati malorum viarū compendia captant. Ecce nunc unum video, in quo armorum noſtrorum lucet effigies, à nobis tamen ille miſſus non eſt. Expedit talem mittere, qui providus illum interroget, noſter an ſit, aut adverſariorum.

Porrò Rex Chriſtus (cuius animū ſemper cura ſolicitat animarum) duos conſiliarios eis mittit: prudentiā, & temperantiam, quorū tēperantia quidem equo frænū diſcretionis impoſuit, & ſpei moderatiùs incedere perſuaſit. Prudentia verò timorem increpans, & arguens improbitates eius de futuro commonuit, & equo ſellam circunſpectionis appoſuit, ut non caderet aſcenſor eius retrò, ſed appodiaretur confuſione, & meditatione præteritorum ſcelerum; ſtatuens quidem à dextris humilitatem, à ſiniſtris verò patiētiam, & æquanimitatem. Præterea ſpes, & timor dederunt calcaria. Spes quidem in dextro pede poſuit expectationem præmii, timor verò in ſiniſtro pede metum ſupplicii.

Factâ morâ cum adveſperaſceret, & inclinata eſſet jam dies, rursùs congregati ſunt hoſtes in multitudine, ut dimicarent contra eos. Itaque pavet timor, & ſpes accelerat. Prudentia autem revocat eos ad conſilium dicens: Videte, quia dies præceſſit, nox verò appropinquavit; & qui ambulat in tenebris, neſcit quò vadit. Porrò adhuc grandis reſtat nobis via, neque parva eſt hoſtium multitudo. Eſt autem miles quidam Regi noſtro fideliſſimus, ſcilicet juſtitia, habens caſtrum propè nos poſitum, & ibi eſt firmiſſimum habitaculum: quia in petra poſuit nidum ſuum. Itaque ſi placet, divertamus ad eum: quia bonum erit nos illic eſſe.

Placuit omnibus conſilium prudentiæ, & cùm ab ea quæſiviſſent ducem itineris, ait prudentia: ratio armiger meus præcedet nos: eſt enim gnarus viarum, & notus juſtitiæ, utpote conſanguineus eius. Sic igitur præcedente ratione, ceteriſque ſubſequentibus antevenit ratio, & ſalutatâ juſtitiâ nunciavit hoſpites adventare. Iuſtitia autem perquirit qui ſint, unde, & ad quid veniant. Cumque rem cognoviſſet, hilari vultu ſurgens cum paucis occurrit, & obviavit eis, ſuſceptamque animam ab equo depoſuit, & in penetralibus domus ſuæ pavidam collocavit, dicens illud Pſalm. *Quis eſt homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua, ne loquantur dolum: diverte à malo, & fac bonum.*

Interea quidem hoſtilis inſequitur exercitus, & caſtrum undique obſidens perveſtigat, ſi quis fortè pateret ingreſſus, & tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, tentoria figens, & excubias ordinans, ne quis ingredi, aut egredi valeat, ut mane facto inſtructis machinis muros diruant, & irruant ſuper eos.

Interim timor ſolicitus, & minimè ſecurus, commilitones excitat, juſtitiam convenit de munitione loci, & præparatione armorum, & ſciſcitatur, ne fortè ſuſtentationi deficiant alimenta. Iuſtitia reſpondet: Situs loci, ut advertere poteſtis, ſaxoſus eſt, & inacceſſibilis, nec arma, nec machinas inimicorum timet; ſed quia aridus eſt, & ſaxoſus, paucos habet indigenas, quos duro cibo panis hordeacei utcunque ſuſtentat, & nunc quidem ſuperſunt nobis quinque panes hordeacei, & duo piſces. Timor ait: Sed hæc quid ſunt inter tantos? Coepit ergo magis pavere, & tædere, & arguens animam, quòd ab equo deſcendiſſet, hoc ſæpiùs memorabat: Noviſſima hominis illius eſſe pejora prioribus. Equus enim ille curſu percito feſtinus advolabat, nunc ſolius rationis ductui commiſſus eſt: ſiquidem propè jam erat, ut adversùs ſpem contraria ſentientem timor inſurgeret; ſed temperantia prudentiam advocavit.

Accerſitâ itaque prudentiâ improbitatem timoris objurgans, inquit: O timor, in adverſarios tuus mucro nunc deſæviat. Neſcis, quia Rex noſter Rex virtutum eſt: Dominus fortis, & potens: Dominus potens in prælio? Eat igitur nuncius, qui tuas ei neceſſitates exponat, adjutorium flagitet, & auxiliatorem adducat. Timor ait: Quis ire poterit? Tenebræ operiunt terram, & muros obſidet hoſtium pervigil multitudo, & nos ignari viæ ſumus, tanquam in regionem longinquam poſiti.

Advocantes igitur hoſpitem ſuum juſtitiā, ſi quid, inquiunt, potes, adjuva nos. Quibus illa ait: Bono, ac forti animo eſtote: quoniam

est mihi fidelissimus nuncius, Regi optimè notus, & curiæ, scilicet oratio, qui in secreto noctis silentio per occultas, & sibi notas semitas arcana cæli penetrare, & cubiculum Regis adire, & opportuna importunitate pium Regis animum flectere non indoctus est, supplicatione miserabili laborantibus auxilium solitus impetrare. Eat itaque ille, si placet: ecce enim præsto est. Cumque respondissent omnes placet, prudentiâ quid Regi insinuet dictante, justitiâ verò, ut fideliter agat, & ne vacuus revertatur præcipiente, ceterisque, & maximè timore, ut iter acceleret, deprecantibus, per occultos quosdam muri exitus oratio nuncius dimissus est. At ille hostium cuneos penetrans securus & velox in momento, & in ictu oculi usque ad portas civitatis novæ Ierusalem pervenit; quas cùm clausas reperisset, pulsavit, janitoribus ægrè quidem ferentibus, quòd intempestæ noctis silentio civitatē repleret clamoribus, & ipsi Regi importunus esse non vereretur. At ille perseverabat pulsans, & ampliùs loquebatur: Aperite mihi portas justitiæ, & ingressus in eas confitebor Domino Regi secundùm multitudinem dolorum meorum, qui sunt in corde meo. Iustitia enim me misit ad vos, ut introducar ad Regem: quia ad ipsum habeo mandata, quæ perferam. Dum sic gemit oratio, expergefactus Rex cum commilitonibus suis, ait: Vox turturis audita est in terra nostra. Cumque cognovisset ipsam esse nuncium justitiæ, eam introduci præcepit. Itaque oratio ingressa adoravit Deum, & dixit: Domine Rex, in æternum vive. Cui Rex ait: Recta ne sunt omnia circa dominum tuum, & quæ illius sunt? At illa respondit: Recta Domine, vestri gratiâ. Porro unum est necessarium: Servus ille vester à cornibus inimicorum ad imperium Regis ereptus divertit ad militem vestrum dominum meum, sed Domine mi Rex terra illa australis, & arens est, & cibum non habet. Det itaque Dominus meus Rex benedictionem, & terra nostra dabit fructum suum. Sed congregati sunt hostes in multitudine, ut dimicent contra nos. Da nobis Domine auxilium de tribulatione: quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. Ecce, quem manus tua potenter de principibus tenebrarum eripuit, clamat ad te in toto corde suo, in suspiriis multis, in singultibus, in lacrymis, ut ei mittas auxilium de sancto: exaudi Domine, placare Domine, attende, & fac, & mitte liberatorem, & propugnatorem, ne quando dicant hostes, ubi est Deus eius? rapientes quem eripuit dextera tua, & sit captura novissima peior priore. Quæ utilitas est in Sanguine tuo, dum descendit in corruptionem? Libera eum Domine, ut confiteatur nomini tuo: quia in inferno non confitebitur tibi.

Tunc Rex (cuius natura bonitas est) motus his lacrymis, ait: Quem mittemus? Ad quem charitas ait: Ecce ego: mitte me. Rex autem quærebat de sociis. Charitas domesticam sibi respondit sufficere familiam, uno tantùm comite, scilicet beato Bernardo, eius igne succenso contenta, cui præ aliis revelata sunt secreta cælestia. Quatuor nanque præcipuè sibi revelata fuerunt.

1. Die Nativitatis dominicæ Puer Iesus sibi apparuit, quasi iterum ante oculos eius ex utero Matris nascens.

2. Gloria beatorum. Nam, cùm sanctus Malachias defunctus esset, & Missa pro defunctis cantaretur, eius gloria sancto Bernardo revelata est.

3. Notitia futurorum. Multa enim futura prævidit, sicut patet in Gerardo fratre suo, cui suam conversionem prædixit.

4. Scientia Scripturarum, quam quidem non habuit per magistri eruditionem, sed per orationem, & meditationem: quoniam quicquid in Scripturis didicerat, maximè in agro, & in sylvis meditando, & orando se accepisse confessus est, aut per Divinam revelationem: quia, ut dicit in Canticis, dum quædam retineret, quæ aliàs disceret, audivit vocē dicentem sibi: Donec istud tenueris, aliud non accipies.

Itaque charitas nobili comite, scilicet beato Bernardo, & ingenuâ familiâ, scilicet gaudio, pace, patientiâ, longanimitate, bonitate, benignitate, mansuetudine circundata, velut dux insignis egreditur, certusque de victoria, signo triumphali erecto, primam pertransiit, secundamq; inimicorum custodiam. Cumque pervenisset ad portam, ultro ei aperta est; ad cuius ingressum facta est lætitia magna in oppido. Et cùm suadente gaudio vociferarent omnes, & acclamarent, exortus clamor exterorum castra perterruit. At illi, quæ est, inquiunt, vox ista exultationis in auribus nostris, in tabernaculis justorum, de castris Israelis? Non sic fuit heri, & nudiustertiùs. Fortè venit eis auxilium, & impetum facient in nos? Fugiamus Israelem: quoniam Dominus

pu-

Digitized by Google

pugnat pro eis contra nos.

Interim charitas more ſuo igne ſuccenſa ordinari exercitum jubet,& portas aperiri, & inimicos in fugam convertit apertè denuncians: Vadam ad portas inferi. Sicque uno impetu univerſus procedit charitatis exercitus, quos Babylonii non ferentes fugiunt, ſed non effugiunt. Cadunt enim à latere timoris mille, & à dextris charitatis decem millia. Vt autem arcerentur deinceps ab invaſione civitatis Ieruſalem, beatus Bernardus circa oppidum juſtitiæ domum Clarevallenſem Ciſtercienſis Ordinis ædificavit, in qua velut lucerna ardens effulſit, & inſidias inimicorum confudit; de quo Apoc. 3. cap. dicitur: *Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ: & confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis Dei.*

Induebatur autem beatus Bernardus veſtimentis albis puritatis, & innocentiæ, ſuccenſus igne charitatis, ad quam omnes cives Ieruſalem accendebat. Propterea dicit verbum propoſitum:

Lucerna fulgoris illuminabit te

O Dives, per liberalitatem.
Carnalis, per caſtitatem.
Fidelis, per obedientiæ nobilitatē.
Princeps, per conſtantiam.
Inimice, per patientiam.
Devote, per benevolentiam.
Simplex, per gratiam.
Laice, per prudentiam.
Religioſe, per temperantiam.
Profeſſe, Per ſubjectionem.
Apoſtata, per revocationem.
Tentate, per exhortationem.

PRIMO. *Beatus Bernardus ſicut lucerna fulgoris illuminabit te, ò dives, per liberalitatem.* Sciendum,quòd quantum ad res temporales incidit quæſtio inter viros religioſos, & mundanos: quid ſit melius: an divitias retinere, vel contemnere?

Religioſi dicunt, quòd melius eſt, divitias contemnere, & ſuper hoc adducunt duas leges. Vnam Evangelicam. Matth. 19. cap. *Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus,& habebis theſaurum in cælo.* Aliam Apoſtolicam. 1. Timo. 6. cap. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa, quæ mergunt hominem in interitum.*

Mundani dicunt, quòd melius eſt divitias retinere: quia multæ eleemoſynæ inde fieri poſſunt. Et adducunt ſuper hoc duas leges. Vnam Evangelicam. Lucæ 16. cap. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Aliam Apoſtolicam. 2. Corinth. 9. cap. *Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet, ſicut ſcriptum eſt: Diſperſit, dedit pauperibus: juſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.*

Iudex autem Chriſtus auditis allegationibus utriuſque partis dat ſententiam interlocutoriam, dicens illud Matth. 19. cap. *Dives difficilè intrabit in regnum cælorum.* Et intelligitur de illis divitibus, qui totum cor ſuum in divitiis poſuerunt. Ideo monet Pſal. *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Et *Bernardus ſermone 4. de Advent.* hoc declarat dicens: Filii Adam genus avarum, & ambitioſum, quid vobis cum terrenis divitiis, quæ nec veræ, nec veſtræ ſunt? Aurum,& argentum terra rubea eſt, & alba, quam ſolus hominum error facit, aut magis reputat pretioſa. Denique ſi veſtra ſunt, tollite ea vobiſcum. Camelus unum ſolum pondus habet, dives duo: unum terrenarum poſſeſſionum, aliud peccatorum. Primum in morte deponit; aliud, velit, nolit, moriens retinet, niſi ante mortem deponat. Veræ ergo divitiæ non opes ſunt, ſed virtutes, quas ſecum conſcientia portat, ut in perpetuum dives fiat.)

Terrenas divitias docuit beatus Bernardus contemnendas quadrupliciter.

Primò. Seculi derelictione. Nam in Burgundia Fontanis ex nobilibus valde ac religioſis parentibus ortus eſt; cuius mater, ut ipſum partu edidit, manibus propriis Deo obtulit, alienis uberibus ipſum enutriri nolens, quaſi cum lacte materno quodammodo boni infundens ei naturam, quem cibis groſſioribus paſcens, continuò ad eremum tranſmiſit; qui anno vigeſimo ſecundo ætatis ſuæ cum ſociis pluſquam triginta Ordinem Ciſtercienſium eſt ingreſſus.

Secundò. In fratrum converſione. Nam cùm Bernardus fratres ſuos convertiſſet, qui erant numero quinque, ut domum paternam egrederentur, Guido primogenitus advertens Nivardum fratrem ſuum minimum adhuc puerum in platea ludentem cum pueris, eia, inquit, frater Nivarde, ad te reſpicit omnis

Digitized by Google

terra poſſeſſionis noſtræ. Cui non pueriliter puer reſpondit: Vos ergo cælum habebitis, & mihi ſolummodò terram relinquitis? Non ex æquo diviſiſtis. Modico itaque tempore cum patre remanſit, ſed fratres poſtmodum ſecutus eſt.

Tertiò. In ſororis redargutione. Nam pater eius, qui ſolus domi remanſerat, ad monaſterium beati Bernardi ivit, & ibidem poſt aliquod tempus in ſenectute bona deceſſit. Soror autem in ſeculo nupta, cùm divitiis, & deliciis ſeculi periclitaretur, fratres ſuos cum comitatu, & apparatu ſuperbo viſitatura ad monaſterium venit, quam beatus Bernardus graviſſimè increpavit, quòd eſſet rete diaboli ad animas capiendas, & ſtercus involutum, & ſimilia. Illa autem in lacrymas reſoluta, ſic repente mutata eſt, ut in medio ſeculi vitam duceret eremiticam, & ab omni ſeculo prorſus ſe faceret alienam, quæ tandem monaſterium intravit.

Quartò. In fragilium compaſſione. Nam cùm quidam Abbas pro uno cœnobio conſtruendo ſexcentas marcas argenti beato Bernardo miſiſſet, quas prædones à ferentibus vi abſtulerunt, ait: Benedictus Deus, qui nobis pepercit ab onere, ſed & illis, qui tulerunt levius parcendum eſt: tum quia humana cupiditas ſuſtulit, tum quia magna pecunia, magna tentatio fuit. Vnde poteſt meritò dicere illud Pſal. *Paravi lucernam Chriſto meo*. Sicut enim Chriſtus habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem, & erat in medio ſeptem candelabrorum aureorum, ut dicitur *Apoc.* 1. c. ſic Beatus Bernardus erat velut lucerna in medio ſtellarum: quoniam convertit patrem ſuum, & quinque fratres ſuos, & ſororem ſuam, &c.

SECVNDO. *Beatus Bernardus ſicut lucerna fulgoris illuminabit te, ò carnalis, per caſtitatem.* Sciendum, quòd inter viros ſpirituales & carnales incidit quæſtio, quid ſit melius: an caſtitatem ſervare, vel matrimonium contrahere?

Reſpondent viri ſpirituales, quòd melior eſt caſtitas propter duas leges. Vna eſt Evangelica, per quam ſuadetur, matrimonia abjicere, & caſtitatem ſervare. Matthæi 19. cap. *Omnis, qui reliquerit domum, aut patrem, aut uxorem &c. propter Nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Alia eſt Apoſtolica. 1. Corinth. 7. cap. *Qui matrimonio iungit virginem, bene facit: qui autem non iungit, melius facit.*

Reſpondent viri carnales, quòd melius eſt matrimonium propter duas leges. Vna eſt Evangelica. Matthæi 19. cap. *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Hæc autem conjunctio facta fuit in paradiſo. Gen. 1. cap. *Creſcite, & multiplicamini*, &c. Alia eſt Apoſtolica. 1. Tim. 5. cap. *Volo autem iuniores nubere, & filios procreare.*

Iudex verò Chriſtus ſuper hoc dat ſententiam interlocutoriam, dicens illud Lucæ 19. cap. *Filii huius ſeculi nubunt, & tradantur ad nuptias. Illi verò, qui digni habebuntur ſeculo illo, & reſurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores.* Quaſi dicat: Illi, qui volunt habere conſolationes ſuas in mundo, uxores ducant: illi verò, qui ſolùm volunt placere Deo, uxores non accipiant. *Bernardus in epiſtola ad Henricum Senonenſem Epiſcopum* dicit: Quid caſtitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum ſemine, de hoſte domeſticum, Angelum denique de homine facit? Differunt quidem inter ſe pudicus homo, & Angelus; ſed felicitate, non virtute. Sed etſi illius caſtitas felicior, hujuſmodi tamen fortior eſſe cognoſcitur. Sola eſt caſtitas, quæ in hoc mortalitatis & loco, & tempore ſtatum quendam immortalis gloriæ repræſentat. Sola inter nuptiarum ſolemnia morem beatæ illius vendicat regionis, in qua neque nubunt, neque nubuntur, præbens quodammodo terris, cæleſtis jam illius converſationis experientiam. Vas interim fragile, quod portamus, in quo & crebrò periclitamur, tenet caſtitas, ut monet Apoſtolus, in ſanctificationem; & inſtar odoriferi balſami, quo condita cadavera incorrupta ſervantur, ſenſus ipſa, & artus continet, & confringit, ne diſſolvantur otiis, ne corrumpantur deſideriis, ne carnis voluptatibus computreſcant. *Hæc ille.*

Caſtitatem mentis, & carnis beatus Bernardus conſervavit quadrupliciter.

Primò. Per mortificationem. Cùm enim in quandam fœminam oculos diutiùs defixiſſet, in ſeipſo erubuit, & in ſtagno gelidarum aquarum tandiu permanſit, donec penè exanguis effectus, per gratiam Dei à calore carnalis concupiſcentiæ totus refriguit.

Secundò. Per alienationem. Cùm enim puella quædam in lectum eius ſe nudam injeciſſet, cum omni pace, & ſilentio ipſe eidem ceſſit, & in latus alterum ſe convertens dormivit. Cumque immobilis, & alienus perſiſteret, miſera illa, atque impudentiſſima erubuit,

Digitized by Google

buit, & confusa aufugit.

Tertiò. Per excitationem. Nam matrona quædam, in cuius domo hospitabatur, vehementer in concupiscentiam eius exarsit. Cumque impudenter ipsa lectum Bernardi quæreret usque tertiò, protinus ille exclamavit: Latrones, latrones. Improba mulier sic repulsa, tandem metu & desperatione devicta cessavit.

Quartò. Per excommunicationem. Apud Aquitaniam mulier quædam à dæmone incubo petulanter vexabatur ferè sex annis. Quod ut Sanctus Dei comperit, baculum suum mulieri tradidit, in lecto ponendum. Cumque dæmon ad cubile nequiret accedere, graviter mulieri cõminabatur. Vir autem Dei convocato populo accensas candelas in manibus tenente dæmonem illum excommunicavit, & accessum ad illam mulierem deinceps interdixit, sicque mulier liberata est ab hujusmodi illusione. Ideo dicitur Lu. 12. cap. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.*

TERTIO. *Beatus Bernardus sicut lucerna fulgoris illuminabit te, ò fidelis, per obedientiæ nobilitatem.* Sciendum, quod inter fideles quantùm ad animam incidit quæstio, quid sit melius: an habere fidem magnam, an opera magna?

Respondent quidam, quòd melius est habere fidem magnam, & hoc propter duas leges. Una est Evangelica. Matthæi 17. cap. *Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc: & transibit, & nihil impossibile erit vobis.* Alia est Apostolica. Heb. 11. cap. *Sine fide impossibile est placere Deo.*

Respondent alii, quòd melius est habere opera magna propter duas leges. Una est prophetica. Psal. *Labores manuum tuarum, quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit.* Alia est Apostolica. Iacobi 2. cap. *Vis scire, ò homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est?*

Iudex autem Christus dat sententiam interlocutoriam, dicens Matth. 7. cap. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Illi dicunt bis, Domine, qui credunt corde, & confitentur ore. Isti non intrabunt, nisi dicant tertiò: id est opere. Vnde sequitur: *Sed qui facit voluntatem Patris mei.* *Bernardus in sermone* 1. *octavæ Paschæ* dicit: Fide siquidem in Dei filios adoptamur: fidem in nobis mundus in maligno positus odit, atque persequitur, fide & vincitur. Porrò fides sine operibus mortua est in semetipsa. Nec mirum videri potest, si nequaquam vincit, quæ nec vivit quidem. Quæris, quænam sit vivida, & victoriosa fides? Illa sine dubio, per quam Christus habitat in cordibus nostris. Christus enim & vita, & virtus nostra est. Tandiu Christus in nobis vivit, quandiu vivit fides. At postquam fides nostra mortua est, quodammodo Christus mortuus est in nobis. Porrò fidei vitam opera attestantur. Sicut enim corporis vitam ex motu suo dignoscimus, ita & fidei vitam ex operibus bonis. *Hæc ille.*

Beatus Bernardus fidem cum operibus docuit quadrupliciter. Primò. Per protestationem. Cùm enim adhuc puerulus gravi dolore capitis ægrotaret, venientem ad se carminatricem, ut dolorem suis carminibus mitigaret (protestans fidem Iesu Christi ipsum liberare) indignans repulit, qui continuò se plenè sanatum invenit.

Secundò. Per prædicationem. Cùm semel populo prædicaret, & omnes verba eius attentè ac devotè susciperent, eius animo talis irrepsit tentatio: Verè nunç optimè prædicas, & ab omnibus libenter audiris, & sapiens ab omnibus reputaris. Advertens autem hanc esse malignam tentationem, nutabat animo, an procederet, vel desisteret. Statim Divino confortatus auxilio ait tentatori: Nec per te incepi, nec per te dimmittam; sicque securus prædicationem usque in finem prosecutus est.

Tertiò. Per prohibitionem. Cùm quoddam monasterium, quod vir Dei construxerat, occupasset muscarum incredibilis multitudo, ita ut omnibus gravem molestiam inferrent, ille ait: Ego excommnico eas. Mane igitur omnes pariter mortuas invenerunt.

Quartò. Per exhortationem. Cùm enim vir Dei exhortaretur plures nobiles, qui eum visitaturi advenerant, ut sacris diebus quadragesimæ à suis vanitatibus, & lasciviis desisterent, & ipsi non acquiescerent, jussit eis propinari vinum dicens: Bibite poculum animarum. Quo hausto, subitò mutati recesserunt, & qui modicum tempus denegaverant, totum tempus vitæ suæ Deo dedicaverunt, &c.

QVARTO. *Beatus Bernardus sicut lucerna fulgoris illuminabit te, ò Princeps, per con-*

conſtantiam. Sciendum, quòd inter dominos & ſervos incidit quæſtio, quid ſit melius: an dominari aliis, an ſubdi aliis?

Reſpondent humiles, quòd melius eſt ſubdi aliis propter duas leges. Vna eſt Evangelica. Luc. 1. cap. *Depoſuit potentes de ſede: & exaltavit humiles*. Nam Lucifer, quærens locum altiſſimum, cecidit. Adam de paradiſo ejectus eſt. Pharao ſubmerſus eſt. Nabuchodonoſor in beſtiam mutatus eſt. Alia eſt Apoſtolica. 1. Pet. 2. cap. *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: quia ſic eſt voluntas Dei*.

Reſpõdent ambitioſi, quòd melius eſt dominari aliis propter duas leges. Vna eſt Divina. Gen. 1. cap. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: & præſit univerſæ creaturæ*. Alia eſt Apoſtolica. Rom. 13. cap. *Quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt: qui ergo poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*.

Iudex autem Chriſtus dat ſententiam interlocutoriam, dicens illud Luc. 22. cap. *Reges gentium dominantur eorum: & qui poteſtatẽ habent ſuper eos, benefici vocantur. Vos autem non ſic: ſed qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor: & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator*. *Bernardus in epiſtola ad Henricum Senonenſem Epiſcopum* dicit: Multi non tantâ fiduciâ, & alacritate currerent ad honores, ſi eſſe ſentirent & onera. Gravari profectò metuerent, nec cum tanto labore, & periculo quarumlibet affectarent infulas dignitatum. Nunc verò, quia ſola attenditur gloria, non pœna, purum eſſe clericum erubeſcitur in Eccleſia; ſeque viles exiſtimant, & inglorios, qui quocunque eminentiori loco non fuerint ſublimati. *Hæc ille*.

Beatus Bernardus hanc ambitionem dignitatum cõtemnere docuit: quia cùm à quibuſdam civitatibus electus eſſet in Epiſcopum, ſcilicet Ianuæ, & Mediolani; reſpondit, ſe non eſſe ſuum, ſed aliorum ſervitio deputatum. Inter Principes autem & tyrannos Eccleſiam perſequentes fulſit per conſtantiam; ſicut patet in Duce Aquitaniæ, qui cùm Eccleſiam perſequeretur, vir Dei poſt Miſſam cum Corpore Chriſti ignea facie ad eum exivit, dicens: Ecce ad te venit Filius Virginis, quem tu perſequeris: reſiſte ei, ſi vales. Statimque ille ad pedes eius acceſſit, & ei in omnibus odedivit.

Legitur 2. *Reg.* 10. *cap.* quòd David miſit nuncios ad Regem Ammon. Sed illi dimidiam barbam eis raſerunt, & veſtes præciderunt. David autem exercitum fecit, & eos contrivit. Nuncii David ſunt clerici, & Prælati. Filii Ammon ſunt dæmones, vel Principes mali. Duæ partes barbæ ſunt vita, & ſcientia; vel ordo, & eccleſiaſtica beneficia: Dæmones ergo dimidiam barbam radunt, quando tollunt vitam, & dimittunt ſcientiã. Tyranni etiam mediam barbam radunt, quãdo auferunt ſubſtantiam temporalem, & dimittunt eis ordinem clericalem. Sed David, qui interpretatur manu fortis, id eſt, bonus Prælatus, debet habere audacem animum, ut tales non timeat; imperioſum verbum, ut eos reprehendat, & excommunicationi ſubjiciat; & fortem manum, ut per brachium ſeculare ipſos coerceat, prout fecit Beatus Bernardus, de quo dicitur Proverb. 31. cap. *Non extinguetur in nocte lucerna eius*, &c.

QVINTO. *Beatus Bernardus ſicut lucerna fulgoris illuminabit te, ò inimice, per patientiam*. Sciendum, quòd inter imperfectos & perfectos incidit quæſtio: quid ſit melius, an diligere amicum, vel inimicum?

Reſpondent imperfecti, quòd melius eſt amare amicum propter duas leges. Vna eſt Divina. Lev. 26. cap. *Perſequemini inimicos veſtros, & corruent coram vobis. Cadent inimici veſtri in conſpectu veſtro gladio. Reſpiciam vos, & creſcere faciam, & multiplicabimini*. Alia eſt Evangelica. Matth. 5. cap. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*.

Reſpondent perfecti, quòd melius eſt amare inimicum propter duas leges. Vna eſt Evangelica. Lucæ 6. cap. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis eſt gratia? Nam & peccatores diligentes ſe diligunt. Et ſi benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ eſt vobis gratia?* Siquidem & peccatores hoc faciunt. Alia eſt Apoſtolica. Rom. 12. cap. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius*.

Iudex autem Chriſtus dat ſententiam interlocutoriam, dicens illud Matth. 5. cap. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros. Benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos: ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cælis eſt*, &c. *Bernardus ſerm.* 20. *ſuper Cantica* dicit: Non abduci blanditiis, nec ſeduci fallaciis, nec injuriis frangi, toto corde, tota anima, tota virtute diligere eſt.

Bea-

Beatus Bernardus inter inimicos eum perſequentes fulſit per patientiam. Nam patientiæ genus ſolitus erat dicere tripartitum, ſcilicet: ad injurias verborum, ad damna rerum, ad corporis læſionem. Hanc ipſe his exemplis ſe habere probavit. Cùm enim cuidam Epiſcopo, amicabiliter eum admonēs, quandam ſcripſiſſet epiſtolam, ille vehementer exacerbatus amariſſimam ei reſcripſit epiſtolam, in principio ita dicens: Salutem, & non ſpiritum blaſphemiæ, tanquam ex ſpiritu blaſphemiæ illam ſcripſiſſet. Ad quem Bernardus: Ego ſpiritum blaſphemiæ me habere non credo, nec maledixiſſe cuiquam, nec maledicere me velle ſcio, præſertim Principi populi mei. Fuit etiam patiens ad contumelias verberum. Cùm enim quidam eum in maxillā percuſſiſſet, Vir Dei circundantes adjuravit, ne illum tangerent, ſed in pace abire permitterent.

SEXTO. *Beatus Bernardus ſicut lucerna fulgoris illuminabit te, ò devote, per benevolentiam.* Sciendum, quòd inter Paſtores & ſubditos incidit quæſtio, quid ſit melius: an quòd Paſtores ſe habeāt ad ſubditos ſeverius, an quòd eos regant benevolentius?

Reſpondēt Paſtores, quòd debent eſſe ſeveriores propter duas leges. Vna eſt Divina. Eccli 7. cap. *Noli quærere fieri iudex, niſi virtute valeas irrumpere iniquitates.* Alia eſt Apoſtolica. Iac. 2. cap. *Facti eſtis iudices cogitationum iniquarum.*

Reſpondent ſubditi, quòd melius eſt eos regi per benevolentiam propter duas leges. Vna eſt Evangelica. Ioann. 10. cap. *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* Alia eſt Apoſtolica. Ad Tit. 1. c. *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem: hoſpitalem, benignum, ſobrium, iuſtum, ſanctum.*

Iudex autem Chriſtus dat ſententiam interlocutoriam, dicens illud Matth. 18. cap. Accedens Petrus ad Ieſum ait: *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? uſque ſepties? Dicit ei Ieſus: Non dico tibi, uſque ſepties; ſed uſque ſeptuagies ſepties. Bern. ſer. 23. ſuper Cantica* dicit: Diſcite ſubditorum vos matres eſſe debere, non dominos: ſtudere magis amari, quàm metui. Etſi interdum ſeveritate opus eſt, paterna ſit, non tyrannica. Matres fovendo, patres vos corripiendo exhibeatis. Manſueſcite, ponite feritatem. Suſpendite verbera, producite verba. Pectora lacte pingueſcant, non typhâ turgeant.)

Beatus Bernardus inter humiles, & devotos fulſit per benevolentiam. Nam inter ſummos honores alter ſibi mutuatus homo videbatur, ſeque potiùs reputabat abſentem, velut quoddā ſomnium ſuſpicatus. Vbi verò inter ſimpliciores erat, & amicâ ſemper licebat humilitate frui, ibi ſeſe inveniſſe gaudebat, & in propriam rediiſſe perſonam. Vincebat ſanè in eo ſublimitatem nominis humilitas cordis, nec ipſum poterat tantò univerſus erigere mundus, quantò ſeipſum dejicere. Solus ſummus reputabatur ab omnibus, infimum ſe reputans; & quem ſibi omnes præferebant, ipſe nemini ſe præferebat. Eius enim humilitas apparuit in quatuor.

Primò. In contemplatione. Quia in cella novitiorum per annum habitans, neſcivit, an domus haberet tectum. Et intrans Eccleſiam ſæpiùs, neſcivit tres in capite illius eſſe feneſtras.

Secundò. In refectione. Quia multam ſibi indixerat abſtinentiam. Pinguedinem porcinam à butyro non diſcernens comedit. Oleum pro aqua bibit. Olerum locò, fagi frondibus diu veſcebatur.

Tertiò. In maceratione. Vigilabat enim ultra poſſibilitatem humanam. Cilicio inſuper multo tempore uſus eſt, quouſque occultum eſſe potuit. In veſtibus paupertas ei ſemper placuit, ſordes verò nunquam.

Quartò. In accuſatione. Vt patet ex reſponſione, quam fecit dæmoni de hæreditate cæleſti, quo jure illam obtinere crederet. Sicque confuſus dæmon turpiter, ab eo diſceſſit.

SEPTIMO. *Beatus Bernardus ſicut lucerna fulgoris illuminabit te, ò ſimplex, per gratiam.* Sciendum, quòd inter Doctores & diſcipulos incidit quæſtio, quid ſit melius: an quòd Doctores ſemper doceant, an quòd interdum deſiſtant?

Reſpondent Doctores, quòd non ſemper debent docere propter duas leges. Vna eſt Divina. Proverb. 23. cap. *In auribus inſipientium ne loquaris: quia deſpicient doctrinam eloquii tui.* Alia eſt Evangelica. Matthæi 15. cap. *Sine cauſa colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.*

Reſpondent diſcipuli, quòd melius eſt, quòd Doctores à doctrina non deſiſtant propter duas leges. Vna eſt Divina. Eccli. 6. cap. *Fili, à iuventute tua excipe doctrinam, & uſque ad canos invenies ſapientiam.* Alia eſt Apoſtolica. 1. Tim. 4. cap. *Attende tibi, & doctrinæ: inſta in illis: hoc enim faciens, & teipſum ſalvum faciet, & eos, qui te audiunt.*

Iu-

Iudex autem Chriſtus dat ſentẽtiam interlocutoriam, dicens illud Ioann. 8. cap. *Si vos manſeritis in ſermone meo, verè Diſcipuli mei eritis: & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Bernardus ſuper Cantica* dicit: O quàm compoſitum reddit hominem, corporis ſtatum, & mentis habitum diſciplina. Cervicem ſubmittit, ſupercilia, & vultum componit, oculos ligat, cachinnos cohibet, linguam moderatur, gulam refrænat, iram ſedat, inceſſum format.

Beatus Bernardus inter ſimplices ad verba ſua avidos fulſit per magnam gratiam. Vnde mater eius vidit ſe in utero geſtare catulum, totum candidum, in dorſo ſubrufum, & latrantem. Ipſe enim fuit catulus, in quantum linguâ prædicationis ſuæ vulnera peccatorum ſanavit. Fuit candidus, in quantum puritatem mentis, & corporis ſervavit. Fuit ſubrufus, in quantum igne zeli ſuccenſus fuit. Fuit latrans, in quantum tyrannos redarguit, & Hæreticos à grege Dei compeſcuit. Zach. 4. cap. *Ecce candelabrum totum aureum: & lampas eius ſuper caput ipſius.*

OCTAVO. *Beatus Bernardus ſicut lucerna fulgoris illuminabit te, ò laice, per prudentiam.* Sciendum, quod inter laicos, & religioſos incidit quæſtio, quid ſit melius: an ſervire Deo in ſeculo, an in religione?

Reſpondent laici, quòd melius eſt, ſervire Deo in ſeculo propter duas leges. Vna eſt Evangelica. Ioann. 12. cap. *Ego lux veni in mundum: ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. Non enim veni, ut iudicem mundum, ſed ut ſalvificem mundum.* Alia eſt Apoſtolica. 1. Ioann. 1. cap. *Si autem in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus ad invicem: & Sanguis Ieſu Chriſti, Filii eius, emundat nos ab omni peccato.*

Reſpondent religioſi, quòd meliùs eſt relinquere ſeculum, & ſervire Deo in religione propter duas leges. Vna eſt Divina. Levit. 16. cap. *Affligetis animas veſtras religione perpetuà.* Alia eſt Evangelica. Matth. 19. cap. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni ſequere me.*

Iudex autem Chriſtus dat ſententiam interlocutoriam, dicens illud Matth. ibidem: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter Nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* *S. Bernardus in colloquio Simonis ad Ieſum* dicit: Ecce nos reliquimus omnia, &c. Bone Petre, & non ad inſipientiam tibi: quia exultavit ut gigas ad currendam viam, nec currentem ſequi poteras oneratus. Nonne utilis commutatio pro eo, qui ſuper omnia eſt, reliquiſſe? Qui relinquere diſponis omnia, te quoque inter relinquenda numerare memento; imo verò maximè, & principaliter abnega temetipſum, ſi deſideras ſequi eum, qui exinanivit propter te ſemetipſum. *Hæc ille.*

Beatus Bernardus fulſit inter laicos, quos ad religionem convertit quadrupliciter. Primò. Inſpiratione. Perpendens enim non eſſe tutum, cohabitare ſerpenti, fugam meditari cœpit, & ordinem Ciſtercienſium ex tunc ingredi deliberavit.

Secundò. Ratione. Nam fratres ſnos carnales verbis ſalutaribus ad Religionem adduxit.

Tertiò. Operatione. Sicut patet de Gerardo fratre ſuo, in carcerem poſito, quem miraculosè extraxit, & ad ordinem induxit.

Quartò. Demonſtratione. Sicut patet in quodam nuncio ab Archiepiſcopo ad eum tranſmiſſo, qui viſa ſanctitate viri Dei, ſeculo valedixit, & ordinem introivit.

NONO. *Beatus Bernardus ſicut lucerna fulgoris illuminabit te, ò religioſe, per temperantiam.* Sciendum, quòd inter parentes & filios incidit quæſtio, quid ſit melius: an quòd filii propter obſequium parentum remaneant in ſeculo, an eis derelictis religionem ingrediantur?

Reſpõdent parentes, quòd melius eſt, quòd filii remaneant in ſeculo ad obſequium ipſorũ propter duas leges. Vna eſt Evangelica. Matthæi 15. cap. *Vos dicitis: Quicunque dixerit patri, vel matri, Munus quodcunque eſt ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrem ſuum, aut matrem ſuam, & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram.* Alia eſt Apoſtolica. 1. Timo. 5. cap. *Si quis autem ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem non habet, & eſt infideli deterior.*

Reſpondent filii, quòd melius eſt Religionẽ ingredi propter duas leges. Vna eſt Evangelica. Matth. 4. c. *Illi autem ſtatim relictis retibus & patre, ſecuti ſunt Ieſum.* Alia eſt Apoſtolica. Hebr. 12. cap. *Patres habuimus carnis noſtræ quidem eruditores, & reverebamur eos:*

eos: non multò magis obtemperabimus Patri ſpirituum, & vivemus?

Iudex autem Chriſtus dat ſententiam interlocutoriam, dicens illud Matthæi 8. cap. *Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. Bernardus in quodam ſermone* dicit: Si quid religionis oritur, quicunque reſiſtit, quicunque repugnat, planè cum Ægyptiis parvulos Iſraelitici generis necare conatur; imo cum Herode naſcentem perſequitur Salvatorem.)

Beatus Bernardus novitios carnalem affectum relinquere ſatagebat. Vnde dicebat eis: Si ad ea, quæ intus ſunt feſtinatis, hìc foris dimittite corpora, quæ de ſeculo attuliſtis. Soli ſpiritus ingrediantur: caro non prodeſt quicquam.) Religioſus enim non debet portare ad religionem corporalem voluntatem, ut ſcilicet propter ventrem paſcendum ingrediatur, nec debet portare corpus, id eſt, carnalem parentum amorem. Gen. 12. cap. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui*, &c.

DECIMO. *Beatus Bernardus ſicut lucerna fulgoris illuminabit te, ò profeſſe, per ſubiectionem.* Sciendum, quòd inter devotos incidit quæſtio, quid ſit melius: an ſervire Deo ex ſola libertate, an ex voti neceſſitate?

Reſpondent quidam, quòd melius eſt ſervire Deo ex ſola libertate, & devotione, & hoc propter duas leges. Vna eſt Divina. Eccli. 35. cap. *In omni dato hilarem fac vultum tuum. Da Altiſſimo ſecundùm datum eius, & in bono oculo adinventionem facito manuum tuarum: quoniam Dominus retribuens eſt, & ſepties tantùm reddet tibi.* Alia eſt Apoſtolica. 2. Corinth. 9. cap. *Hilarem datorem diligit Deus: unuſquiſque prout deſtinavit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate.*

Reſpondent alii, quòd melius eſt ſervire Deo ex voto, & hoc propter duas leges. Vna eſt Divina. Iſaiæ 19. cap. *Colent eum in hoſtiis, & in muneribus: & vota vovebunt Domino, & ſolvent.* Alia eſt Apoſtolica. Rom. 6. cap. *Obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi eſtis.*

Iudex autem Chriſtus dat ſententiam interlocutoriam, dicens illud Matthæi 12. cap. *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt. Bernardus lib. de præcepto, & diſpenſatione cap. 9.* dicit: Perfecta obedientia leges neſcit, terminis non arctatur; nec contenta anguſtiis profeſſionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis; & ad omne, quod injungitur, ſpontanea, vigore liberalis alacriſque animi modum non conſiderans, in infinitam libertatem extenditur.)

Beatus Bernardus profeſſos virtutibus, & moribus informabat. Servávit enim in vita ſua tria, & docuit, quæ moriens reliquit dicens: Tria vobis obſervanda relinquo, quæ ego pro viribus obſervavi: Nemini ſcandalum feci. Minus ſenſui meo, quàm alterius credidi. Læſus de lædente vindictam nunquam expetii. Ecce charitatem, humilitatem, & obedientiam vobis relinquo. In his enim tribus conſiſtit ſumma religionis.

VNDECIMO. *Beatus Bernardus ſicut lucerna fulgoris illuminabit te, ò apoſtata, per revocationem.* Sciendum, quòd inter innocentes, & pœnitentes incidit quæſtio: quis magis obligetur Deo, & quis recipiat majorem gratiam à Deo, an innocens, an pœnitens?

Reſpondent innocentes, quòd magis diliguntur à Deo propter duas leges. Vna eſt Divina. Iob 4. cap. *Recordare, obſecro te, quis unquam innocens periit? aut quando recti deleti ſunt?* Alia eſt Apoſtolica. Hebr. 7. cap. *Talis decebat, ut nobis eſſet Pontifex: ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus: qui non habet quotidie neceſſitatem, quemadmodum Sacerdotes, priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi.*

Reſpondent pœnitentes, quòd magis diliguntur à Deo propter duas leges. Vna eſt Evangelica. Lucæ 5. cap. *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* Alia eſt Apoſtolica. Rom. 2. cap. *An ignoras: quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?*

Iudex autem Chriſtus dat ſententiam interlocutoriam, dicens illud Lucæ 15. cap. *Dico vobis, quòd ita erit gaudium in cælis ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem iuſtis, qui non indigent pœnitentiâ. Bernardus* dicit: O felix pœnitentium humilitas, ò bona ſpes confitentium, quàm potens es apud Omnipotentem, quàm facilè vincis invincibilem, quàm citò tremebundus judicem convertis in piiſſimum Patrem!)

Beatus Bernardus apoſtatas revocavit ad pœnitentiam, & Religionem. Patet de illo monacho, qui ad ſeculum redierat, ut luderet ad taxillos, cumque omnia amiſiſſet, meritis Beati Bernardi ad Religionem regreſſus, devotiſſimam egit ſuorum peccatorum pœnitentiam. Patet etiam de alio monacho ſibi propinquo, quem per epiſtolam in imbre

Digitized by Google

ſine imbre ſcriptam revocavit, &c.

DVODECIMO. *Beatus Bernardus ſicut lucerna fulgoris illuminabit te, ô tentate, per exhortationem.* Sciendum, quòd inter tentatos, & ſecuros incidit quæſtio, quid ſit melius: an quòd ſerviens Deo probetur tentationibus, an quòd probetur conſolationibus?

Reſpondent tentati, quòd melius eſt, quòd probetur tentationibus propter duas leges. Vna eſt Divina. Eccli. 2. cap. *Fili accedens ad ſervitutem Dei, ſta in timore: & præpara animam tuam ad tentationem.* Alia eſt Apoſtolica. Iac. 1. cap. *Beatus vir, qui ſuffert tentationem: quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*, &c.

Reſpondent ſecuri, quòd melius eſt, quòd probetur conſolationibus propter duas leges. Vna eſt Divina. Pſalm. *Conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Alia eſt Apoſtolica. Phil. 4. cap. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.*

Iudex autem Chriſtus dat ſententiam interlocutoriam, dicens illud Luc. 18. c. *Deſcendit hic*, ſcilicet Publicanus, *iuſtificatus in domum ſuam ab illo*, ſcilicet Phariſæo. *Bernardus in quodam ſermone* dicit: Fratres, in hoc mundo, quaſi in campo certaminis poſiti ſumus; & qui hìc dolores, aut plagas, aut tribulationes non ſuſcepit, in futuro glorioſus non apparebit.)

Beatus Bernardus tentatos cõſolationibus, & orationibus refovebat. Cùm enim quidam novitius tentatus diceret: Nunquam amplius lætus ero; Vir Dei ſic eum conſolatus fuit, & pro eo oravit, quòd dixerit: Nunquam amplius triſtis ero. Etiam cùm quidam ruſticus diceret, ſe habere cor firmum, & ſtabile in oratione, & ex hoc præſumeret, Bernardus ait: Si Dominicam orationem abſque ulla cordis vagatione finire poteris, jumentum, cui inſideo, protinus tibi tradam: te autem adjuro, ut verum dicas. Vix dimidiam orationem dixerat, & ecce importuna cogitatio illum exagitat, an ephippiũ cum jumento habere debeat, & hoc ipſum Viro Dei indicavit, & deinceps non præſumpſit. Vnde de eo poteſt dici illud Proverb. 20. cap. *Lucerna Domini ſpiraculum hominis.* Hìc per gratiam, tandem per gloriam. Amen.

SERMO XLIV.

IN FESTO

S. BARTHOLOMAEI APOSTOLI.

Creſcit in templum ſanctum in Domino. Epheſ. 2. cap.

APocalypſis 3. cap. dicitur: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius: & ſcribam ſuper eum Nomen Dei mei, & nomen civitatis novæ Ieruſalem.* Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtrum Beatus Bartholomæus per fructuoſam fidei prædicationem creverit in templi Dei ædificationem?

AD iſtam quæſtionem reſpondent duo Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt *beatus Auguſtinus ſermone* 2. *de Apoſtolis* dicens: Iſti ſunt lapides pretioſi, quos in fundamento cæleſtis ædificii poſitos Ioannes in Apocalypſi ſua deſcribit: quia prædicatio eorum Eccleſiæ fundamenta locavit. Vnde & Paulus ad Epheſ. 2. cap. ait: Vos eſtis cives Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prohetarum. Iſti ſunt duodecim portæ Ieruſalem novæ, quæ de cælo deſcendit: quia per ipſos januam fidei primùm intravimus, & inter cives Sanctorum annumerati ſumus. *Hæc ille.*

Secundus eſt *beatus Theodorus in ſermone* dicens: Vide Bartholomæum linguæ aratro rationalia rura ſulcantem, paradiſum & vineas Domini plantantem, ſylvas evellere, & ſepem circumponere. Sed reſpuunt ægroti me-

medentem, orbi manuducentem, naufragi gubernatorem, mortui vivificatorem.)

Sciendum, quòd neceſſe fuit ultra legem antiquam dari legem novam propter duodecim rationes.

1. Ratione juſtificationis. Lex enim antiqua non juſtificabat hominem. Galat. 2. cap. *Si data eſſet lex, quæ poſſet juſtificare, Chriſtus gratis mortuus eſſet.* Id eſt, ſine cauſa. Ideo dicitur Ioann. 3. cap. *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Ex quo patet, quòd lex nova juſtificat, & ſalvat.

2. Ratione perfectionis. Sicut enim non ſufficit homini, quòd ſit natus ad humanæ ſpeciei conſervationem, ſed oportet, quòd fiat virtute perfectus; ita ad perfectam ſalutem non ſufficit ſtatus legis antiquæ, in quo genus humanum aſſimilatur puero ſub pædagogo, *Galat. 3. cap.* Sed oportet, quòd conſtituatur ſub lege nova, in qua ſecundùm Apoſtolum genus electum aſſimilatur viro perfecto, qui de ſeipſo dicit 1. Cor. 13. cap. *Cùm eſſem parvulus, loquebar ut parvulus,* &c. *quando autem factus ſum vir, evacuavi quæ erant parvuli.*

3. Ratione promiſſionis. Nam lex antiqua non promittebat, niſi caduca. Nam *Exo. 3. cap.* quando Deus dedit legem Moyſi, promiſit regnũ Chananæorum; lex autẽ nova promittit æterna, quæ in exordio ſuæ prædicationis Chriſtus manifeſtavit. Matth. 4. c. *Pœnitentiam agite, appropinquavit regnum cælorum.*

4. Ratione prohibitionis. Nam lex antiqua non prohibebat malum perfectè: quia prohibebat ſolùm manum, id eſt, injuriam exteriorem; lex autem nova cohibet manum, & animum: ubi enim illa dicit ſolùm: *Non occides, non mœchaberis*; iſta clamat: *Qui viderit mulierem ad cõcupiſcendum eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo.* Et: *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Vnde ſervantibus legem antiquam, & aſpernantibus novam, juxta blaſphemiam Phariſæi, Chriſtus dicit Matth. 5. c. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quàm Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.*

5. Ratione dilectionis. Nam lex antiqua eſt lex timoris, quo homo declinat à malo, ulterius non peccando; lex autem nova eſt lex amoris, quo remittitur peccatum perpetratum. Vnde Lucæ 7. cap. dicit Chriſtus de Magdalena: *Remittuntur ei peccata multa: quoniam dilexit multum.* Ideo *Auguſtinus contra Fauſtum* ait: Parva differentia legis, & Evangelii: timor, & amor.

6. Ratione aſſimilationis. In lege veteri Patres antiqui aſſimilantur animalibus terreſtribus; Patres verò novi Teſtamenti aſſimilantur avibus cæleſtibus. Vnde in parabola de nuptiis Matth. 22. cap. dicit Chriſtus: *Venite ad nuptias*, ſcilicet cæleſtes: *quia tauri mei occiſi ſunt.* Id eſt, Prophetæ, & Patriarchæ veteris Teſtamenti, quorum caput Abel, ultimus Ioannes Baptiſta. *Altilia*, id eſt, Patres novi Teſtamenti, ſcilicet Chriſtus, Stephanus, &c.

7. Ratione inhæſionis. Lex enim antiqua continet novam, & nova continetur in veteri. Ezech. 1. c. *Rota erat in rota.* Quia ſecundùm *Greg. ibid.* Eccleſia erat in Synagoga.

8. Ratione ſalvationis. Lex enim antiqua non ſatiat, quemadmodum nova: quia illa dat paleas, & herbas; iſta verò dat frumentum. Vnde *Chryſ. ſuper illud Mar. 4. cap.* Cũ terra producit ex ſe fructũ, primo fructificat herbã, deinde ſpicam, poſt ſpicã frumẽtũ &c. dicit ſic: Per herbam intelligitur genus humanum in ſtatu legis naturæ. Per ſpicam ſtatus legis ſcriptæ. Per granum ſtatus legis gratiæ, de quo grano dicitur Ioann. 12. cap. *Niſi granum frumenti*, id eſt Chriſtus, *cadens in terram*, id eſt in Cruce, *mortuum fuerit, ipſum ſolum manet*, ſcilicet juſtum, & beatum. *Si autem mortuum fuerit*, ſcilicet redimendo, *multum fructum affert*, ſcilicet ſalvando genus humanum.

9. Ratione collationis. Lex enim antiqua datur in lapide; lex nova, id eſt, ſpiritus vitæ datur in corde. Ezech. 36. cap. *Auferam à vobis cor lapideum*, ſcilicet legis antiquæ; *& dabo vobis carneum*, ſcilicet legis gratiæ; *& ſpiritum meum ponam in medio veſtri*, id eſt, Spiritum ſanctum.

10. Ratione refectionis. Lex enim antiqua eſt lex oneroſa, lex autem nova eſt lex ſuavis. Matth. 11. cap. dicit Chriſtus: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos.* Id eſt, legem novam. *Iugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.*

11. Ratione præſentationis. Lex enim antiqua prophetando in Prophetis, figurando in figuris, promittebat futura; lex nova præſentat promiſſa perfecta. Illa in umbra, iſta in veritate. Illa promittebat Filium Dei naſciturum, iſta præſentat Chriſtum natum,

Digitized by Google

paſſum, reſurrexiſſe, in cælum aſcendiſſe, *Marci ultimo cap.* Illa fugit de Ægypto tranſiens mare rubrum, iſta pertranſiens in Sanguine Chriſti. Illa columnâ ignis & nubis ducitur, iſta Spiritu ſancto. Illa ſuſcipit manna de cælo, iſta comedit Corpus Chriſti ſupra cælum. Illa bibit aquam de petra, iſta aquam de Latere Chriſti. Illa tranſit per Iordanem, iſta per Baptiſmum. Illa vadit ad patriam terreſtrem, ubi non diu durat; iſta ducit ad cæleſtem perpetuam.

12. Ratione glorificationis. Nam ſtatus Eccleſiæ Dei ſecundùm *Dionyſium de Eccleſiaſtica Hierarchia* conſtituitur in triplici ſtatu: ſcilicet in umbra legis antiquæ, in luce gratiæ legis novæ, in ſplendore gloriæ futuræ. Et ſicut perfectiſſimus eſt ſtatus gloriæ, ita perfectior eſt ſtatus gratiæ, quàm ſtatus legis antiquæ. Hæc enim mandabat ſuos ad limbum, iſta verò tranſmittit ad cælum. In cuius ſignum baptizato Domino aperti ſunt cæli ſuper eum: ad inſinuandum, quòd cælum merito ſuæ Paſſionis aperitur baptizatis. Vnde Stephanus primus Martyr poſt Chriſtum non vidit ſe deſcenſurum ad limbum, ſed aſcenſurum ad cælum. Ideo clamavit Actor. 7. cap. *Ecce video cælos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei.*

Beatus Bartholomæus diligenter advertens tantam excellentiam novæ legis, ad Chriſtum acceſſit, cuius ſe militem exhibuit, portans inſignia eius in clypeo corporis ſui, ſcilicet campum album per caſtitatem. Dan. 7. cap. *Veſtimentum eius candidum ſicut nix.* Et Threnor. 4. cap. *Candidiores Nazarei eius nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores.* Portans in circuitu clypei ſui liſtam rubeam, per corporis ſui paſſionem, & ſanguinis effuſionem. Apocal. 7. c. *Vidi alterum Angelum, aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei vivi*, ſcilicet ſanguinis conſperſionem in medio clypei. Habens bullam auream per charitatis ſplendorem. Ioann. 15. cap. *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Fultus itaque hoc clypeo annunciavit opera Dei mirabilia, neceſſaria, terribilia, & glorioſa. Pſal. *Annunciaverunt opera Dei: & facta eius intellexerunt.* Mirabilia opera Dei jam facta quoad Paſſionem, Redemptionem, Reſurrectionem, Aſcenſionem, annunciavit. Pſalm. *Mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis.* Et Daniel. 3. cap. *Placuit mihi prædicare ſigna eius, quia magna ſunt.* Et Tobiæ 13. cap. *Diſperſit vos inter gentes, ut enarretis mirabilia eius.* Neceſſaria opera Dei quoad juſtificationes impiorum annunciavit. Eccli. 38. cap. *Da locum medico, & non diſcedat à te: opera enim illius ſunt neceſſaria.* Et 1. Regum 19. cap. *Opera illius bona ſunt tibi valde.* Terribilia opera Dei quoad punitiones iniquorum annunciavit. Pſal. *Dicite Deo: quàm terribilia ſunt opera tua, Domine.* Scilicet venientis ad judicium. Exodi 34. cap. *Signa faciam, qua nunquam ſunt viſa ſuper terram: ut cernat populus iſte opus Domini terribile.* Glorioſa opera Dei quoad glorificationem juſtorum annunciavit. Eccli. 11. cap. *Glorioſa, & inviſa opera illius.* *Bernardus.* Quàm glorioſa dicta ſunt de te, civitas Dei! Omnium una erit lingua, jubilatio indefeſſa, unus affectus, amor æternus. Patebit veritas, implebit charitas, & erit integra corporis & animæ ſocietas. Fulgebit, ſicut ſol, humanitas glorificata. Angelorum, & hominum unum erit gaudium, unum colloquium, unum convivium. Non languebit amor, non liquefiet dilectio, præſentibus omnibus bonis, nulla erit dilationis afflictio.) Ideo beatus Bartholomæus

Creſcit in templum ſanctum in Domino

Per converſionem. Per paſſionem.
Per imitationem. Per glorificationẽ.
Per aſsumptionem. Per impetrationẽ.
Per prædicationem.

PRIMO. *Beatus Bartholomæus creſcit in templum ſanctum in Domino per converſionem.* Sciendum, quòd (ut dicit Pſal. *Convertentur ad Dominum univerſi fines terræ*) converſio iſta fit ſeptem modis.

Primò. Per pudorem, & erubeſcentiam. Ioelis 2. cap. *Sol convertetur in tenebras, & luna in ſanguinem.* Quia anima, quando convertitur ad Dominum per pudorem, quem habet de peccato ſuo, ſol, id eſt, ratio convertitur in tenebras, id eſt, ad conſiderationem ſuorum peccatorum: & luna, id eſt, ſenſualitas in ſanguinem, id eſt, ad confuſionem. Rom. 6. cap. *Quem fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis?*

Secundò. Per timorem, & juſtitiam. Pſal. *Qui convertit mare in aridam.* Quia conſideratio amaritudinis diſtricti indicii facit cor aridum ab humore peccati.

Tertiò. Per ſpem veniæ. Exodi. 15. cap. *Miſit lignum in aquas Mara, quæ in dulcedinem ver-*

Digitized by Google

verſa ſunt. Quia, cùm anima conſiderat Paſſionem Chriſti, quam in ligno habuit, tunc affectiones eius amaræ convertuntur in ſpem Divinæ miſericordiæ.

Quartò. Per amorem ſpiritualis lætitiæ. Ioann. 2. cap. *Guſtavit aquam vinum factum*. Quia lacrymę amoris ſunt ſignum lætitiæ ſpiritualis. Pſalm. *Vinum lætificat cor hominis*.

Quintò. Per dolorem contritionis. Pſalm. *Qui convertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum*. Quod fit, cùm anima obdurata convertitur ad Deum per lacrymoſam contritionem.

Sextò. Per ruborem confeſſionis. Iob 28. cap. *Lapis calore ſolutus in æs convertitur*. Quia lapis eſt duritia animæ peccantis. Æs, quod eſt ſonorum, deſignat ſonoritatem confeſſionis. Calor eſt dolor in confitendo.

Septimò. Per laborem ſatisfactionis. Dan. 3. cap. *Fecit medium fornacis, quaſi ventum roris flantem*. Quod fit, cùm anima convertitur ad Deum per æquam ſatisfactionem. Angelus ſignat gratiam. Fornax animam peccatoris. Ignis vehementiam tribulationis. Refrigerium conſolationem, quæ plenè ſatisfacienti confertur. 2. Cor. 1. c. *Sicut abundant Paſſiones Chriſti in nobis, ita per Chriſtum abundat conſolatio noſtra*.

Beatus Bartholomæus ex nobilibus parentibus ortus, ſcilicet Rege Indiæ, diutino detentus idolorum errore, tandem auditâ famâ, ſanctitate, ac miraculis Ieſu Chriſti, in Iudæam venit, ubi ad Chriſtum converſus perpetuò ei adæſit, & magnam pœnitentiam pro peccatis ſuis egit.

SECVNDO. *Beatus Bartholomæus creſcit in templum ſanctum in Domino per imitationem*. Sciendum, quòd Bartholomæus interpretatur filius ſuſpendentis aquas. Dicitur enim à *Bar*, quod eſt filius, & *thala*, quod eſt ſuſpendit, & *maiin*, quod eſt aquæ. Inde *Bartholomæus*, id eſt, filius ſuſpendentis aquas, id eſt Dei, qui mentes Doctorum ſurſum elevat, ut aquas doctrinarum inferius fundant. Et eſt nomen Syrum, non Hebræũ, per quod notatur dignitas eius, qui in filiũ Dei adoptatus eſt. 1. Theſ. 5. c. *Omnes enim vos filii lucis eſtis, & filii Dei: non ſumus noctis, neque tenebrarum*. Quia hæreditatem illam, quam Chriſtus naturaliter poſſidet, nos per ipſum, velut filii adoptionis, percipimus. Pſalm. *Tu es, qui reſtituis hæreditatem meam mihi*. Et Rom. 8. cap. *Si filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*.

Sicut autem quis in poſſeſſionẽ terrenæ hæreditatis octo modis poteſt introire; ita in poſſeſſionem cæleſtis hæreditatis octo modis poteſt introire, quibus modis poteſt in filium Dei adoptari per gratiam.

Primò. Adoptatur quis in filium per vitæ puritatem, & innocentiam. 2. Cor. 6. c. *Immundam ne tetigeritis, & ego recipiam vos: & ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias*. Tales enim, quia expreſsè imitantur illum Filium naturalem, qui eſt *Speculum ſine macula*, Sap. 7. cap. merentur in filios adoptari. Deut. 14. cap. *Filii eſtote Domini Dei veſtri. Non vos incidetis, nec facietis calvitium ſuper mortuo*. Scilicet per peccati corruptionem, per quod fit inciſio, & plaga gravis in anima. Et ſequitur: *Quoniam populus ſanctus es Domino Deo tuo*. Talibus enim competit primus modus intrandi in poſſeſſionem alicuius hæreditatis, ſcilicet jure propinquitatis. Numeri 27. cap. *Hæreditas dabitur eis, qui proximi ſunt ei: eritque hoc filiis Iſrael ſanctum*, id eſt firmum, *lege perpetua*. Incorruptio autem facit proximum Dei. Sap. 7. c. Spiritus ſanctus propter ſuam munditiam *in animas ſanctas ſe transfert: amicos Dei, & Prophetas conſtituit*. Hanc autem vitæ munditiam aſſequitur homo per Baptiſmum. 1. Cor. 6. cap. *Et hoc quidem fuiſtis*, ſcilicet peccatores. *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis*. Ad tales ergo jure propinquitatis devolvitur hæreditas. Pſalm. *Novit Dominus dies immaculatorum: & hæreditas eorum in æternum erit*.

Beatus Bartholomæus à Chriſto fuit baptizatus, ſicut ceteri Apoſtoli. Ioann. 13. cap. *Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet*. Et iterum. *Vos mundi eſtis*. Poſt baptiſmum autem ſervavit innocẽtiam vitæ. Cùm enim Indi quærerent ab idolo ſuo Aſtaroth: Quis eſt iſte Bartholomæus? Ait: Amicus eſt Dei omnipotentis &c. Etiam in die Pentecoſtes accepit Spiritum ſanctum. Act. 1. cap. *Vos autem baptizabimini Spiritu ſancto*.

Secundò. Adoptatur quis in filium per fidei conſtantiam. Gal. 3. cap. *Omnes filii Dei eſtis per fidem in Chriſto Ieſu*. Talis enim meretur introire in cæleſtem hæreditatem jure commutationis: quia enim fides eſt de his, quæ non videntur, ſcilicet de æternis, quæ autem videntur, ſunt temporalia; ideo fides facit commutationem temporalium pro æternis, & hoc per paupertatem voluntariam, ut patet de Abtaham Heb. 11. cap. Qui *fide*

obe-

obedivit in locum exire, quem acceptarus erat in hæreditatem: & exiit neſciens quo iret. Et Iac. 2. cap. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, hæredes regni, quod repromiſit diligentibus ſe?* De iſta commutatione dicitur Deut. 18. cap. *Non habebunt Sacerdotes, & Levitæ partem, & hæreditatem cum reliquo Iſrael: Dominus enim ipſe eſt hæreditas eorum.*

Beatus Bartholomæus hanc permutationē fecit. Matth. 19. cap. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*, &c. Cùm enim filiam lunaticam Regis Indiæ ſanaſſet, & Rex ei multa pretioſa donaria miſiſſet, mane ſequenti in aurora clauſo oſtio apparens Regi, ait: Cur me tota die cum auro, & argento quæſiviſti? Iſta munera ſunt neceſſaria his, qui terrena requirunt. Ego nihil terrenum, nihil carnale deſidero, qui hæc omnia propter amorem Domini mei Ieſu Chriſti contempſi, &c.

Tertiò. Adoptatur quis in filium per virtutem, & juſtitiam. 1. Ioann. 3. cap. *Omnis, qui juſtitiam facit, ex ipſo natus eſt. In hoc manifeſti ſunt filii Dei, & filii diaboli. Omnis, qui non eſt juſtus, non eſt ex Deo.* Talis enim juſtus meretur introire cæleſtem hæreditatem jure emptionis. Pſalm. *Juſti autem hæreditabunt terram, & inhabitabunt in ſeculum ſeculi ſuper eam.* Et Matth. 5. cap. *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam.* Et Iſa. 55. cap. *Omnes ſitientes venite ad aquas.* Scilicet cæleſtis gloriæ. Quia torrente voluptatis tuæ potabis eos. *Et qui non habetis argentum, properate, & emite.*

Beatus Bartholomæus juſtitiæ operibus intendebat, quod eius corporis diſpoſitio demonſtravit, ſicut idolum Berith nomine proteſtatum eſt, dicens: Capilli eius nigri, & criſpi, caro candida, oculi grandes, nares æquales & directæ, barba prolixa habens canos paucos, ſtatura æqualis. Collobio albo, & purpureo induitur pallio, quod per ſingulos angulos gemmas habet purpureas. Viginti quinque anni ſunt, ex quo veſtes eius, & ſandalia nec veteraſcunt, nec ſordeſcunt.) Sicut nec filiorum Iſrael, quorum veſtimenta non inveteraverunt, & pedes eorum non ſunt attriti, ut dicitur 2. *Eſdræ* 9. cap.

Quartò. Adoptatur quis in filium per compaſſionem, & miſericordiam. Eccli. 4. cap. *In iudicando eſto pupillis miſericors: & eris tu velut filius Altiſſimi obediens.* Talis enim miſericors meretur introire cæleſtem hæreditatem jure matrimonialis confœderationis. Maritus enim debet habere partem hæreditatis uxoris, & econverſo; unde ſecundùm legem non licebat viro uxorem de alia tribu ducere, ne ad aliam tribum tranſiret hæreditas, *Numeri ultimo cap.* Qui ergo deſponſaverit miſericordiam filiam Dei, juſtum eſt, ut hæreditatem percipiat. Eccli. 44. cap. *Illi viri miſericordiæ ſunt, quorum pietates non defuerunt: & cum ſemine ipſorum perſeverat bona hæreditas.*

Beatus Bartholomæus miſericordiæ operibus valde intentus fuit. Cùm enim præcepiſſet idolo Aſtaroth, ut dæmon inde exiens idolum ipſum comminueret, ſtatim exiens, omnia idola templi per ſeipſum confregit; deinde oratione fuſa ab Apoſtolo, omnes infirmi protinus curati ſunt. Pſal. *Tibi derelictus eſt pauper: orphano tu eris adiutor. Contere brachium peccatoris, & maligni.*

Quintò. Adoptatur quis in filium per tribulationum tolerantiam. Hebr. 12. c. *Quem enim diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. Quis enim filius, quem non corripit pater? Quòd ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes; ergo adulteri, & non filii eſtis.* Talis enim tribulatus, & flagellatus acquirit hæreditatem cæleſtem ſcuto, & lanceâ. Hebr. 6. cap. *Non ſegnes efficiamini, verùm imitatores eorum, qui fide, & patientiâ hæreditabunt promiſſiones. Sic Abraham longanimiter ferens adeptus eſt repromiſſionem.*

Beatus Bartholomæus in adverſitatibus, & tribulationibus ſemper eodem vultu, & animo lætus, & hilaris perſeverabat. Actor. 5. c. *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilii: quoniam digni habiti ſunt, pro Nomine Ieſu contumeliam pati.*

Sextò. Adoptatur quis in filium per orationis inſtantiam. Rom. 8. cap. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater.* Scilicet orando. Talis enim inſtanter orans acquirit hereditatem cæleſtem ſolo deſiderio. Pſal. *Expecta Dominum, & cuſtodi viam eius, & exaltabit te: ut hæreditate capias terram.* Iſaiæ 57. cap. *Qui habet mei fiduciam, hæreditabit terram, & poſſidebit montem ſanctum meum.*

Beatus Bartholomæus flexis genibus centies per diem orabat Deum, & centies per noctem. Inde, cùm quidam dæmoniacus, qui

qui multo tempore obſeſſus fuerat à dæmone, clamaſſet: Apoſtole Dei, Bartholomæe, incendunt me orationes tuæ; Apoſtolus ait: Obmuteſce, & exi ab eo. Statimque liberatus eſt, &c.

Septimò. Adoptatur quis in filium per devotam obedientiam. Eccli. 4. cap. *Eris velut filius Altiſſimi obediens.* Et Rom. 8. cap. *Qui ſpiritu Dei*, id eſt, voluntate Dei, *aguntur, hi filii Dei ſunt.* Talis obediens acquirit hæreditatem cæleſtem per ſervitii retributionem. Eccli. 46. cap. *Dedit Dominus ipſi Caleb fortitudinem, ut aſcenderet in excelſum terræ locum, & ſemen eius obtinuit hæreditatem. Viderunt omnes filii Iſrael, quòd bonum eſt obſequi ſancto Deo.*

Beatus Bartholomæus humili obedientia ſervivit Deo (quoniam Angeli Dei cum eo ambulabant, qui nunquam eum fatigari, nec eſurire permittebant) ſemper intendens his, quæ Dei erant, quomodo impleret.

Octavò. Adoptatur quis in filium per pacis obſervantiam. Matthæi 5. cap. *Diligite inimicos veſtros: benefacite his, qui oderunt vos, ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cælis eſt.* Et iterum. *Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur.* Talis pacificus acquirit cæleſtem hæreditatem ſolâ gratiâ, & dono. Pſal. *Manſueti autem hæreditabunt terram: & delectabuntur in multitudine pacis.*

Beatus Bartholomæus oſtendit viam ſalutis cum periculo corporis ſui inimicis Ieſu Chriſti. Cùm enim Pontifices templi idolo ſacrificarent, cœpit clamare dæmon, ac dicere: Ceſſate miſeri ſacrificare nobis, ne pejora me patiamini, qui catenis igneis ab Angelis Ieſu Chriſti, quem Iudæi crucifixerunt, religatus ſum, &c. Et ſic patet.

TERTIO. *B. Barthol. creſcit in templum ſanctũ in Domino per aſſumptionẽ.* Quãvis enim in domo Dei alii electi ſint lapides vivi, ſituati ſecundùm eorum merita in ſuis locis (juxta illud: *Vrbs Ieruſalem beata, dicta pacis viſio: quæ conſtruitur in cælis vivis ex lapidibus.* Epheſ. 2. cap. *In quo templo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu ſancto*) Apoſtoli tamen ſunt fundamenta huius domus. Apoc. 21. cap. *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim: & in ipſis nomina duodecim Apoſtolorum Agni.* Tum quia præ cæteris electis Deo ſunt propinquiores per amicitiam. Ioann. 15. cap. *Iam non dicam vos ſervos, ſed amicos*, &c. Tum quia à ſole Divinitatis ſunt illuminatiores. Numeri 14. cap. *Apparuit gloria Domini ſuper tectum fœderis.* Inter quos fuit beatus Bartholomæus, quem Chriſtus aſſumpſit ad duodecim myſteria.

1. Ad ſui ſequelam. Matthæi 19. cap. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*, &c.

2. Ad Divinorum cognitionem. Lucæ 8. cap. *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei.* Et Ioann. 17. cap. *Pater, manifeſtavi Nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi.*

3. Ad miraculorum operationem. Matthæi 10. cap. *Convocatis Ieſus duodecim Diſcipulis ſuis, dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum: ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.*

4. Ad Evangelii prædicationem. Ibidem. *Euntes autem prædicate dicentes: quia appropinquavit regnum cælorum.*

5. Ad mundi perſecutionem. Ibidem. *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. Cavete autem ab hominibus: tradent enim vos in conciliis, & in Synagogis ſuis flagellabunt vos.*

6. Ad redemptionis humanæ oſtenſionem. Matth. 16. cap. *Cœpit Chriſtus oſtendere Diſcipulis ſuis, quia oporteret eum ire Ieroſolymam, & multa pati à ſenioribus*, &c.

7. Ad humilitatis exhibitionem. Ioann. 13. cap. *Si ego lavi veſtros pedes Dominus, & Magiſter, & vos debetis alter alterius lavare pedes*, &c.

8. Ad ſacri myſterii celebrationem. 1. Cor. 11. cap. *Hoc facite in meam commemorationem.*

9. Ad peccatorum remiſſionem. Ioan. 20. cap. *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

10. Ad Reſurrectionis Chriſti teſtificationem. Act. 4. cap. *Virtute magnà reddebant Apoſtoli teſtimonium Reſurrectionis Ieſu Chriſti.*

11. Ad Aſcenſionis Chriſti comprobationem. Lucæ 24. cap. *Eduxit autem eos foras in Bethaniam, & elevatis manibus benedixit eis. Et factum eſt, dum benediceret eis, receſſit ab eis, & ferebatur in cælum.* Et Act. 1. c. *Videntibus illis elevatus eſt*, &c.

12. Ad Spiritus ſancti receptionem. Act. 2. cap. *Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.* De beato autem Bartholomæo dicitur, quòd omnia prævidit, omnia novit, omnium gentium linguas ſcivit, & intellexit, &c.

QVARTO. *Beatus Bartholomæus creſcit in templum ſanctum in Domino per prædi-*

cã-

cationem. Sciendum, quòd Beatus Bartholomæus à Domino Ieſu Chriſto miſſus eſt ad prædicandum. Marci 16. cap. *Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ*. Vnde *beatus Theodorus Abbas, & Doctor præcipuus in ſermone* dicit ſic: Beatus Bartholomæus, dum ad prædicandum mitteretur, à Domino audivit: Vade diſcipule meus ad prædicationem. Exi ad pugnã. Capax eſto periculorum. Ego paternum opus conſummavi, primus teſtis factus. Vos, quod neceſſarium eſt, implete. Imitare Magiſtrum tuum: æmulare Dominum tuum. Sanguinem ſanguinibus pone: carnibus carnem trade, quæque pro te paſſus ſuſtinui, patere. Arma tibi ſint, benignitas in ſudoribus, manſuetudo inter maleficos, patientia in his, qui pereunt. Non reſultavit Apoſtolus, ſed ut famulus fidelis, Dominico acquieſcens præcepto, pergit gaudens; tanquam lux mundi, ut tenebroſos illuminaret; tanquam ſal terræ, ut gentes inſipidas faliret; tanquam agricola, ut ſpiritualem culturam perficeret. *Hæc ille*.

In hac enim prædicatione quatuor fecit. Primò. Habuit ſolicitudinem operationis. Vnde *beatus Ambroſius in præfatione* dicit ſic: Diſcipulis Chriſti tui unica Divinitate perſonaliter prædicantibus Trinitatem, tuam mundo mirabiliter dignatus es oſtendere Majeſtatem. Inter quos beatiſſimum Bartholomæum, magnâ virtutum prærogativâ colendum, benigna tui proſpectio ad populum direxit longinquum, quem, licèt humanæ converſatione penitùs remotum, tibi tamen prædicationum augmento meruit conſignare vicinum. O quantis præconiis Apoſtolus mirabilis celebrandus, cui dum ad ſeminandum fidem, proximorum corda non ſufficerent populorum, alacriter itinerando extremos terrarum fines penetravit Indorum! *Hæc ille*. Tres enim Provincias peragravit. Vnde *beatus Theodorus*: Apoſtolus Dei Bartholomæus primum in Lycaonia prædicavit, poſtmodum in India, ad ultimum in Albano, urbe majoris Armeniæ.) Tres enim dicuntur Indiæ: Prima, quæ ad Æthiopiam ducit. Secunda, quæ ad Medos. Tertia, quæ finem facit. Et ad iſtam perrexit. Iſa. 60. capite: *Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant?*

Secundò. Habuit amplitudinem religionis. Quia dæmonum culturam deſtruxit, & Dei cultum, & religionem ampliavit. Sicut autem dicit *beatus Auguſtinus lib. 2. de civitate Dei. cap. 14.* Tria genera deorum tradita ſunt: Vnum à Poetis, alterum à Philoſophis, tertium à Principibus civitatum.) Hi autem dii nullo modo ſunt colendi. Pſalm. *Simulacra gentium argentum, & aurum: opera manuum hominum*, &c. *Similes illis fiant, qui faciunt ea*. Omnia autem iſta genera deorum beatus Bartholomæus deſtruxit. Vnde *Ambroſius ubi ſuprà*: Templum ingreſſus dæmoniacum, effecit illicò, ut nullum cultoribus dæmon præberet reſponſum. O quàm ſublime ſanctitatis eius miraculum, dum antiqui humani generis inimici fecit in nihilum redigi ſimulacrum! O quàm dignè exercitui numerandus cæleſti, cuius (ut miraculis fidẽ commodaret certiſſimam) Angelus apparuit ſupra delapſus ab aula! Is igitur catenatum dæmonem cunctis oſtendens deformem, ſalutiferam ſaxo dominicam impreſſerat Crucẽ. *Hæc ille*.

Tertiò. Habuit plenitudinem dilectionis. Quia beneficia Domini Ieſu pleniſſimè cognovit, dilexit, & nunquam oblivioni tradidit; quæ etiam Regi Polymio mira charitate expoſuit, oſtendens, quòd noſtra redemptio facta eſt valde congruenter, potenter, juſtè, & ſapienter, ut patet *in legendis*. Cùm ergo eidem Sacramenta fidei prædicaſſet, dixit Regi, quòd, ſi baptizari vellet, deum ſuum ligatum catenis ſibi oſtenderet, quod & fecit. Vnde *Ambroſius ubi ſuprà*. Rex, Reginaque ſimul baptizantur cum gente: urbiumque duodecim accolæ te Deum Patrem corpore ſequuntur & mente.

Quartò. Habuit pulchritudinem intentionis. Quia perſeveravit in doctrina verbi Dei uſque in finem. Vnde *beatus Theodorus ubi ſuprà*: Petrus Apoſtolus docet nationes, ſed & Bartholomæus conſequenter paria inveſtigat. Petrus operatur prodigia magna, ſed & Bartholomæus facit miracula valida. Ad quot Petrus valet myſteria capeſſenda, ad tot ſufficit Bartholomæus penetranda. Æqualiter ſecundùm Eccleſiam æqua lance habet cetera Divina chariſmata. Hic ex Divino duodenarii numero medius ab utraque parte ſonum Divinæ ſermocinationis dat, ſicut in cithara harmoniam. *Hæc ille*. Nam *Matth. 10. cap.* Bartholomæus inter Apoſtolos numeratur ſextus. Sed *Act. 1. cap.* numeratur ſeptimus, tanquam medius inter eos. Et ſic patet.

QVINTO. *Beatus Bartholomæus creſcit in templum ſanctum in Domino per paſſionem*.

Scien-

Sciendum, quòd paſſio beati Bartholomæi fuit valde ſimilis Paſſioni Chriſti. Chriſtus nanque fuit expoliatus, flagellatus, crucifixus, & ſic mortuus. Sic beatus Bartholomæus fuit flagellatus, fuit crucifixus, fuit pelle ſua expoliatus, & ſic per capitis obtruncationem mortuus eſt. Cantic. 5. cap. *Invenerunt me vigiles, qui circumeant civitatem: percuſſerunt me*, ſcilicet flagellando: *vulneraverunt me*, ſcilicet crucifigendo, & decollando: *tulerunt pallium meum*, ſcil. me excoriando. Fuit enim circundatus pœnis undique, ſcilicet ſurſum: quia fuit decollatus; deorſum: quia fuit in cruce pedibus affixus; à dextris, & à ſiniſtris: quia manibus in cruce fuit clavatus; ante & retro: quia fuit flagellatus; in toto corpore: quia fuit excoriatus. Iſte eſt ille homo, de quo dicitur *Luce* 10. *cap.* qui ab Ieruſalem in Iericho deſcendit, ſcilicet quando Chriſtus ipſum in mundum lunaticum ad prædicandum miſit: qui incidit in latrones, ſcilicet Gentiles, qui eum expoliaverunt excoriando, plagas impoſuerunt flagellando, & crucifigendo, & ſemivivum reliquerunt decollando. Tunc enim fuit ſemivivus relictus: quia quoad corpus fuit mortuus, ſed quoad animam coram Deo vivus. Vnde *Ambroſius ubi ſuprà*: Ad extremum verò templorum delatu Pontificum Neophyti Polymii frater tyrannus Aſtyages beatum Apoſtolum omnimodè in fide conſtantem, cæſum, atque excoriatum, acerrimam fecit ſuſcipere mortem, qui tamen mortis viriliter perferendo diſcrimen, glorioſi certaminis ad cæleſte gaudium ſecum reportavit triumphum.) Et *beatus Theodorus ubi ſuprà*: Sanctus Bartholomæus Indis prædicavit, qui & Evangelium ſecundùm Matthæum in propria eorum lingua eis tradidit. Dormivit in Albano civitate magnæ Armeniæ crucifixus deorſum habens caput. Petrus deorſum capite crucifigitur; Bartholomæus poſtquam vivens excoriatus eſt, capite plectitur.) Nam primò fuit crucifixus, deinde vivens excoriatus, tandem capite truncatus.

Beatus Bartholomæus fuit excoriatus propter quatuor. Primò. In ſignum ſervidæ charitatis. Solent enim homines calore nimio æſtuantes deponere veſtimenta, & quia Beatus Bartholomæus igne amoris plenus fuit; ideo propter Chriſtum pellem depoſuit. Vnde 1. *Reg.* 18. *cap.* dicitur, quòd Ionathas diligebat David quaſi animam ſuam: nam expoliavit ſe tunicâ ſuâ, & dedit eam David. Sic Beatus Bartholomæus dono Spiritus ſancti repletus, diligebat Chriſtum quaſi animam ſuam; propter quod nudavit ſe tunicâ, & dedit eam David, quando propter Chriſtum excoriatus fuit.

Secundò. In argumentum majoris puritatis. Solent enim rami arborum, quando excoriantur, candidiores apparere; ſic beatus Bartholomæus pelle mortalitatis exutus, in anima extitit magis purus. Ioel. 1. cap. *Ficum meam decorticavit: nudans ſpoliavit eam: albi facti ſunt rami eius.*

Tertiò. In ſpem futuræ immortalitatis. Solet homo libenter deponere veſtem veteſtam, ut veſtem induat novam. Baruch 5. cap. *Exue te, Ieruſalem, ſtolâ luctus, & vexationis, & indue te decore regio.* Sic Beatus Bartholomæus libenter pellem mortalitatis exuit: quia ſe decorandum veſte immortalitatis agnovit. 1. Mach. 10. c. *Iuſſit Rex expoliari Ionatham veſtibus ſuis, & indui eum purpurâ.* Id eſt, carne glorioſa, quod erit in reſurrectione generali.

Quartò. In odorem ſuavitatis. Solebat enim Sacerdos in veteri lege, ut dicitur *Levi.* 1. *cap.* pellem hoſtiæ detrahere, igneque ſuppoſito, ipſam in odorem ſuaviſſimum Domino immolare. Sic ſancto Bartholomæo eſt pellis detracta, qui igne charitatis ſuccenſus in odorem ſuaviſſimum eſt Domino immolatus. Sap. 3. cap. *Tanquam aurum in fornace probavit illos: & quaſi holocauſti hoſtiam accepit eos.* Et ſic patet.

SEXTO. *Beatus Bartholomæus creſcit in templum ſanctum in Domino per glorificationem*, ſcil. quoad animam, & quoad corpus.

Quoad gloriam animæ *beatus Theodorus ubi ſuprà* dicit: Nunc ergo ave, ò beate beatorum, ter beate Bartholomæe, qui es Divinæ lucis ſplendor, ſanctæ Eccleſiæ piſcator rationalium piſcium perituræ capturæ, dulcis fructus vividi palmitis, vulnerator diaboli mundum ſuo latrocinio vulnerantis. Gaudeas ſol orbis terræ cuncta illuminans, os Dei, lingua ignita ſapientiam promens, fons jugiter ſanitates emanans; qui mare meabilibus greſſibus ſanctificaſti, qui terram purpureâ tuo cruore feciſti, qui ad cælos cõmeaſti, ubi in medio Divinæ aciei refulgens, in ſplendore immarceſcibilis gloriæ ſplendens, in exultatione jucunditatis inſatiabilis gaudes. *Hæc ille.*

Quoad gloriam corporis dicit *Idem ubi ſuprà:*

prà: Projiciunt nanque in pelagus corpus ſanctum. Mota eſt igitur cum impetu de regionibus Armeniæ arca cum quatuor aliis aliorum Martyrum arcis, quæ ſimiliter, dum ſigna operarentur, cum ea fuerant in mare projectæ; & per tantum ſpatium maris quatuor his præcedentibus, & tanquam miniſtris obſequium quodammodo Apoſtolo facientibus, venerunt in partes Siciliæ in Inſulam, quæ Lipara nominatur, ſicut Epiſcopo Hoſtienſi, qui tunc aderat, revelavit. Venit ad pauperculam theſaurus ditiſſimus. Venit ad ignobilem pretioſa margarita. Venit ad mœſtam ſplendidiſsimum luminare. Suſceptus eſt igitur cum multis hymnis, laudibus, & candelis, & templum ſibi magnificè fabricatur. *Hæc ille*. Et ſic patet.

SEPTIMO. *Beatus Bartholomæus creſcit in templum ſanctum in Domino per impetrationem*. Vnde *beatus Theodorus ubi ſuprà* dicit: Poſtquam beatus Apoſtolus migravit ex hoc mundo, neglexit occiſores, ſed invitabat miraculis perditos, & prodigiis admittebat adverſos.) Deus enim glorificavit ipſum reſpectu noſtri quadrupliciter.

Primò. Quia factus eſt advocatus peccatorum, ſicut cuidam devoto ſuo revelabat, dicens: Deus per multum tempus noſtris precibus, & meritis populo huic pepercit.

Secundò. Liberator devotorum, ſicut patet in magiſtro, quem ab inſidiis diaboli liberavit.

Tertiò. Condemnator reproborum, ſicut patet in Friderico Imperatore, qui eius corpus de loco ſuo movere voluit.

Quartò. Reprobator munerum injuſtorũ, ſicut patet in muliere, quæ oleum injuſtè acquiſitum in lampadem ſancti Bartholomæi infundere voluit, ſed nequivit. Multis aliis miraculis coruſcat, hìc per gratiam, in cælo per gloriam. Amen.

SERMO XLV.

IN FESTO

S. AVGVSTINI EPISCOPI DOCT. ECCL.

Sic iſte effulſit in templo Dei. Eccli. 50. cap.

PAulinus Divum Auguſtinum *in epiſtola prima* ei deſtinata tali extollit encomio. Auguſtine, verè ſal terræ, quo præcordia noſtra, ut poſſint ſeculi errore vaneſcere, condiuntur! O lucerna, dignè ſuper candelabrum Eccleſiæ poſita! Quæ latè eccleſiaſticis urbibus de ſeptiformi lychno paſtum oleo lætitiæ lumen effundens, denſas licèt hæreticorum caligines diſcutis, & lucem veritatis à confuſione tenebrarum ſplendore clarifici ſermonis enubilas.) Super quo verbo talem moveo quæſtionem.

Vtrum Eccleſiaſtica Hierarchia ſplendidior fuerit ex beati Auguſtini miraculoſa converſione, quàm Angelica Hierarchia ex primi Angeli gratioſa perfectione?

AD iſtam quæſtionem reſpõdent tres Doctores Eccleſiæ. Primus eſt *S. Ambroſ. de bapt. S. Aug. ſer. 92.* dicens: Divinæ clemẽtiæ innumeras gratias agere debemus, quòd Auguſtinus Afer Carthaginenſis, philoſophus acutiſſimus, contempto Gentiliũ cultu, ad verã Chriſtianã religionẽ Divino nutu tandẽ pervenit. Hoc reſurrectionis tempus duplici lætitiâ celebrãdũ eſt, Chriſti ſcil. victoria potito, ac deleto inferorũ imperio, & Auguſt. cõverſione, quæ Chriſtianis plurimũ cõfert. Quis expugnavit animũ? quis ſuperavit? Nõ argumẽta, nõ vis aliqua verborũ, ſed Dei dũtaxat virt', & clementia; ad hoc ut Divina potẽtia magis eluceat mortalib', & fides Chriſti ſtabiliretur.)

Alter eſt *S. Prudent. ad Hincmar. & Pardulũ Epiſc. c. 1.* ſcribens: Hoc primũ præcipueq; V. Synceritatẽ monemus, ut doctrinã beatiſs. P. Auguſt. omniũ abſq; ulla dubietate undecũq; doctiſſimi, SS. Scripturar. auctoritati in omni-

nibus corcordiſſimã, veſtri pontificatus tempore, cõmento quolibet impugnari non permittatis: quãdo tanto cæleſtis gratiæ munere donata exiſtit, ut nullo cujuſquã conamine ullatenus evelli poſſit: cũ eã & Apoſtolicæ ſedis ſublimitas, & totius Eccleſiæ catholicæ unitas auctoritate concordiſſima approbarint, ac roborarint; adeo, ut nullus ei ſingulariter, verùm univerſitati Eccleſiæ catholicæ cum ea, & in ea queat obniti. *Hæc ille*.

Tertius eſt *Caſſiodorus in prologo ſuper pſalterium* dicens: Eſt enim facundiſſimus pater Auguſtinus, litterarum omnium egregius Magiſter, & quod in ubertate rarum eſt, cautiſſimus diſputator. Decurrit quippe tanquam fons puriſſimus nulla fæce pollutus, ſed in integritate fidei perſeverans, neſcit Hæreticis locum dare, unde ſe poſſint ulla colluctatione defendere: totus catholicus, totus orthodoxus invenitur, & in Eccleſia Domini ſuaviſſimo nitore reſplendens, ſuperni luminis claritate radiat. *Hæc ille*.

Sciendum, quòd licèt in omni opere Dei reluceat juſtitia, & miſericordia, tamen principalior eſt miſericordia propter quatuor.

Primò. Propter glorioſam perfectionem. Nam ſicut forma eſt nobilior materiâ, puta anima quàm corpus; ita pars nobilior eſt principalior; unde anima eſt pars principalis in homine. Eodem modo in naturalibus pars, quæ tenet locum formæ ad effectum producendum, eſt nobilior, & principalior, quàm ſit pars, quæ tenet locum materiæ, ut patet de ſole, qui in generabilibus rebus tenet locum formæ quaſi pater; terra verò tenet locum materiæ velut mater. Vnde ſicut pater, & ſol ſunt nobiliores ad generationem, ita & principaliores. Nunc autem Deus eſt nobiliſſimus actor, & operator: homo verò eſt ſubjectum, in quod agit, qui tenet locum materiæ; & huic homini convenit Divina juſtitia, ut ſibi proportionabiliter tribuat naturalia: Deus autem tenet locum formæ, ſcilicet miſericordiæ, quâ movetur versùs hominem. Vnde ſicut ſol eſt principalior in generatione, ſic miſericordia eſt principalior in Divina operatione (eò quòd attenditur penes Deum inchoativè) quàm ſit Divina juſtitia, quæ attenditur penes hominem terminativè. Vnde Iac. 2. capite dicitur: *Miſericordia ſuperexaltat judicium*. *Gloſſa*. Id eſt: præeminet in judicio. Quia licèt Deus ſit tantum iuſtus, quantum pius; tamen magis relucet in judicio ſuo miſericordia, quàm juſtitia: quia eſt velut agens, potentior ad agendũ per miſericordiã, quàm ſit homo velut patiens, ad ſuſcipiendum juſtitiam. Vnde clamat Pſal. *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius*. Nec mirum. Quia, quod eſt proprium alicui, excedit omnia alia minus propria & accidentia, ut patet de homine, qui cùm ſit animal rationale, eius propriè proprium eſt rationale. Vnde magis propriè convenit ei uti ratione, quàm riſibilitate, & aliis proprietatibus, & accidentibus. Similiter licèt Deus ſit juſtus, & miſericors, & multas alias habeat proprietates optimas, tamen ſuper omnia opera ſua utitur miſericordiâ. Vnde *Greg. in orat.* dicit: Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere.

Secundò. Propter miraculoſam Dei operationem. Licèt enim in miraculis reluceat Dei omnipotentia, tamen magis relucet Divina miſericordia, quâ movetur ad miracula facienda. Deus enim prævidens in nobis miſeriam ignorantiæ, infidelitatis, atque malignitatis, volens nos reducere ad felicitatem per doctrinam, & bonos mores; nobis præpoſuit viros optimos veteris ac novi Teſtamenti, quorum doctrinam, & exempla, ut acceptaremus tanquam à Deo tranſmiſſa, voluit ipſos facere Divinas operationes, id eſt, miracula, quibus moveremur, ad acceptandum ipſorum doctrinam, & ad imitandum exempla. Quàm enim miſericorditer Deus oſtenderit ſuam omnipotentiam per miracula, ut educeret populum ſuum de miſeria ſervitutis, patet. Nam, ut populus Hebræus Moyſi credat, manus eius polluitur, & ſanatur. Vt eius vitam imitetur, reſplendet facies eius ſicut ſol. Vt Pharao populum dimittat, datur per Moyſen decem principales plagas. Vt ſciat viam eundi ad terram promiſſionis, datur columna ignis. Vt non videatur ab inimicis, nec æſtu affligatur, datur columna nubis, *Exo.* 13. *c.* Vt nõ pereat fame, datur manna de cælo, *Ibi.* 16. Vt eius appetitus delectetur, pluit ſuper eos ſicut pulverem carnes, *Ibidem*. Ne aquis deficientibus ſiti affligatur, educitur ei aqua de petra abundanter, *Exodi* 17. *cap.* Vt non capiatur ab inimicis, carens navibus ad tranſfretandum, mare ſibi dividitur, *Exodi* 14. *cap.* Vt populus Ægypti ipſum non inſequatur, & moleſtet, mare conjungitur, & Ægyptus ſubmergitur, *Ibidem*. Vt non perveniat ad nuditatem, veſtimenta, & calceamenta quadraginta annis non ſunt vetuſtate attrita;

Deuter. 29. cap. Vt poſſit exire deſertum, Iordanis ei dividitur, *Ioſue 13. cap.* Vt terram promiſſionis poſſit intrare, & inhabitare, 32. Reges debellavit, *Ioſue 12. cap.* Tandem ut genus humanum educeret de hoc ſeculo per miracula miſericorditer, ſicut eduxit populum de Ægypto, multiplicavit miracula in novo Teſtamento: in creaturis intellectualibus dæmonia expellendo, in creaturis cæleſtibus noctem illuminando naſcens, diem obſcurando moriens: in elementis ventis imperando, mare ſedando, ex terra mortuos ſuſcitando, Spiritum ſanctum in ſpecie ignis mittendo: in creaturis rationalibus infirmos ſanando, ignaros doctorando, impios convertendo: in creaturis irrationalibus cuiuſcunque generis, in quibus omnibus miraculis, licèt nobis manifeſtet ſuam omnipotentiam, tamen principalior eſt ſua miſericordia, quâ motus fuit, ad facienda miracula, ſcilicet ut nos miſericorditer educeret ab iſta miſeria.

Tertiò. Propter virtuoſam communicationem. Licèt enim Deus oſtenderit ſuam omnipotentiam dando virtutes gratuitas ſanctis Patribus veteris, & novi Teſtamenti, tamen hoc fecit magis miſericorditer prôpter nos. Vnde, ut nobis proponeret fidem, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, *Hebr. 11. cap.* dedit fidem quaſi fontem. Nam omnes fidei aquam biberunt, & eam repoſuit in Patribus veteris, & novi Teſtamenti. Vt autem veluti per conductum poſſemus potare, dedit eis ſermonem ſapientiæ, quâ ſapientiâ nos doceret arcana Divina. Vt autem iſta Divina poſſemus capere, & intelligere, vaſa tribuit ad bibendum, dum eis dedit ſermonem ſcientiæ, per quam ſcientiam, quæ eſt cognitio creaturarum, tanquam per viſibilia, dando nobis exempla, ducerent nos in cognitionem inviſibilium. Vt autem hanc aquam fidei ſapientiæ, & ſcientiæ poſſent omnibus effundere, & omnes poſſent bibere auribus, & mente, dedit eis donum linguarum, quo dono omnem loquebantur linguam, & idiomata, & omnes intelligebant, & intelligendo bibebant. Vt verò hanc aquam bibentes delectabilius deguſtarent, dedit eis interpretationem ſermonũ, quâ interpretatione homines intelligerent clariùs, & delectarentur dulciùs. Vt verò homines mundi acceptarent hanc doctrinam, aquam clariſſimam à Deo nobis infuſam, dedit eis teſtimonia Divina, ſcilicet prophetiâ, quâ prædicebant futura; diſcretionem ſpirituum, quâ pronunciabant occulta cordium; gratiam ſanitatum, quâ curabant inſanabiles infirmitates; virtutum gratiam, quâ operabantur mira, mortuos ſuſcitando, & ſigna de cælo dando. Et hæc omnia Deus operatus eſt ſecundùm ſuam omnipotentiam, non aliunde motus, niſi per ſuam miſericordiam, quæ unicuique dedit manifeſtationem ſpiritus ad utilitatem miſerorum, 1. *Cor. 12. cap.* Et ſic Divina miſericordia eſt magis nobis ad confidentiam, quàm juſtitia ad timorem.

Quartò. Propter gratioſam converſionem. Nam *Gregorius* in collecta dicit: Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtas. Quia ſcilicet, dum peccata remittit, oſtendit ſe poſſe, & magnam oſtendit potentiam, dum hominem removet à miſeria culpæ, & ipſum promovet ad felicitatem. In quolibet enim peccato mortali tres miſeriæ contingunt peccatori. Prima eſt macula: quia per peccatum expellitur ſplendor gratiæ, & nitor virtutum; quem ſolus Deus poteſt refundere. Secunda eſt deordinatio hominis in naturalibus, dum ratio pervertitur à Deo, quæ ſolùm per Deum poteſt iterum converti. Tertia eſt reatus pœnæ æternæ etiam tranſeunte actu peccati, quam pœnam ſolus Deus poteſt remittere. Cùm autem per ſuam miſericordiam movetur ad juſtificandum peccatorem, manifeſtat ſuam omnipotentiam: quoniam ut *Auguſtinus* dicit: Maius eſt peccatorem juſtificare, quàm cælum, & terram creare. Ratio eſt: quia cælum & terra ſunt creata ad generationem corporalium, & conſervationem; impius autem juſtificatur ad fruitionem ſupernaturalium. Generatio cauſata à cælo & terra ceſſabit; ſalus autem juſtorum in æternum ſtat. Vnde quantò maius bonum eſt Deus poſſeſſus æternaliter, quàm generatio corporalium temporaliter; tantò maius eſt impium juſtificare, quàm cælum & terram creare. Ex quo patet, quòd maius eſt opus Divinæ miſericordiæ, quàm Divinæ juſtitiæ.

Beatus Auguſtinus in adoleſcentia ſua infectus erat quadruplici vitiorum maculâ.

Primò. Errore infidelitatis. Quia in ſecta Manichæorum, qui Chriſtum phantaſticum fuiſſe affirmant, & carnis reſurrectionem negant, incidit, & in ea per annos novem, dum adhuc adoleſcens eſſet in ſua civitate Carthaginenſi, permanſit. Ad has etiam nugas perductus eſt, ut arborem fici plorare diceret, cùm ab ea ficus vel folium decerpitur.

Secundò. Errore philoſophicæ vanitatis.

Vn-

Digitized by Google

Vnde in *lib.* 3. *Confeſſ. cap.* 5. ipſe dicit ſic: Inſtitui animum intendere in Scripturas ſacras, ſed viſa eſt mihi Scriptura indigna, quam Tullianæ dignitati compararem. Tumor enim mentis fugiebat modicum eius. Illa autem erat, quæ creſceret cum parvulis; ſed ego dedignabar eſſe parvulus, & turgidus faſtu mihi grandis videbar.)

Tertiò. Errore terrenæ cupiditatis. Nam Carthagine Romam, & Româ Mediolanum perrexit, ut Rhetoricam venderet, & ſuæ cupiditati ſatisfaceret. Vnde ipſe ait *libro* 4. *Confeſſ. cap.* 2. Docebam artem Rhetoricam, & victorioſam loquacitatem victus cupiditate vendebam.

Quartò. Errore carnalis voluptatis. Vnde ipſe ait *libro* 2. *Confeſſ. cap.* 2. Exhalabantur nebulæ de limoſa concupiſcentia carnis, & ſcatebra pubertatis, & obnubilabant cor meum, ut non diſcerneretur ſerenitas dilectionis à caligine libidinis.) Ab his erroribus purgatus eſt Auguſtinus magnâ miſericordiâ Dei. Vnde ipſe ait *libro* 7. *Confeſſ. capite* 10. de Deo loquens. Cùm te primùm cognovi, reverberaſti infirmitatem aſpectus mei, radians in me vehementer; & contremui amore, & horrore, & inveni me longe eſſe à te in regione diſſimilitudinis, tanquam audirem vocem tuam de excelſo: Cibus ſum grandiũ, creſce, & manducabis me. Nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.)

Primus autem Angelus ſuâ ſuperbiâ projectus fuit de cælo. Pſalm. *Deieciſti eos, dum allevarentur*. Vnde Angelicam hierarchiam conturbavit. Apoc. 12. cap. *Factum eſt prælium magnum in cælo*, &c. Beatus verò Auguſtinus ſua miraculoſa converſione Eccleſiaſticam hierachiam ſublimavit. Vnde *Gennadius catal. Vir. illuſtr. in tom. 9. S. Hieron. allegato*. Auguſtinus Afer Hipponenſis oppidi Epiſcopus, vir eruditione Divina & humana orbi clarus, fide integer, vitâ purus, ſcripſit, quanta nec inveniri poſſunt. Quis ergo glorietur, omnia ſe illius habere? Aut quis tanto ſtudio legat, quanto ille ſcripſit? Edidit tamen ſenex quod juvenis cœperat, de Trinitate libros quindecim, in quibus (ut Scriptura ait *Cant.* 3. & *Epheſ.* 5.) introductus in cubiculum Regis, & decoratus veſte multifaria, ſapientia Dei exhibuit Eccleſiam ſine macula, aut ruga, aut aliquo hujuſmodi. De Incarnatione quoque Domini idoneam edidit pietatem, &c. *Hæc ille*. Ergo

Sic iſte effulſit in templo Dei

Per converſionem. Per providentiam.
Per imitationem. Per vigilantiam.
Per exhortationem. Per refulgentiam.
Per dilectionem. Per diligentiam.
Per ſapientiam.

PRIMO. *Beatus Auguſtinus effulſit in templo Dei per converſionem*. Sciendum, quòd ad converſionem noſtram principaliter duo nos movent, ſcilicet proſperitas, & adverſitas. Proverb. 1. cap. *Vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret*. Quia verò beatus Auguſtinus non convertebatur per beneficia Dei (ſicut *in lib. conf.* dicit: Heu mihi, quàm excelſus es in excelſis! quàm profundus in profundis! Et nunquam recedis, & vix redimus ad te, &c. Ideo immiſſis flagellis, converſus eſt ad Dominum. Vnde ſubdit: Vocaſti, & clamaſti, & rupiſti ſurditatem meam. Coruſcaſti, & ſplenduiſti, & fugaſti cæcitatem meam. Fragraſti, & duxiſti ſpiritum, & anhelo tibi. Guſtavi, & eſurio, & ſitio te. Tetigiſti me, & exarſi in pacem tuam.)

Fuit autem flagellatus quatuor vicibus, ſicut in *lib. confeſ.* ipſe refert.

1. Stomachi dolore. Cùm enim adhuc juvenis eſſet, & nondum baptizatus, gravi torquebatur ſtomachi dolore, ut penè appetitum amiſiſſet. Sed pia mater eius vovit, quòd baptizaretur, & ſanatus eſt. Pater tamen prohibuit ne baptizaretur, ne iterum fœdaretur.

2. Corporis langore. Cùm enim iviſſet Romam, validam incurrit ægritudinem, & hoc mater neſciebat: quia ſi hoc vulnere feriretur, nunquam cor eius ſanaretur.

3. Dentium horrore. Nam in primordio ſuæ converſionis tam valido dolore dentium torqueri cœpit, ut ad credendam opinionem Cornelii Philoſophi duceretur, qui ſummum bonum corporis in nullo ſentiendo dolore poſuerat. Tam vehemens autem ille dolor fuit, quòd etiam loquelam amiſit; unde in tabulis cereis ſcripſit, ut omnes pro eo orarent. Ipſe autem cum aliis genua flexit, & ſtatim ſanatum ſe ſenſit.

4. Mortis pavore. Cùm enim quidam amicus eius obiiſſet, illius morte cor Auguſtini adeo conturbatum eſt, ut quicquid aſpi-

ce-

ceret, mors ei videretur: nam ſe ſemimortuum æſtimabat. Propter iſta flagella converſus eſt ad Dominum quatuor modis.

1. Per veram contritionem. Nam ſub quadam arbore ſe projecit, & dimiſit habenas lacrymis, & proruperunt flumina ex oculis eius, acceptabile ſacrificium Deo, & jactabat voces miſerabiles, & plorabat amariſſima contritione cordis ſui.

2. Per puram confeſſionem. Vnde Deo confitebatur dicens: Recordari volo tranſactas fœditates meas. Nam amore amoris tui illud facio, recolens vias meas nequiſſimas, ut tu dulceſcas mihi, dulcedo non fallax, dulcedo felix, & ſecura. Non ſolùm autem de hoc ſe accuſabat, ſed etiam de minimis, ſicut de eo, quòd, cùm puer eſſet, ad pilam ludebat, & ad ſcholas non niſi violenter ire volebat, & quòd fabulas Poetarùm nimis libenter legebat, & quòd Didonem ex amore mortuam flebat, & quòd in ludis puerorum fraudulentas victorias exercebat, & de quadam arbore piri, à qua pira furatus fuerat.

3. Per plenam ſatisfactionem, ſcilicet per jeiunia, orationes, & eleemoſynas corporales, & ſpirituales, docendo indoctos. Vnde dicitur de eo: Poſt mortem matris reverſus eſt Auguſtinus ad agros proprios, ubi cum amicis jejuniis, & orationibus vacans, ſcribebat libros, & docebat indoctos.

4. Per ſynceram affectionem. Cùm enim tria à mundanis hominibus appetantur, ſcilicet divitiæ, deliciæ, & honores; Vir iſte ſanctus tantæ perfectionis extitit, quòd divitias contempſit, honores reſpuit, voluptates abhorruit, ſicut ipſe teſtatur in *libro Soliloquiorum*.

SECVNDO. *Beatus Auguſtinus effulſit in templo Dei per imitationem*. Sciendum, quòd exempla Sanctorũ provocaverunt beatum Auguſtinum ad fidelem converſionem quadrupliciter.

1. Exemplum beati Ambroſii ipſum animavit ad converſionem. Nam omni die dominica eius prædicationem audiebat, quem Ambroſius paternè ſuſcipiebat, & clementer tractabat. Mater eius etiam Ambroſium quaſi Angelum Dei diligebat, ſciens, quòd per eum filius eius converti debebat, ſicut & factum eſt.

2. Exemplum Simpliciani, qui ipſum animavit ad ſanctæ vitæ electionem; unde ad ipſum perrexit, & æſtus ſuos ſibi retulit, & quis eſſet aptus modus vivendi ab eo petiit. Videbat enim Eccleſiam plenam eſſe clericis, in qua alius ſic, alius ſic ibat. Simplicianus autem viam ſalubrem eum docuit.

3. Exemplum Victorini, quod ipſum animavit ad imitationem. Vnde, cùm Simplicianus ei narraſſet, quomodò Victorinus philoſophus Romæ in foro ſtatuam meruiſſet, & quomodo Chriſtianus factus fuiſſet; exarſit Auguſtinus ad imitandum eum, & cœpit graviter ſuſpirare.

4. Exemplum beati Antonii, qui ipſum animavit ad cæleſtium perfectionem. Cùm enim quidam miles nomine Pontianus de Africa veniſſet, & vitam & miracula beati Antonii Eremitæ narraſſet, cœpit Auguſtinus ingemiſcere, & ad Alipium exclamare: Quid patimur? quid audimus? Surgunt indocti, & cælum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris in infernum demergimur. Exempla ſanctorum defunctorum ipſum animaverunt ad ardentem charitatem, ſicut ipſe dicit *in lib. confeſſ.* Exempla ſervorum tuorum, quos de nigris lucidos, & de mortuis vivos feceras, congeſta in ſinum cognitionis meæ urebant, & accedebant me validè.

TERTIO. *Beatus Auguſtinus effulſit in templo Dei per exhortationem*. Sciendum, quòd propter quadruplicem exhortationem cõverſus eſt beatus Auguſtinus ad fidem catholicã.

1. Propter doctrinam Tullii. Cùm enim eſſet annorum 19. & quendam librum Tullii, qui Hortenſius dicitur, legiſſet, qui exhortationem facit ad Philoſophiam, repente affectum eius mutavit, & immortalitatem ſapientiæ concupivit.

2. Propter doctrinam Pauli. Nam cùm codicem Apoſtolicum aperuiſſet, & capitulum, quod ſibi primò occurrit, legiſſet, ſcilicet: *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum*, &c. ſtatim à corde eius omnes dubietatis tenebræ diffugerunt.

3. Propter doctrinam beati Ambroſii. Cùm enim eius prædicationem avidè audiret, & quadam vice cõtra ſectam Manichæorum diutiùs diſputaſſet, error ille à corde Auguſtini penitus eſt ablatus.

4. Propter ſolicitudinem maternam, quæ, ſicut eum carne conceperat mundo, charitatis viſceribus poſtmodùm multo ſemine lacrymarum genuit Chriſto. Et cùm apud quendam Epiſcopum uberrimè fleret, ille ait: Impoſſibile eſt, ut filius tantarum lacrymarum pereat. Vnde de ipſius converſione certificata eſt, & per Epiſcopi reſponſionem, & per

cæ-

cæleſtem revelationem, quâ ſe unà cum filio in quadam linea ſtantem aſpexit. Quod quidem completum fuit, cùm adveniente paſchali tempore, cùm eſſet annorum triginta, à beato Ambroſio baptizatus eſt, ſicut & Chriſtus, ut dicitur *Lucæ* 3. *cap.* Vbi ſimul cum beato Ambroſio *Te Deum laudamus*, &c. compoſuit, ut teſtatur *Honor. in libro ſuo*, qui dicitur ſpeculum Eccleſiæ. Et ſic omnem ſpem, quam habebat in ſeculo, dereliquit.

QVARTO. *Beatus Auguſtinus effulſit in templo Dei per dilectionem.* Sciendum, quòd poſt batiſmum, dum adhuc eſſet laicus, incepit à ferventi dilectione, ſicut ipſe teſtatur *in lib. confeß.* dicens: Sagittaveras tu cor meum charitate tua, & geſtabam verba tua transfixa in viſceribus, & aſcendenti à convalle plorationis, & cantanti canticum graduum dederas ſagittas acutas, & carbones vaſtatores, nec ſatiabar in illis diebus dulcedine mirabili, conſiderare altitudinem conſilii Divini ſuper ſalutē generis humani.) Quaſi enim quidam torrens redundans ab oculis eius lacrymæ emanabant: quia quatuor genera lacrymarum habuit.

1. Lacrymas compunctionis pro peccatis propriis, & hoc in principio ſuæ converſionis, quando ſub quadam ficu ſe projiciens lacrymas amariſſimas effudit. Ioann. 1. cap. *Cùm eſſes ſub ficu, vidi te.*

2. Lacrymas devotionis, quas habuit præcæleſtibus deſideriis, de quibus dicit *in libro confeſſ.* Quantum flevi in hymnis, & canticis tuis ſuavè ſonantis Eccleſiæ vocibus commotus acriter! Voces igitur illæ influebant auribus meis, & eliquebatur veritas tua in cor meum, & fluebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis.

3. Lacrymas lamentationis, quas habuit præ mundanis periculis. Ordinatus enim in Presbyterū, & poſtea in Epiſcopum, conſiderans ſtatus illius periculum, multum flevit; unde dixit: In nulla re ſentio mihi Dominū ſic iratum, quàm in hoc, quòd, cùm non eſſem dignus poni ad remum, poſuit me ad apluſtre in apice regiminis Eccleſiæ.

4. Lacrymas compaſſionis, quas habuit pro alienis miſeriis. Cùm enim barbari cuncta vaſtarent, nec parcerent ſexui, ordini, vel ætati, Auguſtinus lugubrem vitam duxit, fueruntque ſibi lacrymæ eius panes die ac nocte, cùm alios videret occiſos, alios effugatos, Eccleſias Sacerdotibus viduatas, civitates cum incolis diſſipatas, &c.

QVINTO. *Beatus Auguſtinus effulſit in templo Dei per ſapientiam.* Vnde *in lib. confeſſ.* dicit: Mirabilis profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos ſuperficies blandiens parvulis. Sed mira profunditas Deus meus: mira profunditas: horror eſt intendere in eam. Hanc autem profunditatem ſacræ Scripturæ, in quantum homini fuit poſſibile, Auguſtinus ſcrutatus eſt, & inde copioſitatem expoſitionum, & ſententiarum eduxit. Eccli. 50. cap. *In diebus ipſius emanaverunt putei aquarum: & quaſi mare adimpleti ſunt ſupra modum.* Eius enim doctrina eſt ſolida propter quatuor conditiones, quas habet.

Primò. Habet puriſſimam veritatem. Nam comparatur ſimilæ. *Gregorius in epiſtola ad Prafectum Africa*: Beati Auguſtini compatriotæ veſtri opuſcula legite, & ad comparationem illius ſimilaginis noſtrum furfurem non quæratis. Proverb. 3. cap. *Primi, & puriſſimi fructus eius.* Sermones enim beati Auguſtini ſunt puri: quia nullam habent falſitatem. Sunt puriores: quia nullam habent dubietatem. Sunt puriſſimi: quia continent veritatem. Vnde *Volufianus* dicit: Legi Dei deeſt, quicquid Auguſtinum contigerit ignorare.

Secundò. Habet altiſſimam profunditatem. Iob 28. cap. *Profunda fluviorum ſcrutatus eſt, & abdita produxit in lucem.* Habuit enim celerem intellectum, & nobile ingenium, ſicut ipſe dicit *in libro Confeſſ.* Omnes libros artium, quas liberales vocant, tunc nequiſſimus cupiditatum iniquarum ſervus per meipſum legi, & intellexi, quoſcunque legere potui. Quicquid enim eſt de arte diſſerendi, & loquendi, quicquid de dimenſionibus figurarum, & de muſicis, & de numeris, ſine magna difficultate nullo hominum tradente intellexi. Scis tu Domine Deus meus, quòd celeritas intelligendi, & diſcendi acumen donum tuum eſt.) Cùm enim Doctores alii habeant ſpecialem modum tractandi (ſicut Hieronymus verſatur circa expoſitiones, Ambroſius circa ſpirituales ſenſus, Gregorius circa inſtructiones morales) Auguſtinus non habet ſpecialem modum: quia habet omnem modum; unde tractat de Divinitate in libris de Trinitate: de humanitate Chriſti in libris cur, quomodo, quando Deus homo, & in multis aliis: de duplici civitate, ſcilicet Ieruſalem, & Babylonicâ, & earum Regibus agit in libris de civitate Dei: de virtutibus Sanctorum

rum in multis locis: de dignitatibus Angelorum: de vitiis peccatorũ: de pœnis damnatorum: de gloria Sanctorum per diverſos libros, tractatus, epiſtolas ſubtiliſſimè tractat.

Tertiò. Habet firmiſſimam ſoliditatem. Vnde comparatur malleo. *Bernardus ſerm. 80. ſuper Cantic.* Auguſtinus eſt validiſſimus Hæreticorum malleus.) Nam ſicut malleus ictibus ſuis firmat incudem, ferrum domat, & melodiam generat; ſic Auguſtinus doctrinis ſuis Eccleſiam firmavit. Eccli. 50. cap. *In vita ſua ſuffulſit domum; & in diebus ſuis corroboravit templum.* Hæreticos domuit, & fugavit. *Ibid. Qui curavit gentem ſuam, & liberavit eam à perditione.* *Proſper in lib. de vita contemplativa* dicit: S. Auguſtinus fuit in quotidianis diſputationibus clarus, & in omni actione ſua compoſitus, acer ingenio, ſuavis eloquio, ſecularis literaturæ peritus, in eccleſiaſticis laboribus operoſus, in quęſtionibus ſolvendis acutus, in convincendis Hæreticis circunſpectus, in expoſitione fidei noſtræ catholicus, in explanandis Scripturis canonicis cautus.) Tota enim Eccleſia Deum laudat, qui tam egregium Doctorem ſibi conceſſit. Vnde cantat: *Magnus Dominus, & laudabilis valde, qui de tenebris gentium lumen Eccleſiæ ſuæ vocavit Auguſtinum.*

Quartò. Habet dulciſſimam ſuavitatem; ideo comparatur cibo dulciſſimo. *Gregorius in epiſtola ad Innoc. Præfectum Africæ.* Si delicioſo cupitis pabulo ſaginari, beati Auguſtini opuſcula legite. Vbi vocat *Gregor.* doctrinam Auguſtini pabulum delicioſum, & ſaginatum. Dicitur enim pabulum, quia ſatiat: deliciosũ, quia delectat. Vnde cantatur de eo: *Tu de verbis Salvatoris dulcẽ panem conficis*: Panem, quia ſatiat; dulcem, quia delectat. Vocat etiam eam pabulum ſaginatum, quia impinguat. Vnde *Caſſiodorus Doctor eximius* dicit ſic: Beatiſſimus Auguſtinus in quibuſdam libris nimiâ eſt difficultate reconditus, in quibuſdam ſit planiſſimus; ut etiam parvulis præbeatur acceptus; cujus opera tam ſuavia ſunt, obſcura verò magnis utilitatibus farta pingueſcunt.) Et ſic patet eius ſapientia.

SEXTO. *Beatus Auguſtinus effulſit in templo Dei per providentiam.* Nam ordinatus in Presbyterum à beato Valerio Hipponenſi Epiſcopo mira ſanctitate monaſterium clericorum inſtituit, & cœpit vivere ſecundùm regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam, ubi nullus aliquid proprium habebat, ſed omnes in communi vivebant; deque cuius monaſterio decem Epiſcopi fuerunt electi. Fratribus autem ſuis, quos Canonicos regulares vocavit, regulam tradidit, ſub qua multæ Religiones militant: ſcilicet Prædicatorum, Eremitarum, Carmelitarum, Servitarum, & aliæ plures.

Tandem in Epiſcopum aſſumptus, magnâ providentiâ officium ſuum exercuit, in quo ſex diligentiſſimè obſervavit.

1. Omnem familiaritatem ſuſpectam à ſe removit. Vnde *Gregorius* dicit: Legitur, quòd Beatus Auguſtinus nec cum ſorore habitare conſenſit, dicens: Quæ cum ſorore mea ſunt, ſorores meæ non ſunt.

2. Omnem ambitionem & pompam, tam in veſtimentis, quàm in vaſis à ſe dimovit. Veſtimenta enim ſua nec nitida nimium, nec abjecta plurimum, ſed ex moderato, & competenti habitu erant. Ipſum etiam dixiſſe legitur: Fateor, de pretioſa veſte erubeſco; & ideo cùm mihi datur, vendo eam, ut, quia veſtis non poteſt eſſe communis, pretium ſit commune. Vaſa etiam aurea, vel argentea non habuit, ſed ligneis, vel marmoreis uſus fuit, non neceſſitatis inopiâ, ſed propoſito voluntatis.

3. Omnem cupiditatem, & avaritiam à ſe ſubmovit. Nullam enim villam, vel agrum emere unquam voluit. Multas etiam hæreditates ſibi dimiſſas reſpuit, & propinquis mortuorum dari fecit.

4. Ad pauperes magnam liberalitatem oſtendit, adeo quod quandoque vaſa Domini jubebat frangi, & conflari, & captivis indigentibus dari. Cùm verò pecunia ſibi deficiebat, hoc populo denunciabat, & eum ad erogandum provocabat.

5. In cibo & potu magnam parcitatem habere voluit. Vnde ſcribitur: Mensâ frugali, & parcâ uſus eſt. Et *in libro confeſſ.* dicit: Sic me docuiſti Domine, ut quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam. In ipſa verò menſa lectionem potiùs, quàm epulationem diligebat. Detractiones præterea omnino compeſcebat; unde in menſa hos verſus ſcriptos habebat:

Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam:
Hanc menſam indignam noverit eſſe ſibi.

Vnde ſi detractio ibi incidiſſet, dicebat, quòd aut tacerent, aut verſus illos deleret, aut de menſa recederet.

6. Ad conſanguineos nullam carnalitatem ha-

Digitized by Google

habuit; unde de eo dicitur: Conſanguineis ſic bene fecit, non ut divitias haberent, ſed ne nimis egerent.

SEPTIMO. *Beatus Auguſtinus effulſit in templo Dei per vigilantiam*. Nam, ut dicitur Dan. 4. cap. *Ecce vigil, & ſanctus de cælo deſcendit*. Quia beatus Auguſtinus vigilavit quinque modis.

1. Per magnam compaſsionem. Cùm enim lecto recumberet, & Barbari omnia vaſtarent, amariſsimè flevit, & convocatis fratribus, ait: Ecce rogavi Dominum, ut aut nos ab iſtis periculis eruat, aut nobis patientiam tribuat, aut me de hac vita ſuſcipiat. In iſto autem tertio fuit exauditus.

2. Per magnam devotionem. Nam ſeptem Pſalmos pœnitentiales ſibi ſcribi fecit, ipſoſque contra parietem poſitos decumbens legebat, & uberrimè flebat.

3. Per magnam charitatem. Quidam enim æger ad ipſum ægrotantem venit, rogans ut ſibi manum imponeret, & ſanitatem conferret. Cumque Auguſtinus ſe excuſaret, quòd ſibi ipſi ſanitatem conferre nequiret; inſtabat ille dicens, ſibi per ſomnium dictum eſſe, ad Auguſtinum accedat, ut ſanitatem recipiat. Ille manus ei imponens, pro eo oravit, & ſanitatem recepit.

4. Per magnam puritatem. Dicebat enim, nullum quantumcunque excellentis meriti ſine Euchariſtia, & confeſſione de corpore migrare debere, quod & ipſe in ſe voluit obſervare.

5. Per magnam paupertatem. Vnde dicitur de eo: Teſtamentum nullum fecit: quia, unde faceret, pauper Chriſti non habuit; & ſic coram poſitis fratribus, & orantibus dormivit cum patribus ſuis, &c.

OCTAVO. *Beatus Auguſtinus effulſit in templo Dei per refulgentiam*. Eius enim gloria præmonſtrata eſt quatuor modis.

1. Quia illuſtratus eſt lumine cæleſtis claritatis. Quidam enim monachus, in ſpiritu raptus, vidit beatum Auguſtinum ſuper nubem lucidam ſedentem, cuius oculi quaſi ſolis radii totam Eccleſiam illuminabant, de quo odor nimius exhalabat.

2. Quia immerſus eſt in pelagus infinitæ ſuavitatis. Vnde, cùm quidam tractatus beati Auguſtini in matutinis legeretur, ſanctus Bernardus parumper obdormiens, vidit quendam juvenem, de cuius ore tam immenſus fluvius exibat, qui totam Eccleſiam irrigabat. (Pſal. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*.) Cui revelatum eſt, hunc eſſe Auguſtinum.

3. Quia collocatus eſt in culmine Divinæ Majeſtatis. Cùm enim quidam in Eccleſia S. Petri pernoctans vidiſſet ſanctum Gregorium cum multis Epiſcopis proceſſionaliter incedentem, interrogavit Gregorium, an inter eos eſſet Auguſtinus, illi reſpondit: Auguſtinum excellentiſſimum virum, de quo quæris, altior locus à nobis tenet.

4. Quia elevatus eſt in plenitudine ſanctiſſimæ Trinitatis. Cùm enim devota quædam matrona auſcultaſſet Miſſam Auguſtini viventis, ſpiritu rapta poſt elevationem, vidit eum circa ſolium ſanctiſſimæ Triadis de eodem myſterio ſubtiliter diſputantem. Et hoc in futuræ eius gloriæ cæleſtiſque præmii certitudinem.

NONO. *Beatus Auguſtinus effulſit in templo Dei per diligentiam*, quâ ſibi devotos juvare poteſt. Patet in multis, quos à diverſis languoribus, & afflictionibus liberavit. Nam virginem quandam Hipponenſem, ſicut & adoleſcentem quendam à dæmone liberavit. Molitorem à phlegmate pectoris, Præpoſitum cujuſdam Eccleſiæ à gravi languore, puerum à morbo lapidis curavit. Dæmonem in charta peccata hominum ſcripta deferentem ſibi oſtendere coegit, inſpiciens, num quicquam adversùm ſe notaſſet; quod ubi comperit, ſe aliquando Completorium ex oblivione omiſiſſe, mox in Eccleſia debitum perſolvens, negligentiam ſuam in charta abraſam conſpexit. Et ſic patet, &c. Amen.

Digitized by Google

SERMO XLVI.

IN FESTO DECOLLATIONIS S. IOANNIS BAPTISTAE.

Ioannem sciebat virum iustum, & sanctum. Marci 6. cap.

PEtrus Chrysologus *serm.* 127. ait: Ioannes schola virtutum, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma justitiæ, virginitatis speculum, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei disciplina. Ioannes maior homine, par Angelis, legis summa, Evangelii sanctio, Apostolorum vox, silentium Prophetarum, lucerna mundi, præco Iudicis, præcursor Christi, totius medius Trinitatis. Et hic tantus datur incestui, traditur adulteræ, adjicitur saltatrici! *Hæc ille.* Super quo verbo talem moveo quæstionem.

Vtrum Sanctus Ioannes Baptista iusto Dei iudicio debuerit mori temporali supplicio?

AD hanc quæstionem respondet duo Doctores novi Testamenti. Primus est *S. Fulgentius in sermone hodierno* dicens: Verè nescit, quid agat impietas; cùm enim quem odis, plus honoras quàm damnas, utique cùm argenteo disco caput exhiberi jubes ad mensam, non est, ut credis, memoria crudelitatis, sed illius jam monstratur decus honoris. Ita enim portabitur in cælum, ut inde tibi infensum Iudicem excitet Deum. *Hæc ille.*

Secundus est *Ven. Beda in homil. hodierna* dicens: Considerandum, quomodò omnipotens Deus electos suos dilectosque famulos, quos ad vitam, regnumque prædestinavit æternum, in tantum in hac vita pravorum patitur persecutione conteri, tot ac tantis pœnarum mortiumque generibus consumi: quatenus perspectis perfectorum victorum passionibus, minus de his, quæ fortè nobis adversa contigerint, doleamus, ac potius discamus omne gaudium existimare, cùm in tentationes varias inciderimus: memoriâ retinentes, quia, quem diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. Nam etsi principali sententiâ constat, quia in multis offendimus omnes, quis tamen audeat dicere, beatum Ioannem actu, vel dictu, vel habitu, vel motu peccasse? cuius austeritatem indumenti, cuius parsimoniam alimenti Evangelica laudat historia; cuius omne, quod loquitur, aut veritati testimonium reddit, aut eos, qui contradicunt, redarguit; cuius opera justitiæ, etiam qui non amabant, venerationi habebant? Quis in eius præcordiis peccato locus esse poterat, quem & ante nativitatem Spiritus sancti consecravit adventus? Quando saltem humanæ conversationis intuitu valuit à virtutis via vel ad modicum deflecti, qui totam ab ineunte pueritia vitam solitariam peregit? Et tamen talis ac tantus vir præsentis vitæ terminum post longam vinculorum afflictionem sanguinis effusionem suscepit. Ille, qui libertatem supernæ pacis evangelizabat, ab impiis in vincula conjicitur: clauditur obscuritate carceris, qui venit testimonium perhibere de lumine: quique ab ipsa luce, quæ Christus est, lucerna ardens & lucens appellari meruit, quo in natis mulierum maior nemo est, ad petitionem mulierum turpissimarum capite plectitur: & ipse proprio cruore baptizatur, cui Redemptorem mundi baptizare, cui vocem Patris super illum audire, cui Spiritus sancti gratiam in eum descendentis videre donatum est. Sed non erat grave, imo leve, ac desiderabile talibus tormenta pro veritate temporalia perpeti, quæ perpetuis noverant remuneranda gaudiis. Optabilem habebant mortem, quæ naturæ necessitate inevitabilis imminebat, confesso Christi Nomine cum palma vitæ perennis excipere. Vnde bene dicit Apostolus: Quia nobis donatum est à Christo, ut non solùm in eum credamus, sed etiam ut pro illo patiamur. Qui ideo dicit donum esse Christi, ut pro illo patiantur electi: quia sicut idem dicit: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam. *Hactenus Beda.*

Scien-

Sciendum, quòd Deus, quicquid agit, juſtè agit, & hoc 1. Præmiando reprobos tantùm temporaliter. Licèt enim in eis non ſit virtus charitatis, eos dirigens in ultimam beatitudinem, tamen facientes aliqua de genere bonorum, non ſinit Deus per ſuam juſtitiam, quòd illa tranſeant ſine præmio: quia verò non merentur præmia æterna in vita cæleſti, dat eis temporanea in vita terreſtri. Et ſic præmiavit obſtetrices, quæ noluerunt occidere infantes Iudæorum juxta mandatum Pharaonis Regis Ægypti, ædificando eis domos cum temporali proſperitate, *Exodi* 1. *cap.* Eodem modo præmiavit Rahab meretricem, quæ abſcondit duos viros populi Dei explorantes civitatem Iericho, præſervando eam à morte, & ab incendio, & domum eius, & domum patris ſui, *Ioſue* 6. *cap.* Sic etiam præmiavit infidelem Nabuchodonoſor: quia ſumptibus ſuis pro populi Dei defenſione pugnavit contra tres Reges, dando ei illa tria regna, *Ezech.* 25. *cap. uſque ad* 30. *cap. & ultra*, &c.

2. Puniendo reprobos temporaliter. Nullum enim malum impunitum, & nullum bonum irremuneratum. Et ſic punivit Regem Nabuchodonoſor, quando fœnum ut bos comedit, *Dan.* 4. *cap.* Sic punitus fuit Baltaſſar eius filius, abutens vaſis templi Dei pro ſervitio familiæ ſuæ: nam eadem nocte occiſus eſt, *Ibid.* 5. *cap.* Sic punivit Holofernem ſuperbum per manum fœminæ, *Iudith* 13. *cap.* Sic punivit Achab, & Iezabel uxorem eius, cuius ſanguinem canes biberunt: & domum Achab in manu Iehu, perdendo omnes reliquias eius, 4. *Reg.* 10. *cap.* Sic punivit Athaliam matrem Ochoziæ interficiẽtem omnem ſemen regium, dum ipſa interfecta fuit, *Ibid.* 11. *cap.* Sic punivit Siſaram inimicum populi Dei, quando manu mulieris Iahel, clavo in tempore capitis fixo cum malleo ferreo, interiit, *Iudicum* 4. *cap.*

3. Puniendo correptivè electos temporaliter, ne ſcilicet pro delictis puniantur æternaliter. Sic punivit Mariam ſororem Moyſi percutiendo eam leprâ: quia murmuraverat contra Moyſen fratrem ſuum, *Numeri* 12. *cap.* Sic punivit Moyſen, & Aaron, quando mortui ſunt in deſerto, nec introduxerunt populum Dei in terram promiſſionis: quia peccaverunt ad aquas contradictionis, *Numeri* 20. & *Deuter.* 34. *cap.* Sic punivit Heli, 1. *Reg.* 4. *cap.*

4. Præmiando electos temporaliter: ſicut remiſit culpam David pœnitenti, & reſtituit eum in priſtinam dignitatem. Vnde *diſ.* 50. *cap. Ponderet*, dicitur ſic: Porro ſanctus David de mortiferis criminibus pœnitentiam egit, & tamen in honore permanſit. Beatus quoque Petrus amariſſimas lacrymas fudit, quando Deum negaſſe pœnituit, & tamen Apoſtolus permanſit.) Et *eadem diſt. Si poſt ordinationem*, &c. §. *Econtra exemplis*, idem dicitur.

5. Præmiando juſtos æternaliter. Vnde bene monuit filios ſuos Mathathias 1. Mach. 2. cap. dicens: *O filii, æmulatores eſtote legis, & date animas veſtras pro teſtamento patrum veſtrorum, & mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus ſuis: & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum. Abraham nonne in tentatione inventus eſt fidelis, & reputatum eſt ei ad juſtitiam? Ioſeph in tempore anguſtiæ ſuæ cuſtodivit mandatum, & factus eſt dominus Aegypti. Phinees, pater noſter, zelando zelum Dei, accepit teſtamentum ſacerdotii æterni. Ieſus, dum implet verbum, factus eſt Dux in Iſrael. Caleb, dum teſtificatur in Eccleſia, accepit hæreditatem. David in ſua miſericordia conſecutus eſt ſedem regni in ſecula. Elias, dum zelat zelum legis, receptus eſt in cælum. Ananias, Azarias, Miſael, credentes, liberati ſunt de flamma. Daniel in ſua ſimplicitate liberatus eſt de ore leonum. Et ita cogitate per generationem & generationem: quia omnes, qui ſperant in Deum, non infirmantur.* Omnes enim hi ſalvi facti ſunt in cælo.

6. Puniendo reprobos æternaliter. *Gregorius*. Iuſtum eſt, ut nunquam careant ſupplicio, qui dum hìc viverent, noluerunt carere vitio. Et Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*.

7. Puniendo ſanctificatos temporaliter. *Gregorius*. Cùm recognoſco Iob in ſterquilinio, Ioannem eſurientem in eremo, Petrum in crucis patibulo, Iacobum occiſum Herodis gladio; cogito, qualiter Deus cruciabit in inferno, quos reprobat, qui in hoc ſeculo affligit, quos amat.) Licèt enim Baptiſmus habeat virtutem auferendi pœnalitates præſentis vitæ, non tamen eas aufert in præſenti vita, ſed eius virtute auferentur à juſtis in reſurrectione, quando mortale hoc induet immortalitatem, ut dicitur 1. *Cor.* 15. *cap.* Et hoc rationabiliter.

Primò quidem: quia per baptiſmum homo incorporatur Chriſto, & efficitur membrum eius; & ideo conveniens eſt, ut id agatur in membro incorporato, quod eſt actũ in Capite. Chriſtus autem, licèt à principio

ſuæ conceptionis fuit plenus gratiâ & veritate, habuit tamen corpus paſſibile, quod per paſſionem, & mortem eſt ad vitam glorioſam reſuſcitatum. Vnde & Chriſtianus in Baptiſmo conſequitur gratiam quantùm ad animam, habet tamen corpus paſſibile, in quo pro Chriſto poſſit pati, ſed tandem reſuſcitabitur ad impaſſibilem vitam. Vnde Apoſtolus dicit Rom. 8. cap. *Qui ſuſcitavit Ieſum Chriſtum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora noſtra propter inhabitantem ſpiritum eius in nobis*. Et ſubdit: *Hæredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti; ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur*.

Secundò. Hoc eſt conveniens propter ſpirituale exercitium, ut nempe contra concupiſcentiam, & alias paſſibilitates præſentis vitæ pugnans homo, victoriæ coronam acciperet. Vnde ſuper illud Rom. 6. capite: *Deſtruatur corpus peccati*, dicit *Gloſſa*: Si poſt baptiſmum vixerit homo, in carne habet concupiſcentiam, cum qua pugnet, & eam adjuvante Deo ſuperet. In cuius figura dicitur Iudi. 3. cap. *Hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit: ut erudiret in eis Iſraelem, & poſtea diſcerent filii eorum certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi*.

Tertiò. Hoc fuit conveniens, ne homines ad Baptiſmum accederent propter impaſſibilitatem præſentis vitæ, & non propter gloriam vitæ æternæ. Vnde Apoſtolus dicit 1. Cor. 15. cap. *Si in hac vita tantùm ſperantes ſumus in Chriſto, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*.

Beatus Ioannes Baptiſta, quamvis eſſet ſanctificatus in utero matris, martyrium tamen ſuſtinuit temporale: ut ſciret mundus, quòd non in gloria vana, & proſperitate huius vitæ ſperabat; ſed ignominiam, & adverſitatem libenter toleravit, ut conformitatẽ ſui oſtenderet ad Chriſtum, qui venerat pro omnibus hominibus mori. Sed neque Chriſtus Ioannem gloriâ privavit, quẽ pro veritate juſtitiæ occiſum injuſtè noverat. Cùm enim plura ſint, quibus anima per carnem meretur, & ſine carne mereri non poſſet (ſicut eſt contra carnales concupiſcentias decertare, jejunare, peregrinationes aſſumere, & martyrium ſuſtinere) ideo B. Ioannes, ut majora præmia ſibi conquireret, has paſſiones ſuſtinuit, & tamen totus mundus ſciebat ipſum virum juſtum, & ſanctum.

Sciebat eum virum iuſtum, & ſanctum

Thronus Divinalis.
Chorus ſpiritalis.
Cœtus Patriarchalis.
Cuneus Prophetalis.
Turba Apoſtolorum.
Collegium Martyrum.
Agmen Doctorum.
Societas inviolatorum.

PRIMO. *Sciebat Beatum Ioannem virum iuſtum, & ſanctum thronus Divinalis*. Sciendum, quòd tota Trinitas circa ſanctitatem Ioannis mirifica egit.

Pater per ſuam potentiam cæleſtibus myſteriis ipſum intereſſe præelegit: nam cælos apertos vidit, vocem Patris audivit, Filii dignitatem agnovit, Spiritum ſanctum in ſpecie columbæ conſpexit. Vnde *Auguſtinus lib. de fide ad Petrum c. 9.* dicit: Quamvis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti ſit una natura, firmiſſimè tamen tene, tres eſſe Perſonas: Patrem, qui dixit: Hic eſt Filius meus dilectus: Filium ſolum eſſe, ſuper quem vox illa Patris inſonuit; & Spiritum ſanctum eſſe, qui in ſpecie columbæ ſuper Chriſtum baptizatum deſcendit, de quibus Baptiſta præelectus teſtimonium perhibuit.)

Filius per ſuam ſapientiam ceteris Sanctis proximiorem eum ſibi ſtatuit. Chriſtus enim eſt tuba Dei, Ioãnes eſt vox Dei. Ideo 1. c. ait: *Ego vox clamantis in deſerto*. Ceteri Sancti ſunt verba Dei. Oſee 8. cap. *In gutture tuo ſit tuba*. Chriſtus eſt ſponſus, Ioannes amicus ſponſi. Ioann. 3. cap. *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. Amicus autem ſponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Hoc ergo gaudium meum impletum eſt*. Ceteri Sancti ſunt ſervi Sponſi. Chriſtus eſt Sol, Ioannes Lucifer. Iob. 38. cap. *Nunquid producis Luciferum in tempore ſuo?* Ceteri Sancti ſunt ſtellæ. Baruch 3. cap. *Stellæ vocatæ ſunt, & dixerunt: Adſumus*. Chriſtus eſt ignis. Heb. 12. c. *Deus noſter ignis conſumens eſt*. Ioannes facula ardens. Eccli. 48. cap. *Verbum illius quaſi facula ardebat*. Ceteri Sancti ſunt ſcintillæ. Sap. 3. cap. *Fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent*. Chriſtus fuit Princeps, Ioannes verò teſtis. Ioann. 1. c. *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhi-*

hiberet de lumine. Nam teſtimonium perhibuit de Chriſto, quantùm ad viſum, de eius majeſtate. Ioann. 1. cap. *Et ego vidi, & teſtimonium perhibui: quia hic eſt Filius Dei*. Quantùm ad auditum, de eius cum Patre æqualitate, quando audivit: *Hic eſt Filius meus dilectus*. Quantùm ad tactum, de eius humanitate, quando Chriſtum baptizavit, *Matthæi* 3. *cap.* Quantùm ad olfactum de eius odoris ſuavitate, quando in carcere exiſtens odorem virtutum eius perſenſit, *Ibid.* 11. *cap.* Quantùm ad guſtum de eius ſumma delectabilitate. Eſca enim eius erat mel ſylveſtre. Chriſtus fuit mel in quantum Deus, & ſylveſter in quantum in deſertum mundi venit. Myſticè igitur Ioannes mel ſylveſtre comedebat: quia Chriſti incarnati dulcedinem deguſtabat.

Spiritus ſanctus per ſuam clementiam donis cæleſtibus ipſum fœcundavit, quando in utero matris ſuæ ipſum ſanctificavit per gratiæ repletionem. Lucæ 1. cap. *Spiritu ſancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ*. Per gaudioſam Chriſti cognitionem. Ibid. *Exultavit in gaudio infans in utero meo*. Per bonorum confirmationem. Iſaiæ 49. cap. *In umbra manus ſuæ protexit me*. Per peccati purgationem. Ieremiæ 1. cap. *Antequam exires de vulva, ſanctificavi te*. Id eſt, à peccato mundavi te. In his verè apparuit ſanctitas Ioannis, &c.

SECVNDO. *Sciebat beatum Ioannem virum iuſtum, & ſanctum chorus ſpiritalis*. Scilicet Angelorum. Nam in omni genere creaturæ Ioannes ſemper dignioribus comparatur. Inter corporalia aſſimilatur corpori luminoſo, ſicut lucernæ ardenti, & Lucifero radianti. Inter ſpiritualia aſſimilatur Angelis, qui inter ſpiritus rationales nobiliores ſunt. Matthæi 11. cap. *Hic eſt enim, de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te*. Cùm enim Angelus habeat triplicem virtutem ſecundùm *Dionyſium*, ſcilicet purgativam, illuminativam, & perfectivam, ipſe habuit virtutem purgativam: quia ſicut dicitur Lucæ 1. cap. *Ipſe venit parare Domino plebem perfectam*. Habuit virtutem illuminativam: quia lucem, quam à Chriſto recepit, populis infudit. Habuit virtutem perfectivam: quia quos malos invenit, ad perfectionis viam reduxit, dum eos baptizavit, & ad Chriſtum mandavit.

In Angelo ſunt quatuor perfectiones, quæ Ioannis ſanctitatem demonſtrant.

Primò. Eſſentiæ puritas. Pſal. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus*. Subſtantia enim ſpiritualis puriſſima eſt de ſe. Tam purus enim eſt Angelus, quòd à *Dionyſio* ſpeculum purum vocetur. Sic Ioannes tantæ puritatis fuit, quòd omnes noſtras impuritates in eo poſſimus ſpeculari. Ibi ſuperbi poſſunt ſpeculari deformitatem electionis ſuæ: quia profundè ſe humiliavit. Ibi vanegolorioſi deformitatem ambitionis: quia de pilis camelorum veſtes portavit. Ibi avari deformitatem cupiditatis: quia omnia terrena contempſit. Ibi guloſi deformitatem voracitatis: quia valde abſtinens fuit. Ibi immundi deformitatem concupiſcentiæ: quia virgo extitit, &c.

Secundò. Fervens charitas. Pſalm. *Qui facis miniſtros tuos ignem urentem*. Sic Ioannes tanta charitate ferbuit, quòd omnia terrena contempſit: ſicut homo ardens calore veſtes graves depoſuit. Cantic. 8. cap. *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil diſpiciet eam*. Ideo ſibi poteſt convenire illud Ierem. 12. cap. *Reliqui domum meam: dimiſi hæreditatem meam: dedi dilectam animam meam in manu inimicorum eius*. Cùm enim eſſet filius ſummi Sacerdotis, & unicus patris ſui, ipſe tamen domum paternam deſeruit, hæreditatem ſibi debitam contempſit, eremum intravit, & animam ſuam in mortem dedit.

Tertiò. Obedientiæ velocitas. Heb. 1. c. *Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*. Sic Ioannes velox fuit in obedientia præceptorum: fuit enim ſibi præceptum aliquid magni honoris, ſcilicet, quòd Chriſtum baptizaret, & de hoc humiliter ſe excuſavit, dicens: *Ego à te debeo baptizari*, Matth. 3. cap. Fuit etiam ſibi præceptum aliquid magni valoris, ſcilicet ut homines fugeret, & deſertum intraret, ubi vitam ſuam innocentem conſervaret, & protinus obedivit, *Lucæ* 1. *cap.* Fuit inſuper ſibi præceptum aliquid magni ardoris, ſcilicet ut pœnitentiam mundo prædicaret, & fideliter implevit. Lucæ 3. cap. *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem, filium Zachariæ, in deſerto: & venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptiſmum, & remiſſionem peccatorum*.

Quartò. Æternæ gloriæ felicitas. Nam Angeli ſemper vident faciem Patris, *Matth.* 18. *cap.* Sic beatus Ioannes ad ſupremum ordinem Angelorum eſt aſſumptus. Si enim

de

de quolibet ordine aliqui ceciderunt, ut dicit *Anſelmus*, & ordines Angelici etiam non poſſunt reparari, niſi per homines, qui ad ordines illos aſſumuntur, ut dicit *Gregorius*; ſecundùm verò celſitudinem ſanctitatis, quæ habetur in hac vita, habetur celſitudo felicitatis in alia vita: Ioannes autem poſt Chriſtum, & beatam Virginem ſuper omnes Sanctos fuit majoris ſanctitatis: quia *inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta*, Matt. 11. c. meritò in ſupremo ordine eſt collocatus, ſcil. Seraphim, qui interpretatur ardens, dicente Chriſto de Ioanne: *Ille erat lucerna ardens, & lucens*; præcipuè autem in ſede Luciferi: quia habuit omnem felicitatem, quam habuiſſet Lucifer, ſi perſtitiſſet. Nam habuit clariorem Divinitatis viſionem: quia fuit Deo maximè propinquus. Etiam immediatiùs Divinas influentias recepit, & mediante ipſo omnes alii. Inſuper eſt omnium Princeps, ſicut primus hierarchiâ poſt Deum. Præterea habet omnes perfectiones aliorum ordinum, ut patet *in legenda* de nativitate eius, &c.

TERTIO. *Sciebat beatum Ioannem virum iuſtum, & ſanctum cœtus Patriarchalis*. Sciendum, quòd Patriarchæ floruerunt quadruplici virtute, ſcilicet puritatis, & munditiæ, ut patet in Abel. Vitæ religioſæ, ut patet de Abraham. Humilitatis profundæ, ut patet de Iſaac, & Iacob, quando ſervivit Laban 14. annis. Diſcretionis maturæ, ut patet de Ioſeph.

Sic Ioannes fuit maximæ puritatis. Vnde dicitur: *Neſciens labem nivei pudoris*. Maximæ religioſitatis. Vnde dicitur: *Antra deſerti teneris ſub annis civium turmas fugiens petiſti, ne levi ſaltem maculare vitam famine poſſes*. Maximæ humilitatis. Vnde dicitur: *Præbuit hirtum tegumen camelus artubus ſacris ſtrophiũ bidentes: cui latex hauſtum ſociata paſtum mella locuſtis*. Maximæ diſcretionis. Vnde dicitur: *Hinc potens noſtri meritis opimis pectoris duros lapides repelle, aſperum planans iter, & reflexos dirige calles*. Et propter hoc meruit eſſe præcurſor Chriſti in limbo, ſanctis Patribus gratioſum nuncium apportando. Erant enim in magna triſtitia: tum quia Dei viſione carebant: tum quia in loco tenebroſo manebant: tum quia ibi diu permanſerant: tum quia dæmonum vicinitatem habebant. Sed Ioannes eis annunciavit, quòd cito lucem Divinæ viſionis perciperent, & ab eo loco Chriſtus eos educeret, & in cælum collocaret.

QVARTO. *Sciebat eum virum iuſtum, & ſanctum cœtus Prophetalis*. Sciendum, quòd Ioannes à Chriſto dicitur Propheta, & plus quàm Propheta, *Matth.* 11. *cap.* Nam Prophetarum quidam prophetaverunt tantùm de præterito, quidam de præſenti occulto, & quidam de futuro.

Ioãnes autem de omni tempore habuit ſpiritum prophetiæ. Vnde dicit Ioann. 1. c. *Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt*. Ecce prophetia de futuro. *Qui ante me factus eſt*. Ecce prophetia de præterito. *Cuius non ſum dignus corrigiam calceamenti ſolvere*. Ecce prophetia de præſenti occulto. Et Lucæ 1. cap. dicitur de Ioanne. *Ipſe præcedet illum in ſpiritu, & virtute Eliæ*. Imo in majori ſpiritu, quàm Elias. In Elia quidem fuit ſpiritus ſimplex, in Eliſeo duplex, in Ioanne triplex. Elias enim fuit plenus ſpiritu prophetiæ in vita tantùm. Eliſeus verò in vita, & in morte: quia mortuus mortuum ſuſcitavit. Vnde dicitur de eo Eccli. 48. cap. *Mortuum prophetavit corpus eius*. Ioannes autem fuit plenus Spiritu ſancto, & ſpiritu prophetiæ; & ante vitam hominibus cognitam: quia Chriſtum in utero cognovit; & in vita: quia Chriſtum digito demonſtravit (Ioann. 1. c. *Ecce Agnus Dei*) & poſt vitam: quia exiſtentibus in limbo Chriſtum prænunciavit. Matth. 11. cap. *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?*

QVINTO. *Sciebat eum virum iuſtum, & ſanctum turba Apoſtolorum*. Sciendum, quòd beatus Ioannes fuit legatus Chriſti & nuncius, ſicut & ſancti Apoſtoli: quia fuit legatus à latere, à Deo miſſus immediatè. Ioann. 1. cap. *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes*. Felix legatus, quem non miſit cupiditas, ſed charitas: quia fuit miſſus à Deo, qui eſt charitas: quem non miſit ſua, ſed aliorum utilitas: quia venit, *ut teſtimonium perhiberet de lumine*. Per quem procurata eſt omnium pax, atque tranquillitas: quia venit, ut omnes crederent per illum, qui non prædicabat ſeipſum, ſed Deum: quia non venit ut lux, *ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine*.

Licèt autem ſic conſtanter prædicaret doctrinam Chriſti, tamen incarceratus fuit ab Herode; ubi oſtendit quatuor.

1. Quoad Herodem magnam conſtantiam. *Chryſoſtomus*. Quod Herodes illi faciebat pro inuiria, ſuſcipiebat Ioannes pro beneficio, & irâ illius quaſi miſericordiâ Dei fovebatur:

tur: quia verum gaudium Sanctorum eſt exire de mundo.

2. Quoad Chriſtum magnam reverentiã. Quia ſciens ſe eius famulum,& nuncium, miſit Diſcipulos ad Chriſtum, ut ſciret, ſi eum debebat prænunciare inferius, quemadmodum prænunciaverat ſuperius.

3. Quoad Diſcipulos magnam diligentiã. *Chryſoſtomus*. Miſſus Ioannes in carcerem, non de ſuo periculo, ſed Diſcipulorum ſalute ſolicitus,miſit eos ad Chriſtum,ut miracula ſua viderent, quæ tot fecit, ut paucorum animas lucraretur: quia melior eſt apud Deũ unus juſtus,quàm totus mundus peccatoribus plenus.

4. Quoad ſe magnam ſanctitatem, & gratiam. Quia mundum reputabat carcerem, eſſe autem in carcere pro Chriſto reputabat paradiſum. *Chryſoſtomus*. Ioannes naturâ homo, gratiâ Angelus: quia carnis nil erat in eo, niſi viſio ſola: corpore tenebatur in carcere, animo autem in cælo.) Hæc omnia etiam Apoſtoli ſervaverunt, ut patet,&c.

SEXTO. *Sciebat eum virum juſtum, & ſanctum collegium Martyrum.* Sciendum,quòd beatus Ioannes fuit incarceratus pro triplici veritate, ſcilicet pro veritate juſtitiæ, quam defendebat, quando dixit Herodi: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*. Pro veritate doctrinæ, quam prædicabat. Vnde *Ioſephus* dicit,quòd Herodes videns ad prædicationem Ioannis magnam multitudinem convenire, timens tumultum populi,ipſum incarceravit. Pro veritate vitæ, quam tenebat. Sicut enim ſerpentes, & buffones odorem vinearum fugiunt, & ſicut noctuæ lucem ſolis evitant; ſic Iudæi vitam Ioannis imitari non valentes, ipſum odio habebant, & arti dæmonum attribuebant. Matth. 11. cap. *Venit Ioannes non manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet*. Herodes etiam & Herodias concubina eius, filia Herodiadis,& Iudæi in occiſione Ioannis commiſerunt ſex impietates.

Prima fuit præpoſteratio naturæ. Celebravit enim diem nativitatis ſuæ, quæ fuit ad miſeriam, cùm potiùs deberet agere memoriam mortis. Eccli. 7. cap. *Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis*. Ideo *beatus Hieronymus* dicit: Nullum alium legimus celebraſſe diem nativitatis ſuæ, niſi Pharaonem,& Herodem, ut quorum erat una celebritas, una eſſet impietas.) Talis autem ſolemnitas citò deficit: quia ipſis mortuis,non eſt ampliùs celebrata. Pſalm. *Periit memoria eorum cum ſonitu*.

Secunda fuit ſaltatio puellæ, cuius impietatis plures fuerunt participes, ſcilicet ipſa puella, quæ ſaltavit. *Chryſoſtomus*. Vbi eſt ſaltatio, ibi adeſt diabolus. Neque enim Deus dedit nobis pedes, ut cum camelis ſaltemus, ſed cum Angelis choreizemus.) Item ipſa mater, quæ ſic docuit filiam non genuflexiones, non fletum, cùm tamen dicatur Ierem. 9. c. *Docete filias veſtras lamentum*. Item pater, ſcilicet Herodes,cui dicitur placuiſſe:malis enim mala placent. Item ſimul diſcumbentes, contra quos dicitur Eccli. 9. cap. *Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis*.

Tertia fuit juratio ſtulta. Proverb. 10. c. *Labia iuſti conſiderant placita: & os impiorum perverſa*. Quare autem juravit Herodes, ſe daturum puellæ, quicquid petierit, *Rabanus* reſpondet: Ad hoc fortè juravit,ut videretur facere invitus, quod ſponte faciebat. Non enim hoc feciſſet de amaſia ſua,quod in Ioanne complevit.

Quarta fuit poſtulatio matris, & puellæ, quæ petiverunt caput Ioannis. Quare autem iſtud petiverunt, *Hieronymus* reſpondet: Optabant habere in poteſtate linguam, quâ Herodem arguebat.

Quinta fuit decollatio injuſta. Nam Herodes miſſo ſpiculatore, juſſit amputari caput Ioannis in carcere. 2. Regum 14. cap. *Quæruntextinguere ſcintillam meam*. Et 4. Reg. 6. cap. *Nunquid ſcitis, quòd miſerit filius homicidæ hic,ut præcidatur caput meum?* Et Eccli. 49. cap. *Malè tractaverunt illam, qui à ventre matris conſecratus eſt Propheta*. Et Amos 5. cap. *Odio habuerunt corripientem in porta: & loquentem perfectè abominati ſunt*. Et Apoc. 2. cap. *Antipas, teſtis meus fidelis, occiſus eſt apud vos, ubi ſatanas habitat*.

Sexta fuit ſpectatio temeraria: quia allatum eſt caput Ioannis in diſco, id eſt, in catino,ut de ipſo ſatiaretur impiiſſima Herodias. Hæc autem decollatio facta eſt pro juſtitiæ defenſione: quia Ioannes Herodem de ſtupro arguebat. Facta eſt cum multa ſui devotione: quia Deo ſe recommendabat. Vnde dicitur: *In medio carceris ſtabat Ioannes, & voce magna clamabat, dicens: Domine Deus meus, tibi commendo ſpiritum meum*. Facta eſt cum multa Patrum in limbo exiſtentium exultatione. Vnde in Evangelio Nicodemi legitur, quòd eis dixit: Ego ſum Ioannes, qui Chriſtum baptizavi, & digito demonſtravi,& deſcendi nunciare vobis: quia nos in proximo

Digitized by Google

mo visitabit. Isaiæ 49. cap. *Dedi te in fœdus populi, ut diceres his, qui vincti sunt: Exite. Et his, qui in tenebris: Revelamini.* Facta est cum Ecclesiæ revelatione: quia celebratur ab ea.

SEPTIMO. *Sciebat eum virum iustum, & sanctum agmen Doctorum.* Sciendum, quòd apud Iudæos tres erant opiniones de Ioanne. Quidam dicebant ipsum esse Christum propter nimiam sanctitatem, & baptizandi auctoritatem. Alii dicebant ipsum esse Eliam propter habitationem deserti, abstinentiam cibi, asperitatem indumenti, & fervorem cæli. Alii dicebant ipsum esse Eliseum, qui baptisma figuravit, quando Naaman septies in Iordane lavari jussit. Credebant isti Ioannem fore Eliseum: tum quia baptizabat: tum quia tantam plenitudinem Spiritus sancti habebat. Ioannes autem confessus est, se non esse Christum, neque Eliam, neque Eliseum, sed ait: *Ego vox clamantis in deserto: dirigite viam Domini.* Et ut dicit *Isidorus lib. Etymologiarum.* Perfecta vox est, alta, suavis, & clara. Alta, ut sublimibus sufficiat. Clara, ut aures adimpleat. Suavis, ut animis audientium blandiatur. Si aliquid ex his defuerit, vox perfecta non erit.)

Talis fuit vox prædicationis Ioannis. Fuit enim alta: quia primus de altis, & cælestibus prædicavit, cùm dixit Matth. 3. cap. *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum.* Nunquam enim in tota sacra Scriptura auditum fuerat nominari regnum cælorum, nisi cùm Ioannes hoc ipsum primò nominavit. Fuit etiam clara: quia doctrinâ prædicabat fidei veritatem, conversatione magnam sanctitatem, passione magnanimitatem. Fuit suavis, maximè quando loquebatur cum bonis. *Chrysostomus.* Sermo Ioannis severus, & levis. Nam cum populo Iudæorum viriliter & ferventer, cum Rege audacter, cum propriis discipulis leniter loquebatur.) Et sic patet, &c.

OCTAVO. *Sciebat beatum Ioannem virum iustum, & sanctum societas inviolatorum*, seu Virginum. Sciendum, quòd beatus Ioannes, ut virginitatem suam Deo consecraret, exteriùs edebat locustas, interiùs edebat delicias sempiternas: exteriùs edebat mel sylvestre, interiùs mel cæleste: exteriùs bibebat aquam materialem, interiùs spiritualem: exteriùs induebatur pilis camelorum, interiùs indumentis virtutum: exteriùs habitabat in deserto, interiùs habitabat in cælo: exteriùs habebat societatem ferarum, interiùs erat socius Angelorum. Nihil itaque illi nocuit, quòd ab Herode caput eius amputatum fuit.

Quanta fuit gloria illius beati capitis, in quo erant illi beati oculi, qui Spiritum sanctum in specie columbæ conspexerunt? Quàm beatæ illæ aures, quæ vocem Patris audierunt? Illæ nares, quæ toties fragrantia Christi odoramenta persenserunt? Illa labia, quæ toties testimonia Christi protulerunt? Hoc caput mirabilia operatur, ut patet *in legenda* decollationis eius, hìc per gratiam, tandem per gloriam. Amen.

SER-

Digitized by Google

SERMO XLVII.

IN FESTO

NATIVITATIS B. VIRGINIS MARIAE.

In me gratia omnis vitæ. Eccli. 24. cap.

IOannes Damaſcenus *in ſermone de nativitate beatæ Virginis* dicit: Hodie fit mundo ſalutis initium. Iubilate Deo omnis terra: cantate, & exultate, & pſallite. Exaltate vocem veſtram, exaltate, & nolite timere. Edita eſt nobis Mater Dei, de qua naſci voluit Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Exultate montes, rationalis creatura, & reſpicite excellentiam ſpiritualis contemplationis. Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtum beata Virgo ab æterno Mater Dei dedicata, fuerit ante nativitatem ex utero ſanctificata.

AD iſtam quæſtionem reſpondet *Sanctus Thomas tertia parte quæſt.* 27. *artic.* 1. dicens: De ſanctificatione beatæ Mariæ, quòd ſcilicet fuerit ſanctificata in utero, nihil in Scriptura canonica traditur, quæ etiam de eius nativitate nec mentionem facit. Sed ſicut *Auguſt.* de ipſius Aſſumptione rationabiliter argumentatur, quòd, cùm corpore ſit aſſumpta in cælum (quod tamen Scriptura non tradit) ita etiam rationabiliter argumẽtari poſſumus, quòd fuerit ſanctificata in utero. Rationabiliter enim credimus, quòd illa, quæ genuit Vnigenitum à Patre, plenum gratiæ, & veritatis, præ omnibus aliis majora gratiæ privilegia acceperit. Vnde legitur Lucæ 1. cap. quòd Angelus ei dixit: *Ave gratiâ plena*. Invenimus autem quibuſdam aliis hoc privilegium eſſe conceſſum, ut in utero ſanctificarentur, ſicut Ieremiæ, cui dictum eſt 1. cap. *Antequam exires de vulva, ſanctificavi te*. Et ſicut Ioanni Baptiſtæ, de quo dictum eſt Lucæ 1. cap. *Spiritu ſancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ*. Vnde rationabiliter creditur, quòd beata Virgo ſanctificata fuerit, antequam ex utero naſceretur. *Hæc Sanctus Thomas*.

Sciendum, quòd beata Virgo fuit quadrupliciter ſanctificata.

Primò. In ſui conceptione, ſcilicet dum eſſet in utero matris poſita, quod probatur auctoritate, ratione, & exemplo. Auctoritate quidem. Quia Pſalm. dicit: *Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus*. Et Cant. 4. cap. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*. Et *Bernardus in ſerm. 4. ſuper Salve Regina* ait: Neque enim feſtis laudibus naſcens honoraretur, niſi ſancta naſceretur.) Eſt itaque Virgo regia veris honorum titulis cumulata, quæ proculdubio ſancta fuit, antequam nata. *Hildephonſus Toletanus Archiepiſcopus* dicit: Si non in matris utero ſanctificata fuiſſet, eius nativitas celebranda non eſſet.

Ratione quidem. Quia tam pretioſum theſaurum, ſcil. Dei Filium Deus Pater in eius utero non poſuiſſet, niſi ſanctus, & mundus fuiſſet. Pſalm. *Domum tuam decet ſanctitudo, Domine*. Et *Damaſcenus* dicit: Sanctus Deus non niſi in ſanctis habitat. Et *Anſelmus*. Decuit, ut illius hominis, id eſt, Ieſu Chriſti conceptio ex ea matre fieret, quæ ea puritate niteret, quâ maior ſub Deo nequit intelligi.

Exemplo patet. Quia Ieremias fuit in utero ſanctificatus, ut eſſet dignior Dei Propheta; multò magis beata Virgo ſanctificari debuit, ut eſſet digniſſima Mater Dei. Etiam Ioannes Baptiſta fuit ſanctificatus, ut eſſet dignus Chriſtum baptizare, & ipſum digito demonſtrare; multò magis debuit beata Virgo ſanctificari, ut eſſet digna Chriſtum de ſuis viſceribus generare.

Secundò. In Spiritus ſancti præventione. Luc. 1. c. *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te*. Tunc enim Spiritus ſanctus ipſam ſic in gratia confirmavit, quòd ulterius in nullum peccatum cadere potuit. Vnde *Bernardus*. Ego puto, quòd copioſior ſanctificationis benedictio, quàm in aliis Sanctis ab utero ſanctificatis, in eam deſcenderit, quæ non ſolùm ipſius ortum

Digitized by Google

tum ſanctificavit, ſed & vitam eius ab omni deinceps peccato immunem conſervaret, quod alteri nemini quidem in natis mulierum creditur eſſe donatum. Decuit nanque Reginam Virginum, ut ſingulari privilegio vitam abſque omni peccato duceret, quæ, dum peccati mortiſque peremptorem pareret, vitæ juſtitiæque munus omnibus obtineret.) Et *Auguſtinus libro de natura & gratia* dicit ſic (& allegatur à *Magiſtro ſententiarum lib.* 3. *diſ.* 3.) Excepta beata Virgine Maria, ſi omnes Sancti, & Sanctæ, cùm hìc viverent, interrogati fuiſſent, utrum ſine peccato eſſent, omnes una voce clamaſſent: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus. Excepta, inquam, hac ſancta Virgine, de qua propter honorem Domini, cùm de peccatis agitur, nullam prorſus volo habere quæſtionem.)

Tertiò. In Filii Dei conceptione. Tunc enim omnimodè ad Divinos uſus tam mente, quàm corpore fuit dedicata, & tota luce Divinitatis reſplenduit. Vnde *Alcuinus lib. de Trinitate*. Virgo quidem Maria lana mundiſſima fuit, & virginitate clariſſima, quæ ſola digna eſſet, in ſe Filii Dei recipere Deitatem, ſicut lana concilii, ut ex ea fieret purpura, imperiali tantummodò Majeſtate digna, quamque nullus eſſet dignus induere, niſi auguſtâ præditus dignitate.)

Quartò. In glorioſa ſui Aſſumptione. Tunc enim omnes pœnalitates depoſuit, quando tam in anima quàm in corpore glorificata fuit. Vnde Angeli admirantes dixerunt illud Cant. 6. cap. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol?* Et quia ſic mirificè præ omnibus Sanctis à Spiritu ſancto fuit ſanctificata, ideo dicit:

In me gratia omnis vitæ

Cælicalis. Patriarchalis. Nominalis. Spiritalis. Prophetalis. Virtualis.

PRIMO. *In beata Virgine fuit gratia omnis vitæ cælicalis*. Sciendum, quòd beata Virgo rectè præoſtenſa fuit in lucis primariæ creatione, de qua dixit Dominus Gen. 1. cap. *Fiat lux: & facta eſt lux*. Sicut enim illius lucis creatio ſolis creationem præceſſit, & ſecundùm quoſdam ex ipſa corpus veri ſolis formatum eſt; ſic ortus beatæ Virginis veri ſolis, id eſt, Chriſti formationem præceſſit. Eccli 24. cap. *Ego feci in cælis, ut oriretur lumen indeficiens: & ſicut nebula texi omnem carnem*.

Secundò. Beata Virgo præoſtenſa fuit in ſtellæ matutinæ nominatione, de qua dicitur Eccli. 50. *Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ*. Iſta enim ſtella plura habet nomina. Dicitur nanque Venus: quia diſponit ad amandum. Dicitur matutina: quia mane ſequens denunciat ad diem inchoandum. Dicitur Lucifer: quia majorem habet vim ad illuminandum. Dicitur Heſperus: quia noctem ſequentem reſpicit ad illuſtrandum.

Beata Virgo dicitur ſtella matutina propter iſtos quatuor effectus, juxta illud Eccli. 24. cap. *Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei*. Ipſa quidem eſt Venus: quia inflammat homines ad Dei amorem. Ideo dicit: *Ego Mater pulchræ dilectionis*. Ipſa eſt principium novæ vitæ, ſcilicet legis Chriſti. Ideo dicit: *Et timoris*: quia timor eſt principium gratiæ, & novæ vitæ. Pſalm. *Initium ſapientiæ timor Domini*. Ipſa eſt Lucifer, in quantum dat lucem agnitionis. Ipſa eſt Heſperus, in quantum reſpicit, & illuminat peccatores, qui ſunt in tenebris culpæ, & quoad hoc dicitur Mater *ſanctæ ſpei*. Etiam vocatur ſtella maris, quæ vulgariter dicitur tramontana, ſeu urſa major. Vnde *Bern.* dicit: Tolle corpus ſolare, quod illuminat mundum, & ubi dies? Tolle Mariam maris ſtellam, & quid niſi caligo involvens, & umbra mortis, & tenebræ relinquuntur? In anguſtiis, in periculis, in dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat à corde, non recedat ab ore. Ipſam ſequens non devias, ipſam rogans non deſperas, ipſam cogitans non erras, ipsâ tenente non corruis, ipsâ protegente non metuis, ipsâ duce non fatigaris, ipsâ propitiâ pervenis.)

Tertiò. Beata Virgo præoſtenſa fuit in lunæ diminutione. Luna ſiquidem habet hoc proprium, quòd creſcit uſque ad decimum quartum diem, quouſque in ipſa appareat imago hominis integra, & ultra creſcere non poteſt, ſed poſtea decreſcit.

Eodem modo beata Virgo crevit uſque ad decimum quartum annum: quia in hac ætate creditur Chriſtum concepiſſe, & tunc ipſe, qui eſt imago Dei inviſibilis, in eius utero Vir perfectus exitit, non quantùm ad ætatem, ſed quantùm ad ſapientiam, & omnium gra-

gratiarum plenitudinem. Iere. 31. cap. *Novum creavit Dominus ſuper terram: fœmina circumdabit virum.* Poſtquam autem in tantũ crevit, ſtatim in ſui reputatione decreſcere cœpit: quia non Matrem Dei, non Reginam cæli, non Dominam mundi, ſed ancillam Dei ſe appellavit, dicens Lucæ 1. cap. *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.*

Quartò. Beata Virgo præoſtenſa fuit in cælorum diſtinctione. Sicut enim in prima rerum creatione primò formatum eſt cælum (Gen. 1. cap. *In principio creavit Deus cælum.*) quod diſtinxit in cælum ſidereum, cryſtallinum, & empyreum; ſic in mundi recreatione, & redemptione creavit beatam Virginem velut cælum ſidereum. Eccli. 43. cap. *Species cæli*, id eſt, beatæ Virginis cæleſtis, *gloria ſtellarum*, id eſt, glorioſa varietas virtutum. Apoc. 12. cap. *In capite eius corona ſtellarum duodecim.* Scilicet Seraphim: quia fuit igne Divini amoris totaliter inflammata. Cherubim: quia fuit ſplendore Divinæ cognitionis totaliter illuſtrata. Thronorum: quia fuit tota mente tranquilla, & quieta. Dominationum: quia corpori ſuo, & omnibus vitiis dominata fuit. Virtutum: quia gloriâ miraculorum illuſtrata extitit. Poteſtatum: quia dæmonum potentiam refrænavit. Principatuum: quia de omnibus regnis, & provinciis providentiam magnam habet. Archangelorum: quia de omnibus civitatibus, & locis diligentiam grandem gerit. Angelorum: quia de omnibus hominibus, & ſingularibus perſonis curam, & cuſtodiam habet. Patrum in limbo, de infernali carcere eos liberando. Purgandorum, de purgatorio eos eripiendo. Fidelium, in mundo eos in viam ſalutis dirigendo. Vnde *Bernardus* ait: Ecce inquit Maria: Ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Ecce, intuentis, & demonſtrantis eſt adverbium, ac ſi dicat: Ecce, jam video quid futurum ſit de me, quis fructus procedet ex me, quæ, & quanta bona non mihi ſoli, ſed omnibus generationibus provenient ex me: nam & Angelicarum generationum numerus per meum Genitum redintegrabitur, & hominum generatio in Adam maledicta per benedictionem fructus ventris mei ad æternam benedictionem regenerabitur. Lætare pater Adam, ſed tu magis Eva exulta: quia ſicut omnium fuiſtis parentes, ſic omnium fuiſtis peremptores, & quod infelicius eſt, prius peremptores, quàm parentes. Propterea curre Eva ad Mariam, curre mater ad Filiam, Filia pro matre reſpondeat, Filia matris opprobrium auferat; Filia Patri pro matre ſatisfaciat: quoniam vir cecidit per fœminam. Currite nunc matres, & Filiæ. Currite omnes, qui parturimini, & parturitis cum triſtitia. Adite virginalem thalamum. Adite, ſi poteſtis, ſororis veſtræ pudicum cubiculum. *Hæc ille.* Ipſa enim velut cælum ſidereum continuè movetur; nunc ad Filium, ipſum pro nobis exorando; nunc ad Angelos, ipſos ad noſtrum miniſterium dirigendo; nunc ad Beatos ipſos, ut pro nobis orent, exhortando; nunc ad nos, oculos miſericordiæ ſuæ convertendo, juxta illud: *Illos tuos miſericordes oculos ad nos converte.* Sap. 7. cap. *Omnibus mobilibus mobilior eſt ſapientia.* Fuit etiam tanquam cælum cryſtallinum, cuius forma eſt ſphærica magnæ capacitatis: quia Dei habitatio effecta, juxta illud: *Quem cæli capere non poterant, tuo gremio contuliſti.* Fuit etiam tanquam cælum empyreum, cuius gloria inter ceteras creaturas fuit altior, & ſublimior: quia exaltata ſuper choros Angelorum.

SECVNDO. *In beata Virgine eſt gratia omnis vitæ ſpiritalis.* Sciendum, quòd dignitas & gloria beatæ Virginis præoſtenſa fuit in Angelis quoad quatuor.

Primò. In perfectione, ſecundùm quam tranſcendit Angelos. Ezech. 31. cap. *Cedri non fuerunt altiores illâ in paradiſo Dei. Abietes non adæquaverunt ſummitatem eius. Et platani non fuerunt æquæ frondibus illius. Omne lignum paradiſi Dei non eſt aſſimilatum illi, & pulchritudini eius.* Licèt enim in Angelis ſint claritas, ſapientia, & charitas, quæ perfectiſſimè fulſerunt in Lucifero, juxta illud: *Omnis lapis pretioſus operimentum tuum;* in majori tamen dignitate B. Virgo iſtas perfectiones habuit. Vnde *Bernardus ſuper Miſſus eſt*, dicit: Maria Deum Angelorum, & hominum audacter ſuum vocat Filium dicens: Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce Mariæ privilegium. Quis enim hoc audeat Angelorum? Denique deſcendit cum illis, & venit in Nazareth, & erat ſubditus illis. Quis? Quibus? Deus, hominibus. Mirare ergo utrumque, vel elige quid amplius mireris: ſive Filii benigniſſimam dignationem, ſive Matris excellentiſſimam dignitatem. Vtrumque mirum. Quòd fœminæ Deus obtemperat, humilitas abſque exemplo. Quòd fœmina Deo principetur, ſublimitas ſine ſocio.)

Secundò. In benedictione. Nam Gen. 32. cap. dicitur, quòd luctante Iacob cum Angelo, dixit ei Angelus: *Dimitte me: iam enim aſcendit aurora*. Et reſpondit Iacob: *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi: & benedixit ei in eodem loco*. Ante nativitatem Virginis lucta erat, & bellum inter Angelos, & homines: offenderat quippe homo Deum, & Regem Angelorum. In nativitate autem Virginis facta eſt pax, & ceſſavit lucta; & ideo dixit: Dimitte me, jam enim aurora aſcendit, id eſt: jam orta eſt Maria, quæ eſt verè aurora, noctem peccati finiens, & diem gratiæ inchoans. Sicut enim in aurora deſcendit ros; ſic in nativitate beatæ Mariæ deſcendit ros gratiæ. Et quemadmodum Angelus benedixit Iacob; ſic in nativitate Virginis fuit data benedictio humano generi. Vnde *Ioannes Damaſcenus Orat. 1. de nativit. beatæ Virginis* hæc effatur: Adeſte omnes gentes, omne humanum genus, omnes cujuſvis linguæ, ætatis, ac dignitatis orbis univerſi lætitiæ, natalem diem lætis animis celebremus. Nam cùm Gentiles dæmonum, per commentitias fabulas mentem ſurripientium, ac veritatem obſcurantium, atque Regum nativitates omni honoris genere celebrarint, pro ſua quiſque facultate munus quoddam offerentes, tan etſi etiam alioqui illi vitæ humanæ perniciem inferrent; quantò tandem magis nos Dei genitricis natalem honore complecti cõvenit, per quam mortalium genus redintegratum eſt, per quam primigeniæ matris Evæ mœror in lætitiam mutatus eſt?)

Tertiò. In ſanatione. Vnde *Damaſcenus loco cit.* Fauſta tibi ſint omnia, ò probatica, patrium Reginæ domicilium. Fauſta tibi ſint omnia, ò probatica, ſeminum Ioachim fanum, nunc autem ovilis ratione prædiți Eccleſia, cælum imitans: atque olim quidem ſemel quotannis Angelum Dei excipiens, aquam turbantem, atque unum duntaxat valetudini reſtituentem, & ab urgente morbo vindicantem; nunc autem cæleſtium virtutum copioſiſſimum agmen habens, Dei Genitricem nobiſcum laudantium, illam, inquã, miraculorum abyſſum, illum univerſo orbi medicinam afferentem fontem, illam, inquam, quæ non miniſtrum Angelum accepit, ſed illum magni conſilii Angelum, qui tanquam bona pluvia in vellus abſque ullo ſtrepitu deſcendit, atque omnem naturam morbo laborantem, atque ad interitum vergentem in certam ſanitatem ac vitam ſenio carentem reſtituit. *Hæc ille*.

Quartò. In prænunciatione. Quia pro minoribus negotiis ſæpe Deus Angelum mittere conſuevit, ſicut miſit Angelum Rachaelem tempore Tobiæ ad curationem infirmitatum: miſit Gabrielem ad liberationem captivorum, ut dicitur *Dan. 9. cap.* Miſit Michaelem ad expugnationem inimicorum, ut habetur *Apoc. 12. cap.* Sic etiam congruum fuit, ut Angelus mitteretur, qui prænunciaret nativitatem beatæ Virginis, quæ conceptura erat illum, qui veniebat ad curationem infirmitatum, ad captivorum liberationem, ad hoſtium expugnationem. Iſa. 61. capite. *Spiritus Domini ſuper me, & miſit me: ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & diem ultionis Deo noſtro*. Sic etiam Angelus prænunciavit conceptum, & nativitatem Virginis Ioachim, viro beatæ Annæ, ut habetur *in legendis ibi*: Ioachim nanque ex Galilæa, &c. uſque: Divinum promiſſum hilariter expectantes. Et ſic patet ſecundum.

TERTIO. *In beata Virgine eſt gratia omnis vitæ Patriarchalis*. Sciendum, quòd nativitas beatæ Virginis fuit multis figuris, & ænigmatibus præoſtenſa.

1. In paradiſo voluptatis, in quo poſitus fuit Adam in ſtatu innocentiæ. Sic beata Virgo fuit hortus deliciarum, in quo poſitus fuit ſecundus Adam, ſcilicet Chriſtus. Vnde ipſa dicit Cant. 6. cap. *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum*. Et *Damaſcenus in ſermone hodierno* dicit: Tu appellaris intellectualis Eden, ſacratior, ac divinior antiquâ. In illa enim terrenus Adam habitavit, in te autem Dominus cæli.)

2. In arca diluvii, de qua habetur Gen. 7. cap. *Dixit Deus ad Noe: Fac tibi arcam de lignis levigatis: manſiunculas in ea facies, & bitumine linies intrinſecus, & extrinſecus*. Iſta arca eſt beata Virgo. Vnde *Damaſcenus de eius dormit. orat. 1.* ait: Te arca illa, quæ ſecundi mundi ſemina conſervabat, adumbrat. Tu enim Chriſtum, mundi ſalutem, quique peccatum obruit, atque ipſius fluenta compreſſit, peperiſti.) Deus Pater præcepit Filio ſuo, ut faceret ſibi hanc arcam. Quia enim erant rupti fontes abyſſi; ideo inundaverat diluvium vitiorum. Oſee 4. cap. *Maledictum, & mendacium, homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt*. Inundaverat enim maledictum rupto fonte incredulitatis, mendacium rupto fonte falſitatis, ho-

Digitized by Google

homicidium rupto fonte crudelitatis, furtum rupto fonte cupiditatis, adulterium rupto fonte carnalis voluptatis. Propter hanc inundationem clamabat David in Pſal. *Salvum me fac Deus: quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam*. Contra iſtam inundationem adhibuit Deus remedium, ſcilicet arcam, beatam Virginem fabricando, in qua verus Noe, id eſt, Chriſtus ingrediens, mundum ab iſto diluvio ſalvavit. Iſta arca fuit de lignis levigatis, id eſt complanatis: quia ab omni aſperitate peccati immunis. Fecit in ea manſiunculas: ſcilicet Patri per humilitatem, Filio per fœcunditatem, Spiritui ſancto per virginitatem. Linivit eam bitumine charitatis, ne aquæ diluvii uſque in eam ſubingrederentur.

3. In arcu reconciliationis, de quo dicitur Gen. 9. cap. *Arcum meum ponam in nubibus: & erit ſignum fœderis inter me, & terram*. Ille enim arcus ex quatuor elementis contrahit colores, ut dicit *Beda*. Nam ex igne contrahit colorem rubeum, ex aere hyacinthinum, ex aqua cæruleum, ex terra viridem. Sic beata Virgo fuit rubea: quia tota fuit igne Divini amoris inflammata. Fuit hyacinthina: quia ſemper fuit in cæleſtibus converſata. Fuit cærulea: quia tota fuit præ compaſſione liquida effecta. Fuit viridis: quia tota fuit in converſatione amœna. Vnde *Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus* dicit: Virtutes Mariæ depromebant in cogitatione, & affectione cordis ineffabilem harmoniam, quam ipſa creatrix, & habitatrix eius, Dei ſapientia delectabatur audire. Coruſcabat quoque foris, & in ſuperficie ſermonis, & actionis, unde poſſent homines glorificare Deum, & exempla virtutum accipere.) Arcus etiam ille eſt ſine chorda, & ſine ſagitta, & verſus nos tenet cornua. Sic beata Virgo eſt abſque chorda ſeveritatis: quia eſt tota mitiſſima. Eſt abſque ſagitta comminationis: quia eſt tota dulciſſima. *Bernardus ſuper Miſſus eſt*. Quid humana fragilitas trepidat ire ad Mariam? Nihil eſt in ea auſterum, nihil terribile: tota ſuavis eſt.) Duo cornua ſunt gratia, & miſericordia, quæ tenet erga nos, juſtis dans gratiam, peccatoribus veniam. *Maria Mater gratiæ: Mater miſericordiæ*.

4. In tabernaculi Abrahæ diſpoſitione. Vnde *Damaſcenus orat. 1. de eius dormit.* Tabernaculum Abrahæ te apertiſſimè indicabat. Etenim Verbo Domini, in ventre tuo tanquam in tabernaculo habitanti, humana natura ſubcineritium panem, hoc eſt, ſui primitias, ex puris tuis ſanguinibus obtulit à Divino igne quodammodo coctas, panemque effectas, atq; in Divina ipſius perſona exiſtētes, & ad verā corporis, animati anima rationali, atque intellectuali, ſubſtantiam venientes.)

5. In ſcalæ Iacob præparatione. *Damaſcenus loco cit.* Quemadmodum Iacob per extremas ſcalæ partes cælum cum terra copulatum, & Angelos per eam deſcendētes, eumque, qui verè fortis & inſuperabili robore præditus eſt, typicè ſecum decertantem vidit; eodem modo tu quoque mediatricis munere perfuncta, deſcenſuſque Dei ſcala effecta (per quam ipſe infirmam noſtram maſſam aſſumpſit, ſibique ipſi conjunxit & copulavit, fecitque, ut homo Deum nunc cernat:) ea, quæ inter ſe dirempta erant, in unum coegiſti. Hinc Angeli quidem ad eum deſcenderunt, ut videlicet Deo ac Domino inſervirent, homines autem Angelica ratione uſi, in cælum ſublimes rapiuntur.)

6. In arcæ fabricatione. Vnde *Damaſcen. de eius nativitate orat. 1.* Agnoſcat arca undique auro contecta, & manifera illa urna aurea, & candelabrum, & menſa, ac denique vetera omnia, quàm nihil habeant, quod cum hac comparari poſſint: etenim exemplaris adumbrationes typo reverā ornatæ ſunt. (& *de dormit. B. Virginis orat. 1.*) Ex te autem illa Divinitatis flamma, ille Patris terminus ac ratio, ſuaviſſimum illud cæleſte manna, Nomen illud nominis expers, lumen illud ſempiternum, & inacceſſum, ille Panis vitæ ac cæleſtis, ille nullis agricolæ manibus excultus fructus, corporeo modo pullulavit.)

7. In tabernaculi Moyſis conſtructione. Vnde *Idem de nativitate B. Virginis orat. 1.* Cedat illud ſpiritus tabernaculum, quod Moyſes in deſerto ex pretioſa, atque omnis generis materia conſtruxit, atque etiam ante iſtud patris Abrahami tabernaculum, vivo & rationi prædito tabernaculo. Hoc enim non actionis duntaxat, ac potentiæ Divinæ conceptaculum fuit, verùm eſſentiæ ratione ipſiuſmet Perſonæ Filii ac Dei.)

8. In tabularum legis inſcriptione. Vnde *Idem ibidem*. Clariſſimus mons Dei naſcitur, mons inquam ille, qui collem omnem ac mōtem, id eſt, Angelorum & hominum ſublimitatem exuperat: ex quo citra ullam manuum operam corporeo modo excindi voluit lapis angularis Chriſtus, mons Dei, mons pinguis, mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare

in

Digitized by Google

in eo. Currus Dei multiplex eorum, qui Divinæ gratiæ copiis affluunt. Arx Sinâ ſanctior, quam non fumus, non caligo, non procella, non terrorem incutiens ignis contegit, verùm illuminandi vim habens Spiritus ſancti ſplendor. Illic enim Dei verbum, tanquam Dei Spiritu legem ſaxeis tabulis inſcribebat; hìc autem ex Spiritu ſancto ac Virginis ſanguine Verbum ipſummet incarnatum eſt, ſeque naturæ noſtræ conceſſit. *Hæc Damaſcenus*. Sic patet tertium.

QVARTO. *In beata Virgine eſt gratia omnis vitæ prophetalis*. Sciendum, quòd nativitas beatæ Virginis Mariæ fuit à Prophetis promiſſa.

Baalim Numeri 24. cap. vaticinabatur: *Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael, & percutiet Duces Moab*. Hæc ſtella portendit Deiparam, dicente *Petro Damiano in ſermone de Epiphan.* Maria ſtella Maris interpretatur. Mare hic mundus eſt, ſicut ſcriptum eſt: Hoc mare magnum & ſpatioſum; illic reptilia, quorum non eſt numerus. Meritò igitur ſtella maris dicitur: quia ipſa tanquam ſidus ſingulare refulſit in mundo, & cujus ſplendor illuminat mundum, & ex ſe radium illum emiſit, qui illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. Et ſicut radius proceſſit à ſtella, ſtellâ integrâ manente; ſic Filius ex Virgine, virginitate inviolabili perdurante, vaticinante Ezechiele: Porta, quam vides, ſemper erit clauſa, & nullus tranſibit per eam, ſed Dominus ſolus introibit per eam.) Similia effatur *Bernardus ſuper Miſſus eſt hom.* 2. Ipſa eſt illa nobilis ſtella, orta ex Iacob, cuius radius univerſum mundum illuminat, cuius ſplendor refulget in ſupernis, & inferos penetrat, terras etiam perluſtrans, & calefaciens mentes magis quã corpora, fovet virtutes, excoquit vitia.)

Iob cap. 24. aſſerit: *Si ſubitò apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis: & ſic in tenebris quaſi in luce ambulant*. Dæmones enim velut latrunculi, adventum auroræ fugiunt: quia Virginis Mariæ nativitas ipſos fugavit, eorum poteſtatem auferendo, juxta illud Geneſ. 3. cap. *Ipſa conteret caput tuum*. Vnde *Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus*. Quid enim eſt caput ſerpentis conterere, niſi principalem diaboli ſuggeſtionem reſiſtendo ſuperare? Beata ergo Maria eius caput contrivit: quia virginitatem, & humilitatem tam inexplicabiliter ſervavit, & cuſtodivit.)

David Pſalmiſta regius prædicebat: *Deſcendet ſicut pluvia in vellus*. Beata Virgo eſt iſtud vellus, in quod deſcendit Chriſtus velut pluvia. Vnde præmemoratus *Damaſcenus de eius dormit. orat.* 1. inquirit: Vbinam Prophetarum præconia collocabimus? An non ea ad te referemus, ſi quidem vera ipſa demonſtrare nobis cordi ſit? Quodnam enim eſt illud Davidicum vellus, in quo Regis omnium, ac Dei Filius, qui ejuſdem cum Patre ſuo æternitatis eſt, unaque cum eo regnat, pluviæ inſtar deſcendit? An non tu perſpicuè? Quænam item Virgo ea, quam Iſaias prophetico ſpiritu Filium concepturam ac parituram prædixit, hoc eſt, eum, qui verè nobiſcum Deus eſt, id eſt, qui poſt aſſumptam humanitatem Deus quoque eſſe non deſtitit?)

Salomon ejuſdem Virginis nativitatem innuere videbatur in erectione ſolii, de quo 2. Paralip. 9. cap. dicitur: *Fecit Rex Salomon ſolium eburneum grande, & veſtivit illud auro mundiſſimo. Non fuit tale ſolium in univerſis regnis*. Iſtud ſolium portendit beatam Virginem, in quod ſedit Chriſtus, cuius Sapientia id ſibi extruxit.

Elias, qui dicit 3. Reg. 18. cap. *Nubecula parva, quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari*. Quia de gente Iudæorum amara aſcendit hodie nubecula, ſcilicet beata Virgo ſanctificata, & refrigerata.

Iſaias, qui dixit 11. cap. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet*. Vti enim canit Eccleſia: *Virgo Dei Genitrix virga eſt, flos Filius eius*. In virga deſignatur poteſtas, quæ plagavit Ægyptios, quæ mare rubrum diviſit, quæ aquam de petra eduxit, *Numeri* 20. *cap.* Nemo ergo deſperet ex ſervitute peccati, ſed currat feſtinanter ad ſuffragium Virginis, à qua fluunt aquæ gratiarum. *Bernardus*. Si gratiam reconciliationis in veritate quærimus, in ea eſt, ut reconciliemur. Verè, in qua eſt omnis gratia vitæ, & veritatis. Meruiſti mortem, gratiâ eius debetur tibi vita.)

Ieremias, qui dicit 14. cap. *Solii tui*, Domine, *recordare: ne irritum faciat fœdus tuum nobiſcum*. Quaſi dicat in perſona humani generis: Recordare, ò Pater, ſolii gloriæ tuæ, nempe beatæ Virginis Mariæ, in qua ſedit Filius tuus, qui dicitur gloria tua. Ne irritum, ſive vacuum reddas fœdus, nempe promiſſionem tuam, exaudiendi preces & vota noſtra, meritis, & interceſſione Genitricis Filii tui.

Ezechiel, de quo *Damaſcenus orat.* 1. *de eius dormit.* Veniat jam Ezechiel, ac portam clauſam

ſam oſtendat, peragratam à Deo, nec tamen apertam, quemadmodnm prædixit. Oſtendat, qualiter ſermones ſuos eventus comprobavit. Te proculdubio demonſtrabit; quam Deus, qui omnia exuperat, pertranſiens, carnemque aſſumens, virginitatis portam haudquaquam aperuit: manet quippe in ſempiternum obſignata.)

Daniel, qui dicit 4. cap. *Videbam, & ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia: magna arbor & fortis, & proceritas eius contingens cælum: aſpectus illius erat uſque ad terminos univerſæ terræ*, &c. Arbor iſta eſt gloriosa Virgo Maria, magna per humilitatem, cælos ſeu cæleſtia contigens per contemplationem. Vnde *ſanctus Bonaventura in ſpeculo eiuſdem cap.* 5. O quàm latè, quàm altè arbor illa magna beata Virgo Maria ramos ſuos extendit; quàm latè ad homines, quàm longè ad Angelos, quàm altè ad Deum!) *Bernardus*. Beata Virgo cæleſtem vitam geſſit, & converſationem habuit in cælis: ardenter illuc anhelabat firmiſſima cælo ſereno.) *Damaſcenus*. Benedicta, quæ placuiſti Domino, ad quem tua ſemper intentio, ad quem tuum ſemper deſiderium. Vivebas enim non tibi, neque propter te nata es; unde vivebas Deo, propter quem in hunc mundum veniſti, ut ſalutem afferres mundo, ut antiquum Dei conſilium Incarnationis Verbi, noſtræque ſalvationis compleretur. Cujus affectus Divinis invigilare colloquiis, & his paſci tanquam oliva fructifera in domo Dei, quaſi lignum plantatum ſecus decurſus aquarum: cuius ſpiritus tanquam lignum vitæ, quod dedit fructum in tempore ſuo prædeſtinato à Deo, Deum incarnatum, vitam omnium. Oculi tui ſemper ad Dominum, videntes lumen æternum, incircunſcriptum, inacceſſibile.)

Eſdras lib. 2. cap. 3. dicit: *Sellum ædificavit portam fontis*. Sellum interpretatur pacificus, & ſignificat Dei Filium, qui ſuo Sanguine pacificavit quæ in cælis, & quæ in terris ſunt: ipſe ædificavit hodie portam fontis, nempe beatam Virginem, per quam fons bonorum cæleſtium ad nos defluxit.

Ioel 3. cap. dicit: *Egredietur fons de domo Domini*. Beata Virgo eſt domus Domini, de qua egredietur Chriſtus, fons ſapientiæ: quia *fons Sapientiæ Verbum Dei in excelſis*.

Nahum 3. cap. ait: *In die frigoris ortus eſt ſol*. Quia beata Virgo electa ut ſol hodie in tempore legis antiquæ nataeſt; unde omnes gaudent, dicentes: *Nativitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annunciavit univerſo mundo*.

Eſther 8. cap. dicit: *Iudæis nova lux oriri viſa eſt, gaudium, honor, & tripudium apud omnes populos*. Maria eſt nova lux: quia eius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias. Eſt etiam fons ille, de quo dicitur ibidem cap. 10. *Fons parvus crevit in fluvium, & in lucem, ſolemque converſus eſt*. Fuit quippe fons parvus in ſui nativitate, qui crevit in fluvium, quando Spiritus ſanctus ſupervenit in ipſam; & in lucem ſolemque converſus eſt, quando Dei Filius effectus eſt per carnem aſſumptam etiam Virginis Filius, qui eſt verus Sol juſtitiæ.

QVINTO. *In Maria eſt gratia omnis vita nominalis*. Sciendum, quòd beatæ Virgini nomen, Maria, divinitùs fuerit impoſitum per Angelos, revelantes idipſum eius genitoribus. Vnde *D. Hieronymus de ortu, ſeu nativitate beatæ Virginis tomo 9.* Angelum Deiparæ parentibus ſic loquentem inducit, primò quidem Ioachimo: Vxor tua pariet tibi filiam, & vocabis nomen eius Mariam.) Deinde Annæ: Miſſus ſum ad te, Anna, ut annunciem tibi filiam naſcituram, quæ Maria vocata, ſuper omnes mulieres erit benedicta.)

Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus biblioth. PP. tomo 18. hæc ſcribit: Evolutis ergo tot annorum circulis, miſſus eſt Angelus Domini priùs ad Ioachim, demum ad Annam, annuncians eis naſcituram filiam nomine Mariam, cui ſimilis ſanctitate nec antea nata fuerit, nec poſtea naſceretur.)

Sanctus Antoninus 4 p. tit. 15. cap. 14. Die, quâ nata eſt beata Virgo, impoſitum eſt ei nomen Maria à parentibus ſecundùm Angelicam revelationem.)

Sanctus Petrus Damianus in ſermone de Annunciatione tomo 2. Iniit Deus conſilium, fecit ſermonē cum Angelis de reſtauratione eorum, de redemptione hominum, de elementorum renovatione; ac illis ſtupentibus & mirantibus præ gaudio de modo redemptionis, ſtatim de theſauro Divinitatis Mariæ nomen evolvitur.)

Iſtud nomen Maria conſtat è quinque litteris, juxta totidem beneficia, quæ beata Virgo attulit mundo in præſenti ſuo natali.

M, denotat, eam eſſe Mediatricem inter Deum & mortales. Pſalm. *Suſcepimus, Deus, miſericordiam tuam in medio templi tui*.

A,

A, denotat Auxiliatricem. *Bernardus*. Domina noſtra, Auxiliatrix noſtra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos repræſenta. Fac, benedicta, per gratiam, quem inveniſti, per prærogativam, quam meruiſti, per miſericordiam, quam peperiſti, ut, ſicut te mediante Filius tuus dignatus eſt particeps fieri infirmitatis, & miſeriæ noſtræ; ſic quoque te intercedente participes nos faciat gloriæ, & beatitudinis ſuæ.)

R, denotat Reſtauratricem. *Auguſtinus*. Mater generis noſtri pœnam intulit mundo, Genitrix Domini noſtri ſalutem attulit mundo. Auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria. Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit. Percuſſit illa, ſanavit iſta.)

I, denotat Illuminatricem. 2. Reg. 24. *Lux aurora oriente ſole mane abſque nubibus rutilat*. Nam in beata Virgine fulſit lux auroræ, quando in ventre matris fuit ſanctificata, & tunc omnem nubem peccati originalis Spiritus ſanctus ab ea fugavit, quæ omnibus beneficia contulit, juxta illud Iſa. 49. cap. *Dedi te in lucem gentium: ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ*.

A, denotat Advocatam. *Bernardus*. Advocatam præmiſit peregrinatio noſtra, quæ tanquam Iudicis Mater, & Mater miſericordiæ ſuppliciter, & efficaciter noſtra negotia pertractabit.) Propterea canit Eccleſia: *Eia ergo Advocata noſtra*, &c.

Iſtud nomen Maria etiam componitur ex quinque litteris: quia ipſa eſt figurata per quinque matronas veteris Teſtamenti, quarum nomina incipiunt ab aliqua litterarum huius ſacrati Nominis.

M, indicat, quòd fuerit figurata per *Michol*, quæ fuit uxor David Regis & Prophetæ. Et in tantum ipſa placuit David, quòd, cùm diu fuiſſet extra regnum Iudæorum, noluit in illud redire, niſi eſſet ſibi priùs præſentata, uti dicitur 2. *Reg.* 3. *cap.* Sic beata Virgo in tantum placuit Altiſſimo, quòd Dei Filius exiſtens extra regnum mundi, noluit illud ingredi, niſi ipſa naſceretur mundo. Michol enim interpretatur pietas, & Maria fuit pietate pleniſſima.

A, indicat, quòd fuerit figurata per *Abigail*, quæ pariter fuit uxor David. Cùm enim Nabal vir eius præcedens eſſet immorigerus, & inurbanè reſpondiſſet nunciis David, propoſuit hic eum occidere, & omnem domum eius. At ubi Abigail cognovit hoc ipſum, obviavit David, verbis humilibus eum placans, ut conſtat 1. *Reg.* 25. *cap.* Sic beata Virgo cognoſcens Deum iratum contra genus humanum, ſua humilitate eum reddidit placatum.

R, indicat eam figuratam per *Rachel*, quæ fuerat uxor Iacob, & genuerat Ioſeph, qui interpretatur augmentum, prout liquet *Gen.* 30. *cap.* Sic beata Virgo genuit Chriſtum, augmentum ſalvandorum.

I, indicat eam figuratam per *Iudith*, quæ virtute caſtitatis occidit Holofernem *cap.* 13. Sic beata Virgo merito virgineæ humilitatis interfecit Luciferum, principem dæmoniorum, conterendo eius poteſtatem.

A, indicat eam figuratam per *Abiſag*, quæ fuit electa ſuper omnes filias Ieruſalem, tanquam pulchrior, & delectabilior ad ſerviendum, & miniſtrandum Regi David, 3. *Reg.* 1. *cap.* Sic beata Virgo fuerat electa, & prælecta inter omnes mulieres ad obſequendum Regi cæleſti. Eccli. 24. cap. *In habitatione ſancta coram ipſo miniſtravi*.

Iſtud nomen Maria componitur demum ex quinque litteris, deſignantibus eius virtutes, conſimiles tum formæ, tum efficaciæ gemmarum totidem, quarum litteræ priores Nomen Mariæ conficiunt.

Margarita. Gemmæ huius dos omnis in candore, magnitudine, orbe, lævore, pondere conſiſtit, teſte *Plinio lib. 9. cap.* 35.

Dotes conſimiles de Deipara atteſtantur ſacri Doctores. Affirmat quippe *Hieronymus*: Tanta fuit Mariæ puritas, quòd portare meruit Regem Angelorum, & domus eſſe omnium Purgatoris.) *Anſelmus*. Ea puritate nitebat Maria, quâ ſub Deo maior nequit intelligi.) *Albertus Magnus de laud. B. Virginis cap.* 10. Cælum Eccleſia Sanctis, ut cælum ſtellis illuſtrata. Huius cæli oculus eſt Maria ratione puritatis ſuæ: quia ſicut oculus totum corpus, ſic Maria totam illuſtrat Eccleſiam. Vnde canitur: Cuius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias.)

Adamas, venena irrita facit, lymphationes abigit, metuſque vanos expellit. *Plin. lib.* 37. *cap* 4.

De virginea Matre ait *Bernardus ſuper Miſſus eſt hom.* 2. Cui hæc ſervata victoria eſt, niſi Mariæ? Ipſa proculdubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni ſuggeſtionem, tam de carnis illecebra, quàm de mentis ſuperbia deduxit ad nihilum.) *Idem ſuper Salve Reg.* O Evæ oculi venenati, cur

non

non offertis vos oculis Virginis, si vultis perfectam recipere medicinam? Nam suorum claritas oculorum umbras expellit, effugat catervas dæmonum, purgat vitia mentium, corda congelata succendit, demum ad cælestia trahit.)

Rubina, colorem præfert sanguineum, quē Ecclesia in SS. Martyrum festis ostentat. Martyr extitit Maria, de cuius incruento martyrio *Anselmus de excell. B. Virginis cap.* 5. Quicquid crudelitatis est inflictum corporibus Martyrum, leve fuit, aut potiùs nihil, comparatum tuæ passioni.) *Bonaventura* 1. *p. stim. divini amoris cap.* 4. O Domina mea, ubi stabas? Nunquid tantùm juxta Crucem? Imo certè in Cruce cum Filio? ibi crucifixa eras secum.) *Rup. Abbas* super illud Cant. 2. *Sicut lilium inter spinas*, &c. Maria fuit lilium inter spinas: quia quæcunque spinæ Filium, eædem Matrem afflixerunt, & laceraverunt vulneribus compassionis.)

Iaspis, cuius, ut multæ species, ita varii colores. *Plin. lib.* 37. *cap.* 9.

Virgo Deipara omnigenis virtutum coloribus partier depicta. Vnde *Fulbertus Carnot. Epist. serm. de eius nativ.* Quis est, qui cum jucunda admiratione non speculetur ipsius maturæ adolescentis fortitudinē, & prudentiā, & fidem in colloquio Angelico, ubi tam constanter eloquitur, tā prudenter interrogat, tam facilè credit? Quis enim non videat, ac videndo non miretur justitiā eius, quâ sic universa Divinæ legis præcepta satagebat implere, ut nec ad se pertinentia inexpleta relinqueret? Verbi gratiâ: post partum enim purificatione legali, quam agebat, non egebat: quia virum in concipiendo non noverat. De temperantia quoque ipsius, quæ Deo virginitatis lilium in humilitatis valle produxit. Cùm ergo virtutibus facta eius plena sunt atque dicta; manifestum est, non solùm attestatione Angelica, sed etiam rerum argumento nullum virtutis beatis. Virgini defuisse. Depromebant itaque virtutes in cogitatione & affectu cordis eius ineffabilem harmoniam, quam ipta creatrix, & inhabitatrix eius, Dei Sapientia, delectabatur audire: coruscabant foris in superficie sermonis & actus, unde meritò possent homines glorificare Deum, & exempla salutis accipere.) *Bernardus in serm. Mentem & oculos.* Tu Sanctorum areola aromatum, à cælesti consita pigmentario, virtutum omnium speciosis flotibus delectabiliter vernas; inter quos pulcherrimos flores tres miramur in te, ò Excellentissima. Hi sunt, quorum odore suavissimo totam domum Domini reples, ò Maria, viola humilitatis, lilium castitatis, rosa charitatis.)

Alectoria quondam reddens in certaminibus invictum Milonem Crotonienſem. *Plin. lib.* 37. *cap.* 10.

Divus Bonaventura in spec. Virg. cap. 12. Inimici nostri sunt dæmones, quos beata Virgo ad nihilum redegit, dum & in se, & in multis aliis vires eorum confregit, sicut *sanctus Bernardus* testatur, cùm ait: Tu bellatrix egregia, omnis ante faciem tuam militia spiritualium nequitiarum in fugam est conversa. Fugiamus ergo, fratres, & confugiamus ad auxilium Matris Domini in omnibus vexationibus, & impugnationibus diaboli. Ipsa namque est inimicis animarum nostrarum terribilis, ut castrorum acies ordinata.) Assistentiam eius maternam contra hostes quoque visibiles, speciatim Christiani nominis, crebra probant prodigia, quæ si flagites, consule Historiographos.

SEXTO. *In beata Virgine est gratia omnis vitæ virtualis.* Sciendum, quòd conversatio, & vita beatæ Virginis fuit cum parentibus suis, fuit in tēplo, fuit cum Angelis, fuit cum sponso suo, fuit cum Elisabeth, fuit cum Christo Filio suo, fuit cum cœtu Apostolico, fuit cum Ioanne custode suo.

1. Fuit cum parentibus suis, scilicet Ioachim, & Anna, qui eam in timore Domini nutrierunt toto ablactationis tempore, scilicet triennii, quo nil mundanum, nil terrenum concupivit, sed Spiritus sanctus magnam abstinētiam ipsam docuit à cibo, potu, somno. Eccli. 3. *Cor sapiens, & intelligibile abstinebit se à peccatis, & in operibus iustitiæ successus habebit.*

2. Fuit in templo. Quia quarto anno ætatis suæ cum oblationibus ad templum à parentibus suis fuit adducta; quæ quindecim Psalmos graduales dixit, juxta totidē gradus ascensionis templi, quos beata Virgo sine humano, nō tamen sine Divino auxilio conscendit, quam parentes eius perfecta oblatione cum ceteris virginibus in templo dimiserunt.

3. Fuit cum Angelis. Quia Virgo quotidiè in omni sanctitate proficiens ab Angelis visitabatur, & visione Divina omni die fovebatur: à mane enim usque ad tertiam orationibus instabat, à tertia usque ad nonam laborabat, à nona ab oratione non cessabat, quousque Angelus apparens sibi escam ministrabat.

4. Fuit cum ſponſo ſuo Ioſeph, cui nupſit decimoquarto ætatis ſuæ anno, ut habes in *legendis, ibi*: Quartodecimo autem ætatis ſuæ anno Pontifex, &c. uſque: De ea naſciturum Dei Filium nunciavit.

5. Fuit cum Eliſabeth cognata ſua quaſi tribus menſibus, *Luc. 1. cap.*

6. Fuit cum Chriſto Filio ſuo pergens in Ægyptum, & inde rediens uſque ad nuptias, in quibus aquam convertit in vinum, *Matth. 2. & Ioann. 2. cap.*

7. Fuit cum cœtu Apoſtolico ab Aſcenſione Chriſti uſque ad egreſſum eorum de Ieruſalem, *Act. 1. cap.*

8. Fuit cum Ioanne cuſtode ſuo ante aſſumptionem eius in cælum. Ideo *Auguſtinus* dicit: Toto affectu ad auxilium beatæ Virginis conferamur, omnes ſua patrocinia imploremus, ut, dum nos eam ſupplicî obſequio frequentamus in terris, ipſa nos per ſecula commendare dignetur in cælis. Amen.

SERMO XLVIII.

IN FESTO

S. MATTHAEI APOSTOLI, ET EVANGELISTAE.

Vidit Ieſus Matthæum. Matth. 9. cap.

BEda *in homil. ſuper Matth.* dicit: Non eſt mirãdum, quòd Publicanus ad primam Domini jubentis vocem terrena, quæ curabat, lucra reliquerit, opibuſq; neglectis illius comitatui, quem nihil divitiarum habere cernebat, adhæſerit. Ipſe enim Dominus foris eum verbo vocavit, intus inſtinctu inviſibili, ut ſequeretur, edocuit, infundens illius menti gratiæ lumen ſpiritualis, quâ intelligeret, quòd is, qui à temporalibus avocabat in terris, incorruptibiles dare valeret theſauros in cælis.) Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtrum beatus Matthæus de telonio vocatus, fuerit ſtatim aſſumptus ad ſtatum perfectionis, & Apoſtolatus?

AD iſtam quæſtionem reſpondent quatuor Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt beatus *Hieronymus ſuper Matth.* dicens: Matthæus de publicano repente fit Apoſtolus.

Secundus eſt *Beda ſuper Luc.* dicens: Matthæus de publicano in Apoſtolum, de teloniario in Evangeliſtam eſt repente mutatus.

Loco tertii eſt quædam *Gloſſa ſuper Luc.* dicens: Tanta cupiditate ſequendi Dominum ductus eſt, ut in nullo prorſus hujuſmodi vitæ reſpectum vel cogitationem ſibimet reſervaverit. Siquidem ipſe Dominus, qui hunc exterius humana collocutione, ut ſe ſequeretur, vocavit, intus Divina inſpiratione, ut mox vocantem ſequeretur, accendit. Ipſe inviſibiliter, quomodò obſequendum eſſet, edocuit; propter quod ille merito obedientiæ, dum humana contemnens negotia deſerit, dominicorum fidelis diſpenſator factus eſt.)

Quartus eſt *ſanctus Thomas quodlib. 5. art. 21.* dicens: Quæſtio iſta ex verbis Evangelii determinari poteſt. Si enim loquamur de Apoſtolatu, manifeſtum eſt, ex verbis Evangelii ſecundùm narrationem Matthæi, Marci, & Lucæ, quòd Dominus poſt vocationem Matthæi, aliquanto ſpatio temporis interjecto, ex ſuis Diſcipulis duodecim Apoſtolos vocavit, & elegit, inter quos unus fuit Matthæus. Et ſic patet, quòd ſtatim à principio fuit vocatus ad Diſcipulatũ Chriſti, non autem ad Apoſtolatum Chriſti, niſi ſecundùm præordinationem Chriſti, qui eum in Apoſtolum ſumendum diſponebat: & ſecundùm hoc intelligenda ſunt verba Hieronymi, Bedæ, & Gloſſæ ſupradicta. Si autem loquamur de perfectione Evangelica, ſic manifeſtum eſt, quòd ſtatim à principio vocatus eſt ad ſtatum perfectionis. Dicitur enim *Luc. 5.* quòd ſurgens relictis omnibus ſtatim ſecutus eſt eum, quod etiam ad Diſcipulatum

tum Chriſti pertinebat, ſecundùm illud, quod dicitur Lucæ 14. *Niſi quis renunciaverit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Summum enim in vita humana poteſt accipi dupliciter. Vno modo ſecundùm comparationem ſtatus ad ſtatum, ſecundùm quod in humana vita unus ſtatus eſt maior alio, & aliquis eſt ſummus, & ſic nihil prohibet fieri aliquem repente ſummum, id eſt, attingere ad ſtatum ſummum. Et hoc appareat tam in ſpirituali vita, quàm in ſeculari. Inveniuntur enim aliqui ſtatim à pueritia ad ſtatum religionis, qui eſt perfectiſſimus, convolaſſe: vel proprio arbitrio, ſicut beatus Ioannes Baptiſta, & beatus Benedictus: vel etiam devotione parentum, ſicut illi, qui monaſteriis traduntur à parentibus. Sic non oportet, ut aliquis in ſeculari vita exerceatur, antequam ad religionem tranſeat: ſicut etiam non oportet, quòd aliquis exerceatur in laicali vita, antequam clericus fiat. Similiter etiam aliqui repente aſſumuntur ad regnum, vel ab ipſa pueritia, ſicut Salomon, & Ioſias Reges Iuda, vel etiam in ultimo ſtatu, ſicut Saul. Et *Eccleſiaſtes* 4. dicitur, quòd de carcere cateniſque quis interdum ad regnum progreditur. Alio modo poteſt accipi ſummum ſecundùm comparationem graduum, qui ſunt perfectio unius hominis; & ſic intelligit Gregorius, quòd nemo repente fit ſũmus. Dicit enim *Auguſtinus ſuper Canonicam Ioannis*, quòd charitas, non mox ut naſcitur, perfecta eſt. Nam, ut perficiatur, naſcitur: cùm fuerit nata, nutritur: cùm fuerit nutrita, roboratur: cùm fuerit roborata, perficitur. *Hæc ſanctus Thomas*.

Sic ergo beatus Matthæus ſubitò de ſtatu peccati converſus eſt ad ſtatum virtutis, & perfectionis Evangelicæ: quia Ieſus vidit Matthæum, ſcilicet interna inſpiratione. Vnde *Beda in homil. hodierna*: Ex lectione Evangelica audivimus, quia ſedentem in telonio Matthæum, ac temporalis curis intentum, repente Dominus miſeratus vocavit, & de publicano juſtum, de teloniario Diſcipulum fecit. Quem etiam proficientibus ejuſdem gratiæ incrementis de communi Diſcipulorum numero ad Apoſtolatus gradum promovit.) Hæc autem omnia convenerunt beato Matthæo: quia

Vidit Ieſus Matthæum

Obedientem. Suſcitantem.
Diſtribuentem. Erudientem.
Evangelizantem. Subvenientem.
Convincentem.

PRIMO. *Vidit Ieſus Matthæum obedientem*. Vnde *Beda in homil. hodierna* dicit: Vidit, inquit, Ieſus hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine. Vidit autem non tam corporeo intuitu, quàm internæ miſerationis aſpectu, quo & Petrum negantem, ut reatum ſuum agnoſcere, ac deflere poſſet, aſpicere dignatus eſt, quo populum ſuum Ægyptiaca ſervitute depreſſum, ut eriperet, reſpexit, dicens ad Moyſen: Videns vidi afflictionem populi mei, qui eſt in Ægypto, & gemitum eius audivi, & deſcendi liberare eos. Vidit ergo hominem, & miſertus eſt eius, qui humanis tantùm ſtudiis deditus, necdum Evangelico nomine dignus extiterat. Vidit ſedentem in telonio, pertinaci videlicet animo lucris temporalibus inhiantem; & relictis omnibus ſurgens ſecutus eſt eum. Intelligens ergo Matthæus, quid ſit veraciter Dominum ſequi, relictis omnibus ſequitur: ſequi enim imitari eſt. Ideoque, ut pauperem Chriſtum non tam greſſu, quàm affectu conſectari potuiſſet, reliquit propria, qui rapere ſolebat aliena, perfectamque nobis abrenunciantis formam tribuens, non ſolùm lucra reliquit vectigalium, verùm etiam rationes imperfectas, atq; incompoſitas dereliquit. *Hæc ille*. In hoc notatur in Matthæo obediẽtiæ velocitas.

Pro hac velocitate obedientiæ quidam occaſionem erroris ſibi aſſumpſerunt, ſicut recitat *Hieronymus in commentario capite 9. Matthæi* dicens: Arguit in hoc loco Porphyrius, & Iulianus Auguſtus imperitiã Hiſtorici mentientis, vel ſtultitiam eorum, qui ſtatim ſecuti ſunt Salvatorem, quaſi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem ſint ſecuti: cùm tantæ virtutes, tantaque ſigna præceſſerint, quæ Apoſtolos, antequam crederent, vidiſſe non dubium eſt. Certè fulgur ipſe, & majeſtas Divinitatis occultæ, quæ etiam in humana relucebat facie, ex primo ad ſe vidẽtes trahere poterat aſpectu. Si enim in magnete lapide hæc eſſe vis dicitur, ut annulos, ſtipulam, & feſtucas ſibi copulet; quantò magis Dominus omnium creaturarum ad ſe trahere poterat, quos volebat. *Hæc ille*. Vbi

aſſignat ſex cauſas, quare beatus Matthæus tam velociter ſecutus eſt Chriſtum; non ex animi levitate, ſed ex Diviuæ virtutis bonitate. 1. Quia fuit verbi Dei virtuoſa operatione converſus. 2. Quia fuit interna inſpiratione afflatus. 3. Miraculorum operatione permotus. 4. Splendore faciei illuſtratus. 5. Glorioſa majeſtate electus. 6. Potenti virtute attractus. Quidam enim convertuntur ad Chriſtum ad unam Dei vocem, ſcilicet ad interiorem inſpirationem. Quidam verò non convertuntur, niſi habeant duas, ſcilicet interiorem inſpirationem, & exteriorem exhortationem. Quidam autem non convertuntur, niſi cum illis duabus habeant tertiam, ſcilicet divitiarum largitionem. Quidam tandem non convertuntur, niſi cum illis tribus habeant quartam, ſcilicet diram flagellationem, & tunc flagellati ad Deum currunt. Pſal. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum: poſtea acceleraverunt.*

Beatus Matthæus ſubitò ſecutus eſt Chriſtum greſſu corporis, affectu mentis, effectu operis. Vnde *Gloſſa*. Sequebatur Matthæus Chriſtum lætus, & alacer, exultans, & dicēs: Iam non publicanum gero, jam non porto Levi. Exui Levi, poſtquam Chriſtum indui.

SECVNDO. *Vidit Ieſus Matthæum diſtribuentem.* Vnde *Beda in homilia hodierna* dicit: Factum eſt autem diſcumbente illo in domo, multi publicani, & peccatores venientes diſcumbebant cum Ieſu. Vnius publicani converſio multis exemplum pœnitentiæ tribuit. Non enim dubitandum eſt, quia publicani, & peccatores eſſe deſierant, qui cum Ieſu diſcumbebant: non enim, ſi in peccatis perſeverare decernerent, ei, qui ſine peccato eſt, conveſci auderent. Matthæus ipſe convivium illi magnum paravit. Congruam quippe beneficiis cæleſtibus vicem rependit, ut, à quo perennia bona ſperabat, illi ſua temporalia commodaret, eumque corporalibus reficeret epulis, quo ipſe donante guſtum ſpiritualis acceperat ſuavitatis. Nec hoc tantùm in domo ſua terreſtri corporaliter exhibuit, ſed multò gratiùs illi convivium in domo pectoris ſui per fidem, ac dilectionem paravit. *Hæc ille.* Ecce quàm magna liberalitas beati Matthæi circa Chriſtum: quia ſtatim fecit ei cōvivium magnum in domo ſua. Fuit enim magnum quadrupliciter.

Primò. Ratione voti: quia cum magno affectu, & deſiderio ipſum recepit.

Secundò. Ratione myſterii: quia illud fuit indicativum magni myſterii, quod exponit *Gloſſa ſuper Luc.* dicens: Qui domicilio Chriſtum interno recipit, maximis delectationibus exuberantium paſcitur voluptatum. Itaque Dominus libenter ingreditur, & in eius, qui crediderit, recumbit affectu.)

Tertiò. Ratione documentorum: quia ibi magna documenta exhibuit Chriſtus, qui dicit, ſe veniſſe ad medendum, & ſanandum, cùm ait: *Non egent, qui ſani ſunt, medico, ſed qui malè ſe habent.* Item ad miſerendum, cùm ait: *Miſericordiam volo, & non ſacrificium.* Etiam ad vocandum, cùm ait: *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam*; Vnde *Beda in homilia hodierna*. Hoc eſt bonorum operum ſpiritale convivium, quo dives populus eget, pauper epulatur. Et turba publicanorum, & aliorum, qui cum ipſis erant recumbentes, videbant publicanum à peccatis ad meliora converſum locum inveniſſe pœnitentiæ, & ob hoc etiam ipſi non deſperant ſalutem.)

Quartò. Ratione invitatorum: quia magni diſcumbentes invitati ſunt, ſcilicet Chriſtus, Diſcipuli eius, & Phariſæi. Vnde *Beda ubi ſuprà*. Murmurabant Scribæ, & Phariſæi, dicentes ad Diſcipulos eius: Quare cum publicanis, & peccatoribus manducatis, & bibitis? Convivantibus cum Domino publicanis, Phariſæi murmurantes de jejunio gloriantur, ubi, quanta ſit legis, & gratiæ diſtantia, declaratur: quia, qui legem ſequuntur, jejunæ mentis famen patientur æternam. Qui verò verbum in interioribus animæ receperunt, alimenti cæleſtis, & fontis ubertate recreati eſurire, & ſitire non poſſunt.) Quando enim Phariſæi murmurabant, quòd ad hominem peccatorem divertiſſet, Matthæus uſus eſt magnâ patientiâ. Fuit enim patiens: quia Phariſæi dicebant ipſum eſſe peccatorem, qui erat juſtificatus: publicanum, qui erat mundatus: præſentiâ Chriſti indignum, qui jam dignus erat effectus. Sed ad iſta in nullo fuit commotus; non in animo ex ulla turbatione, non in ſigno ex ulla tumultuoſitatis oſtenſione, non in ore ex ullo impatienti ſermone, non ex facto ex ullo injurioſo opere, &c.

TERTIO. *Vidit Ieſus Matthæum Evangelizantem.* Vnde *Beda in homil. hodierna*. Nec ſolùm prædicandi, verùm etiam ſcribendi Evangelium miniſterium commiſit illi Dominus, ut, qui terreſtrium curam omiſerat, cæleſtium eſſe talentorum diſpenſator inci-

pe-

peret: quod ob id utique providentia ſuperna fieri diſpoſuit, ut nullum enormitas peccatorum, nullum numeroſitas ſcelerum à ſperanda venia revocaret, cùm hunc tantis mundi nexibus abſolutum, tam cæleſtem factum conſpiceret, ut communicato cum Angelicis ſpiritibus vocabulo Evangeliſta nominaretur, & eſſet.)

Evangelium beati Matthæi eſt valde commendabile propter quatuor.

Primò. Ratione præfigurationis. Nam inter quatuor Evangeliſtas Matthæus fuit præfiguratus in forma hominis, ut patet *Ezech. 1. cap. & Apoc. 4. cap.* In principio enim Evangelii ſui oſtendit Chriſti Incarnationem, in medio prædicationem, in fine Paſſionem. Vnde *Beda in homil. ſuper Matthæum* dicit: Huic enim ſpeciali privilegio donatum eſt, ut Incarnationis dominicæ myſteria, quæ cuncti à ſeculo Prophetæ præcinebant, ipſe primus omnium jam facta deſcripſerit, & credentibus legenda tranſmiſerit.

Secundò. Ratione inſtructionis. Fuit enim per Chriſtum immediatè inſtructus. Ioann. 15. cap. *Omnia, quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Qui etiam omnia miracula Chriſti vidit.

Tertiò. Ratione revelationis. Fuit enim à Virgine in ſpecialem familiarem aſſumptus, quæ ſuam genealogiam ſibi revelavit, & cubiculum ſuum immaculatum. Ideo tanquam fidelis Notarius ait: *Liber generationis Ieſu Chriſti*, &c. Et iterum: *Cùm eſſet deſponſata*, &c. 1. cap.

Quartò. Ratione operationis. Nam beatus Barnabas iſtud Evangelium in magna reverentia habuit: quia id ſecum portavit, ut à dæmonibus protegeretur: ſuper infirmos poſuit, ut ſanarentur: ſecum in ſepulcro poni juſſit, ut ſecuriùs moreretur. Vnde *Ioannes conſobrinus Barnabæ* ait: Sanctus Barnabas, dum ad prædicationis officium diverſas urbes peragraret, hoc Evangelium ſecum portabat, & ubique ſuper infirmos ponebat, qui continuò ſanabantur, à quocunque languore detinebantur.)

Hoc Evangelium abbreviavit beatus Marcus Evangeliſta: quia Matthæus deſcripſit Incarnationem Domini ſecundùm ſtirpem Regiam; Regis autem eſt, non eſſe ſine comitum obſequio. Etiam Eccleſia valde frequenter recitat Evangelium beati Matthæi. Vnde *Beda in homilia hodierna* dicit: Pulchro verò præſagio Matthæus, qui Doctor Gentium erat futurus, in prima ſua converſatione peccantium poſt ſe gregem ad ſalutem trahit, & evangelizandi officium, quod proficiente merito virtutum erat expleturus, à primis jam fidei ſuæ rudimentis incipit. Non enim ſolùm, qui verbo fratrem ſuum erudit, ſed etiam qui exemplo ad meliora convertit, Doctoris miniſterium gerit.)

Licèt autem Paulus Eccleſiam Dei ſupra modum expugnaverit, David adulterium, & homicidium perpetraverit, Matthæus lucris turpibus inhiaverit; tamen iſtorum pœnitentia valde Deo placuit, ut non ſolùm Dominus eorum culpis ignoſceret, ſed in eis etiam dona ſua multipliciùs cumularet. Nam ſæviſſimum perſecutorem fecit fideliſſimum prædicatorem, adulterum atque homicidam fecit Propheram, lucris inhiantem & cupidum fecit Evangeliſtam, & Apoſtolum. Ideo ergo horum trium dicta nobis frequentiùs recitantur, ut nullus, qui converti voluerit, deſperet de venia, quando tantos in culpa tales conſpicit fuiſſe in gratia, &c.

QVARTO. *Vidit Ieſus Matthæum convincentem.* Vnde *Chryſoſtomus in prologo ſuper Matth. incerto auth.* dicit: Matthæus ſanctorum quidem, præcipuè tamen peccatorum Evangeliſta fuit, qui non ſolùm ſermone, ſed etiam ipſa vitæ ſuæ correctione peccatoribus Evangelium prædicavit. Nunquam enim teloniarius conſtitutus, qui pecunias colligere perituras conſueverat, Evangeliſta fieret, ut ſermones in æternum manſuros conſcriberet, niſi exemplo ſuo peccatores ad pœnitentiæ miſericordiam invitaret: qui aliquando fuit cautus terrenarum logotheta rationum, nunc eſt diligentiſſimus diſpenſator ſpiritualium præceptorum. Tunc quidem multos pauperes fecit fraudando pecuniam, nunc autem innumerabiles divites facit prædicando juſtitiam.) Prædicavit enim Evangelium juxta mandatum Chriſti quadrupliciter.

Primò. Sapienter omnia figmenta dæmonum detegendo. Nam magi volebant tanquam dii adorari, & ideo duos dracones ignem ſpirantes miſerunt; ſed beatus Matthæus ſigno Crucis dæmones fugavit. Sacerdotes idolorum ſibi voluerunt ſacrificare, ſed ipſe docuit ſoli Deo eſſe ſacrificandum; & omnia, quæ attulerant, reſpuit, & inde Eccleſias ædificari præcepit, &c.

Secundò. Prudenter, & diſcretè. Quia cùm

cùm ei optio daretur, ut aût Iphigeniam virginem Regi uxorem daret, aut mortem ſubiret, prædicavit prudenter, ne virgo alteri quàm Deo in ſponſam copularetur, magis eligens mori, quàm virginem violari.

Tertiò. Fideliter. Quia honorem Domini ſui ſibi noluit uſurpare, nec ſacrificium, quod ſibi impendere volebant, acceptare: quia licèt quis multos convertat, non tamen hoc ſibi aſcribat, ſed Divinæ virtuti. Matth. 10. c. *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.*

Quartò. Conſtanter. Quia nec promiſſis potuit emolliri, cùm Rex dimidium regni ſui ſibi dare promitteret, nec minis deterreri, nec ſuppliciis ſuperari, ſed Miſſam devotè perficiens, mortem accepit pro Nomine Domini ſui Ieſu Chriſti, &c.

QVINTO. *Vidit Ieſus Matthæum ſuſcitantẽ.* Filius enim Regis mortuus plangebatur ab omnibus; in qua ſuſcitatione fuerunt quatuor.

1. Magorum impotentia, qui eum ſuſcitare nequiverunt, ſed ſuaſerunt Regi, quòd in deorum conſortio raptus eſſet, & ideo ſimulacrum, & templum ſibi ædificaret.

2. Orationis efficientia. Nam eunuchus Reginæ Cãdacis advocavit Apoſtolũ, qui fusâ oratione ad Dominũ, illũ protinus ſuſcitavit.

3. Converſionis inſtantia. Nam quicquid ei allatum fuit in auro, & argento, in Eccleſiam fabricandã expendi voluit, quæ intra 30. dierũ ſpatium cõſummata fuit; in qua Apoſtolus 33. annis ſedit, & totam Ægyptum ad fidem cõvertit. Vnde *Beda in hom. hodier.* dicit: Qualis nanq; Matthæus factus ſit, docet ipſa gens Æthiopũ, quã de ultimis terræ finibus ad Eccleſiæ sãctæ ſocietatẽ prædicãdo convertit, ablutamq; fonte baptiſmatis de fuſca formosã reddidit: quia nigredine vitiorum illam exuit, & ornatu virtutum illam decoravit.)

4. Miraculorum refulgentiâ. Nam multos mortuos ſuſcitavit, cæcos illuminavit, leproſos mundavit, Regem cum uxore, & omni populo baptizavit.

SEXTO. *Vidit Ieſus Matthæum erudientem.* Vnde *Beda in hom. hodier.* Matthæus interpretatur additus, ſive aſſumptus, ſignificans quia aſſumptus eſt per dilectionem à Domino, & additus ad numerum gradus Apoſtolici.) In ſua eruditioue oſtendit ſe habere quadruplicem dignitatem.

1. Angeli, in eo, quòd multa prædicavit de gloria paradiſi terreſtris, à quo homo dejectus fuerat, & per Chriſtum ad paradiſum cæleſtẽ fuerat revocatus; quaſi ipſe eſſet Angelus Cherubim, in illo collocatus.

2. Apoſtoli: quia inter duodecim Apoſtolos connumeratus eſt, ut patet *Luc. 9. & Mar. 3. c.*

3. Evangeliſtæ, qui fuit præfiguratus inter quatuor animalia oculis undique plena, Deũ aſſiduè laudantia, *Apoc. 4. cap.*

4. Martyris, pro fide Chriſti moriendo, & pro veritate ſanguinẽ ſuũ fundendo, ita quòd iſtæ quatuor proprietates in nullo ſimul inveniantur. Cherubim enim fuit Angelus, ſed nõ Apoſtolus, nec Evãgeliſta, nec Martyr. Petrus fuit Apoſtolus, & Martyr, ſed nõ Evangeliſta. Ioannes fuit Apoſtolus & Evangeliſta, ſed nõ Martyr. Stephanus fuit Martyr, ſed non Apoſtolus, nec Evangeliſta. Matthæus autem fuit Angelus, Apoſtolus, Evangeliſta, & Martyr, ut patet *in legenda* eius.

SEPTIMO. *Vidit Ieſus Matthæum ſubvenientem.* Vnde quatuor modis ſubvenit.

1. Benedicendo. Nam intrepidus, & conſtans ad patientiã omnes, & conſtantiam confortavit, & Iphigeniam coram ſe ex timore proſtratam cum ceteris virginibus plus quàm ducentis benedixit.

2. Defendendo. Cùm enim Rex miſiſſet ſpiculatorem, qui Matthæum juxta altare ſtantem, & orantem occideret, populus cucurrit ad domum Regis ipſam incenſurus cum omni familia eius; ſed Apoſtolus apparuit presbyteris, & clericis catholicis, ſuadens ut populum retraherent, quod & fecerunt, Apoſtoli martyrium cum gaudio celebrantes.

3. Præſervando. Cùm enim Rex animũ Iphigeniæ inflectere nequiret, totam eius domum igne copioſo vallavit, ut eam cum ceteris virginibus concremaret; Apoſtolus autem eiſdem apparens, omnem ignem ab eius domo excuſſit.

4. Informando. Nam ignis in domum Regis irrumpens, ſolo Rege cum unico filio evadente, cuncta conſumpſit, ſtatimque filius ejus arreptus à dæmonio, crimina patris confitens, ad ſepulcrum Apoſtoli properavit, pater verò turpiſſimus leproſus effectus, & inſanabilis manu propria ſe gladio interemit. Apparuit autem Apoſtolus populo, admonens, ut fratrem Iphigeniæ ab ipſo Apoſtolo baptizatum Regem ſibi conſtitueret; qui per annos ſeptuaginta regnavit, & filium ſuum ſibi ſubſtituens Chriſtianum cultum magnificè ampliavit, & totam Æthiopiæ provinciam Eccleſiis Chriſti replevit, meritis, & interceſſione beati Apoſtoli. Amen.

SER-

SERMO XLIX.

IN FESTO SANCTORVM ANGELORVM.

Vobis Angeli vident. Matthæi 18. cap.

BEatus Bernardus *ſuper Cantica ſermone* 5. dicit: Angelus curat, ſatagitque libertate ſpiritus adminiſtrare officium pietatis, futurorum bonorum promptum mortalibus, alacremque ſeſe miniſtrum exhibens, utpote ſuis in æternum futuris civibus, & cohæredibus ſupernæ jucunditatis.) Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtrum cuilibet homini unus Angelus deputetur ad virtutem, quo ſecurius aſſequatur æternam ſalutem?

AD iſtam quæſtionem reſpondent tres Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt *beatus Hieronymus exponens illud Matth. Angeli eorum ſemper vident faciem Patris*, qui dicit ſic: Magna eſt dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu ſuæ nativitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum.

Alter eſt *beatus Auguſtinus lib. Soliloquiorum cap.* 27. dicens: Diligunt nempe Angeli concives ſuos, per quos ſuæ ruinæ ſciſſuras inſtaurari expectant. Ideoque magnâ curâ, & vigilanti ſtudio adſunt nobis omnibus horis, & locis, ſuccurrentes, & providentes neceſſitatibus noſtris, & ſolicitè diſcurrentes inter nos, & te Domine, gemitus noſtros, & ſuſpiria noſtra referentes ad te, ut impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, & referant ad nos deſideratam tuæ gratiæ benedictionem. Ambulant nobiſcum in omnibus viis noſtris, intrant, & exeunt nobiſcum, attentè conſiderantes, quàm piè, quàm honeſtè in medio pravæ nationis converſemur, quanto ſtudio, quantoque deſiderio quæramus regnum tuum, & juſtitiam eius, quanto timore, & tremore ſerviamus tibi, & exultemus in lætitia cordis noſtri. Adjuvant laborantes, protegunt quieſcentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus (de te, inquam, gaudentibus) compatiuntur pro te patientibus. Grandis eſt eorum cura de nobis, & magnus fervor dilectionis eorum erga nos, & hoc totum propter honorem tuæ inæſtimabilis charitatis, quâ dilexiſti nos. Diligunt enim quos tu diligis, cuſtodiunt quos cuſtodis, odiunt quos oderis. *Hæc ille*.

Tertius eſt *Sanctus Thomas parte prima q.* 113. *art.* 4. dicens: Homo in ſtatu vitæ iſtius cõſtitutus eſt quaſi in quadã via, quâ tendere debet ad patriam. In qua quidem via pericula multa homini imminent, tam ab exteriori, quàm ab interiori, ſecundùm illud Pſalm. *In via hac, quà ambulabam, abſconderunt laqueum mihi*. Et ideo ſicut hominibus per viam non tutam ambulantibus dantur cuſtodes; ita & cuilibet homini, quandiu viator eſt, cuſtos Angelus deputatur. Quando autem jam ad terminum viæ pervenerit, jam non habebit cuſtodem, ſed in regno habebit Angelum conregnantem, in inferno dæmonem punientem. *Hæc ille*.

Sciendum, quòd in rebus agendis cognitio & affectus hominis multipliciter variari, & deficere poſſunt à bono; & ideo neceſſarium fuit, quòd hominibus Angeli ad cuſtodiam deputarentur, per quos regularentur, & moverentur ad bonum. Vnde pono octo concluſiones.

Prima concluſio. Licèt homo poſſit ſeipſum cuſtodire per liberum arbitrium, & per naturalem cognitionem legis naturalis, tamen adhuc eſt ſibi neceſſaria cuſtodia Angelorum. Patet. Quia per liberum arbitrium poteſt aliqualiter homo malum vitare, ſed non ſufficienter: quia infirmatur circa affectum boni propter multiplices animæ paſſiones. Similiter etiam cognitio univerſalis legis naturalis, quæ homini naturaliter adeſt, aliqualiter dirigit hominem ad bonum, ſed non ſufficienter: quia in applicando univerſalia prin-

principia juris ad particularia opera, contingit hominem multipliciter deficere. Unde dicitur Sap. 9. cap. *Cogitationes mortalium timida, & incerta providentia nostra.* Et ideo necessaria fuit homini custodia Angelorum, secundùm quod dicitur in Psalm. *Angelis suis Deus mandavit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis*, &c.

Secunda conclusio. Licèt multi homines pereant in peccato cadentes, non tamen privantur custodiâ Angelorum. Patet. Quia, sicut homines à naturali instinctu boni discedunt propter passionem peccati; ita etiam discedunt ab instigatione bonorum Angelorum, quæ fit invisibiliter per hoc, quòd homines illuminant ad bene agendum. Unde, quòd homines pereunt, non est imputandum negligentiæ Angelorum, sed malitiæ hominum.

Tertia conclusio. Licèt Adam in statu innocentiæ nullis angustiaretur periculis, tamen habebat Angelum sibi ad custodiam deputatum. Patet. Quoniam homo in statu innocentiæ nō patiebatur aliquod periculum ab interiori: quia interius erant omnia ordinata; sed imminebat ei periculum ab exteriori propter insidias dæmonum, ut rei probavit eventus; & ideo indigebat custodiâ Angelorum.

Quarta conclusio. Pueris in materno utero existentibus, & extra uterum, Angelus ad custodiam deputatur. Patet. Quia puer, quandiu est in materno utero, non totaliter est à matre separatus, sed per quandam colligationem quodammodò est adhuc aliquid eius, sicut fructus pendens in arbore est aliquid arboris; ideo Angelus, qui est custodia matris, custodit prolem in utero matris existentem. Sed in nativitate, quando separatus est à matre, Angelus ei ad custodiam deputatur.

Quinta conclusio. Licèt pueri non illuminentur per modum doctrinæ, tamen mox nati custodiuntur ab Angelis. Patet. Quia officium custodiæ ordinatur quidem ad illuminationem doctrinæ sicut ad ultimum, & principalem effectum; nihilominus tamen habet multos alios effectus, qui pueris competunt, scilicet arcere dæmones, & alia nocumenta, tam corporalia, quàm spiritualia prohibere.

Sexta conclusio. Homines præsciti, & etiam infideles, & Antichristus habent Angelos sibi ad custodiam deputatos. Patet. Quia homines præsciti, & infideles, & Antichristus, sicut non privantur interiori auxilio naturalis rationis, ita etiam non privantur exteriori auxilio toti naturæ humanæ divinitùs concesso, scilicet custodiâ Angelorum, per quam, etsi non juventur quantùm ad hoc, quòd bonis operibus vitam æternam inhereantur, juvantur tamen quantùm ad hoc, quòd ab aliquibus malis retrahuntur, quibus sibi ipsis, & aliis nocere possunt: nam & ipsi dæmones arcentur per bonos Angelos, ne noceant quantum volunt.

Septima conclusio. Christus non indiguit custodiâ Angelorum. Patet. Quia Christus, secundùm quod homo, immediatè regulabatur à Verbo Dei; unde non indigebat custodiâ Angelorum. Iterum secundùm animam erat comprehensor, sed ratione passibilitatis corporis erat viator, & secundùm hoc non debebatur ei Angelus custos tanquam superior, sed Angelus minister tanquam inferior. Unde dicitur Matth. 4. cap. *Accesserunt Angeli, & ministrabant ei.*

Octava conclusio. Angelus custos nunquam totaliter dimittit hominē custoditum. Patet. Quia custodia Angelorū est quædā executio Divinæ providentiæ circa homines facta; sed nec homo, nec res aliqua totaliter Divinæ providentiæ subtrahitur: in quantum enim aliquid participat de esse, in tantum subditur universali providentiæ entium; sed tamen Deus secundùm ordinem suæ providentiæ dicitur hominem derelinquere, in quantum permittit hominem pati aliquem defectum culpæ, vel pœnæ. Sic Angelus custos nunquam totaliter dimittit hominem, sed ad aliquid interdum eum dimittit, prout scilicet non impedit, quin subdatur alicui tribulationi, vel etiam quin cadat in peccatum secundùm ordinem Divinorum judiciorum: Et secundùm hoc dicitur Iere. 51. cap. ex persona Angelorum: *Curavimus Babylonem; & non est sanata: derelinquamus eam.* Et Isa. 5. cap. *Auferam sepem eius, & erit in conculcationem. Glossa*: Id est, Angelorum custodiam. Unde Angeli eorum custodes non impedierunt, quin tribulationibus subderentur; & sic cuilibet homini deputatur unus Angelus ad custodiam. Ideo dicit verbum propositum: *Vobis Angeli uident*. Id est, ad vestram utilitatem Angeli vos custodiunt secundùm ordinem Divinæ providentiæ, quam non cessat impleri in hominibus.

Vo-

Vobis Angeli vident

Ad militandum. Ad conſolandum. Ad conſociandum. Ad præſentandum. Ad cuſtodiendum. Ad deportandum. Ad miniſtrandum.

PRIMO. *Vobis hominibus Angeli vident*, id eſt, vigilant, *ad militandum*. Iob 38. cap. *Nunquid noſti ordinem cæli, & pones rationem eius in terra?* Vbi dicit, quòd ratione naturali ſecreta Angelorum ſcire non poſſumus, ſed per revelationem Divinam, ut Paulus: aut per eruditionem humanam, ut Dionyſius, qui à Paulo uſque in tertium cælum rapto eruditus eſt.

Dionyſius autem *6. cap. cæleſt. Hierarch.* diſtinguit tres Hierarchias Angelorum. In prima ponit tres ordines: ſcilicet Seraphim primos, Cherubim medios, Thronos ultimos. In media verò ponit Dominationes quidem ut primos, Virtutes ut medios, Poteſtates ut ultimos. In ultima verò Principatus ut primos, Archangelos ut medios, Angelos ut ultimos. Cuius aſſignationis ratio eſt: quia Hierarchia eſt ſacer Principatus. In nomine autem Principatus duo intelliguntur: ſcilicet ipſe Princeps; & hic eſt unus, puta Deus, non ſolùm Angelorum, ſed etiam omnium hominum, & totius rationalis creaturæ, quæ Sacramentorum particeps eſſe poteſt. Et multitudo ordinata ſub Principe; & ſic una Hierarchia dicitur, ſecundùm quod multitudo uno & eodē modo poteſt gubernationem Principis recipere. Quæ verò non poſſunt ſecundùm eundem modum gubernari à Principe, ad diverſas Hierarchias pertinent; ſicut ſub uno Rege ſunt diverſæ civitates, quæ diverſis regnantur legibus, & miniſtris. Angeli autem Divinas illuminationes percipiunt in intelligibili puritate; ideo in eis diſtinguitur triplex Hierarchia: quia ſuperiores Angeli habent univerſaliorem cognitionem veritatis, quàm inferiores.

Hæc autem univerſalis acceptio cognitionis ſecundùm multiplicem gradum in Angelis diſtinguitur: nam rationes rerum, de quibus Angeli illuminantur, poſſunt conſiderari tripliciter. Primò. Secundùm quod procedunt ab univerſali principio, quod eſt Deus; & iſte modus cōvenit primæ Hierarchiæ, quæ immediatè ad Deum extēditur, & in veſtibulis Dei collocatur, ut dicit *Dionyſ. 7. c. cæleſt. Hierar.* Secundò. Prout hujuſmodi rationes dependent ab univerſalibus cauſis creatis, quæ jam aliquo modo multiplicantur, & hic modus convenit ſecundæ Hierarchiæ. Tertio autem modo, ſecundùm quod hujuſmodi rationes applicantur ſingulis rebus, prout dependent à propriis cauſis, & hic modus convenit tertiæ Hierarchiæ.

Ad primam Hierarchiam pertinet conſideratio finis, ſecundùm quod accipit rationes rerum in ipſo Deo, & hæc continet tres ordines, ſcilicet Seraphim, Cherubim, Thronos: quia in reſpectu ad finem poſſunt conſiderari tria. Nam primò aliquis conſiderat finem. Secundò verò perfectam finis cognitionem accipit. Tertiò verò intentionem ſuam in ipſo defigit. Et quia Deus eſt finis creaturarum, ſicut Dux eſt finis exercitus, ut dicitur 12. *Metaph.* poteſt aliqua ſimilitudo huius Hierarchiæ in rebus humanis inveniri. Nam quidam ſunt, qui hoc habent dignitatis, ut per ſeipſos accedere poſſint ad Regē, vel Ducem valde familiariter. Quidam verò ſuper hoc habent, ut etiam ſecreta eius cognoſcant. Alii verò ſuper hoc habent, ut ſemper circa ipſum inhæreant quaſi ei conjuncti. Hanc ſimilitudinem accipere poſſumus in ordinibus primæ Hierarchiæ. Nam Throni elevantur ad hoc, quòd Deum familiariter in ſeipſis recipiant, ſecundùm quod rationes rerum in ipſo immediatè cognoſcere poſſunt. Nomen enim Thronorum dicitur per conveniētiam ad materiales ſedes, in quibus conſiderantur quatuor. Primò. Situs. Quia ſedes ſuper terram elevantur; & ſic Throni elevantur uſque ad hoc, quòd in Deo immediatè rationes rerum cognoſcunt. Secundò. Firmitas. Quia in ſedibus materialibus aliquis firmiter ſedet, Throni autem econtrario firmantur in Deo. Tertiò. Suſceptibilitas. Quia ſedes ſuſcipit ſedentem, & in ea deferri poteſt; ſic Throni ſuſcipiunt Deum in ſeipſis, & eum quodammodo ad inferiores deferunt. Quartò. Capacitas. Quia ſedes ex una parte eſt aperta ad ſuſcipiendum ſedentem; ſic Throni per promptitudinem ſunt aperti ad ſuſcipiendum Deum, & famulandum ipſi. Vnde *Gregorius homil. 34. in Evang.* dicit: Throni Dei ſunt hi, qui tantâ Divinitatis gratiâ replentur, ut in eis Dominus ſedeat, & per eos judicia ſua decernat.) Cherubim verò ſupereminenter Divina ſecreta cognoſcunt. Nomen enim Cherubim imponitur à quodam exceſſu ſcientiæ; unde interpretatur plenitudo

ſcientiæ, quod *Dion.* exponit quãtùm ad quatuor. Primò quidem, quantùm ad perfectam Dei viſionem. Secundò, quantùm ad plenam ſuſceptionem Divini luminis. Tertiò, quantùm ad hoc, quòd in ipſo Deo contemplantur pulchritudinem ordinis rerum à Deo derivatam. Quartò, quantùm ad hoc, quòd ipſi pleni exiſtentes hujuſmodi cognitione, etiam eam copiosè in alios effundunt. Vnde *Gregorius loco cit.* dicit: Cherubim plenitudo ſcientiæ dicitur, & ſublimiora illa agmina Cherubim vocata ſunt: quia tantò perfectiori plena ſunt ſcientiâ, quantò claritatem Dei viciniùs contemplantur.) Seraphim verò excellunt in hoc, quod eſt omnium ſupremum, ſcilicet ipſi Deo uniri. Nomen enim Seraphim non imponitur tantùm à charitate, ſed à charitatis exceſſu, quem importat nomen ardoris, vel incendii. Vnde *Dionyſius 7. cap. cæleſtis Hierarch.* exponit nomen Seraphim, ſecundùm proprietates ignis, in quo eſt exceſſus caliditatis. In igne autem tria cõſideramus. Primò. Motum, qui eſt ſurſum, & qui eſt continuus; per quod ſignificatur, quòd ille ordo indeclinabiliter movetur in Deum. Secundò. Virtutẽ activam eius, quæ eſt calidum, cum quadam acuitate: quia eſt maximè penetrativus in agendo, & pertingit uſque ad minima, & iterum cum quodam excedẽti fervore. Et per hoc ſignificatur actio hujuſcemodi Angelorũ, quam in ſubditos potenter exercent, eos in ſublimem fervorem excitãdo, & totaliter eos per incendium purgando. Tertiò. Conſideratur in igne claritas eius, & hi Angeli habent in ſeipſis inextinguibilem lucem, etiam alios perfectè illuminando. Vnde *Gregorius loco cit.* dicit: Seraphim vocantur illa agmina, quæ ex ſingulari propinquitate Conditoris ſui incomparabili ardent amore.)

Ad ſecundam Hierarchiam pertinet diſpoſitio univerſalis de agendis ſecundùm cauſas rerum univerſales, & hæc continet tres ordines: quoniam ad rationem gubernationis pertinent tria.

Primò. Diffinitio eorum, quæ agenda ſunt, quod eſt proprium Dominationum: quia domini eſt ſolùm præcipere de agendis. Ideo *Gregorius loco citato* dicit, quòd quædam Angelorum agmina pro eo, quòd eis cetera ad obediendum ſubjecta ſunt, Dominationes vocantur.) Nomen Dominationum ſignificat tria. 1. Quandam libertatem, quæ eſt à ſervili conditione, & pedeſtri ſubjectione, ſicut plebs ſubiicitur; & à tyrannica oppreſſione, quam etiam interdum majores patiuntur. 2. Quandam rigidam, & inflexibilem gubernationem, quæ ad nullum ſervilem actum inclinatur, neque ad ſtatum aliquem, ſeu actum ſubjectorum, vel oppreſſorum à tyrannis. 3. Appetitum, & participationem veri dominii, quod eſt in Deo, ſicut ſunt regalis curiæ domini; & ſic Dominationes imperant Divina miniſteria aliis Angelis, ſicut innuitur Zach. 2. cap. ubi unus Angelus imperavit alteri, dicens: *Curre, & loquere ad puerum iſtum*, &c.

Secundò. Ad rationem gubernationis pertinet præbere facultatem ad implendum, quod pertinet ad Virtutes, ſecundùm quod virtus importat quendam exceſſum fortitudinis. Et ſic dicit *Dionyſius*, quòd nomen Virtutum ſignificat quandam virilem, & inconcuſſam fortitudinem, primò quidem ad omnes operationes Divinas eis convenientes: ſecundò, ad ſuſcipiendum Divina; & ita ſignificat, quòd ſine aliquo timore aggrediuntur Divina, quæ ad eos pertinent, quod videtur ad animi fortitudinem pertinere. Iſti enim ſunt velut juſtifici in domo Regis, quorum eſt ardua operari. Vnde *Gregorius loco cit.* Virtutes vocantur illi ſpiritus, per quos ſigna, & miracula frequentiùs fiunt.

Tertiò. Ad rationem gubernationis pertinet ordinare, qualiter ea, quæ præcepta, vel diffinita ſunt, impleri poſſunt, ut alii exequantur, & hoc pertinet ad Poteſtates. Nomen enim Poteſtatis ordinationem quandam deſignat, ſecundùm illud Apoſtoli Rom. 13. cap. *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Et ideo *Dionyſius* dicit, quòd nomen Poteſtatum ſignificat quandam ordinationem circa ſuſceptionem Divinorum, & circa actiones Divinas, quas ſuperiores in inferiores agunt, eas ſurſum ducendo.) Ad ordinem ergo poteſtatum pertinet ordinare, quæ à ſubditis ſunt agenda. Etiam per has arcentur mali ſpiritus, ſicut per poteſtates terrenas arcentur malefactores. Vnde *Gregorius*. Poteſtates vocantur hi, qui hoc potentiùs præ ceteris perceperunt, ut eorum ditioni poteſtates adverſæ ſubjectæ ſint.)

Ad tertiam Hierarchiam pertinet applicatio diſpoſitionis ad effectum, quæ eſt executio operis. Executio verò Angelicorum miniſteriorum conſiſtit in annunciando Divina, & hæc Hierarchia continet tres ordines. In executione enim cujuslibet actus ſunt quidam quaſi incipientes actionem, & alios ducentes,

tes, ſicut in cantu præcentores, & in bello illi, qui alios ducunt, & dirigunt, & hoc pertinet ad Principatus. Nam principari, ut *Gregorius* dicit, eſt inter reliquos priorem exiſtere, quaſi primi ſint in executione eorum, quæ imperantur. Et ideo *Dionyſius* dicit, quòd nomen principatuum ſignificat ductivum in ordine ſacro. Illi enim, qui alios ducunt primi inter eos exiſtentes, Principes propriè vocantur, ſecundùm illud Pſalm. *Prævenerunt Principes coniuncti pſallentibus*. Hi enim etiam bonis ſpiritibus principantur, & ad loca determinata, vel negotia Regis ſpecialiter deputantur per modum legatorum. Alii ſunt, qui majora nunciant, & hi Archangeli dicuntur, ſicut Gabriel, qui nunciavit beatæ Virgini Incarnationem Filii Dei. Alii verò ſunt, qui ſimpliciter exequuntur, & hi Angeli dicuntur, qui immediatè nobis annunciant per modum curſorum, &c.

SECVNDO. *Vobis Angeli vident, ad conſociandum*. Vnde Matth. 22. cap. dicitur: *Erunt homines ſicut Angeli Dei in cælo*. Nam per donũ gratiæ homines poſſunt mereri tantam gloriam, ut Angelis æquentur ſecundùm ſingulos Angelorum gradus, quod eſt homines aſſumi ad ordines Angelorum. Vnde *Gregorius hom. 34. in Evang.* dicit: Sunt nonnulli, qui parva capiunt, ſed tamen hoc annunciare fratribus non deſiſtunt. Iſti itaq; in Angelorum numerũ currunt.) Nam quidam ſimplices & illiterati verbo & exemplo, & quantum poſſunt, alios ædificant; & iſti aſſumuntur ad ordines Angelorum.

Quidam autem magna intelligunt, & ſolicitè alios admonent, & iſti aſſumuntur ad ordinem Archangelorum. *Gregorius loco cit.* Sunt, qui ſecretorum cæleſtium ſumma & capere prævalent, & nunciare; hi cum Archangelis.)

Quidam per vitæ perfectionem aliorum merita tranſcendunt, & iſti aſſumuntur ad ordinem Principatuum. *Gregorius*. Sunt, qui electorum merita tranſcendunt, & electis fratribus principantur; & hi cum Principatibus meritum ſortiuntur.)

Quidam autem expellunt de corporibus, & animabus aliorum dæmones, & peccata; iſti aſſumuntur ad ordinem Poteſtatum. *Gregorius*. Sunt, qui malignos ſpiritus virtute orationis, & vi acceptæ poteſtatis fugant; & hi cum Poteſtatibus.)

Quidam ſigna, & miracula operantur, & iſti aſſumuntur ad ordinem Virtutum. *Gregorius*. Sunt, qui mira faciunt ſigna, & valenter operantur; & hi cum Virtutibus.)

Quidam omnibus in ſe vitiis dominantur, & iſti aſſumuntur ad ordinem Dominationum. *Gregorius*. Sunt, qui in ſemetipſis omnibus vitiis dominantur, ut ipſo jure munditiæ dii inter homines vocentur. Vnde ad Moyſen dicitur: *Ecce conſtitui te deum Pharaonis*. Et hi cum Dominationibus.)

Quidam ſunt valde ſpirituales, & ideo de aliis judicare poſſunt. 1. Cor. 2. c. *Spiritualis homo indicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur*. Iſti aſſumuntur ad ordinem Thronorum. *Gregorius*. Sunt, in quibus velut in throno ſuo Dominus præſidens aliorum facta examinat; per quos, dum ſancta Eccleſia regitur, plerumque de quibuſdam ſuis actibus infirmis omnes electi judicantur; & hi cum Thronis.)

Quidam Dei, & proximi charitate flagrant; iſti aſſumuntur ad ordinem Cherubim. *Gregorius*. Sunt, qui Dei, & proximi charitate amplius ceteris pleni ſunt; & hi meritorum ſuorum ſortem inter Cherubim numerum acceperunt: quia Cherubim plenitudo ſcientiæ dicitur. Et juxta Paulum *Plenitudo legis eſt charitas*.)

Quidam ſunt igne amoris accenſi, totoque deſiderio ad ſolum Deum anhelant; iſti aſſumuntur ad ordinem Seraphim. *Gregorius*. Sunt, qui ſupernæ contemplationis amore accenſi in ſolo Conditoris ſui deſiderio anhelant, nihil in hoc mundo jam cupiunt, ſolo æternitatis amore paſcuntur, terrena quæque abjiciunt, cuncta temporalia mente tranſcendunt, amant, & ardent, atque in ipſo ſuo ardore requieſcunt; amando ardent, loquendo alios accendunt, & quoſcunque verbo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt. Quò iſti, niſi intra Seraphim numerum ſortem ſuæ vocationis acceperunt?) Et ſic patet, &c.

TERTIO. *Vobis Angeli vident, ad cuſtodiendum*. Vnde *Bernardus in Pſal. 90. ſerm. 12.* ait: Mira dignatio, & verè magna dilectio charitatis! Quis enim, quibus, & de quo, quid mandavit? Summa Majeſtas mandavit Angelis, & Angelis ſuis mandavit. Illis itaque ſublimibus, tam beatis, tam proximis ſibi cohærentibus, tam familiariter adhærentibus, verè ſibi domeſticis: ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Quantam debet tibi hoc verbum inferre reverẽtiam, afferre devotionem,

Digitized by Google

conferre fiduciam ! Reverentiam pro præſentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro cuſtodia. In quovis diverſorio, in quovis angulo Angelo tuo reverentiam habe. Tu ne audeas illo præſente, quod vidente me non auderes. *Hæc ille*.

Effectus Angelicæ cuſtodiæ circa hominem eſt quadruplex.

Primus eſt remotionis, ſcilicet removendo, ne homo cadat in malum culpæ, & hoc facit Angelus tribus modis. 1. Increpando peccatum præteritum, ut ab eo homo recedat, ut patet *Iudic.* 2. *cap.* ubi, cùm Angelus filios Iſrael de prævaricatione increpaſſet, ipſi elevaverunt vocem cum fletu,&c. 2. Eripiendo à peccato præſenti, ut patet in eductione Lot, & uxoris eius de Sodomis, id eſt, de peccati conſuetudine, *Gen.* 19. *c.* 3. Impediendo peccatum futurum, ne fiat, ut patet *Numeri* 22. *cap.* in Balaam, qui ad maledicendum Iſrael pergens, ab Angelo impeditus eſt.

Secundus eſt profectionis, ſcilicet in bonum gratiæ, & hoc facit Angelus in anima tribus modis. 1. Omne impedimentum ad bonum removendo, ut patet *Exo.* 12. *cap.* ubi Angelus percuſſit primogenita Ægypti. 2. Prigritiam excitando, ut patet Zach. 4. c. *Angelus Domini ſuſcitavit me quaſi hominẽ, qui ſuſcitatur de ſomno*. 3. In via pœnitentiæ ducendo, & reducendo, ut patet *Tob.* 5. *cap.* ubi Angelus duxit Tobiam,& reduxit.

Tertius eſt juſtificationis, & hoc facit Angelus tribus modis. 1. Movendo ad contritionem, ut patet *Tob.* 11. *cap.* ubi ad documentum Angeli de felle (per quod intelligitur contritio) linivit patri oculos, ſcilicet cordis. 2. Purgando labia ad confeſſionem, ut patet *Iſa.* 6. *cap.* ubi per Angelum labia Iſaiæ purgantur. 3. Gaudendo ad ſatisfactionem. Lucæ 15. c. *Gaudium eſt Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*.

Quartus eſt protectionis, ne homo toties, vel in tot mala cadat, ad quot diabolus incitat, & hoc facit Angelus tribus modis. 1. Poteſtatem dæmonis refrænando. Patet *Tob.* 8. *cap.* ubi Angelus religavit dæmonem in deſerto ſuperiori. Et Apoc. 20. cap. *Angelus ligavit dæmonem, & miſit eum in abyſſum*, &c. 2. Concupiſcentiam debilitando, ut patet *Gen.* 32. *cap.* ubi Angelus tetigit nervum femoris Iacob,& emarcuit. 3. Memoriã Paſſionis Chriſti noſtris mentibus imprimendo, ut patet Ezech. 9. cap. *Signa Thau ſuper frontes virorum gementium*, &c.

QVARTO. *Vobis Angeli vident, ad miniſtrandum*. Heb. 1. cap. *Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*. *Bernardus loco cit.* Domine, quid eſt homo, quia innotuiſti ei? aut filius hominis, quia reputas eum? Denique mittis ei Vnigenitum tuum, inmittis Spiritum tuum, promittis vultum tuum. Et ne quid vacet in cæleſtibus ab opere ſolicitudinis noſtræ, illos etiam beatos ſpiritus propter nos mittis in miniſterium.)

Seraphim enim mittuntur ad cordiũ inflammationem, ut patet 4. *Reg.* 2. *cap.* in Angelis, qui in curru igneo, & equis igneis apparuerunt. Et Iſa. 6. cap. *Volavit ad me unus de Seraphim*.

Cherubim mittuntur ad ſcientiarum eruditionem, ut patet *Apoc.* 10. *cap.* in Angelo, qui habebat librum in manu. Et *Apoc.* 18. *cap.* in Angelo, à cuius claritate terra illuminata eſt.

Throni mittuntur ad judicii informationem: habent enim informare Iudices, ut legem intelligant, ut dicitur Act. 7. cap. *Accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum*.

Dominationes mittuntur ad sẽſuum ſub dominio rationis ſubjugationem, ut patet *Gen.* 16. *cap.* ubi Angelus dixit Agar ancillæ, ut ad dominam ſuam rediret, & ſe ſibi humiliaret.

Virtutes mittuntur ad miraculorum operationem, ut patet *Tob.* 11. *cap.* in Angelo Raphaele, qui Tobiam illuminavit, & filium à deglutione piſcis eripuit &c.

Poteſtates mittuntur ad dæmonum, & tentationum repreſſionem, ut patet *Exo.* 14. *cap.* ubi Angelus Domini interpoſuit ſe inter Ægyptios perſequentes filios Iſrael,& ipſum exercitum.

Principatus mittuntur ad Principum inſtructionem, ut patet *Dan.* 10. *cap.* ubi ponuntur Principes, ſcilicet Perſarum, & Græcorum, quos Angelus Domini inſtruxit, &c.

Archangeli mittuntur ad ſingulorum Rectorum eruditionem, & ad ſecretorum majorum revelationem. Vnde Gabriel Archangelus Zachariam Pontificem docuit, & nativitatem Chriſti Virgini annunciavit, *Luc* 1. *c.*

Angeli mittuntur ad ſingularium perſonarum corroborationem, defenſionem, relevationem, ut patet 3. *Regum* 19. *cap.* ubi Angelus portavit Eliæ ſubcineritium panem, & vas aquæ: & comedit, & ambulavit in fortitudine cibi illius uſque ad montem

Dei

Dei Horeb. Et ſic patet, &c.

QVINTO. *Vobis Angeli vident, ad conſolandum*. Quia ipſi ſunt tribulatorum conſolatores. Zach. 1. cap. *Angelus loquebatur in me verba conſolatoria, & bona*. Et Tob. 5. capite. *Forti animo eſto*, &c. Et Apoc. 7. cap. dicitur: *Vidi quatuor Angelos ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent ſuper terram*, &c. Sunt enim quatuor Angeli propter quadruplex miniſterium gratiæ confortantis homines, qui ſtant ſuper quatuor angulos terræ: quia refrænant quatuor malas affectiones, ſeu paſſiones animæ, ex quibus omnis tribulatio, & tentatio conſurgit, ad præcipitandum homines in peccata. Nam quilibet homo eſt quaſi quædam civitas in quadro poſita, in cuius quolibet angulo eſt una porta. Primus angulus eſt ad Orientem. Alter ad Occidentem. Tertius ad Meridiem. Quartus ad Aquilonem. In qualibet porta ſunt duo Angeli, ſcilicet unus bonus, & unus malus. Bonus ad gubernationē, & profectum, malus ad exercitium, & defectum. Angelus bonus datur, ut hominem erudiat, & dirigat, contra fallaciam exhortetur, & incitet ad bonum contra blanditias, & defendat ab oppreſſione contra violentiam. Angelus malus datur ad pugnam, ut cum homine congrediatur. Et ſicut Deus ſciebat, quòd homo per tentationem in peccatum erat deficiendus; ita etiam ſciebat, quòd per liberum arbitrium reſiſtere poterat tentatori. Hoc autem requirebat conditio naturæ hominis, ut propriæ voluntati relinqueretur, ſecundùm illud Eccli. 15. capite. *Deus reliquit hominem in manu conſilii ſui*. Vnde *Auguſtinus dicit* 11. *ſuper Gen. ad litteram cap.* 4. Non mihi videtur magnæ laudis futurum fuiſſe hominem, ſi propterea poſſet bene vivere, quia nemo malè vivere ſuaderet: cùm & in natura poſſe, & in poteſtate habeat velle non conſentire ſuadenti.)

Modus pugnæ hic eſt. Prima porta eſt Orientalis, per quam diabolus nititur ſubvertere animam, & ſecum trahere ad infernum, quam expugnat per primam animi paſſionē, ſcilicet per gaudium, per quod omnia peccata mundani gaudii, & vanæ lætitiæ congrediuntur cum anima, dicentes illud Sap. 2. cap. *Venite ergo, & fruamur bonis quæ ſunt, & utamur creaturâ tanquam in iuvētute celeriter. Vinō pretioſo, & unguentis optimis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis. Coronemur nos roſis, antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Nemo ſit exors luxuriæ noſtræ: ubique relinquamus ſigna lætitiæ: quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors.*

Aſmodæus, qui præeſt huic vano gaudio, inſtruit quatuor acies, ut animam expugnet. In prima ponit ludos vanos, hiſtrionatus, ſcenas, cantus, choreas, ſonos laſcivos inſtrumentorum muſicalium, haſtiludia, &c. In ſecunda ponit vanitates juvenum, ornatus veſtium, fucationes mulierum, cantilenas amoris, procationes mulierum, & præcipuè adoloſcentularum, nuncia vetularum, donaria utrimque facta. In tertia ponit commeſſationes, ebrietates, impudicitiam in geſtibus, ſcurrilitatem in locutionibus, ineptam lætitiam, ſaltationes, immunditias. In quarta ponit fornicationes, ſtupra, inceſtus, adulteria, abuſus uxorum, ſodomias, ſacrilegia cum monialibus.

Angelus bonus, ſcilicet Raphael refrænat, & retinet tentationem diaboli, confortando animam per dolorem, & triſtitiam ſecundùm Deum: quoniam illuminat mentem, ut ipſa doleat cognitâ veritate, ut patet *Tob.* 8. *cap.* ubi dicitur, quòd Raphael religavit dæmonium in deſerto ſuperiori. Immittit autem iſte Angelus quatuor radios ſplendoris: nempe cognitionem ſui, quâ mens humana plorat, conſpiciens in ſe Dei imaginem deformatam, culpæ ſubjugatam, gratiâ privatam, gloriâ excluſam, inferno obligatam. Cognitionem peccati, conſpiciendo in ſe peccatorum turpitudinem, multitudinem, magnitudinem, ingratitudinem. Cognitionem mundi, conſpiciendo, quòd gaudia mundi alliciunt, decipiunt, faſtidiunt, deficiunt. Cognitionem Dei, conſpiciendo, quòd Deus eſt Creator, Redemptor, Iuſtificator, Glorificator. Vnde *Bernardus*. Clamat mundus: ego deficio. Clamat caro: ego inficio. Clamat dæmon: ego decipio. Clamat Chriſtus: ego reficio. Vide ergo, quem ſequaris.) Ex his ſplendoribus lumen refulſit in tabernaculo mentis, unde oritur tremor ad Deum juſtum, & amor ad Deum pium. Hic Angelus ſemper clamat mundi contemptum, luxuriæ, avaritiæ, ſuperbiæ deſpectum, & omnium concupiſcentiarum odium. Clamat autem dicens illud Apoc. 14. c. *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis ſuæ potavit omnes gentes.*

In his verbis clamat omnia mundana gaudia

dia contemnenda. Primò avaritiam, cùm dicit: *Cecidit, cecidit Babylon*, quæ interpretatur confuſio, & ſignificat mundi facultatẽ, quia mundani oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram, quos ad cælum Deus creavit erectos. Avaritia enim cecidit: quia præterit figura huius mundi, 1. *Cor.* 7. c. Dicit autem bis, cecidit: quia cadit corpus avari per mortem corporalem. Pſalm. *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis*. Cadit anima avari per mortem æternalem. Lucæ 16. cap. *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno*.

Clamat ſecundò, contemnendam ſuperbiam, & mundanam gloriam, cùm dicit: *Civitas illa magna*. Superbus nanque magnum ſe reputat. Veruntamen ſuperbis Deus reſiſtit, *Iaco. 4. cap.* Vnde ad ſuperbum dicitur Iere. 50. cap. *Ecce ego ad te ſuperbe, dicit Dominus exercituum: quia veniet dies tuus, tempus viſitationis tuæ: & cadet ſuperbus, & corruet, & non erit, qui ſuſcitet eum*.

Clamat tertiò, contemnendã carnis concupiſcentiam, cùm dicit: *A vino iræ fornicationis* &c. Quia vinum ſupra modum potatum mentem alienat; ſic nimia delectatio viſibilium creaturarum animam à Deo ſeparat. Et hæc eſt turpiſſima, & ſpiritualis fornicatio, quâ anima à viro ſuo, ſcilicet Deo recedens, creaturæ ſe ſociat, & ipſam plùs ſuo Creatore diligit. Oſee 4. cap. *Fornicati ſunt, & non ceſſaverunt: quoniam Dominum dereliquerunt in non cuſtodiendo*.

Secunda porta eſt Occidentalis, per quam diabolus quærit perimere animam, expugnando ipſam per ſecundam animi paſſionem, ſcilicet per dolorem mundi, per quam omnia triſtabilia, & doloroſa ſeculi congrediuntur cum anima, ſicut ipſa dicit in Pſalmo: *Dolores inferni circumdederunt me: præoccupaverunt me laquei mortis*. Abaddon, ſive exterminans, diabolus diviſionis (ut dicitur *Apoc. 9. cap.*) inſtruit quatuor acies, ut animam expugnet, quas Ioannes vidit ibidem dicens: *Vidi equos in viſione, & qui ſedebant ſuper eos, habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & ſulphureas*. In prima acie ponit indignationes, odia, ſuſpiciones, duritiem mentis, voluntatis perverſitatem, perfidiam, vindictam. In ſecunda ponit ſuſurrationes, detractiones, ſeminationes diſcordiæ, contentiones, contumelias, blaſphemias, rebelliones, perſecutiones, filorum inobedientias, iras, rixas, maledictiones. In tertia ponit pugnas, homicidia, incendia plurima, prædationes innumeras, violentias pauperum, incarcerationes innocentum, everſiones civitatum, caſtrorum, villarum, &c. In quarta ponit partialitates, ſectas, proditiones, favores malorum, criminationes bonorum, iniqua teſtimonia, falſa judicia. Propterea Eccleſiaſtes 4. cap. dicitur: *Verti me ad alia, quæ ſub ſole geruntur: & vidi calumnias, & lacrymas innocentum, & conſolatorem neminem: nec poſſe reſiſtere eorum violentiæ, cunctorum auxilio deſtitutos. Et laudavi magis mortuos, quàm viventes: & feliciorem utroque judicavi, qui necdum natus eſt, nec vidit mala, quæ ſub ſole fiunt*.

Angelus bonus, ſcilicet Michael refrænat tentationem diaboli per gaudium ſpiritus ſecundùm Deum: quia extollit mentem ad gaudia ſupernaturalia dicens: Gaudete in Domino ſemper: iterum dico gaudete. Hoc enim ſpirituale gaudium incitat ad amorem virtutum, ad lætitiam conſcientiæ, ad contemplationem gloriæ Beatorum, ut patet *Dan. 3. cap.* ubi Angelus Domini cum tribus pueris in fornacem deſcendit, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem.

Immittit autem iſte Angelus ſeptem ſplendidos radios gratiæ ad animam confortandam, prout dicitur Apoc. 10. capite: *Vidi Angelum fortem, deſcendentem de cælo, amictum nube, & iris in capite eius, & facies eius erat ut ſol, & pedes eius tanquam columna ignis: & habebat in manu ſua libellum apertum*.

Primus radius eſt gratia fortificans contra adverſa, cùm dicitur: *Vidi Angelum fortem*. Quia enim adverſa frangunt animam, ideo Angelus fortificat animam. Patet de Angelo, qui confortavit Gedeonem, *Iudicum 6. cap.*

Secundus eſt gratia humilians ſub manu potenti voluntatis Divinæ, cùm dicitur: *Deſcendentem de cælo*. Quia facit animam humilem ad toleranda adverſa.

Tertius eſt gratia contriſtans de impatientia habita in adverſis, cùm dicitur: *Amictum nube*. In nube enim, quæ pluit aquam, deſignantur lacrymæ doloris. Pſal. *Fuerunt mihi lacryma mea panes die ac nocte*.

Quartus eſt gratia timoris, cùm dicitur: *Iris in capite eius*. Nam iris timorem incutit.

Quintus eſt gratia lætificans, & jucundans, cùm dicitur: *Et facies eius ut ſol*. Quia ſol totum mundum lætificat.

Sextus eſt gratia inflammans, cùm dicitur: *Pedes eius tanquam columna ignis*. Quia inflam-

ſlammat affectum ad gaudium æternorum.

Septimus eſt gratia illuminans animam de præteritis, præſentibus,& futuris viis,præſentis peregrinationis, & conſcientiæ ſuæ: quia *habebat in manu ſua librum apertum*. Id eſt, conſcientiam.

Tertia porta eſt Meridionalis, per quam diabolus quærit ſubjugare ſibi animam per tertiam animi paſſionem, ſcilicet per ſpem præſumptuoſam. Iſaiæ 28. cap. *Poſuimus mendacium ſpem noſtram: & mendacio protecti ſumus*.

Behemoth diabolus vanæ ſpei, quia eſt beſtialis, ut animam expugnet, inſtruit quatuor acies. In prima ponit oblivionem Dei, votorum fractionem, apoſtaſiam à fide vel religione, murmurationem contra Deum, indignam communicationem, contemptum Sacramentorum Eccleſiæ, defenſionem peccatorum, admonitionum deriſionem. In ſecunda ponit ſcandalizare proximum, innocentes malo exemplo corrumpere, verecundari de pauperibus attinentibus & amicis, conſuetudinem peccandi, tenere officium, ad quod homo non eſt idoneus, gloriari in malitia. In tertia ponit elationem, irreverentiam, vanam gloriam, jactantiam, hypocriſim, curioſitatem, novitatum præſumptionem. In quarta ponit ſecularem gloriam, faſtum, pompam, dignitatum ambitionem, comminationem, aliorum deriſionem, prodigalitatem, avaritiam, in divitiis confidentiam. Propterea dicitur Eccleſiaſtes 6. cap. *Eſt & aliud malum, quod vidi ſub ſole, & quidem frequens apud homines: Vir, cui Deus dedit divitias, & ſubſtantiam, & honorem, & nihil deeſt animæ ſuæ ex omnibus, quæ deſiderat: nec tribuit ei poteſtatem Deus, ut comedat ex eo, ſed homo extraneus vorabit illud: hoc vanitas, & miſeria magna eſt*.

Angelus bonus, ſcilicet Azarias refrænat tentationem diaboli per timorem Dei: quia ſemper inducit animam ad timendum Deum. Apoc. 14. cap. *Vidi alterum Angelum volantem per medium cæli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret ſedentibus ſuper terram, dicens magna voce: Timete Dominum, & date illi honorem: quia venit hora judicii ejus*.

Immittit autem iſte Angelus tres ſplendores in anima. Primus eſt Dei timor, dicens illud Apoc. 15. cap. *Magna, & mirabilia ſunt opera tua, Domine Deus omnipotens: juſta, & vera ſunt viæ tuæ, Rex ſeculorum. Quis non timebit te, Domine, & magnificabit Nomen tuum?* Et Eccli. 15. cap. *Qui timet Deum, faciet bona*, &c. Pſal. *Contritio, & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt: non eſt timor Dei ante oculos eorum*.

Secundus eſt Dei honor, cùm dicitur: *Date illi honorem*. Proverb. 7. cap. *Honora Dominum, & valebis*.

Tertius eſt judicii pavor, cùm dicitur: *Venit hora judicii ejus*. Iob 21. cap. *In diem perditionis ſervatur malus, & ad diem furoris ducetur*, &c.

Quarta porta eſt Septentrionalis, per quã diabolus nititur ſubvertere animam per quartam animi paſſionem, ſcilicet per timorem mundanum. Pſal. *Trepidaverunt timore, ubi non erat timor*.

Satanas diabolus deſperationis, ut animam expuguet, inſtruit quatuor acies. In prima ponit perplexitates, agnitæ veritatis deſertionem, vitæ præſentis dilectionem, paupertatis abominationem, mendacia, perjuria, torporem circa Divina præcepta. In ſecunda ponit amorem peccandi, horrorem ſatisfaciendi, parvitatem cordis, nimiam verecundiam. In tertia ponit conſuetudinem malam, incredulitatem, ignorantiam, exemplum delinquendi aliorum, gravitatem peccati. In quarta ponit ſpem diu vivendi, dilationem pœnitentiæ, timorem reincidendi, præſumptionem de miſericordia Dei. Ieremiæ 2. cap. *Deſperavi: nequaquam faciam. Sicut confunditur fur, quando deprehenditur, ſic confuſa eſt domus Iſrael*.

Angelus bonus, ſcilicet Gabriel refrænat tentationem diaboli per Divinam ſpem, dicens illud Eccli. 2. cap. *Reſpicite filii nationes hominum: & ſcitote, quia nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt. Quis enim permanſit in mandatis ejus, & derelictus eſt? Aut quis invocavit eum, & deſpexit illum? Quoniam pius & miſericors eſt Deus, & remittet in die tribulationis peccata: & protector eſt omnibus exquirentibus ſe in veritate*. Vt patet Dan. 10. c. ubi, cùm Daniel corruiſſet, tetigit eum Angelus, dicens: *Noli timere. Pax tibi: confortare, eſto robuſtus*. De iſto Angelo dicitur Apoc. 8. cap. *Alius Angelus venit, & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum: & data ſunt illi incenſa multa. Et accepit Angelus thuribulum, & implevit illud de igne altaris, & miſit in terrã*.

Immittit autem iſte Angelus in animam tres ſplendores. Primus eſt ſpei credentis, ſcilicet credere myſterium Paſſionis Chriſti, qui eſt altare Deitatis ſecundùm humanitatem.

Secundus eſt ſpei providentis, ſcilicet, quòd Deus

Deus provideat humanis defectibus merito Passionis Christi, scilicet bellis, pestilentiis, fami, &c. Iere. 17. cap. *Spes mea tu in die afflictionis*.

Tertius est spei incendentis, dicens: Che ti venga il fuoco di Dio. Iste ignis non est timendus. Luc. 12. cap. *Ignem veni mittere in terram*, &c.

SEXTO. *Vobis Angeli vident ad præsentandum*. Vnde *Bernardus super Cantica*. Discurrit Angelus medius inter dilectum & dilectam, vota offerens, referens dona: excitat istam, placat illum.) Angeli enim sunt nostri præsentatores quadrupliciter.

1. Orationes nostras Deo præsentando. Tob. 12. cap. *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino*.

2. Coram Deo pro nobis allegando. Iob 33. cap. *Si fuerit pro eo Angelus loquens, unus de millibus, ut annunciet hominis aquitatem, miserebitur eius*. Exemplum Zach. 1. capite. *Respondit Angelus Domini, & dixit: Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Ierusalem, & urbium Iuda, quibus iratus es? Iste iam annus septuagesimus est*.

3. Sententiam Dei renunciando. Patet Dan. 9. cap. ubi dicitur, quòd Gabriel ad eum volans dixit: *Ab exordio precum tuarum egressus est sermo*. Id est, sententia à Deo secundùm *Glo. Ego autem veni, ut indicarem tibi: quia vir desideriorum es*. Scilicet peccata esse dimissa.

4. Salvationem animæ revelando. Isa 55. capite. *In lætitia egrediemini, & in pace deducemini*, &c.

SEPTIMO. *Vobis Angeli vident ad deportandum*. Sunt enim animarum nostrarum in cælum portitores quadrupliciter.

1. Ab insidiis diaboli præservando. Iudith 13. c. *Vivit Dominus: quia custodivit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem*. Et Gen. 32. Cùm Iacob Esau valde timeret, Angelos sibi obvios habuit ipsum adjuvare paratos, & ait: *Castra Dei sunt hæc*.

2. Viam præparando. Malachiæ 3. cap. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam*.

3. Per viam præparatam in cælum bajulando. Exo. 23. cap. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem paravi*.

4. In cælum collocando. Luc. 16. cap. *Factum est, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ*. Ad quem nos perducant feliciter. Amen.

SERMO L.

IN FESTO SANCTI HIERONYMI CONFESSORIS, ET ECCLESIÆ DOCTORIS.

Venit in me spiritus sapientiæ. Sap. 7. cap.

SAlomon Sapientiæ septimo capite dicit: *Neminem diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat*. Super quo talem moveo quæstionem.

Vtrum beatus Hieronymus obtinuerit sapientiæ donum in numero Doctorum, qui vitam solitariam tenuit merito perfectorum?

AD istam quæstionem respondent quatuor Doctores novi Testamenti.

Primus est *beatus Augustinus in quadam epistola* dicens: Sanctus Hieronymus Presbyter Græco, Latino, Hebræoque eloquio eruditus,

Digitized by Google

tus, in locis ſanctis, atque in litteris ſacris uſque ad decrepitam vixit ætatem; cuius nobis eloquii ab Oriente in Occidentem inſtar ſolis lampas reſplenduit.

Secundus eſt *beatus Proſper in chronicis ſuis* dicens: Hieronymus Presbyter in Bethlehem totus jam mundo clarus habitabat, egregio ingenio, & ſtudio univerſæ Eccleſiæ ſerviens.

Tertius eſt *Iſidorus lib. Etymologiarum* dicens: Hieronymus trium linguarum peritus extitit, cuius interpretatio ceteris antefertur: quoniam & verborum tenacior, & perſpicuitate ſententiæ clarior, atque, utpote à Chriſtiano interprete, verior.

Quartus eſt *beatus Severus diſcipulus ſancti Martini in dialogo* dicens: Hieronymus Presbyter præter fidei meritum, dotemque virtutum, non ſolùm Latinis atque Græcis, ſed etiam Hebræis ita litteris inſtructus eſt, ut ſe illi in omni ſcientia nemo audeat comparare, cui jugis adversùs malos pugna, perpetuumque certamen. Oderunt eum Hæretici: quia eos non deſinit impugnare. Oderunt Clerici: quia vitam eorum inſectatur, & crimina. Sed planè eum boni omnes & mirantur, & diligunt. Nam qui eum Hæreticum eſſe arbitrantur, inſaniunt. Totus ſemper in lectione, totus in libris eſt. Non die, non nocte requieſcit. Aut legit aliquid ſemper, aut ſcribit. *Hæc ille.*

Sciendum, quòd, ut docet *ſanctus Thomas ſecunda ſecundæ q. 45. artic. 1. & ſeq.* ad ſapientem pertinet conſiderare cauſam altiſſimam, per quam de aliis certiſſimè judicatur, & ſecundùm quam omnia ordinari oportet, ut dicitur *in principio Metaph.* Cauſa autem altiſſima dupliciter accipi poteſt: vel ſimpliciter, vel in aliquo genere. Ille ergo, qui cognoſcit cauſam altiſſimam in aliquo genere, & per eam poteſt de omnibus, quæ ſunt illius generis, judicare, & ordinare, dicitur eſſe ſapiens in illo genere, ut in medicina, vel architectura, ſecundùm illud 1. Cor. 3. cap. *Vt ſapiens architectus fundamentum poſui.* Ille autem, qui cognoſcit cauſam altiſſimam ſimpliciter, quæ eſt Deus, dicitur ſapiens ſimpliciter, in quantum per regulas Divinas omnia poteſt judicare, & ordinare. Hujuſmodi autem judicium conſequitur homo per Spiritum ſanctum, ſecundùm illud 1. Cor. 2. cap. *Spiritualis homo iudicat omnia.* Quia ſicut ibidem dicitur: *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.* Et ſic ſapientia eſt donum Spiritus ſancti. Sapientia autem ſumitur quadrupliciter.

Primò eſt ſapiẽtia malæ operationis, de qua Iac. 3. c. dicitur: *Non eſt iſta ſapientia deſurſum deſcendens: ſed terrena, animalis, & diabolica.* Bonum enim dicitur dupliciter. Vno modo, quod verè eſt bonum, & ſimpliciter perfectum. Alio modo dicitur aliquid eſſe bonum ſecundùm quandam ſimilitudinem, quod eſt in malitia perfectum: ſicut dicitur bonus latro, ut patet per *Philoſ. 5. Metaph.* Et ſicut circa ea, quæ ſunt verè bona, invenitur aliqua altiſſima cauſa, quæ eſt ſummum bonum, quod eſt ultimus finis, per cuius cognitionem homo dicitur verè ſapiens; ita etiam in malis eſt invenire aliquid, ad quod alia referuntur ſicut ad ultimum finem, per cuius cognitionem homo dicitur eſſe ſapiens ad mala agendum, ſecundùm illud Iere. 4. cap. *Sapientes ſunt, ut faciant mala, bene autem facere neſcierunt.* Quicunque autem avertitur à fine debito, neceſſe eſt, quòd aliquem finem indebitum ſibi præſtituat: quia omne agens agit propter finem. Vnde, ſi præſtituat ſibi finem in bonis exterioribus terrenis, vocatur ſapientia terrena: ſi autem in bonis corporalibus, vocatur ſapientia animalis: ſi autem in aliqua excellentia, vocatur ſapientia diabolica propter imitationem ſuperbiæ diaboli, de quo dicitur Iob 41. capite: *Ipſe eſt Rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ.*

Secundò eſt ſapientia intellectualis acquiſitionis, ſcil. quæ acquiritur humano ſtudio, de qua dicitur Ierem. 9. cap. *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua.* Sicut de his, quæ ad caſtitatem pertinent per rationis inquiſitionem rectè judicat ille, qui didicit ſcientiam moralem. Cognitio enim Divinorum, quæ habetur per ſtudium, & inquiſitionem rationis, poteſt haberi cum peccato mortali, ſecũdùm illud Rom. 1. cap. *Veritatem Dei in iniuſtitia detinent.*

Tertiò eſt ſapientia ſupernaturalis dilectionis. Sapientia enim importat quandam rectitudinem judicii ſecundùm rationes Divinas per quandam connaturalitatem ad ea, de quibus eſt judicandum, ſicut rectè judicat de caſtitate ille, qui habet habitum caſtitatis. Vnde *Dionyſius 2. cap. de divinis nomin.* dicit, quòd Ierotheus perfectus eſt in Divinis, non ſolùm diſcens, ſed etiam patiens Divina. Hujuſmodi autem connaturalitas ad res Divinas fit per charitatem, quæ unit nos Deo, ſecun-

cundùm illud 1. Cor. 6. c. *Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum eo*. Et ſecundùm hoc quidam tantum ſortiuntur de recto judicio, tam in contemplatione Divinorum, quàm etiam in ordinatione rerum humanarum ſecundùm Divinas regulas, quantum eſt neceſſarium ad ſalutem, & hoc nulli deeſt ſine peccato mortali exiſtenti per gratiam gratum facientem: quia natura non deficit in neceſſariis, multò minus gratia. Vnde dicitur 1. Ioan. 2. c. *Vnctio docet nos de omnibus*.

Quartò eſt ſapientia Divinalis eruditionis. Quidam enim altiori gradu percipiunt ſapiẽtiæ donum, & quantùm ad contemplationem Divinorum, in quantum ſcilicet altiora quædam myſteria & cognoſcunt, & aliis manifeſtare poſſunt: etiam quantùm ad directionem humanorum ſecundùm regulas Divinas, in quantum poſſunt ſecundùm eas non ſolùm ſeipſos, ſed etiam alios ordinare. Et iſte gradus ſapientiæ non eſt in omnibus habentibus per gratiam gratum facientem, ſed magis pertinet ad gratias gratis datas, quas Spiritus ſanctus diſtribuit, prout vult, ſecundùm illud 1. Cor. 12. cap. *Alii per Spiritum datur ſermo ſapientiæ*. De quo dicitur Iac. 3. cap. *Quæ deſurſum eſt ſapientia, primò quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordiâ, & fructibus bonis, non iudicans, ſine ſimulatione*. Sapientia enim, quæ eſt donum Spiritus ſancti, primò eſt pudica, quaſi vitans corruptelas peccati; deinde autem pacifica: nam homini per pudicitiam à corruptelis recedenti primò occurrit, quòd, quantùm ex ſe poteſt, modum in omnibus teneat, & ſic dicitur modeſta. Secundò. Vt in his, in quibus ipſe ſibi non ſufficit, aliorum monitis acquieſcat, & ſic dicitur ſuadibilis. Tertiò. Vt bonis aliorum non repugnet, & ſic dicitur bonis conſentiens. Quartò. Vt defectibus proximi compatiatur in affectu, & ſubveniat in effectu, & ſic dicitur plena miſericordiâ, & fructibus bonis. Quintò. Vt charitativè emendare peccata ſatagat, & ſic dicitur judicans ſine ſimulatione, ne ſcilicet correctionem prætendens odium intendat explere. *Hæc S. Thomas*.

Beatus Hieronymus *in epiſtola ad Abigaum* dicit de ſeipſo: Nihil à pueritia ita vitare conatus ſum, ut animum tumentem, & erectam cervicem, Dei contra ſe odium provocantem. Ego etiam omnia tuta timeo. Et *in apol. adv. Ruffinum*. In monaſterio hoſpitalitati ex corde intendimus, & omnes ad nos venientes, præter Hæreticos, læta fronte ſuſcipimus, ac venientium pedes abluimus.) Iſta autem faciebat propter ſapientiæ donum. Ideo dicit:

Venit in me ſpiritus ſapientiæ

Intelligentiarum. Martyrum.
Patriarcharum. Confeſſorum.
Prophetarum. Immaculatorum.
Apoſtolorum.

PRIMO. *Venit in me ſpiritus ſapientiæ intelligentiarum*, id eſt Angelorũ. Vnde *ad Euſtoch. de cuſtodia virginit.* de ſeipſo dicit: Ipſam quoque cellulam meam, quaſi cogitationum mearum conſciam, pertimeſcebam: & mihimet iratus, & rigidus, ſolus deſerta penetrabam. Sic ubi concava vallium, aſpera montium, rupium præcipita cernebam; ibi meæ orationis locus, ibi illud miſerrimæ carnis ergaſtulum; &, ut ipſe mihi teſtis eſt Dominus, poſt multas lacrymas, poſt cælo inhærentes oculos, nonnunquã videbar mihi intereſſe agminibus Angelorum.) Religio enim eſt tanquam cælum, in quo religioſè viventes monachi ſunt ſicut Angeli Dei, ſi tamen obſervent quatuor.

Primò. Vitæ bonitatem. Quando enim in religione eſt ſanctitas vitæ, tunc eſt Deo gratum habitaculum. Matth. 18. c. *Vbi ſunt duo vel tres congregati in Nomine meo, ibi ſum in medio eorum*. Eſt Angelo magnum ſolatiũ. Pſal. *Prævenerunt Principes*, id eſt, Angeli, *coniuncti pſallentibus*, id eſt, religioſis Deum laudantibus, *in medio iuvencularum*, id eſt, ferventium animarum, *tympaniſtriarum*, id eſt, corporum mortificatorum. Eſt homini magnũ præſidium. Proverb. 18. cap. *Frater, qui adiuvatur à fratre, quaſi civitas firma*. Eccles. 4. *Melius eſt eſſe duos ſimul, quàm unum*. Eſt diabolo magnum tormentum. Vnde dicitur de congregatione Sanctorum. *Terribilis, ut caſtrorum acies ordinata*, Cant. 6. cap.

Secundò. Mentis iucunditatem, quæ cauſatur in religione à grata ſocietate, per concordem & pacificam converſationem, per veram charitatem, & dilectionem, diſcretam gubernationem. Eccli. 25. cap. *In tribus beneplacitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt grata coram Deo, & omnibus hominibus: concordia fratrum, amor proximorum, vir & mulier*, id eſt prælatus, & ſubditi, *bene ſibi conſentientes*.

Tertiò. Cordium unitatem per ſubtractio-

tionem diviſionum. Diſcordiæ enim, & diviſiones cauſantur aliquando propter avaritiã: 1. Tim. 6. cap. *Radix omnium malorum eſt cupiditas*. Aliquando propter ſuperbiam. Proverb. 13. cap. *Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt*. Aliquando propter carnalem concupiſcentiã. Iacobi 4. cap. *Vnde bella & lites in vobis? Nonne ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris?* Contra primum in religione eſt votum paupertatis, contra ſecundum eſt votum obedientiæ, contra tertium eſt votum caſtitatis.

Quartò. Linguæ modicitatem. Iacobi 1. cap. *Si quis putat ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, huius vana eſt religio.* Nam per ſilentium occiditur diabolus, ut patet *Iudicum 4. cap.* de Iahele (per quam deſignatur religioſus) quæ occidit Siſaram, id eſt, diabolum in ſilentio. Et de Iudith, quæ erat ante torum Holofernis, orante cum lacrymis, & motu labiorum in ſilentio, *Iudith 13. cap.*

Beatus Hieronymus Bethlehem rediens, monaſterium conſtruxit, in quo per ſexaginta ſex annos permanſit, velut prudens animal, ad præſepe Domini; ubi corpus ſuum maceravit jejunando, orando, ſcribendo, ut in ſtratu ſuo jacens, funiculo ad trabem ſuſpenſo, ſupinus ſe manibus levaret, ut ſcilicet officium monaſterii, prout poterat, exhiberet. Hoſpites læta facie ſuſcipiebat, & eis neceſſaria miniſtrabat. Multos ibidem diſcipulos coadunans in ſancto propoſito confirmabat. Bibliothecam ſuam, quam ſummo ſtudio ſibi condiderat clauſam, alioſque libros iterum relegens diem jejuniis ducebat ad veſperum. Sicque angelicam vitam uſque ad extremum perduxit.

SECVNDO. *Venit in me ſpiritus ſapientiæ Patriarcharum*. Patriarchæ, non apparente via præceptorum in lege Moyſi prædictâ, nec ſemitâ conſiliorum in Evangelio præoſtensâ, terram tamen propriam dimiſerunt, parentes reliquerunt, viam perveniendi ad cælum ſcrutari cœperunt. Heb. 11. c. *Abraham obedivit exire in locum, accepturus hæreditatem, neſciens quo iret.*

Beatus Heronymus habuit more Patriarcharum opera lucida, ab omni amore terreno purgata. Sunt enim quædam terrena, in quibus homo habet ſolùm adminiſtrationem, ſicut ſunt bona Eccleſiaſtica; & iſta relinquere, eſt magna perfectio. Sunt quædam, quæ homo poſſidet hæreditariâ ſucceſſione, ſicut ſunt bona paterna; & iſta relinquere, eſt perfectio maior. Sunt quædam, quæ homo poſſidet per proprium ſtudium, & operationem, ſicut ſunt bona propriis manibus acquiſita; & iſta relinquere, eſt perfectio maxima.

Beatus Hieronymus fuit tantæ perfectionis, quòd reliquit omnia bona Eccleſiaſtica: quia, cùm eſſet Cardinalis, officio, & beneficio ceſſit. Reliquit bona paterna: quia omnem hæreditatem paternam deſeruit, & ob amorem Apoſtolorum Romam venit. Reliquit omnia bona, quæ propriis manibus acquirere potuiſſet, ſecundùm quod ipſe dicit: Si autem fiſcellam junco texerem, aut palmarum folia complicarem, in ſudore vultus mei comedere panem, & ventris opus ſolicita mẽte tractarem, nullus morderet, nullus reprehenderet. Nunc autem, qui juxta ſententiam Salvatoris volo operari cibum, qui non perit, error mihi geminus infigitur.)

Ordo Patriarcharum floruit quadruplici virtute, plenus ſpiritu ſapientiæ.

Primò. Fidelitate, ut patet de Abraham, de quo dicitur Heb. 11. cap. *Fide Abraham obtulit Iſaac, cùm tentaretur, & unigenitum offerebat, qui ſuſceperat repromiſſiones: ad quem dictum eſt: Quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen, arbitrans, quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus.*

Beatus Hieronymus ſeipſum obtulit Deo in ſacrificium, quando in Syriam profectus eremum petiit, & ibi per quatuor annos arctiſſimâ pœnitentiâ ſe afflixit, ſicut ipſe dicit *in epiſtola ad Euſtochium*. Habuit enim durum habitaculum; unde ait: Quoties in eremo conſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus horridum monachis præſtat habitaculum, putavi me Romanis intereſſe deliciis? Habuit durum habitum; unde ait: Horrebant ſacco membra deformia, ſqualida cutis ſitum Æthiopicæ carnis obduxerat. Habuit durũ lectũ; unde ait: Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus: & ſi quando repugnantem ſomnus imminẽs oppreſſiſſet, nuda humo vix oſſa hærentia collidebam. Habuit durum cibum & potum; unde ait: De cibis verò & potu taceo, cùm etiam languentes monachi aquâ frigidâ utantur, & coctum aliquid accepiſſe, luxuria ſit. Ideo dicitur in Pſalm. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum, Deus, non deſpicies.*

Secundò. Obedientiâ, ut patet de Iſaac, qui noſcens voluntatem Dei, quòd crematur, non refugit, non reclamavit, ſed ultrò ſe obtulit.

Beatus Hieronymus ſeipſum continuè macerabat; unde ait: Diem crebrò conjunxi cum nocte, nec priùs à pectoris ceſſabam verberibus, quàm rediret, Domino increpante, tranquillitas.

Tertiò. Patientiâ, ut patet in Iacob, qui duras fratris ſui Eſau patiebatur perſecutiones, quas tamen patienter toleravit.

Beatus Hieronymus magnam paſſus eſt à Deo quaſi perſecutionem, & flagellationem, ſicut ipſe ait *in epiſtola ad Euſtoch.* Nam, cùm eſſet adoleſcens, ſeculares ſcientias nimis ardenter legebat, & circa hoc peccabat quadrupliciter

1. Quia totum tempus tali lectioni dabat: de die Tullium, de nocte legens Platonem.

2. Quia lecturus Tullium jejunabat, lecturus autem Evangelium non abſtinebat.

3. Quia poſt lacrymas pœnitentiæ legebat libros ſecularis ſcientiæ, cùm potiùs tunc ſacri libri ei fuiſſent legendi.

4. Quia ſtylum ſacræ Scripturæ vilipendebat, & ei Tullianam eloquentiam præponebat; ideoque Dominus gravi eum infirmitate percuſſit: & cùm ſibi exequiæ pararentur, illico ad tribunal Iudicis eſt perductus, ubi à Iudice, cuius conditionis eſſet, interrogatus, Chriſtianum ſe eſſe reſpondit. Cui Iudex: Mentiris. Ciceronianus es, non Chriſtianus. Tandem promittens, quòd de cetero litteras ſeculares non legeret, ad corpus eſt reductus. Vnde dicit *in Proœmio ſuper epiſtolam ad Gal.* Plus quàm quindecim anni ſunt, ex quo nunquam in manus meas Gentilium litterarum quilibet Auctor aſcendit; ſed, ſi quid fortaſsè obrepit, dum loquimur, velut antiqui per nebulam ſomnii recordamur.

Quartò. Caſtitate, ut patet in Ioſeph, qui duras carnis moleſtias à domina ſua perpeſſus, nunquam præbuit voluntate conſenſum.

Beatus Hieronymus poſt multam vitæ aſperitatem in carne ſua nonnunquam ſentiebat rebellionem; unde *ad Euſtoch.* ait: Pallebant ora jejuniis, & mens deſideriis æſtuabat in frigido corpore; & ante hominem ſuâ jam carne præmortuum, ſola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio deſtitutus, ad Ieſu jacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam; & repugnantem carnem hebdomadarum inediâ ſubjugabam.

TERTIO. *Venit in me ſpiritus ſapientia Prophetarum*. Magna enim dignitas eſt eſſe Prophetam, ſivè prænunciatorem Sacramentorum Dei, inter quos Prophetas eſt multiplex genus.

Primi ſunt fideles in docendo, ut Samuel. 1. Reg. 3. cap. *Cognovit omnis populus, quòd fidelis Samuel Propheta eſſet Domini.*

Secundi ſunt abſtracti à deliciis carnis, ut Nathan. Eccli. 47. cap. *Surrexit Nathan Propheta, quaſi adeps ſeparatus à carne.*

Tertii ſunt mundi, ut Ieremias. Iere. 1. cap. *Sanctificavi te, & Prophetam in gentibus dedi te.*

Quarti ſunt charitate ardentes. Eccli. 48. cap. *Surrexit Elias Propheta quaſi ignis: & verbum ipſius quaſi facula ardebat.*

Quinti ſunt contemplativi, ut Ezechiel, qui aperto cælo *vidit viſiones Dei*. Ezech. 1. capite.

Sexti ſunt orationibus vacantes, ut Daniel. Dan. 9. cap. *Adhuc me loquente in oratione*, &c.

Septimi ſunt humiles, ut Ionas. Ionæ 3. cap. *Surrexit Ionas, & abiit in Niniven iuxta verbum Domini.*

Octavi ſunt hanc vitam contemnentes, ut David. Pſalm. *Si autem in poteſtatibus octoginta anni*, &c.

Noni ſunt peccata punientes, ut Ioel. Ioelis 1. capite. *Reſiduum eruca comedit locuſta*.

Decimi ſunt pœnitentes, ut Ioannes Baptiſta, *Luc. 1. cap.*

Beatus Hieronymus ampliori ſpiritu prophetiæ floruit, qui tantâ ſapientiâ officium Eccleſiaſticum inſtituit. Cùm enim olim in Eccleſia Dei unuſquiſque caneret, quod volebat; Theodoſius Imperator Damaſum Papam rogavit, ut alicui viro docto Eccleſiaſticum officium committeret ordinandum. Ipſe ergo ſciens Hieronymum in lingua Latina, Græca, & Hebræa perfectum, & in omni ſcientia ſummum, eidem officium prædictum commiſit. Hieronymus igitur Pſalterium per ferias diſtinxit, & unicuique feriæ nocturnũ proprium aſſignavit, ac gloria Patri in fine cujuslibet Pſalmi dicendum inſtituit. Demum Epiſtolas, & Evangelia per anni circulum decantanda, ceteraque ad officium pertinentia rationabiliter ordinavit; miſitque illud de Bethlehem ad ſummum Pontificem, & ab Eo, & Cardinalibus ſuis fuit valde approbatum, & perpetuò authenticum. De ſpiritu prophetiæ ipſius patet per exemplum

de

de leone, quem cùm ad officium aſelli deputaſſet, tandem eo invento Hieronymus futurorum præſcius fratribus ait: Ite fratres, & venientibus hoſpitibus neceſſaria præparate. Quod rei probavit eventus, ut dicitur *in legenda*. Et ſic patet, &c.

QVARTO. *Venit in me ſpiritus ſapientiæ Apoſtolorum*. In Apoſtolis enim fuit ſapientia multiplex. Prima eſt temporalium abdicatio, ſecundùm illud: *Niſi quis renunciaverit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe Diſcipulus*. Propterea dixit Petrus ad Ieſum Matth. 19. cap. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*, &c.

Secunda eſt mandatorum adimpletio. Ioan. 8. cap. *Si manſeritis in ſermone meo, verè Diſcipuli mei eritis*, &c. Exodi 35. cap. *Quis veſtrum ſapiens eſt, veniat, & faciat quod Dominus imperavit*.

Tertia eſt charitativa dilectio. Ioann. 13. cap. *In hoc cognoſcent omnes, quia mei eſtis Diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad invicem*.

Quarta eſt mentis illuminatio. Ioel. 2. c. *Filii Sion exultate: quia dedit vobis Doctorem iuſtitiæ*. Scilicet Spiritum ſanctum, juxta illud Ioann. 14. cap. *Docebit vos omnia, & ſuggeret vobis omnia*.

Quinta eſt linguarum perfectio. Act. 2. c. *Cœperunt loqui Apoſtoli variis linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis*.

Sexta eſt prædicationis inflammatio. Act. 10. cap. *Adhuc loquente Petro, cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes, qui audiebant verbum*.

Septima eſt infirmitatis corroboratio. Apoſtolus. *Spiritus adiuvat infirmitatem noſtram*. Vnde per hunc ſpiritum Apoſtoli viceruntdamna rerum, contumelias verborum, paſſiones corporum.

Beatus Hieronymus omnia temporalia reliquit, mandata Chriſti, & conſilia adimplevit, charitate ſuccenſus fuit. Vnde *Auguſtinus in epiſtola 15. ad Hieronym.* Cùm hominem Chriſtiana charitate flagrantem, eaque mihi fidelem amicum factum eſſe ſentio, quicquid ei conſiliorum meorum cogitationumque committo, non homini committo, ſed illi, in quo manet, ut talis ſit: Deus enim charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet.)

Etiam Spiritus ſanctus ipſum docuit: multipliciter enim didicit.

1. Audiendo. Quia audivit Donatum in Grammatica, Victorinum in Rhetorica, Gregorium Nazianzenum in Theologia. Vnde ipſe dicit ſic: Cùm eſſem juvenis, miro diſcendi ferebar ardore, nec juxta quorundam præſumptionem ipſe me docui. Audiendo autem plus proficimus, quàm legendo.) Et rurſum. Scriptura ædificat lecta, ſed magis prodeſt, ſi de lectis vertatur in voces.)

2. Didicit legendo. Vnde *Auguſt. contra Iulianum* dicit: Sanctus Hieronymus omnes, vel penè omnes, qui ante illum de doctrina ſacra ſcripſerunt, legit. Et *Hieron. ad Nepotianum* dicit ſic: Divinas Scripturas ſæpius lege, imo de tuis manibus ſacra lectio nunquam deponatur.

3. Didicit meditando. Pſal. *In lege Domini meditabitur die ac nocte*.

4. Didicit conferendo. Vnde in *epiſt. ad Auguſt.* dicit: Triſtes hæc dictavimus; utinam mereremur complexus tuos, & collatione mutua vel docereſmus aliqua, vel diſceremus.

5. Didicit abſtinendo. Quia magnam abſtinentiam faciebat, & corpus ſuum ieiuniis macerabat, ut ſic Spiritum ſanctum ad eruditionem acciperet, ſicut Apoſtoli, Act. 2. c.

Etiam linguarum perfectionem habuit, ſcilicet Hebrææ, Græcæ, Latinæ, & Chaldaicæ. Inſuper intentus erat prædicationi, & exhortationi ſacrarum Scripturarum. Vnde ipſe ait *ad Ruſticum Monachum*: Ama ſcientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis. Et *Auguſtinus ad Hieronym.* ſcribens ait: Lædis enim me, ſi tacueris errorem meum, quem fortè invenies in dictis meis, &c. *Et iterum*. Nihil equidem moleſtiùs fero in omnibus anguſtiis meis, quas patior in difficillimis quæſtionibus meis, quàm longinquam tuæ charitatis abſentiam, cùm, ſi fieri poſſet, quotidie te præſentem habere vellem.) Etiam multas adverſitates perpeſſus eſt. Præterea ſicut Apoſtoli fuerũt cardines mundi, & coadjutores Chriſti in diſpenſatione Evangelii; ſic B. Hieronymus, dum eſſet annorum viginti novem in Romana Eccleſia Cardinalis Presbyter ordinatus eſt, ut ſummi Pontificis eſſet coadjutor, ſicut & fuit. Et ſic patet, &c.

QVINTO. *Venit in me ſpiritus ſapientiæ Martyrum*. Dicitur de Martyribus Matthæi 5. cap. *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*.

Beatus Hieronymus paſſus eſt magnam perſecutionem: quia, cùm quorundam Clericorum, & Monachorum vitia reprehenderet, ei inſidias paraverunt, & per veſtem muliebrem ſibi turpiter illuſerunt. Vnde *Severus in dialogo* ait: Sancto Hieronymo jugis adver-

Digitized by Google

versùs malos erat pugna. Oderunt eum Hæretici: quia eos impugnare non desinit. Oderunt eum Clerici: quia eorum vitam insectatur, & crimina.) Istas autem persecutiones ferebat quadrupliciter.

1. Patienter. Vnde ipse dicit: Maleficum me garriunt: sed scio ad regnum cælorum perveniri per infamiam,& bonam famam.

2. Gratanter. Vnde ait in *epist. ad Asellam.* Gratias ago Deo: quia dignus habitus sum, quem oderit mundus.

3. Desideranter. Vnde dicebat: Vtinam ob Domini mei Nomen, atque justitiam universa me infidelium turba persequatur.

4. Perseveranter. Vnde dicebat: Vtinam in opprobrium meum solidiùs exurgat hic mundus, tantùm ut merear à Christo laudari, & suæ pollicitationis sperare mercedem. Grata itaque desideranda tentatio est, cuius præmium à Christo speratur in cælo: nec maledictio gravis est, quæ divina laude mutatur.) Ideo autem istas persecutiones tolerabat, quia sciebat, verum Christianum ista pati debere. Vnde *ad Heliodorum* ipse ait: Erras frater, erras, si putas, Christianum unquam persecutionem non pati: & tunc maximè oppugnaris, si te oppugnari non sentis.) In his omnibus confugiebat ad Iesum, per quem omnia vincebat. Vnde dicit in *epistola ad Eustochium*: Itaque omni auxilio destitutus, ad Iesu jacebam pedes; rigabam lacrymis, crine tergebam, &c.

SEXTO. *Venit in me spiritus sapientia Confessorum*, & præcipuè Doctorum, eorum scilicet, qui docent verbo & exemplo.

Inter Doctores est quadruplex differentia. Primi sunt Doctores gulosi,qui docent virtutes & abstinentiam solo verbo. Vnde ipse dicit in quadam *epistola*: Delicatus Magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat.

Secundi sunt Doctores formidolosi, qui noverunt alios animare ad pugnam, ipsi tamen ad certamem descendere formidant.

Tertii sunt Doctores delicioſi, qui in eruentato milite reprehendunt formidinem, & ignaviam. Vnde in *epistola ad Pammachium* dicit: Delicata doctrina est pugnanti ictus dictare de muro: & cum ipse unguentis delibutus sis, eruentum militem accusare formidinis.)

Quarti sunt Doctores virtuosi, qui, quod alios docent, suo exemplo ædificant, sicut Christus, qui priùs cœpit facere, postea docere.

Sic Beatus Hieronymus Christum Doctorem justitiæ imitatus est, ut nihil sermone docuerit, quod ipse prius opere non compleverit. Præter conversationem suam, quam sanctam habuit, plura opera composuit, ultra traductionem Bibliorum, in qua plurimùm desudavit. Etiam circa expositionem Scripturarum,informationem morum, devastationem Hæreticorum assiduè intentus, de numero illorum est, de quibus dicitur Dan. 12. c. *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

SEPTIMO. *Venit in me spiritus sapientiæ immaculatorum*, seu Virginum. Vnde Lucæ 11. cap. dicitur: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Ipse enim virginitatem servavit illibatam. Quamvis autem *in epistola ad Pammachium* dicat: Virginitatem in cælum fero: non quia habeo, sed quia magis miror,quòd non habeo.) hoc tamen ex humilitate dixit. Ideo enim virginitatem se habere non reputabat: quia carnis incentiva sæpè perpessus fuerat. Vnde *in epistola ad Rusticum Monachum* ait: Væ nobis,qui quoties concupiscimus,toties fornicamur. Et *contra Iovinianum* dicit sic: Illa virginitas hostia Christi est, cuius nec mentem cogitatio, nec carnem libido maculavit.) Propterea Sap. 1. cap. dicitur: *In malevolam animam non introibit sapientia: nec habitat in corpore subdito peccatis.* Quam sapientiam nobis præstare dignetur Iesus Christus. Amen.

SER-

SERMO LI.

IN FESTO SANCTI FRANCISCI CONFESSORIS.

In Chriſto Ieſu valet nova creatura. Gal. 6. cap.

GRegorius *in Ezech. hom.* 4. ſuper iſto verbo dicit: Non eſt magni meriti, ſi quid foris erga nos agatur in corpore, ſed magnopere penſandum eſt, quid agatur in mente. Nam præſentem mundum deſpicere, tranſitoria non amare, mentem medullitùs in humilitate Deo, & proximo ſubſternere, contra illatas contumelias patientiam ſervare, cuſtoditâ patientiâ dolorem malitiæ à corde repellere, egenis propria tribuere, aliena minimè ambire, amicum in Deo diligere, propter Deum, & eos, qui inimici ſunt, amare, de afflictione proximi lugere, de morte eius, qui inimicus eſt, non exultare: hæc eſt nova creatura in Chriſto Ieſu. *Hæc ille*. Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtrum beatus Franciſcus per voluntariam abdicationem temporalis poſſeſſionis adeptus fuerit ſummam perfectionem Chriſtianæ religionis?

AD iſtam quæſtionem reſpondent tres Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt *beatus Gregorius* 4. *moral. cap.* 39. dicens: Sunt nonnulli juſtorum, qui ad comprehendendũ culmen perfectionis accincti, dum meliora, & altiora appetunt interius, cuncta derelinquunt exterius.

Alter eſt *beatus Hieronymus in epiſtola ad Paulinum* dicens: Crates ille Thebanus, homo quondam ditiſſimus, cùm ad philoſophandum Athenas pergeret, magni auri pondus abjecit, nec putavit ſe poſſe ſimul divitias, & virtutes poſſidere. Tu ergo Chriſticola nudum Chriſtum nudus ſequere.)

Tertius eſt *B. Thomas ſecunda ſecundæ, quæſt.* 186. *artic.* 3. *ad* 4. dicens: Duplex eſt beatitudo, ſive felicitas. Vna perfecta, quam expectamus in futura vita; alia autem imperfecta, ſecundùm quam aliqui dicuntur in hac vita beati. Præſentis autem vitæ felicitas eſt duplex. Vna quidem ſecundùm vitam activam, alia verò ſecundùm vitam contemplativam, ut patet per *Philoſophum* 10. *Ethicorum*. Ad felicitatem ergo vitæ activæ, quæ conſiſtit in exterioribus operationibus, divitiæ inſtrumentaliter coadjuvant: quia, ut *Philoſophus* dicit 10. *Ethic.* multa operamur per amicos, per divitias, & civilem potentiam, ſicut per quædam organa. Ad felicitatem autem contemplativæ vitæ non multum operantur, ſed magis impediunt, in quantum ſua ſolicitudine impediunt animi quietem, quæ maximè neceſſaria eſt contemplanti. Et hoc eſt, quod Philoſophus dicit 10. *Ethicorum*, quòd ad actiones multis opus eſt, ſpeculanti verò nullum talium, ſcilicet exteriorũ bonorum ad operationem neceſſitas, ſed impedimenta ſunt ad ſpeculationem. Ad futuram verò beatitudinem ordinatur aliquis per charitatem: & quia voluntaria paupertas eſt efficax exercitium perveniendi ad perfectam charitatem; ideo multum valet ad cæleſtem beatitudinem conſequendam. Vnde & Dominus Matth. 19. c. dicit: *Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo*. Divitiæ autem habitæ per ſe quidem natæ ſunt perfectionem charitatis impedire, principaliter alliciendo animum, & diſtrahendo. Vnde dicitur Matth. 13. cap. quòd *ſolicitudo ſeculi, & fallacia divitiarum ſuffocant verbum* Dei. Quia, ut *Gregorius* dicit, dum bonum deſiderium ad cor intrare non ſinunt, quaſi aditum ſtatus vitalis vetant; & ideo difficile eſt, charitatem inter divitias conſervare. Vnde Dominus dicit Matth. 19. c. quòd *dives difficilè intrabit in regnum cælorũ*. Quod quidem intelligendum eſt de eo, qui actu habet divitias. Nam de eo, qui affectum in divitiis ponit, dicit hoc eſſe impoſſibile ſecundùm expoſitionem *Chryſoſtomi*: cùm ſubdit: *Facilius eſt camelum per foramen*

men acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum cælorum. Et ideo non ſimpliciter dicitur dives eſſe beatus, ſed qui inventus eſt ſine macula, *Eccli.* 31. *cap.* Et hoc, quia rem difficilem fecit. Vnde ſubditur: *Quis eſt hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita ſua*. Vt ſcilicet inter divitias poſitus divitias non amaret.

Et *ad 6.* dicit: Abrenunciatio propriarũ divitiarũ cõparatur ad eleemoſynarũ largitionẽ, ſicut univerſale ad particulare, & holocauſtum ad ſacrificium. Vnde *Gregorius* dicit *ſuper Ezech.* quòd illi, qui ex poſſeſſis rebus ſubſidia egentibus ſubminiſtrãt, in bonis, quæ faciunt, ſacrificium offerunt: quia aliquid Deo immolant, & aliquid ſibi ſervant. Qui verò nihil ſibi reſervant, offerunt holocauſtum, quod eſt maius ſacrificio. Vnde & *Hieronymus contra Vigilantium* dicit: Quòd autem aſſeris, eos melius facere, qui utuntur rebus ſuis, & paulatim fructus poſſeſſionum pauperibus dividunt, non à me, ſed à Deo reſpondetur: Si vis perfectus eſſe, &c. Et poſtea ſubdit: Iſte, quem tu laudas, ſecundus, & tertius gradus eſt, quem & nos recipimus, dummodo ſciamus prima ſecundis, & tertiis præferenda. Et ideo ad excludendum errorem Vigilantii, dicitur in *lib. de eccleſiaſticis dogmatibus*: Bonum eſt facultates cum diſpenſatione pauperibus erogare: melius eſt pro intentione ſequendi Dominum inſimul donare, & abſolutum ſolicitudine egere cum Chriſto. *Hæc S. Thomas*.

Beatus Franciſcus prænoſcens, quòd ſtatus religionis eſt quoddam exercitium, & diſciplina, per quam pervenitur ad perfectionem charitatis (ad quod quidem neceſſarium eſt, quòd aliquis affectum ſuum totaliter abſtrahat à rebus mundanis: dicit enim *Auguſtinus lib. Confeſſ.* ad Deum loquens: Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat; unde ad perfectionem charitatis acquirendam primũ fundamentum eſt voluntaria paupertas, ut aliquis abſque proprio vivat;) propterea ipſe abdicatis omnibus lucris, & cupiditatibus terrenis, Chriſtum ſecutus eſt, & deponendo veterem hominem cum actibus ſuis, induit novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt. Ideo ipſe in Chriſto Ieſu eſt per ſui converſionem nova creatura.

In Chriſto Ieſu valet nova creatura,

Filiationis.	Imitationis.
Regenerationis.	Sanctificationis.
Aſſimilationis.	Caſtificationis.
Nunciationis.	Viſitationis.
Confeſſionis.	Sublimationis.

PRIMO. *In Chriſto Ieſu valet nova creatura, Beatus Franciſcus, ratione filiationis*. Vnde Apoc. 1. cap. dicitur: *Vidi ſimilem Filio hominis*. Iſte eſt B. Franciſcus, qui eſt filius Dei per adoptionem: filiatio enim adoptionis eſt quædam ſimilitudo naturalis filiationis. Filius autem Dei naturaliter procedit, ut verbum intellectuale, unum cum ipſo Patre exiſtens. Huic autem Verbo poteſt aliquis aſſimilari quatuor modis.

Primò. Secundùm rationem formæ, non autem ſecundùm intellectualitatem ipſius, ſicut forma domus exterius cõſtitutæ aſſimilatur verbo mentali artificis ſecundùm ſpeciem formæ, non autem ſecundùm intellectualitatem: quia forma domus in materia non eſt intellectualis, ſicut erat in mente artificis; & hoc modo quælibet creatura aſſimilatur verbo æterno, cùm ſit facta per verbum.

Secundò. Aſſimilatur creatura Verbo æterno non ſolùm ſecundùm rationem formæ, ſed etiam ſecundùm intellectualitatem ipſius, ſicut ſcientia, quæ fit in mente diſcipuli, aſſimilatur verbo, quod eſt in mente magiſtri, & hoc modo creatura rationalis etiam ſecundùm ſuam naturam aſſimilatur verbo Dei.

Tertiò. Aſſimilatur creatura Verbo æterno ſecundùm unitatem, quam habet ad Patrem, quod quidem fit per gratiam, & charitatem. Vnde Dominus orat Ioan. 17. cap. *Sint unum in nobis, ſicut & nos unum ſumus*. Et talis aſſimilatio convenit ſolùm habenti charitatem. Eph. 1. cap. *Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum Dei*.

Quartò. Aſſimilatur creatura Verbo æterno ſecundùm participationem æternæ hæreditatis; in quantum ex bonitate Dei admittitur ad participationem ſuorum bonorum, id eſt beatitudinis Divinæ, quæ conſiſtit in fruitione Dei, per quam ipſe Deus beatus eſt, & per ſeipſum dives, in quantum ſcilicet ſe ipſo fruitur. Hæc autem dicitur hæ-

re-

reditas alicuius, ex qua ipſe eſt dives; & ideo in quantum Deus ex ſua bonitate admittit homines ad beatitudinis hæreditatem, dicitur eos adoptare. Rom. 8. cap. *Si filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Non autem participamus gloriam Chriſti, niſi priùs conformemur illi in paſſione. Vnde ſubditur: *Si tamen compatimur, ut conglorificemur.* Sicut etiam ipſe dicit Lucæ ult. cap. *Sic oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.* Et loquitur de fidelibus admiſſis ad participationem gloriæ ſuæ, qui primò Paſſioni ſuæ aſſimilantur. Galat. 4. cap. *Miſit Deus Filium ſuum, ut adoptionem filiorum Dei reciperemus.* Et quia unumquodque perfectum eſt, quando finem conjungit ſuo principio.

Eccleſia Chriſti in ſui principio habuit Chriſtum paſſum; ita in fine ipſius habuit beatum Franciſcum crucifixum, & in hoc aſſimilatur Filio hominis. Et ſicut Chriſtus ſubjecit ſibi mundum per ſignum Crucis, in quo pependit, ubi quinque Vulneribus acceptis, diaboli poteſtatem confregit; ſic beatus Franciſcus ſignum Crucis maxima charitate dilexit. Iſaiæ 11. cap. *Levabit ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſrael, & diſperſos Iuda colliget à quatuor plagis terræ.* Quia enim memoria dominicæ Paſſionis tradita erat oblivioni, ut illam innovaret in cordibus omnium, ideo ſemper ferebat Crucem in manu, juxta illud Eccli. 36. cap. *Innova ſigna, & immuta mirabilia.* Cùm enim inveterata eſſent ſigna Chriſti apud ignaros, expediebat, ut beatus Franciſcus ea innovaret, cui dictum eſt à Domino Cant. 8. cap. *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum: ut ſignaculum ſuper brachium tuum.*

Innovavit autem ſignum Crucis quadrupliciter. 1. Ex protectione. Nam viſus eſt munitus duobus enſibus in modum Crucis, ita quòd diabolus in cor ſuum non poterat aſcendere, nec à ſuperiori per aliquam vanam ſpē, nec ab inferiori per vanum timorem, nec à dextris per inordinatam lætitiam, nec à ſiniſtris per inordinatam triſtitiam, ſeu dolorem. Et ſi diabolus volebat in ipſum introire à ſuperiori per fraudulentiam, ibi incidebatur enſe ſapientiæ. Si ab inferiori per concupiſcentiam, ibi incidebatur enſe caſtitatis, & continentiæ. Si à dextris per proſperitatem & avaritiam, ibi incidebatur enſe largitatis, & temperantiæ. Si à ſiniſtris per adverſitatem & impatientiam, ibi incidebatur enſe magnanimitatis, & patientiæ.

2. Ex inductione. Quidam enim ex Divina revelatione vidit Crucem auream ex ore beati Franciſci procedentem, cuius ſummitas cælum tangebat, propter quod Angeli inducebantur in magnam admirationem. Profunditas eius penetrabat terram, propter quod dæmones inducebantur in magnam confuſionem. Brachium dexterum protendebatur ad Auſtrum, propter quod fideles in Dei amore ferventes inducebantur ad devotionem. Brachium ſiniſtrum protendebatur ad Aquilonē, propter quod peccatores in Dei amore frigidi inducebantur ad converſionem.

3. Ex diſtinctione. Quidam enim vidit in fronte ſancti Franciſci ſignum *Thau* colorum varietate diſtinctum, quod eius frontem miro venuſtabat ornatu. Hoc ſigno litteras ſigillabat, peccata avertebat, & infirmos ſanabat. Vnde cuidam cum baculo, figuram *Thau* in ſe habente, apoſtema fregit, & ſanatus fuit.

4. Ex benedictione. Cùm enim quadam vice à capitulo provinciali corporaliter defuiſſet, viſus eſt à quodam in ſpiritu ibi conſiſtere, & in modum Crucis fratres benedicere. Inſuper appropinquante hora mortis eius in modum Crucis manibus cancellatis fratres benedixit, ſicut Iacob cancellatis manibus benedixit filios Ioſeph, ut habetur *Gen.* 48. *cap.* Immutavit autem mirabilia Paſſionis Chriſti ex impreſſione Vulnerum Chriſti in corpus eius. Vnde ipſe dicit Gal. 6. cap. *Ego Stigmata Domini Ieſu in corpore meo porto.* Huius autem impreſſionis Stigmatum cauſa fuit quadruplex.

Prima. Vehemens imaginatio. Patet. Nam *Hieron. in traditionib. hebraïs ſuper Gen.* dicit, quòd quædam mulier Æthiopem pepererit propter aſpectum cujuſdam figuræ ſimilis in eius cubili appenſæ. Similiter *Ariſt. Phil. lib. 9. de animal. c. 49.* affirmat: Gallinæ, cū gallos vicerunt, induunt mores, & affectus gallorum, atque etiam circa formam corporis ita immutantur, ut videantur galli. Quibuſdam etiam gallinis calcaria parva orta ſunt, licèt calcaria ſint propria gallorum. *Hæc ille.* Beatus Franciſcus in viſione, quâ vidit Seraphim ſex alas habentem, & inter alas effigiē hominis crucifixi, tam forti imaginatione motus eſt, quòd Vulnera Paſſionis Chriſti in ipſum impreſſa ſunt.

Secunda. Vehemens compaſſio. Amor enim dominicæ Paſſionis accendit tam fortiter cor ſancti Franciſci, ut, cùm de illa cogi-

taret, ex compaſſione totus liquefieret, & vix à lacrymis ſe contineret; ideo in carne ſua mirabilia fecit. Proverb. 6. cap. *Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta illius non ardeant?* Vnde ex dextro latere eius, tanquam lancea transfixo, ſæpe ſanguis exibat, qui tunicam, & femoralia ipſius reſpergebat: aliàs enim ſanguinem non emiſiſſet, ſi vera Stigmata non habuiſſet.

Tertia. Vehemens admiratio. *Auguſtinus contra Iulianum lib. 5. cap. 9.* dicit, quòd oves Iacob ex variato colore virgarum, fœtus varios concipiebant. Beatus Franciſcus videndo Seraphim crucifixum, admiratione, & ſtupore nimio replebatur, unde dolor ſenſibilis in eo cauſabatur. Cùm enim quidam frater eius ſcapulas confricaret, vulnus lateris tetigit, ad cuius tactum præ dolore fortiter clamavit.

Quarta. Vehemens meditatio. Eccle. 12. cap. *Frequens meditatio carnis afflictio eſt.* Pſalm. *In meditatione mea exardeſcet ignis.* Beatus Franciſcus Chriſti Paſſionem meditari non ceſſabat. Deut. 6. cap. *Meditaberis ſedens in domo tua.* Ideo Stigmata Paſſionis Chriſti ſibi impreſſa ſunt, ut patet ex multorum fidelium atteſtatione, qui tam in vita, quàm in morte illa viderunt, & tetigerunt, & oſculati ſunt. Papa Gregorius certificatus fuit. Clericus dubitans in manu ſua vulnus ſenſit. Miles devotus lethaliter ſauciatus, Stigmatibus S. Viri miraculosè ſanatus eſt.

SECVNDO. *In Chriſto Ieſu valet nova creatura, beatus Franciſcus, ratione regenerationis.* Eſt enim differentia inter Filium Dei naturalem, & filium Dei adoptivum. Filius enim Dei naturalis eſt genitus non factus: filius autem adoptivus eſt factus, ſecundùm illud Ioann. 1. cap. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Dicitur tamen quandoque filius adoptivus eſſe genitus propter ſpiritualem regenerationem, quæ eſt gratuita, non naturalis. Iac. 1. cap. *Voluntariè genuit nos, verbo veritatis.* Et *Hilarius* dicit *ſuper Matth.* quòd ſuper Ieſum baptizatum deſcendit Spiritus ſanctus, & vox Patris audita eſt dicentis: Hic eſt Filius meus dilectus; ut ex his, quæ conſummabantur in Chriſto, cognoſceremus poſt aquæ lavacrũ de cæleſtibus partibus ſanctum in nos Spiritum advolare, & paternæ vocis adoptione Dei filios fieri.)

Per baptiſmum autem non ſolùm efficimur filii Dei, ſed etiam in numero ſanctorum Angelorum computamur, qui & ipſi filii Dei dicuntur. Iob 38. cap. *Vbi eras, cùm me laudarent aſtra matutina, & iubilarent filii Dei?* Propterea, ſicut Chriſtus ante primum adventum ſuum, qui fuit miſericordiæ, præmiſit Angelum, ſcilicet Ioannem Baptiſtam; ſic ante ſecundum adventum ſuum, ſcilicet juſtitiæ, præmiſit alterum Angelum, ſanctum Franciſcum, de quo Apoc. 7. capite dicitur: *Vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei vivi.*

Iſte Angelus fuit B. Franciſcus, qui habuit quatuor excellentes proprietates Angeli, de quibus Pſalm. dicit: *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem urentem.*

Prima proprietas Angeli eſt obedientiæ velocitas. Ideo dicit: *Angelos ſuos*, id eſt, nuncios. Beatus Franciſcus habuit obedientiæ promptitudinem, ut patet in executione mandatorum, quæ Deus præcepit ſibi, quæ fuerant quatuor.

1. Vt adverſa lætanter ſuſciperet, & iſta lætanter ſuſcepit: quia malebat de ſe audire vituperium, quàm laudis præconium. Et cùm pueri poſt eum currerent, & lutum projicerent, ipſe ſemper ad omnia patiens fuit. Pſal. *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.*

2. Vt ſeipſum contemneret, dicens: Franciſce, amara pro dulcibus ſume, & teipſum contemne, ſi me cupis agnoſcere. Et hoc implevit: quia ſe peccatorem maximum reputavit. Vnde fratri interroganti, quam de ſe opinionem haberet, reſpondit: Videor mihi maximus peccator. 1. Timo. 1. cap. *Chriſtus venit in hunc mundum, peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum.*

3. Vt ſuam Eccleſiam repararet, dicens: Franciſce, vade, repara domum meam. Et ipſe verbo, exemplo, & opere complevit. 1. Timo. 3. *Sciat, quomodo oporteat te in domo Dei converſari.*

4. Vt in Deo tantùm, & non in alio ſperaret, dicens: Quis poteſt tibi melius facere, Dominus an ſervus? dives an pauper? Et ipſe omnem ſpem ſuam poſuit in Deo, dicens illud Pſalm. *Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet.*

Secunda proprietas Angeli eſt eſſentiæ puritas. Ideo dicit: *Spiritus.* Tanta fuit puritas corporis B. Franciſci, ut omnia, quæ in ipſo erant, ſancta fuerint. Matth. 6. c. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Vt patet in ſingulis partibus eius.

Ca-

Digitized by Google

Capilli eius fuerunt ſancti. Quia, cùm domus cujuſdam rueret, ille accepit modicum de capillis ſancti Franciſci, & in ſciſſuras poſuit, & domus firma permanſit, quia nimirum ſancti Viri capillus fragilis eam ſtabilivit.

Oculi eius fuerunt ſancti, è quibus devotas lacrymas emiſit, tam aſſiduas, ut infirmitatem incurreret oculorum. Cumque moneretur, ut ſibi à fletu parceret, reſpondebat: Non eſt ob amorem luminis, quod commune habemus cum muſcis, expellēda internæ viſitatio lucis.

Aures eius fuerunt ſanctæ: quia vocem Divinam audierunt, ut dictum eſt, & Angelicam jubilationem. Cùm enim ſemel ægrotaret, Angeli ſibi dulciſſimum edidere concentum, ex qua jubilatione anima eius gaviſa fuit, & corpus ſanatum.

Os eius ſanctum fuit. Quia verba, quæ ex ore ipſius procedebant, tantæ virtutis fuerunt, quòd, ſi quem benedicebat, erat benedictus; ut patet in illo, qui uxorem ſuam à ſalubri propoſito impediebat, cui Vir ſanctus ſuam benedictionem miſit, dicens: Fili nunc tempus eſt miſericordiæ, poſtea æquitatis. Ad quod verbū ille fuit protinus immutatus.

Saliva eius ſancta fuit. Quia, cùm quædam puella fuiſſet lumine oculorum privata, & Vir Dei de ſputo ſuo eius oculos liniviſſet, mox fuit curata.

Manus eius ſanctæ fuerunt. Quia fuerunt Chriſti Stigmatibus conſectatæ, ita quòd ea, quæ tangebat, ſancta erant: ſæpè enim panis ab eo tactus infirmos comedentes ſanabat.

Vngues eius ſanctæ fuerunt. Cùm enim quidam frater tentaretur de unguibus Viri Dei, quas habere cupiebat, ille in ſpiritu hoc cognoſcens, dixit ei: Veni fili: præcide ungues meas. Ille autem cum lætitia juſſa complens, pro reliquiis ipſas ſervavit, & tentatione omni fugata, conſolationem multam recepit.

Scriptura eius ſancta fuit. Cùm enim quidam frater tentaretur, cogitavit, quòd ſi de ſcriptura Patris ſancti haberet, omnem tentationem vinceret: quod ille in ſpiritu recognoſcens, vocato illo fratre, quaſdam laudes Dei in ſchedula ſcripſit, ſibique dedit, unde omnis tentatio evanuit.

Pedes eius ſancti fuerunt. Quia Chriſti Stigmatibus fuere conſecrati. Cùm enim oves, & boves in provincia Reatina peſtis conſumeret, quidam aſpergēs illa animalia aquâ, quam ex lotione pedum eius ſervaverat, mox omnis illa peſtilentia fugata fuit.

Cor eius ſanctum fuit, utpote laterali Vulnere Chriſti ſignatum, ab omni labe peccati nitidum.

Chorda eius ſancta fuit. Cùm enim in carne ſua motus aliquis concupiſcentiæ inſurgeret, ille caſtitatis amator chordâ ſe fortiſſimè verberabat, dicens: Eia frater aſine, ſic decet te manere, ſic ſubire flagellum. Vnde, cùm quidam chordam, quâ Vir Dei fuerat accinctus, cum devotione ſervaret, eam ſæpè in aquam intingebat, & omnes infirmi, de aqua illa potantes, ſanabantur.

Tertia proprietas Angeli eſt magna humilitas. Ideo dicit Pſ. *Et miniſtros ſuos*. Fuerunt enim in beato Franciſco quatuor gradus humilitatis.

Primus fuit laudes hominum fugere. Nam cuidam fratri præcepit, ut, cùm populus ipſum laudaret, ipſe in eum verba vilitatis inferret.

Secundus fuit de ſe ſemper timere. Vnde, cùm à populo beatificaretur, dicebat: Nolite me laudare tanquam ſecurum: adhuc filios, & filias habere poſſum rediens ad ſeculum. Nemo laudādus eſt, cuius incertus eſt exitus.)

Tertius eſt inferioribus obedire. Magis enim volebat ſubeſſe, quàm præeſſe. Vnde, cùm eſſet Generalis, ceſſit officio, & Guardiani voluntati parebat; & ſocio, cum quo ire ſolitus fuerat, obedientiā promittebat, & præſtabat.

Quartus fuit opprobria hominum ſpernere. Vnde, cùm tēpore hyemali miſerrimè veſtitus orationi tremens inſiſteret, dixit ei quidam, ut de ſuo ſudore pro numo ſibi venderet, ille reſpondit: Non tibi, ſed Domino meo vendam.

Quarta proprietas Angeli eſt fervens charitas. Ideo dicit: *Ignem urentem*. Charitas enim beati Franciſci fuit in ferventi oratione ad Deum, cuius fervor apparuit in quatuor.

1. In peccatorum remiſſione. Cùm enim quadam die orans peccata ſua deſleret, à Spiritu ſancto certificationem accepit, quòd Dominus peccata ſua ſibi remiſerat.

2. In ſubita mutatione. Cùm enim quadam die pro quodam Abbate inſtantiùs oraret, ſubitò tantam ille ſenſit mutationem, & mentis dulcedinem, quantam in vita ſua nunquam fuerat expertus.

3. In aſſidua contemplatione. Quia Ieſum toto corde, tota virtute contemplans, cælum inſpiciens terram videre dedignabatur, dicens: *Oculi mei ſemper ad Dominum: quoniam*

Digitized by Google

ipſe evellet de laqueo pedes meos.

4. In diaboli confuſione. Cùm enim civitatem Aſſiſiũ,& totam illam regionem draco videretur abſorbere, Vir Dei oravit, & ſtatim evanuit.

TERTIO. *In Chriſto Ieſu valet nova creatura; beatus Franciſcus, ratione aſſimilationis*. Dignitates, atque perfectiones ſanctorum Patriarcharum in ſe habuit excellentiſſimè, ita ut reluxerit tanquam

Adam ex innocentia, de quo dicitur Geneſ. 1. cap. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli*. Cui data fuit pro ſocia voluntaria paupertas, quando dictum eſt ei: *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas*; ſicut primo Angelo data fuit prò ſocia vera humilitas. Ordo enim Divinæ providentiæ hoc exigit, ut ſemper inferiora per ſuperiora gubernentur; unde, cùm homo ſit ſupra cetera animalia, utpote ad imaginem Dei factus, convenienter eius gubernationi cuncta animalia ſubduntur. Homo autem ex cupiditate paupertatem reliquit; ideo gratiam innocentiæ amiſit.

Beatus Franciſcus hanc innocentiam per voluntariam paupertatem Chriſtum ſequens recuperavit. Patet: quia in ſtatu innocentiæ ante inobedientiam hominis nihil ei repugnabat, quod naturaliter debebat ei eſſe ſubjectum, omnia autem animalia ſunt homini ſubjecta: ſed inobedientia eorum ad hominẽ ſubſecuta eſt in pœnam eius; unde vocem hominis fugiunt, ſe contrectari non permittunt, viſo homine à cantu deſiſtunt, & ſæva, atque nociva homini fiunt. Beato autem Franciſco obediebant: quia & vocata veniebant, & ſe ab ipſo tangi permittebant, & juſſa cantabant, & juſſa ſubticebant, & ſylveſtria manſuefiebant, ut habetur plenè *in legenda*. Vnde obedientia animalium ad beatum Franciſcum, non fuit levitatis in Viro Dei, ſed exemplar puritatis primi hominis in ſtatu innocentiæ.

Abel ex hoſtia. Heb. 11. cap. *Fide plurimam hoſtiam Abel quàm Cain obtulit Deo, per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe juſtus, teſtimonium perhibente muneribus eius Deo*. Nam ignis de cælo deſcendebat, & hoſtiam conſumebat.

Beatus Franciſcus omnia ſua in reparatione Eccleſiarum Chriſti diſtribuit, ſcilicet ſancti Damiani, ſancti Petri, & ſanctæ Mariæ de Angelis in Portiuncula, quam ſummè dilexit, in qua virtuosè profecit. Quidam vir ſanctus vidit innumeros homines cæcitate percuſſos facie in cælum directa, & genibus flexis in huius Eccleſiæ ſtare circuitu; qui omnes elevatis manibus lacrymantes à Deo petebant miſericordiam, & lumen. Et ecce vehemens de cælo ſplendor advenit, ſe per omnes diffundens, & gratiam largiens.

Noe ex multiplicatione. Genuit enim tres filios, quos in arcam induxit, à quibus genus humanum eſt multiplicatum, ut dicitur *Gen. 9. capite*.

Beatus Franciſcus in arca Eccleſiæ tres sãctiſſimos Ordines inchoavit: ſcilicet fratrum minorum, dominarum incluſarum, & fratrum de pœnitentia, & ab his multiplicatus eſt numerus ſalvandorum in cæleſti gloria.

Abraham ex promiſſione, qui patrem, patriam, & cognationem dereliquit, ut benedictionem hæreditate poſſideret, filium gratiâ genuit, qui in gentem magnam crevit.

Beatus Franciſcus omnem paternam hæreditatem reſpuit. Vocatus enim ante Epiſcopum Aſſiſii, depoſitis omnibus veſtimentis, & femoralibus, ceteriſque temporalibus, reſtituit ea patri, ſolo cilicio, quo utebatur, ſibi reſervato, dicens: Vſque nunc te vocavi patrem in terris, amodo autem ſecurus dicam: Pater noſter, qui es in cælis; penes quem omnem theſaurum repoſui, & omnem ſpem collocavi. Et civitate relictâ, ſecurus & liber ſecretum ſolitudinis petiit ſolus, & ſilens.

Iſaac ex immolatione, cui ſacramentum Crucis Chriſti revelatum eſt, quando pater eius in monte ipſum immolare voluit, *Geneſ. 22. capite*.

Beatus Franciſcus certificatus fuit à Domino Ieſu Chriſto ſex vicibus de eo, quod ſibi dixerat in prima viſione: ſcilicet quòd Dux in militia Chriſti futurus armis cæleſtibus, & ſigno Crucis decoraretur. Primò in principio ſuæ converſionis, quando Chriſtus ſibi apparuit & compaſſionis gladio mentem eius transfixit. Lucæ 2. cap. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*. Deinde quando audivit Crucifixum dicentem: Vade, repara domum meam. Quando frater Sylveſter vidit Crucem auream ex ipſius ore procedentem. Quando frater Pacificus vidit gladios in modum Crucis, viſcera Viri Dei transfigentes. Quando frater Monaldus vidit Virum Dei ſecundùm figuram Crucis in aere ſublevatum. Quando in monte Alverniæ fra-

ter

cet Illuminatus conſpexit Seraphim in modũ Crucifixi Viro Dei Stigmata impreſſiſſe, ut Chriſti Crucem propriis humeris bajularet, & ardenter prædicaret.

Iacob ex benedictione, qui duodecim filios velut Patriarchas genuit, quos etiam in fine vitæ ſuæ benedixit, *Gen. 49. cap.*

B. Franciſcus vetus ſupplantator mundi, novam Chriſto Religionem inchoans, duodecim fratres tanquam duodecim Patriarchas à Deo miſſos ſecum aſſumpſit, quorum nomina ſunt hæc. Petrus Cathanii, Ægidius, Sabbatinus, Moricus, Pacificus, Leo, Sylveſter, Ruffinus, Ioannes de ſancto Conſtantio, Bernardus de Viridante, Guilielmus Anglicus, Maſius de Marignano. Per iſtorum enim vitæ sãctitatem,exemplum,ac regimen Ordo iſte floruit.

Ioſeph ex interpretatione, qui vitem cum tribus propaginibus florentem interpretatus eſt, *Gen. 40. cap.*

Beatus Franciſcus tanquam vitis fructicavit. Eccli. 24. cap. *Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris.* Scil. ſanctæ vitæ. Et *flores mei*,ſcil. doctrinæ Evãgelicæ produxerunt *fructus honoris & honeſtatis*. Hæc vitis, ſcilicet beatus Franciſcus in primo Ordine produxit tres propagines: ſcilicet ſanctum Antonium de Patavio, ſanctum Ludovicum Epiſcopum, & ſanctum Bernardum de Quinta valle. In ſecundo Ordine produxit tres propagines: ſcilicet ſanctam Claram, ſanctam Agnetem filiam Regis Boemiæ, & ſanctã Salome de domo Regis Poloniæ. In tertio Ordine produxit tres propagines: ſcilicet beatum Petrum Pectinarium de Senis, beatum Lucenſem de Podiobonzo, & ſanctum Eleazarum. In hoc tertio Ordine quoad dominas produxit tres propagines: ſcilicet ſanctam Eliſabeth filiam Regis Vngariæ, beatam Æmilianam de Florentia, & beatam Michelinam de Piſauro, ut patet, &c.

Beniamin ex electione. Nam beatus Franciſcus rectè comparatur Beniamin propter decem ſingularia.

1. In ortu Beniamin mater eius emoritur, *Gen. 35. cap.* Sic in ortu converſionis beati Franciſci mater omnis carnalitatis extinguitur.

2. Beniamin diverſum à patre & matre nomen imponitur; unde mater non vocavit eum Beniamin, ſed filium doloris, pater verò vocavit eum Beniamin, id eſt, filium dexteræ, *Gen. 35. cap.* In beato Franciſco fuit maxima obſervantia pœnitentiæ, & auſteritas vitæ, quæ tamen faciunt in cælis filium dexteræ, licèt hìc videantur dolorem ingerere.

3. Beniamin fuerat minimus, & parvulus, *Gen. 42. cap.* In beato Franciſco fuit ſumma humilitas, non autem de numero eorum, de quibus *Bernardus* dicit: Quidam volunt eſſe humiles ſine deſpectu,pauperes ſine defectu, bene induti ſine ſolicitudine, bene paſti, delicati ſine labore, aliis adulantes, aliis detrahentes, mordaces ut canes, doloſi ut vulpes, ſuperbi ut leones, intrinſecus ut lupi rapaces, mellis dulcedinem, id eſt, inanis gloriæ, & latentis laſciviæ ſuggentes ut urſi: quia volunt eſſe ſine auctoritate Iudices, ſine viſu teſtes, poſtremò falſi accuſatores, & ideo veritate carentes.)

4. Beniamin à patre teneriùs diligitur, *Gen. 44. cap.* Beatum Franciſcum teneriùs dilexit Ieſus Chriſtus,ut patet ex impreſſione Stigmatum.

5. Beniamin Ægyptum, ſed non ſine cuſtodia Iudæ ingreditur, & egreditur, *Gen. 43. cap.* Beatus Franciſcus mira charitate ab opere contemplationis deſcendit ad opera fraternæ ſuſtentationis ſemper comite Divina confeſſione.

6. In ingreſſu Beniamin in Ægyptum Simeon à vinculis ſolvitur, *Gen. 43. cap.* Beatus Franciſcus ab operibus iniquitatis, à vinculis peccatorum verbo, & exemplo homines revocavit.

7. Scyphus argenteus in ſacco Beniamin abſconditur, *Gen. 44. cap.* In Beato Franciſco incorruptio admirandæ caſtitatis(quæ per argentum album deſignatur) reperitur.

8. Beniamin cum majoribus muneribus remittitur, *Gen. 45. cap.* Vbi dicitur, quòd Ioſeph dans ſingulis fratribus binas ſtolas; *Beniamin dedit trecentos argenteos cum quinque ſtolis optimis*. Beato Franciſco Dominus dedit magnifica donaria. Recepit enim trecentos argenteos, id eſt, tres aureolas pro tribus votis religionis, & quinque ſtolas optimas,id eſt,quinq;Plagas,quas non ſolùm corde, ſed etiam in corpore ſuo portavit.

9. Beniamin rapiens prædam deſcribitur, *Gen. 49. cap.* Beatus Franciſcus ſua ſonora prædicatione veritatis magnam prædam ad domum Dei adduxit,& quotidie adducit per ſuæ religionis profeſſores.

10. Beniamin civitatem Ieruſalem in ſortem recepit, *Ioſue 18. cap.* Beatus Franciſcus pro-

propter evangelicam perfectionem arctitiſſimæ paupertatis accepit in ſortem Ieruſalem cæleſtem. Vnde dicitur Deut. 33. cap. *Beniamin amantiſſimus Domini habitabit confidenter in eo: tota die quaſi in thalamo morabitur, & inter humeros illius requieſcet.*

QVARTO. *In Chriſto Ieſu valet nova creatura, beatus Franciſcus, ratione nunciationis*, quæ debetur ſanctis Prophetis. Vnde *Sanctus Thomas tertia parte quæſt. 7. artic. 8.* dicit: Propheta dicitur quaſi procul fans, vel procul videns: in quantum ſcilicet cognoſcit, & loquitur ea, quæ ſunt procul ab hominum ſenſibus. Sic etiam *Aug.* dicit *16. contra Fauſtum cap.* 18. Eſt autem conſiderandum, quòd non poteſt dici aliquis Propheta ex hoc, quod cognoſcit, & annunciat ea, quæ ſunt aliis procul, cum quibus ipſe non eſt. Et hoc eſt manifeſtum, & ſecundùm locum, & ſecundùm tempus. Si enim aliquis in Gallia exiſtens cognoſceret, & annunciaret aliis in Gallia exiſtentibus ea, quæ tunc in Syria agerentur, propheticum eſſet, ſicut Eliſeus de Giezi dixit 4. *Regum* 5. *cap.* quomodò vir deſcendebat de curru, & occurrebat ei. Si verò aliquis in Syria exiſtens ea, quæ ſunt ibi, annunciaret, non eſſet hoc propheticum. Et idem apparet ſecundùm tempus. Propheticum enim fuit, quod Iſaias prænunciavit, quòd Cyrus Rex Perſarum templum Dei eſſet reædificaturus, ut patet *Iſa.* 44. *cap.* Non autem fuit propheticum, quòd Eſdras hoc ſcripſit, cuius tempore factum eſt. Si ergo Deus, aut Angeli, vel etiam Beati cognoſcunt, & annunciant ea, quæ ſunt procul à noſtra notitia, hoc non pertinet ad prophetiam: quia in nullo noſtrum ſtatũ attingunt; quia prophetia eſt eorum, quæ ſunt procul à communi hominum ſenſu, cum quibus Propheta converſatur, & communicat in ſtatu viæ. *Hæc S. Thomas.*

Beatus Franciſcus floruit ſpiritu prophetiæ multipliciter. 1. Prædicens dominum Hugolinum Epiſcopum Hoſtienſem futurum ſummum Pontificem, quod rei probavit eventus: quia in ſummum Pontificem electus vocatus eſt Gregorius IX.

2. Dum eſſet captus à Peruſinis, & carceri mancipatus, lætanter ait: Adhuc ſanctus per totum mundum adorabor.

3. Dum eſſet apud Damiatam, quam Chriſtianorum obſidebat exercitus, prædixit ſocio ſuo, & univerſo Chriſticolarum exercitui, quòd non proſperabuntur, ſi belli attentarent congreſſum, quod rei probavit eventus.

4. Dum prædixit militi cuidam, qui eum ad prandium invitaverat, ſubitum caſum mortis, præmonens ipſum, ut confiteretur, & domui ſuæ diſponeret, quæ omnia ut complevit, mox ſpiritum exhalavit. In ipſo enim fuerunt perfectiones, ac prærogativæ Prophetarum veteris Teſtamenti, ut præluxerit tanquam

Moyſes in gubernatione, qui aſſumptus de aquis, ſcilicet mundanæ vanitatis, Spiritu Dei afflatus populum in deſerto pavit panè cælitùs miſſo: inſuper eduxit aquam de petra in deſerto; ut populus ſitiens biberet: præterea jejunavit quadraginta diebus, & totidem noctibus: excalceatus montem conſcendit, ut legem Domini acciperet, quam bis accepit, ut patet *Exodi*, & *Numeri in multis locis.*

Beatus Franciſcus ſpreta ſeculi vanitate, magis eligit affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æſtimans, theſauro patris ſui, improperium Chriſti, *Heb.* 11. *cap.* Hic per vallem Spoletanam cum fratribus ſuis tranſiens, diutino labore laſſatus, in quadam ſolitudine cum illis ſubſtitit: cumque fame deficerent, nec modus providendi ſuccurreret, Divinâ providente clementiâ, affuit Angelus, panem eis deferens, & ſubitò evanuit.

Similiter, cùm vir quidam admodum pauper ſuo aſello Virum Dei per montana veheret, & præ laſſitudine viæ aſperioris ſiti deficeret, ſubitò Vir Dei de jumento proſiliens, genuflexus in terram, extenſis manibus in cælum oravit ad Dominum; & ecce, mox de ſaxo duriſſimo aqua profluxit, de qua abundanter refocillatus eſt.

Præterea excalceatus Vir Dei montem quendam cum duobus ſociis Spiritu ſancto ducente conſcendit, ubi jejunans in pane & aqua quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, conſcribi fecit regulam, quam ſibi oranti Divinus Spiritus in flamma ignis ſuggeſſerat; quam cùm de monte deſcendens ſervandam ſuo Vicario commiſiſſet, & ille paucis elapſis diebus per incuriam amiſiſſe profiteretur, iterum in montem Sanctus Dei rediit, eamque inſtar prioris ex ore Dei ſuſcipiens, illicò reparavit, ad cuius obſervantiam fratres induxit. Eccli. 45. cap. *Dedit illi coram præcepta, & legem vitæ, & diſci-*

pli-

plina : docere Iacob teſtamentum ſuum, & iudicia ſua Iſrael.

Ioſue in deportatione, qui ait ad Sacerdotes : *Tollite arcam fœderis*. Et illam deportaverunt auxilio Divino, & non humano, *Ioſue 3. capite*.

Beatus Franciſcus cùm in quadam devaſtata Eccleſia oraret, intellexit per Spiritum ſanctum, ſacras ibidem reliquias remanſiſſe ; quas cùm præcepiſſet fratribus ſuis Sacerdotibus ad locum honorabilem deferre, juſſa Viri Dei negligentes, die altera arcam reliquiarum in loco ſublimiori Altaris repoſitam Divinâ virtute oculis ſuis conſpexerunt ; & cuius mandato nõ paruit homo, paruit Deus. Illi autem inobedientiæ veniam promeruerunt.

Gedeon in conflictatione, cui dixit Dominus : *In viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos, & tradam Madian in manu tua*, Iudicum 7. capite.

Beatus Franciſcus cum paucis fratribus, qui aquam temporalium conſolationum, non niſi ad neceſſitatem ſumunt, & multa mendicitate, hoſtes populi Dei devicit. Vnde Eccleſia cantat de eo : *Carnem mundumque conterens, hoſtes malignos proterens*.

David in unctione, quem Samuel juſſu Dei unxit in Regem ſuper Iſrael : qui acceptis quinque lapidibus de torrente, interfecit Philiſthæum, & abſtulit opprobrium ex Iſrael, 1. *Reg.* 16. & 17. *cap.*

Beatus Franciſcus accedens ad Papam Innocentium Tertium pro confirmatione Ordinis ſui, Spiritu Dei afflatus, propoſuit hanc parabolam de divite Rege cum muliere formoſa & paupere contrahente, & de prole ſuſcepta, præferente Regis imaginem, & educanda de menſa ipſius ; quam ſic interpretatus eſt : Non eſt dubitandum, quòd fame pereant æterni Regis filii, qui ad imaginem Regis Chriſti per Spiritus ſancti virtutem de paupere matre nati, per ſpiritum paupertatis ſunt in religione paupercula educandi, &c. Cognita itaque voluntate Dei ſummus Pontifex, velut alter Samuel Ordinem ſancti Franciſci deſpectum, atque abjectum, velut David, confirmavit. Pſal. *Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei : magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum*, &c. Qui ſumpto ſigno Crucis, & quinque Stigmatibus, velut quinque lapidibus, potentiam diaboli confregit.

Salomon in fabricatione, qui fabricavit tres domos, ſcilicet templum, domum ſaltus, & domum filiæ Pharaonis, 3. *Reg.* 7. *cap.*

B. Franciſcus tres domos ſpiritualis ædificii fabricavit, ſcilicet fratrum Minorum, monialium incluſarum, & fratrum de pœnitentia, in quibus factus eſt omnibus cauſa ſalutis æternæ, ut omnes hi Ordines dicere poſſint illud Tob. 12. cap. *Bonis omnibus per eum repleti ſumus*. Et ſic cultum Dei valde ampliavit.

Aſael in curſitatione. Porrò *Aſael curſor velociſſimus fuit, quaſi unus ex capreis, qua morantur in ſylvis*, 2. Reg. 2.

Beatus Frãciſcus velut Aſael, id eſt plaſmatio Dei quantùm ad novam Religionem ſibi divinitùs oſtenſam, præcurſor æterni Iudicis, velociſſimus propter depoſitionem ponderis temporalium rerum, quaſi unus ex capreis, acutus viſu prophetico, in ſylvis huius mundi regnum æternum indefeſſè prædicavit.

Elias in ſubvectione, qui in curru igneo tranſlatus eſt in cælum, 4. *Reg.* 2. *cap.*

Beatus Franciſcus in civitate Aſſiſio ſemel prædicaturus in Eccleſia cathedrali, ferè mediâ noctis horâ in horto Canonicorum orans, cum quibuſdam ex ſociis ſuis præmonſtratus eſt in curru igneo, & ſplendente, quem viri Iſraelitæ, ſcilicet fratres ſui Ordinis ſequerentur. Nam currus igneus mirandi ſplendoris per oſtium domus intrans, huc atque illuc per domicilium tertiò ſe convertit, ſupra quem globus lucidus reſidebat, qui ſolis habens aſpectum, noctem clarefecit. In globi medio beatus Pater reſidebat ſupernis irradiatus fulgoribus, & ardoribus inflammatus : quia verba ignita proferebat, juxta illud Pſalm. *Ignitum eloquium tuum vehementer : & ſervus tuus dilexit illud*, &c.

Eliſeus in operatione. Nam Elias aſcendens in cælum dimiſit pallium ſuum in terram, per quod Eliſeus operatus eſt mirabilia, ut patet 4. *Reg.* 2. *cap.*

Beatus Franciſcus accepto pallio Chriſti, id eſt Stigmatibus ſuper carne ſua, poſt Aſcẽſionẽ Chriſti in cælum mirabilia operatus eſt. Cùm enim tempore hyemali præ laſſitudine corporis ſubvectus aſello cujuſdam pauperis ſub crepidine cujuſdam prominentis rupis pernoctaret, ſuperveniente algore, & nivibus homo ille murmurabat ; quem Vir ſanctus ſacris manibus contingens, mente, & corpore confortavit cibo, calore, atque dormitione ſuavi. Et ſicut Deus aperuit cor pueri ad videndum montem plenum equorum, & curruum igneorum in circuitu Eliſei 4. *Reg.* 6.

ſic

Digitized by Google

ſic' Deus aperuit oculos fratrum ſimplicium ad preces ſancti Franciſci, ut intelligerent magnalia Dei: nam Sanctus ſecreta conſcientiarum prædictorum fratrum cœpit rimari, & de profectu Ordinis multa futura prædicere, ex quibus valde confortati fuerunt.

Iob in elevatione. Vnde ipſe dicit 39. cap. *Ad præceptum tuum elevabitur aquila: in arduis ponet nidum ſuum.*

Beatus Franciſcus, velut aquila elevabatur ad cæleſtia per ſanctam meditationem, præcipuè verò in illa Seraphica viſione, in qua præcepit is, qui ſibi apparuerat, quòd pleraque arcana ſibi revelata nunquam, dum viveret, cuiquam aperiret. 2. Cor. 12. cap. *Audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui, in cælum raptus*, &c.

Iſaias in devotione: quia valde afficiebatur ad Incarnationem Chriſti, de qua abundanter, & copiosè prophetavit, ut non ſolùm Propheta, ſed etiam Evangeliſta credatur. Vnde 9. cap. dixit: *Parvulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis*, &c.

Beatus Franciſcus anno tertio ante obitum ſuum memoriam Nativitatis Chriſti ad devotionem excitandam apud caſtrum Græcii diſpoſuit agere mira celebritate. Itaque licentiâ à ſummo Pontifice obtentâ, juſſit parari præſepe, apportari fœnum, bovem, & aſinum adduci. Concurrentibus undique populis nox illa ſplendens, & ſolemnis efficitur. Stabat Vir Dei coram præſepi lacrymis perfuſus, & dum Miſſa celebraretur, dominus Ioannes de Græcio in ſpiritu prævidit, quòd beatus Pater quendam puerulum valde formoſum ambobus complexans brachiis excitabat à ſomno; unde mirabiliter tunc populo prædicavit de Chriſti Incarnatione.

Ieremias in prædicatione, cui dicitur 22. cap. *Aſcende Libanum, & clama: & in Baſan da vocem tuam, & clama ad tranſeuntes*, &c.

B. Franciſcus aſcendit ad vitæ munditiã, & ad fervorem orationis. At volens non minus acclamare tranſeuntes, nempe peccatores, prædicando; perplexus interrogabat confratres: Quidnam conſulitis, quidnam laudatis: an quòd orationi vacem, an quod prædicando diſcurram? Et revelatum eſt ſibi à Domino, quòd prædicationi operam daret, & Angelus Domini dixit ei prædictum verbum Ieremiæ.

Ezechiel in deſignatione, qui dicit 28. c. *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientiâ, & perfectus decore, in deliciis paradiſi Dei fuiſti.*

Beatus Franciſcus fuit ſignaculum ſimilitudinis Dei propter ferventem amorem; quod patet ex corporis elevatione. Vnde cùm oraret, ſæpe viſus eſt totus à terra ſublevari, quæ elevatio corporis ſignificabat elevationem mentis. Etiam patet per alienationem mentis. Sancti enim viri in mentis exceſſum rapti exterius inſenſibiles reddunturt: quia ab amoris vehementia ex toto interius abſorbentur. Vnde, cùm ſemel ſanctus Franciſcus tranſiens à populo comprimeretur, inſenſibilis per omnia viſus eſt. 2. Cor. 12. c. *Scio hominem in Chriſto, ſive in corpore, ſive extra corpus, neſcio*, &c.

Daniel in confortatione, qui dicit 4. cap. *Videbam, & ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia. Magna arbor, & fortis: & proceritas eius contingens cælum: aſpectus illius uſque ad terminos univerſæ terræ: folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & eſca univerſorum in ea.*

Beatus Franciſcus Divinam conſulens providentiam ſuper Ordinis ſui confirmationem, cùm adiret Sedem Apoſtolicam, hac confortatus eſt viſione. Videbat ſiquidem arborem celſitudinis magnæ, ad quam cùm appropinquaſſet, & ſub ea ſtans ipſius altitudinem miraretur, ſubitò Divinâ virtute levabatur in altum, ut cacumen contingeret arboris, ejuſque ſumma facillimè curvaret ad ima. Huius viſionis præſagiũ Vir Spiritu ſancto plenus, intelligens referri ad condeſcenſionem Apoſtolicæ dignitatis, exhilaratus eſt ſpiritu, fratribuſque ſuis in Domino confortatis, iter cum eis ad Curiam Romanam aggreſſus eſt.

Oſee in converſatione, qui dicit 2. cap. *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius: & canet iuxta dies iuventutis ſuæ, iuxta dies aſcenſionis ſuæ de terra Aegypti.*

Beatus Franciſcus à diebus converſionis ſuæ ſolitudinem cupiebat, ubi crebriùs cum Deo loquebatur. Rogatus enim à domino Leone Cardinali ſanctæ Crucis, ut ſecum aliquantulum moraretur in urbe, acquievit humiliter, & devotè; aſt per totam noctem vexatus à dæmonibus, & graviter verberatus, ſocio ſuo de mane hoc referens, ait: Meliùs judico eum, qui ponitur in exemplũ aliis, fugere curias, & humiliter inter humi-

les

les in locis conversari humilibus, ut sustinentes penuriam fortes efficiantur similia sustinendo, &c.

Ioel in prædicatione, qui dicit 2. cap. *Similis ei non fuit à principio, & post eum non erit usque in annos generationis & generationis. Ante faciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma: quasi hortus voluptatis terra coram eo.*

Beatus Franciscus in paupertate non habuit similem, ut patet quando comesturus cum domino Hostiensi prius ostiatim eleemosynam petendo mendicavit; propter quam paupertatem velut ignis populos accendebat ad charitatem Dei sua prædicatione. Sed neque poterat prohiberi à prædicatione, quin velut flamma accenderet quosque ad verbum Dei audiendum, ut patet, quando venit Imolam ad prædicandum: nam cùm prohibuisset Episcopus civitatis turbato animo, ne prædicaret, Vir Dei iterum rediens ad Episcopum, comparuit facie instar ignis flammigerâ, verba promens pariter urentia; quod Episcopus intelligens fore prodigium Dei, illicò ei concessit licentiam prædicandi, &c.

Amos in oratione, qui dicit 9. cap. *Vidi Dominum stantem super Altare, & dixit: Percute cardinem, & commoveantur superliminaria.*

Beatus Franciscus valde intentus fuit orationi, adeo ut visibiliter Christum viderit, & cum eo familiariter locutus fuerit. Vnde cùm semel Assisii oraret, Episcopus civitatis quadam curiositate ductus intravit cellam, seu oratorium ipsius, qui statim mutus effectus est, & paralyticus, donec per Virum Dei liberatus est.

Michaas in annunciatione, qui dicit 3. cap. *Ego repletus sum fortitudine Spiritus Domini, iudicio, & virtute: ut annunciem Iacob scelus suum, & Israel peccatum suum.*

Beatus Franciscus repletus spiritu prophetico, annunciavit fratri Leonardo de Assisio socio suo elationem, quam mente gerebat, quòd non de pari ludunt parentes sui cum parentibus illius fratris. Etiam annunciavit rebellionem cujusdam fratris contra Vicarium suum, dum teneret capitulum, &c.

Nahum in consolatione, qui dicit 1. cap. *Ecce super montes pedes evangelizantis, & annunciantis pacem.*

B. Franciscus cõsolabatur multos, qui semidesperati videbantur, ut patet de illo fratre, qui non nisi nutibus confitebatur, & de illis duobus, qui venerant ad eremitorium, ut benedictionem à Viro Dei reportarent, qui tandem consolati abierunt.

Aggæus in electione, qui dicit 2. cap. *Et ponam te quasi signaculum: quia te elegi, dicit Dominus exercituum.*

Beatus Franciscus electus fuit à Domino, ut esset signaculum paupertatis Iesu Christi, ut patet ex salutatione, quam sibi fecerunt illæ tres dominæ dicentes: Bene veniat domina paupertas; quæ mox disparuerunt.

Zacharias in mensuratione, qui dicit 2. cap. *Levavi oculos meos, & vidi, & ecce vir, & in manu eius funiculus mensorum.* Iste vir est beatus Franciscus, qui cingitur funiculo ad mensurandum.

QVINTO. *In Christo Iesu valet nova creatura, beatus Franciscus, ratione confessionis.* Interrogati enim Discipuli à Christo, quem ipsum esse crederent, dixit Petrus: *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* Ex qua confessione meruerunt esse Principes mundi, & Ianitores cæli, ut dicitur *Matth. 16. cap.* In quibus fuerunt quatuor dignitates, quas etiam Deus contulit beato Francisco.

Prima. Nominis mutatio. Petrus enim ante vocationem vocabatur Simon, postea vocatus est à Christo Petrus, secundùm illud Ioann. 1. cap. *Intuitus autem Iesus, dixit: Tu es Simon filius Ioanna: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.*

Beatus Franciscus ante conversionem suã vocabatur Ioannes filius Petri Bernardonis, sed post conversionem suam vocatus est à Christo in Ecclesia Franciscus, quando Crucifixus dixit sibi: Francisce, vade, repara domum meam. Cuius mutationis quadruplex fuit causa.

Prima. Ratione officii, ad quod erat assumptus. Nã Divina providentia sibi hoc nomen imposuit, ut ex singulari, & insueto nomine operatio ministerii eius toti citiùs innotesceret orbi.

Secunda. Ratione effectus virtuosi. Quia per ipsum, & filios suos, quos regeneraturus erat in Christo, multos servos peccati, & diaboli Christus debebat facere francos, seu liberos.

Tertia. Ratione magnanimitatis in corde. Nam Franci à feritate sunt dicti: quia inest eis naturalis feritas, & magnanimitas animorum; quam feritatem ostendit beatus Franciscus in illo fratre inobediente, cuius caputium fecit in ignem poni.

Digitized by Google

Quarta. Ratione honeſtatis in converſatione. Aiunt enim franciſcas dici ſigna quædam inſtar ſecurium, quæ Romæ ante Conſules ferebantur, quæ erant in terrorem. Sic ſermo Franciſci inſtar ſecuris vitia incidebat.

Secunda. Legis Chriſti obſervatio. Vndè Petrus dixit ad Ieſum: *Ecce, nos reliquimus omnia; & ſecuti ſumus te*, Matthæi 19. cap. Beatus Franciſcus legem Chriſti obſervavit, omnia cum Apoſtolis relinquendo. Ideo paupertatem amplexatus eſt quadrupliciter.

1. Voluntariè. Cùm enim quadam die Evangelium legeretur, in quo Chriſtus Diſcipulos ſuos ſine auro, & calceamentis mittebat, ut habetur *Matth. 10. & Luc. 9. & 10. cap.* ſubitò ad omnia implenda ſe accinxit.

2. Humiliter. Libentius enim veſcebatur eleemoſynis oſtiatim quæſitis, quàm ſpontè oblatis, utpotè afferens, illum panem eſſe Angelicum, qui dabatur inſpirationibus Angelorum. Pſal. *Panem Angelorum manducavit homo.* Patet de militibus Aſſiſinatibus, qui venerunt pro eo, quos in via mendicare exhortatus eſt.

3. Perſeveranter. Cùm enim ab aliquo eleemoſynam impetraſſet, ab eo petebat licentiam, ut licitè poſſet, ſi magis egenus occurreret, erogare; ut patet de paupere, dum ipſe rediret Senis, cui dedit palliolum, quo ſuper habitum erat amictus, dicens, ipſum eſſe illius, qui eo pauperior erat.

4. Regulariter. Cùm enim frater Bernardus primus beati Patris ſocius, eius veſtigia ſequi diſpoſuiſſet, ambo intraverunt Eccleſiam ſancti Nicolai mane, poſt quorum devotas orationes beatus Pater aperuit librum Evangeliorum, in cuius principio erat: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende, omnia*, &c. In ſecunda apertione ejuſdem libri erat: *Nihil tuleritis in via*, &c. In tertia erat: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum*, &c. Hæc eſt, ait Vir ſanctus, vita, & regula noſtra, omniumque, qui voluerint noſtræ ſocietati conjungi. Patet de illo, quem noluit acceptare ad Ordinem ſuum, qui bona ſua legavit parentibus ſuis, & non pauperibus, & ſic de multis aliis.

Tertia. Eccleſiæ Chriſti ſuſtentatio. Apoſtoli Chriſti fuerunt fundamenta Eccleſiæ ſuæ. Apocal. 21. cap. *Muri civitatis habent fundamenta duodecim, & in ipſis nomina duodecim Apoſtolorum*. Sic cùm ſummus Pontifex Lateranenſem Baſilicam minari ruinam conſpiceret, vidit ſanctum Franciſcum dorſo ſuo ſuppoſito eam ſuſtentare. Eccles. 9. cap. *Civitas parva, & pauci in ea viri*, ſcilicet merito, licèt multi ſint numero. *Venit contra eam Rex magnus*, id eſt, diabolus. *Inventuſque in ea vir pauper, & ſapiens, & liberavit urbem per ſapientiam ſuam.*

Quarta. Spiritus ſancti repletio: quia *repleti ſunt omnes Spiritu ſancto*, Act. 2. cap. Beatus Franciſcus repletus fuit Spiritu ſancto multipliciter.

1. Ad peccatorum remiſſionem. Cùm enim quadam die in quodam ſolitario loco annos ſuos in amaritudine recogitans deploraret, ſancti Spiritus in eum ſuperveniente lætitiâ, certificatus eſt de remiſſione plenaria omnium peccatorum.

2. Ad corporis calefactionem. Interrogatus enim, quomodò cum tunica tam tenuis à frigore poſſet tueri, reſpondit: Si ignis ſancti Spiritus non interiùs calefaceret, caro noſtra exteriùs frigus ſentiret. Pſalm. *Inflammatum eſt cor meum*, &c.

3. Ad occultorum cognitionem. Vndè Senis cuidam Doctori Theologiæ quendam ſecretum conſcientiæ illius ſcrupulum revelando explicuit, & ſalubriter conſulendo reſecavit.

4. Ad ſecretorum cæleſtium prædicationem. Nam Spiritus ſanctus Apoſtolos Divina myſteria perdocuit, & omnium linguarum ſcientiam dedit, ad divulgationem legis Chriſti.

Beatus Franciſcus ſecreta cæleſtia orando Spiritu ſancto ſuggerente didicit. Quærentibus aliquando fratribus, an ſibi placeret, quòd literati jam recepti ad Ordinem, intenderent ſtudio ſacræ Scripturæ, reſpondit: Mihi quidem placet, dum tamen exemplo Chriſti (qui magis oraſſe legitur, quàm legiſſe) orationis ſtudium non omittant; & exemplo Apoſtolorum, de quibus dicitur, quòd erant perſeverantes in oratione, quando Spiritus ſanctus eos ſupervenerat. Etiam quarundam aliarum linguarum peritiam miraculosè adeptus, dum ardore ſpiritus replebatur, locutus eſt Gallicè.

SEXTO. *In Chriſto Ieſu valet nova creatura, beatus Franciſcus, ratione imitationis.* Ferventi enim charitatis incendio glorioſum ſanctorum Martyrum æmulabatur triumphũ, in quibus nec amoris flamma extingui, nec fortitudo potuit infirmari. Deſiderabat enim & ipſe eadem charitate ſuccenſus per martyrii flammam hoſtiam Domino ſe offerre viven-

ventem, ut & vicem Chriſto pro nobis morienti rependeret,& ad Divinum amorem ceteros provocaret.

Ardor martyrii apparuit in eo ex quatuor.

Primò. Quia ſexto converſionis ſuæ anno deſiderio martyrii flagrans ad prædicandam fidem Chriſtianam, & pœnitentiam Sarracenis, & aliis infidelibus ad partes Syriæ transfretare diſpoſuit; ſed impeditus voluntate Dei in Schlavonia remanſit aliquamdiu prædicaturus. Verũ,quia martyrii fructus adeo cor eius allexerat, ut pretiosã pro Chriſto mortem ſuper omnia virtutum merita peroptaret, Marochiũ versùs iter arripuit,ut ibi Chriſti Evangelium prędicaret,ſi quomodo deſideratam palmam attingeret. Cùm autem in Hiſpaniam perveniſſet, gravi correptus infirmitate, redire ad proprios lares coactus eſt.

Secundò. Quia decimo tertio converſionis ſuæ anno ad partes Syriæ pergens Sarracenos incurrit, qui eum crudeliter tractaverunt, affi cientes convitiis, affligentes verberibus, & vinculis alligantes, fame, & ſiti cruciantes.

Tertiò. Quia perductus ad Soldanum, multâ conſtantiâ, virtute animi, ac fervore ſpiritus prædicto Soldano Deum Trinum, & Vnum, & Salvatorem omnium Ieſum Chriſtum prædicavit; pro cuius fidei veritate hortabatur Soldanum, ut juberet ignem copioſum incendi, & ipſum cum Sacerdotibus Paganis imitteret in ignem. Si ipſe illæſus exiret, agnoſceret Chriſtianæ fidei veritatem, & ad fidem Chriſti cum populo ſuo converteretur; ſin autem, peccatis ſuis aſcriberetur.

Quartò. Quia Ordinem ſuum ideo inſtituerat, ut fratres ſui pro fide Chriſti mori non formidarent. Hic enim Ordo ſuper ceteros Ordines paſſurus eſt perſecutionem ob defenſionem fidei, figuratus in paſſione puerorum 2. Machab. 7. cap. ubi dicitur: *Rex accenſus irà in hunc crudelius ſuper omnes deſævit*. Per iſtum minimum fratrem deſignatur Ordo fratrum Minorum, ſuper quos tyrannus ille ultimus, qui tunc temporis imperabit, exardeſcet, & ſitiet ſanguinem illorum. Vnde *Abbas Ioachim ſuper Ieremiam* dicit: Hic eſt Beniamin,in cuius partu mater emoritur: quia, cùm apparuerit Ordo ille fratrum minimus in tempore ſexto, Romana Eccleſia inter anguſtias Regis ultimi patietur.)

SEPTIMO. *In Chriſto Ieſu valet nova creatura, beatus Franciſcus, ratione ſanctificationis*. Vnde Apoc. 5. cap. dicitur: *Vidi librum ſignatum ſigillis ſeptem*. Hic liber eſt Beatus Franciſcus propter ſapientiam, quam miſſus eſt prædicare, quæ conſiſtit in verbo, & in opere. Signatur autem ſigillis ſeptem propter ſeptem conditiones ſummæ ac Divinæ ſapientiæ, quæ fulſit in eo,atque notantur Iacobi 3. cap. ubi dicitur: *Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordiâ, & fructibus bonis*.

Has conditiones habuit beatus Franciſcus. 1. Fuit pudicus, complens illud, quod dicitur 1. Timo. 3. cap. *Diaconos ſimiliter pudicos*. Beatus Franciſcus mulierum familiaritates, colloquia, & aſpectus, quæ multis occaſio ſunt ruinæ, ſolicitiùs evitari jubebat; unde ipſe nullam recognoſcebat in carne, &c.

2. Fuit pacificus, proximos inter ſe diſcordes pacificans, cui poteſt dici illud 3. Reg. 2. cap. *Pacificus ne eſt ingreſſus tuus? Et ait: Pacificus*. Vnde de ipſo cantatur: *Verè paci ſociat longinquos à ſalute*. Et fratribus ſuis dulcis Pater dicebat: Ite, annunciate hominibus pacem: prædicate pœnitentiam in remiſſionem peccatorum ſecundùm Evangelium Ieſu Chriſti.

3. Fuit modeſtus in moribus ſimilis Oniæ, de quo dicitur 2. Machab. 15. capite: *Erat autem Onias vir bonus, & benignus, verecundus viſu,modeſtus moribus, eloquio decorus*. Propterea dicebat B. Pater filiis ſuis: Eſtote in tribulationibus patientes, in orationibus vigiles, in laboribus ſtrenui, in ſermonibus modeſti, in moribus graves, & in beneficiis grati: quia pro his omnibus vobis regnum præparatur æternum.

4. Fuit ſuadibilis, aliis prædicando, & ad beatè vivendum conſulendo, novumque Ordinem inſtituendo;qui dum peteret eius confirmationem à ſummo Pontifice, & quibuſdã Cardinalibus novum & inſolitum quid videretur, tunc Dominus Ioannes de ſancto Paulo Epiſcopus Sabinenſis, Cardinalis, ſpiritu Dei inflammatus,ait: Si petitionem hujus pauperis, tanquam nimis arduam, novamque refellimus, cùm petat ſibi confirmari formam Evangelicæ vitæ,cavendum eſt nobis, ne in Chriſti Evangelium offendamus; Nam ſi quis intra Evangelicæ perfectionis

obſervantiam & votum ipſius dicat, contineri aliquid novum, aut irrationabile, vel impoſſibile ad ſervandum, contra ipſum Evangelii Auctorem blaſphemare convincitur. Ecce quomodò regula eius eſt ſuadibilis, ſicut lex Ieſu Chriſti, &c.

5. Fuit conſentiens bonis per obedientiâ, & humilitatem. Cùm enim quæreretur ab eo, quis eſſet verus obediens; corporis mortui ſimilitudinem propoſuit, quod movebitur, & ſtabit, caputque inclinabit, quocunque illud collocaveris, non murmurans, nec reclamans. Et ait ſocio ſuo: Non mihi videor frater Minor, niſi fuero in ſtatu, quem tibi deſcripſero. Ecce Prælatus exiſtens fratrum, vado ad capitulum, prædico, & commoneo fratres, & in fine dicitur contra me: Non convenis nobis: quia illiteratus es, eſinguis, idiota, & ſimplex: tandem ejicior cum opprobrio vilipenſus ab omnibus. Dico tibi: Niſi eodem vultu, eâdem mentis lætitiâ, eodem ſanctitatis propoſito hæc verba audiero, frater Minor nequaquam ſum. In prælatione caſus, in laude præcipitium, in humilitate ſubditi animæ lucrum eſt.

6. Fuit plenus miſericordiâ. Cùm enim ſemel pauperi cuidam eleemoſynam importunè petenti unus ex fratribus duriùs reſponderet, præcepit Beatus Franciſcus, ut ad illius pauperis pedes ſe nudatum proſterneret, & proclamaret culpabilem, orationis ſuffragium poſtularet, & veniam. Quod cùm ille feciſſet humiliter, adjecit beatus Pater: Dum pauperem vides, ſpeculum tibi proponitur Chriſti, & Matris eius.

7. Fuit plenus fructibus bonis, quoad ſanctos fratres huius Ordinis, qui vitâ, & miraculis claruerunt.

Frater Bernardus de Quintavalle primus filius Sancti Franciſci, frater Sylveſter, frater Electus, frater Leo confeſſor ſancti Franciſci, frater Guilielmus de Anglia, frater Angelus de Reate, frater Maſius de Marignano, frater Ruffinus conſanguineus beatæ Claræ, frater Guido de Senis, frater Ægidius de Capociis, frater Valentinus de Narnia. Hi undecim cum Beato Franciſco jacent in Eccleſia Aſſiſii.

In Eccleſia de Angelis jacent hi ſanctiſſimi viri vitâ, & miraculis clari: Frater Petrus Catanii, qui fuit ſecundus ſocius B. Franciſci, quatuor ſocii B. Franciſci, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ, frater Iacobus, qui vidit animam beati Franciſci in ſpecie ſtellæ, frater Ioannes Simplex, cum quo eſt cor beati Franciſci in ſignum dilectionis collocatum.

Petuſii jacent hi ſanctiſſimi viri vitâ, & miraculis ſplendidiſſimi: ſcilicet frater Ægidius de Aſſiſio, qui fuit tertius ſocius beati Franciſci, frater Conradus, frater Ventura laicus, frater Nicolaus de Aſſiſio laicus.

Tuderti jacent hi ſanctiſſimi viri vitâ, & miraculis conſpicui: Frater Gulielmus, frater Rogerius, frater Petrus de Galliculo. His ſimiles plures penè innumeros continet univerſus orbis in diverſis regnis, provinciis, & urbibus, quorum memoria eſt in libro juſtorum.

De eodem ſacro Ordine prodierunt *Pontifices* quatuor: Nicolaus Quartus, Alexander Quintus, Sixtus Quartus, Sixtus Quintus. *Cardinales* (quorum primus S. Bonaventura de Balneo regio) *Patriarchæ*, *Archiepiſcopi*, *Epiſcopi*, in magno numero. *Scriptores*: Alexander ab Ales, S. Bonaventura, Cornelius Muſſus, Franciſcus Ximenius, Ioannes Scotus, Franciſcus Maronus, Guilielmus Ochamus, Petrus Rudolphus, Ricardus de Mediavilla, Nicolaus de Lyra, aliique famoſi, tanquam plantulæ cum fructu honoris, & honeſtatis, *Eccli.* 24. *cap.*

OCTAVO. *In Chriſto Ieſu valet nova creatura, beatus Franciſcus, ratione caſtificationis*. Vnde Gal. 5. cap. dicitur: *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis*. Quia enim in ſeculo aliqualem contraxit inmunditiam, ideo neceſſaria fuit ei quadruplex lotio.

Prima fuit religionis, per quam homo conſequitur plenariam remiſſionem ſuorum peccatorum. Vnde *ſanctus Thomas ſecunda ſecundæ quæſt.* 189. *articulo* 3. *ad* 3. dicit: Votum religionis, cùm ſit perpetuum, eſt maius, quàm votum peregrinationis terræ ſanctæ, quod eſt temporale. Et ſicut *Alexander Tertius* dicit, ut habetur *Extra de voto, & voti redemptione, cap. Scripturæ*: Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam noſcitur religionis obſervantiam commutare.) Rationabiliter autem dici poteſt, quòd per ingreſſum religionis aliquis conſequatur remiſſionem omnium peccatorum. Si enim aliquibus eleemoſynis factis homo poteſt ſtatim ſatisfacere de peccatis ſuis, ſecundùm illud Dan. 4. cap. *Peccata tua eleemoſynis redime*; multò magis in ſatisfactionem pro omnibus peccatis ſufficit,

cit, quòd aliquis ſe totaliter Divinis obſequiis mancipet per religionis ingreſſum, quæ excedit omne genus ſatisfactionis, etiam publicæ pœnitentiæ, ut habetur 33. *quæſt.* 2. *cap. Admonere*. Sicut etiam holocauſtum excedit ſacrificium, ut *Gregorius hom.* 20. dicit *ſuper Ezech.* Vnde *in vitis Patrum* legitur, quòd eandem gratiam conſequuntur religionem ingredientes, quam conſequuntur baptizati. *Hæc ſanctus Thomas*.

Beatus ergo Franciſcus poſt vanam illam converſationem ſuam in ſeculo religionem ingreſſus, quam Crucifixus ei demonſtravit, per internam inſpirationem conſecutus fuit plenariam ſuorum peccatorum remiſſionem, ſicut poſtea certificatus fuit.

Secunda fuit expiationis. Vnde Numeri 31. cap. dicitur: *Qui non poteſt ignem ſuſtinere, aquâ expiationis ſanctificabitur*. Quia, qui non poteſt ſuſtinere gravem pœnitentiâ pro peccatis ſuis, ad lacrymas veniat, per quas lavet oculos, quantùm ad puram intentionem in Deum. Ioann. 9. cap. *Lavi oculos meos, & ecce video*. Lavet cor, quantùm ad depoſitionem malarum cogitationum. Ierem. 4. cap. *Lava à malitia cor tuum, Ieruſalem*. Lavet manus, quantùm ad deteſtationem malè ablatorum. Pſalm. *Lavabo inter innocentes manus meas*. Et Iacobi 4. cap. dicitur: *Emundate manus, peccatores*. Lavet veſtimenta, quantùm ad honeſtam converſationem. Exodi 19. *Lavent veſtimenta ſua, & ſint parati in diem tertium*.

Beatus Franciſcus lacrymis ſuis lavit omnia hæc, adeo ut lumen oculorum videretur amiſiſſe, ut dicere poſſit illud Threnorum 2. cap. *Defecerunt præ lacrymis oculi mei*.

Tertia fuit mortificationis. Gal. 6. cap. *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*. Ideo poteſt dicere illud Cant. 5. cap. *Oculi mei ſicut columbæ, quæ lacte ſunt lotæ*.

Oculi cordis beati Franciſci fuerunt oculi columbæ per ſanctam ſimplicitatem, ſed lacte loti fuerunt propter cuſtodiam caſtitatis. Si enim aliquando ſenſiſſet ſtimulum carnis, ſtatim ſeipſum denudatum immergebat in foveam nive plenam, aut glacie, modò cum chorda ſe graviter verberando, modò cibos, ne palatum allicerent, aquâ frigidâ vel cinere miſcendo. Coloſs. 3. cap. *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram*.

Quarta fuit dilectionis. Gen. 49. cap. *Lavabit in vino*, ſcilicet Divini amoris, *ſtolam ſuam*. Magis enim diligebat eum, qui aſperiùs ipſũ increpabat, quàm eum, qui ſibi blandiebatur, ut patet de illo, qui dixit ſibi: Ora, Pater, Dominum, ut mitiùs tecum agat: manum enim ſuam plùs debito ſuper te gravare videtur. Quo audito, Vir ſanctus cum eiulatu exclamans, ait: Niſi noſſem in te ſimplicem puritatem, tuum ex nunc abhorrerem conſortium, qui auſus es circa me Divina judicia reprehenſibilia judicare. Ipſe etiam in corrigendis culpis dilectionem cum ſeveritate temperabat, ut patet in illo fratre, cuius caputium in igne mitti juſsit, quod tamen illæſum exilivit.

NONO. *In Chriſto Ieſu valet nova creatura, beatus Franciſcus, ratione viſitationis*. Lucæ 1. cap. *Viſitavit nos, oriens ex alto*. Sicut enim Chriſtus ad nos venit ad noſtri redemptionem; ſic beatus Franciſcus ad nos miſſus eſt propter legis Evangelicæ reparationem, ut quilibet noſtrum poſsit dicere illud Iob 10. cap. *Viſitatio tua cuſtodivit ſpiritum meum*. Et hoc propter conformitatem, & aſſimilationem vitæ beati Franciſci ad vitam Chriſti in multis, ut patet.

1. In illuminatione. Nam ſicut Chriſto in hunc mundum ingrediente, nox illuminata eſt (ſicut dicitur Lucæ 2. cap. *Ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos.*) ſic B. Franciſco causâ prædicationis iter agente, juxta Padum tenebroſa noctis ſupervenit obſcuritas: cumque pericula viarum eſſent multa propter fluvium, & paludes, dixit ſocius ad virum ſanctum: Ora, Pater, ut de inſtantibus periculis eruamur. Et ecce nutu Viri Dei tanta lux ſuperna virtute eis affulſit, ut quaſi luce ſolis ad locum hoſpitii cum laudibus, & hymnis felices pervenerint.

2. In annunciatione. Nam ſicut Chriſto in hunc mundum ingrediente, Angeli annunciaverunt pacem mundo (Luc. 2. cap. *Facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*) ſic Beatus Franciſcus in omni prædicatione ſua pacem annunciabat, dicens: *Dominus det vobis pacem*. Quam ſalutationem Domino revelante didicerat. Iſa. 52. cap. *Quàm pulchri ſuper montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis ſalutem!*

3. In reclinatione. Nam ſicut Chriſto naſcente in hunc mundum reclinatus eſt inter animalia (Iſa. 1. cap. *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum,*

ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui.) ſic beatus Franciſcus viſus eſt reclinaſſe Chriſtum in præſepio, quando fecit repræſentationem præſepii, &c.

4. In obviatione. Nam ſicut Chriſto fugiente in Ægyptum obviavit latronibus, quos omnino à feritate immutavit, *Matth. 2. cap.* ſic beatus Franciſcus in principio ſuæ converſionis civitatem relinquens, ſecurus & liber per ſylvam quandam iter faciens, obviavit latronibus, quos immutavit dicens: Præco ſum magni Regis; quem liberum dimiſerunt.

5. In ſubjectione. Nam ſicut Chriſtus, licèt eſſet Deus, & Dominus omnium, voluit ſubjici parentibus ſuis (Lucæ 2. cap. *Deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis.* Et Paulus Gal. 4. *Nihil differt à ſervo, cùm ſit Dominus omnium.*) ſic beatus Franciſcus, non tam præeſſe voluit, quàm ſubeſſe: nec tam præcipere, quàm parere. Vnde Generalis cedens officio, Guardianum petiit, cuius voluntati per omnia ſubjaceret. Etiam fratri, cum quo ibat, ſemper obedientiam ſervabat.

6. In diſputatione. Nam ſicut Chriſtus duodenarius in templo inventus fuit in medio Doctorum (Lucæ 2. cap. *Invenerunt eum in templo, ſedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos*) ſic beatus Franciſcus duodecimo anno ſuæ converſionis Senis interrogatus à quodam Doctore Theologiæ, de quibuſdam quæſtionibus difficilibus, tanta claritate doctrinæ Divinæ ſapientiæ patefecit arcana, ut vehementer ille ſtuperet.

7. In vocatione. Nam ſicut Chriſtus vocavit Apoſtolos de vanitatibus ſeculi, ut habetur *Ioann. 1. cap. & Matth. 4. cap.* ſic beatus Franciſcus vocavit nutu, & ſpiritu Dei duodecim viros ad religionis Evangelicæ obſervantiam, non uno momento, ſed viciſſim, ut ſuprà dictum eſt.

8. In converſione. Nam ſicut Chriſtus oſtendit gloriam ſuam, convertendo aquam in vinum in nuptiis, ut dicitur *Ioan. 2. cap.* ſic beatus Franciſcus, cùm apud eremum ſancti Vrbani graviſſimè ægrotaret, & vinum poſtulaſſet, allata à fratribus ſuis aquâ, ſignoque Crucis edito, mox in vinum converſa eſt, ad cuius guſtum plenè convaluit, & ſanatus eſt.

9. In ſanatione. Nam ſicut Chriſtus deſcendens de monte, ſanavit leproſum, tangens manum eius, ut dicitur *Matth. 8. cap.* ſic beatus Franciſcus dum equitaret per planitiem Aſſiſii, obviavit cuidam leproſo, ſtatimque de equo proſiliens in oſcula eius ruit, qui pecuniam illi porrexit. Alium autem à morbo, quem cancrum dicunt, ſuo oſculo ſanavit.

10. In tentatione. Nam ſicut Chriſtus jejunavit quadraginta diebus, & totidem noctibus, poſtea à diabolo tentatus, *Matthæi 4. c.* ſic beatus Franciſcus poſt jejunium quadraginta dierum, quod celebravit à feſto Epiphaniæ uſque ad quadrageſimam, fuit tentatus à diabolo, dicēte ſibi exiſtenti in oratione: Nullus eſt pecator, cui pœnitenti Deus non indulgeat, ſed nimis ſe affligenti veniam denegat. Vir ſanctus hanc ſuggeſtionem vicit per ſapientiam & diſcretionem, cognoſcens, quòd per hoc volebat ipſum à fervore abducere. 1. Ioann. 4. cap. *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint.*

Etiam tentavit ipſum de avaritia, quando in via ſacculum plenum denariis reperit, ſed nullatenus accipere acquievit. Tandem à ſocio moleſtatus aperiri juſſit, & ecce ſerpens inde exiliens cum ipſo evanuit. Phil. 3. cap. *Omnia arbitratus ſum ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifacerem.*

11. In prædicatione. Nam turbis irruentibus in Ieſum, ut audirent verbum Dei, ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Geneſareth, & aſcendit in unam navem, & docebat de navicula turbas, *Lucæ 5. cap.* ſic beatus Franciſcus, dum ſemel Gaietæ in maris litore prædicaret turbis irruentibus præ devotione, in unam hærentem litori naviculam proſiliit ſolus, quæ ſeipſam nullâ ope longiùs à terra protraxit: tamdiu autem fixa in fluctibus manſit, quouſque Vir ſanctus turbis expectantibus in litore prædicavit. Finito ſermone, dataque benedictione populis, navicula proprio ductu ad locum ſuum remeavit.

12. In multiplicatione. Nam Chriſtus in deſerto multiplicavit panes quinque ſibi oblatos, ut ex illis ſatiarentur quinque millia hominum, ut dicitur *Ioann. 6. cap.* ſic beatus Franciſcus elam navem quorundam mercatorum conſcendens cum ſocio, pauperem eleemoſynam ſibi divinitùs oblatā adeo multiplicavit, ut omnibus in navi exiſtentibus per menſem ſuffecerit, aliàs nihil habentibus.

13. In receptione. Nam Chriſtus libenter peccatores recipiebat, & cum eis manducabat; unde Phariſæi murmurabant dicentes:

Quia

Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis, Lucæ 15. cap. Sic beatus Franciſcus ſpiritu Dei afflatus, advertens quendam ex fratribus ſuis nimietate abſtinentiæ penè deficere (unde tentatione diaboli fratri illi periculum imminebat) pius Paſtor, licèt eſſet nox, vocavit fratrem, appoſuit panem, priorque comedit, & ad manducandum fratrem illum invitavit. Vnde, ut dixit fratribus, non cibus, ſed charitas illum comedere coegit. Etiam illum militem convertit, qui eum ad prandium vocavit, ut ſuprà dictum eſt.

14. In oratione. Nam Chriſtus docuit Diſcipulos ſuos orare, dicens: *Sic ergo orabitis: Pater noſter, qui es in cælis*, &c. Matth. 6. cap. Sic beatus Franciſcus fratres ſuos orare docens, dixit: Sic orabitis: Pater noſter, &c. Et ad omnes Eccleſias dicite: Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi: quia per Crucem tuam redemiſti mundum. Quod illi obſervarunt fideliter.

15. In perfectione. Nam Chriſtus legem Evangelicam maximæ perfectionis tradidit Diſcipulis ſuis, dicens: *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris: non peram in via, neque duas tunicas; neque calceamenta, neque virgam*, Matth. 10. c. Beatus Franciſcus eandem regulam tradidit fratribus ſuis, ut patet in regula ſua. Vnde, cum quidam fratres ſui ad partes Syriæ tranſfretaſſent, quidam Sarracenus pietate commotus, pecuniam eis obtulit pro neceſſario victu; quibus recuſantibus miniſtravit neceſſaria ſingula, &c.

16. In operatione. Nam Chriſtus mittens Diſcipulos ſuos in mundum, dedit eis virtutem operandi miracula, ut dicitur *Matth.* 10. cap. Qui etiam confirmabat legem ſuam multis miraculis. Vnde dicitur Marci 1. c. *Stupebant ſuper doctrina eius: erat enim docens, quaſi poteſtatem habens*. B. Franciſcus regulam ſuam confirmavit multis miraculis, ut patet in *legenda*. Patet etiam ex viſione Divina de micis, quibus paſcebat fratres ſuos.

17. In informatione. Nam Chriſtus informavit Diſcipulos ſuos ad fugiendum otium, & verba otioſa. *Omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii*, &c. Matth. 12. cap. Beatus Franciſcus otium docuit eſſe fugiendum, & rebellem carnem & pigram diſciplinis continuis, & fructuoſis laboribus domandam, crebris cædendam flagellis, & vili pabulo ſuſtentandam. Vnde dixit: Volo fratres meos laborare, & excitari, ne otio dediti per illicita corde aut linguâ vagentur. Et ſicut Chriſtus non habuit lectum, in quo dormiret, ſed aut ſuper terram, aut aſſerem dormiebat, ſicut in navi dormivit, quando mare fuit commotum, *Matth.* 8. *cap.* ſic beatus Franciſcus ſuper nudam humum laſſato corpuſculo ſedens dormiebat, ligno, vel lapide capiti ſuppoſito, &c.

18. In correptione. Nam ſicut Chriſtus corripuit Diſcipulos ſuos, quando inter eos orta fuit contentio, quis eorum videretur eſſe maior, dicens eis: *Qui præceſſor eſt, fiat ſicut miniſtrator*, Luc. 22. & Matth. 20. cap. ſic beatus Franciſcus hac de cauſa voluit vocari fratres ſuos fratres Minores, & Prælatos ſui Ordinis dici Miniſtros, ut verbis Evangelii uteretur, quod obſervare promiſerat. Cumque dominus Hoſtienſis (qui poſtea fuit Gregorius IX.) exquireret ab eo, an ſibi placeret, quòd fratres ſui Ordinis promoverentur ad Eccleſiaſticas dignitates, reſpondit: Domine, Minores ideo dicti ſunt, ne præſumant fieri majores.

19. In Transfiguratione. Nam ſicut Chriſtus, ut confortaret Diſcipulos ſuos in lege, quam eis tradiderat, oſtendit gloriam ſuam in Transfiguratione Corporis ſui coram eis, *Matth.* 17. *cap.* ſic beatus Franciſcus, ut animaret fratres ſuos ad obſervantiam regulæ, raptus ſupra ſe in quodam ſecretiſſimo loco, aſſumptis tribus ſociis fratribus ſuis, & in quoddam mirandum lumen totus abſorptus, quæ circa ſe, & filios ſuos futura erant, clarè conſpexit. Poſt hoc reverſus ad fratres ait: Confortamini in Domino, neque quia pauci eſtis contriſtemini: quia in magnam multitudinem faciet vos creſcere Deus, ſuæque benedictionis gratia multipliciter dilatabit.

20. In deportatione. Nam ſicut Chriſtus magno honore, & laudibus venit Ieruſalem, ubi receptus eſt cum gaudio, *Matth.* 21 *cap.* ſic beatus Franciſcus Nucerâ Aſſiſium per ſolemnes nuncios, ad hoc Aſſiſinatis populi devotione tranſmiſſos, reductus eſt, &c.

21. In honoratione. Nam ſicut turba ſtravit ramos arborum, & veſtimenta ſua in via, ut honorem Domino exhiberet, *Ioann.* 12. *cap.* ſic quidam vir de Aſſiſio, eruditus à Domino, cùm per civitatem obviabat Franciſco, deponebat pallium, ſternebat ipſius pedibus veſtimentum, dicens eum dignum tali honore, qui in proximo ab omnibus foret ma-

magnificè honorandus.

22. In commendatione. Nam ſicut Chriſtus in cœna commendavit gregem ſuum Patri, ut dicitur *Ioann. 17. cap.* ſic beatus Franciſcus anxio ſpiritu precatus eſt Dominum pro filiis. Cui reſponſum eſt à Domino: Ego vocavi: ſervabo, & paſcam: & aliis excidentibus, alios ſubrogabo, ita ut, ſi nati non fuerint, faciam illos naſci. Et quantiſcunque fuerit impulſibus paupercula hæc religio concuſſa, ſalva ſemper meo munere permanebit.

23. In confortatione. Nam ſicut Chriſtus in horto orabat Patrem, & apparuit illi Angelus mira claritate, confortans eum, *Luca 22. cap.* ſic beatus Franciſcus in quodam nemore clamoroſis gemitibus Divinâ pro peccatoribus interpellans clementiam, deplorans etiam quaſi coram poſitam dominicam Paſſionem, viſus eſt nocte orans manibus ad modum Crucis protenſis, toto corpore ſublevatus à terra, & nubeculâ quadam fulgente circundatus, ubi incerta ſibi, & occulta Divinæ Sapientiæ revelata ſunt, quaſi præſagia quædam futuræ exaltationis.

24. In exprobratione. Nam ſicut Chriſtus in civitate Ieruſalem in domo Annæ, & Caiphæ multipliciter fuit deriſus, *Matth. 26. cap.* ſic beatus Franciſcus in principio ſuæ converſionis exiens de fovea, in qua aliquandiu latuerat, & abjecto pavore, civitatis Aſſiſii viam aggreſſus eſt. Quem cùm cives cernerent facie ſqualidum, & mente mutatum, ac per hoc alienatum putarent à ſenſu, luto platearum, & lapidibus impetebant, & tanquam inſano, & dementi clamoroſis vocibus inſultabant, ſed vir Dei tanquam ſurdus pertranſibat; pater autem eius per tractum domi primò verbis, deinde verberibus afflixit, &c.

25. In flagellatione. Nam ſicut Chriſtus fuit graviſſimè flagellatus in prætorio Pilati, *Ioann. 19. c.* ſic beatus Franciſcus exiſtens in domo cujuſdam Cardinalis fuit atrociter à dæmonibus verberatus, &c.

26. In deductione. Nam ſicut Chriſtus fune ligato ad collum baiulans ſibi Crucem, deductus eſt ad locum ſupplicii, ubi tamen ſalutifera verba aſtantibus dixit, *Ioann. ibid.* ſic beatus Franciſcus Spiritu Dei inflammatus in platea civitatis Aſſiſii, populo ſolemniter convocato, cum multis fratribus, quos ſecum adduxerat, majorem introivit Eccleſiam, funeque ad collum ligato, nudum cum femoralibus ſolis in oculis omnium ſe trahi præcepit uſque ad lapidem, ad quem malefactores plectendi ducebantur. Super quem conſcendens, licèt quartanarius eſſet & debilis, acerbi frigoris tempore cum multo vigore animi prædicavit.

27. In crucifixione. Nam ſicut Chriſtus in monte Calvariæ crucifixus fuit, impreſſis in Corpus eius quinque Vulneribus, *Ioann. 19. cap.* ſic beatus Franciſcus in monte Alverniæ ex viſione Crucifixi Seraphici quinque vulnera in corpus ſuum excepit.

28. In nudatione. Nam ſicut Chriſtus nudus in Cruce remanſit uſque ad mortem, *Ioann. ibid.* ſic beatus Frãciſcus morti appropinquans, ad ſanctam Mariam de Portiuncula portari ſe fecit, ubi ſuper nudam humum in modum Crucis totus nudus in ſpiritus fervore proſtratus, facie levata ad cælum Pſalmum illum: *Voce mea ad Dominum clamavi*, &c. uſque: *me expectant iuſti, donec retribuas mihi*, orando dixit; ſicque expiravit.

29. In penetratione. Nam ſicut Chriſtus januis clauſis ad Diſcipulos intravit, eoſque ſalutavit, & benedixit, *Ioann. 20. cap.* ſic beatus Franciſcus in Arelatenſi capitulo (cui interfuit ſanctus Antonius de Patavio) mira Dei virtute viſibilis apparuit in aere ſublevatus, extenſis velut in Cruce manibus, benedicens fratres. Novum miraculi genus!

30. In apparitione. Nam ſicut Chriſtus deſcendit in hoſpitium Emmaus in forma peregrini, ubi ad menſam cum duobus Diſcipulis ſedit, *Luca 24. cap.* ſic beatus Franciſcus in die Paſchæ, cùm moram faceret in eremitorio quodam valde ſecreto (memor illius, qui Diſcipulis euntibus in Emmaus ipſo die in ſpecie peregrini apparuit) à ſuis fratribus ut peregrinus, & pauper eleemoſynam petiit, quam cùm accepiſſet humiliter, ſacris eos informavit eloquiis, quòd tranſeuntes per mundi deſertum tanquam peregrini, & advenæ, verique Hebræi paſcha Domini ſeu tranſitum ex hoc mundo ad Patrem in paupertate ſpiritus continuè celebrarent, propter quod mira conſolatione ſpiritus repleti ſunt fratres. Et ſic patet, &c.

DECIMO. *In Chriſto Ieſu valet nova creatura, beatus Franciſcus, ratione ſublimationis.* Eius enim gloria fuit præoſtenſa quadrupliciter.

1. In ſede ſublimi. Vidit enim quidam frater ſocius beati Franciſci ſedem unam in cælo ceteris digniorem, pretioſis ornatam la-

lapidibus, & omni gloriâ refulgentem; cui dictum eſt: Sedes iſta humili ſervatur Franciſco.

2. In ſtella. Vidit enim quidam ſocius eius animam illam ſanctiſſimam ſub ſpecie ſtellæ præfulgidæ à candida ſubvectam nubecula ſuper aquas multas in cælum recto tramite ſurſum ferri.

3. In luna plena. Vidit enim quidam ſocius eius animam illam ſanctiſſimam inſtar lunæ plenæ valde lucidæ in cælum attolli, diverſis circundatam fulgoribus.

4. In ſole refulgente. Vidit enim quidam ſocius eius animam illam ſanctiſſimam in ſpecie ſolis, quam duodecim lucidiſſimi radii circundabant. Ideo dicitur Eccli. 50. cap. *Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ: & quaſi luna plena in diebus ſuis lucet: & quaſi ſol refulgens, ſic iſte effulſit in Templo Dei.* Et Iob 31. cap. *Vidi ſolem, cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè, & lætatum eſt in abſcondito cor meum.* Ecce quomodò in Chriſto Ieſu valet nova creatuta, beatus Franciſcus, hìc per gratiam, tandem per gloriam. Amen.

SERMO LII.

IN FESTO SANCTI LVCAE EVANGELISTAE.

Dignus eſt operarius mercede. Lucæ 10. cap.

BEatus Paulus Apoſtolus 1. Corin. 3. cap. dicit: *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.* Super quo talem moveo quæſtionem.

Verum beatus Lucas ſecundùm ſui virtuoſam operationem meruerit vitæ æternæ glorificationem?

AD iſtam quæſtionem reſpondent duo Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt Matth. 20. cap. dicens: *Voca operarios, & redde illis mercedem.*

Alter eſt Paulus Rom. 4. cap. dicens: *Ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.*

Sciendum, quòd circa meritum vitæ æternæ ponit *Sanctus Thomas prima ſecundæ quæſt.* 114. concluſiones quatuor, valde neceſſarias.

Prima concluſio. Homo in quantum per propriam voluntatem cooperatur gratiæ Dei ſibi infuſæ, meretur à Deo mercedē ſui laboris,& operis. Patet. Quia meritum,& merces ad idem referuntur. Id enim merces dicitur, quod alicui recompenſatur pro retributione operis, vel laboris, quaſi quoddam pretium ipſius. Vnde, ſicut reddere juſtum pretium pro re accepta ab aliquo, eſt opus juſtitiæ; ita etiam recompenſare mercedem operis,vel laboris, eſt actus juſtitiæ: juſtitia autem eſt æqualitas quædam, ut dicitur 5. *Ethicorum.* Ideo ſimpliciter eſt juſtitia inter eos, quorum eſt ſimpliciter æqualitas. Eorum verò, quorum non eſt ſimpliciter æqualitas, non eſt ſimpliciter juſtitia, ſed quidam modus juſtitiæ poteſt eſſe, ſicut eſt quoddam jus paternum,vel dominativum,ut *ibidem* dicitur. Et ideo in his, in quibus eſt ſimpliciter juſtum, eſt etiam ſimpliciter ratio meriti, & mercedis. In quibus autem eſt ſecundùm quid juſtum, & non ſimpliciter, in his etiam non ſimpliciter eſt ratio meriti,ſed ſecūdùm quid, in quantum ibi ſalvatur ratio juſtitiæ: ſic enim filius meretur aliquid à patre,& ſervus à domino. Manifeſtum eſt autem, quòd inter Deum & hominem eſt maxima inæqualitas (in infinitum enim diſtant) & totum hominis bonum eſt à Deo; unde non poteſt hominis à Deo eſſe juſtitia ſecundùm abſolutam æqualitatem, ſed ſecundùm proportionem quandam, in quantum ſcilicet uterque operatur ſecundùm modum ſuum. Modus autem, & menſura humanæ virtutis eſt à Deo; & ideo meritum hominis apud Deum eſſe non

poteſt, niſi præſuppoſita Divina ordinatione, ſcilicet ut homo id conſequatur à Deo per ſuam operationem, quaſi mercedem, ad quod Deus ei virtutem operandi deputavit; ſicut res naturales hoc conſequuntur per proprios motus, & operationes, ad quod à Deo ſunt ordinatæ. Vnde 2. Paralip. 15. dicitur: *Erit merces operi veſtro*. Scilicet, ſi Dei ordinationem impleveritis.

Secunda concluſio. Nemo ſine gratia Dei poteſt mereri vitam æternam. Patet. Quia homo poteſt conſiderari ſecundùm duplicem ſtatum: ſcilicet ſecundùm ſtatum naturæ integræ, qualis fuit in Adam ante peccatum, & ſic non poteſt mereri abſque gratia vitam æternam, ſcilicet per pura naturalia. Ratio eſt: quia meritum hominis dependet ex præordinatione Divina, actus autem cujuſcunque rei non ordinatur divinitùs ad aliquid excedens proportionem virtutis, quæ eſt principium actus: hoc enim eſt ex inſtitutione Divinæ providentiæ, ut nihil agat ultra ſuam virtutem; vita autem æterna eſt quoddam bonum excedens proportionem naturæ creatæ: quia etiam excedit cognitionem & deſiderium eius, ſecundùm illud 1. Cor. 2. cap. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit*. Ideo nulla creatura eſt ſufficiens principium actus meritorii vitæ æternæ, niſi addatur aliquod ſupernaturale donum, quod gratia dicitur.

Secundò poteſt conſiderari homo ſecundùm ſtatum naturæ corruptæ, ſicut eſt in nobis ante reparationem gratiæ; & ſic nemo ſine gratia poteſt mereri vitam æternam propter impedimentum peccati. Cùm enim peccatum ſit quædam Dei offenſa, excludens à vita æterna, nullus in ſtatu peccati exiſtens vitam æternam poteſt mereri, niſi priùs Deo reconcilietur dimiſſo peccato, quod fit per gratiam. Rom. 6. cap. *Gratia Dei vita æterna*. Ex quo infringuntur octo errores, qui notantur in *Clementinis de Hæreticis c. Ad noſtram*.

Primus eſt, quòd homo in vita præſenti tantum & talem perfectionis gradum poteſt acquirere, quòd reddetur penitus impeccabilis, & ampliùs in gratia proficere non valebit. Nam ut dicunt: Si quis in gratia poſſet ſemper proficere, tunc poſſet aliquis perfectior Chriſto inveniri.

Secundus eſt, quòd non oportet hominem jejunare, aut orare, poſtquàm gradum perfectionis huius fuerit aſſecutus: quia tunc ſenſualitas eſt tam perfectè ſpiritui, & rationi ſubjecta, quòd homo poteſt liberè corpori ſuo concedere, quicquid ei placet, & libet.

Tertius eſt, quòd illi, qui ſunt in prædicto gradu perfectionis, & ſpiritu libertatis, non ſunt ſubjecti alicui obedientiæ humanæ, nec tenentur ad aliqua præcepta Eccleſiæ: quia ut aſſerunt: Vbi Spiritus Domini, ibi libertas.

Quartus eſt, quòd homo in vita præſenti tantam beatitudinem poteſt aſſequi ſecundùm omnem gradum perfectionis, ſicut eam obtinebit in vita beata.

Quintus eſt, quòd quælibet intellectualis natura in ſe eſt ipſa beata, quòd non indiget lumine gloriæ ipſam elevante, ad Deum videndum, & eo beatè fruendum.

Sextus eſt, quòd exercere ſe in actibus virtutum, eſt actus hominis imperfecti, & quòd perfecta vita licentiat à ſe virtutes, &c.

Septimus eſt, quòd mulieris oſculum, cùm ad hoc non inclinet natura, eſt mortale peccatum. Actus autem carnalis, cùm ad hoc natura inclinet, nullum peccatum eſt, & maximè cùm talem actum exercens de hoc tentatur.

Octavus eſt, quòd in elevatione Corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti non debet talis aſſurgere, nec ei reverentiam exhibere; aſſerentes, quòd eſſet quid imperfectionis, ſi quis à puritate, & altitudine ſuæ contemplationis tantum deſcenderet, quòd circa myſterium ſeu Sacramentum Euchariſtiæ, aut circa Paſſionem humanitatis Chriſti aliqua cogitaret. *Hæc ibi*, &c.

Tertia concluſio. Homo in gratia conſtitutus poteſt mereri vitam æternam de condigno. Opus enim meritorium hominis conſideratur dupliciter. Vno modo, ſecundùm quod procedit ex libero arbitrio, & ſecundùm ſubſtantiã operis; & ſic non poteſt ibi eſſe condignitas propter maximam inæqualitatem, ſed eſt ibi congruitas propter quandam æqualitatem proportionis. Videtur enim congruum, ut homini operanti ſecundùm ſuam virtutem Deus recompenſet ſecundùm excellentiam ſuæ virtutis. Alio modo, ſecũdùm quod procedit ex gratia Spiritus ſancti, & ſic eſt meritorium vitæ æternæ de condigno. Sic enim valor meriti attenditur ſecundùm virtutem Spiritus ſancti, moventis nos in vitam æternam, ſecundùm illud Ioann. 4. cap. *Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vi-*

vitam æternam. Attenditur etiam pretium operis ſecundùm condignitatem gratiæ, per quam homo conſors factus Divinæ naturæ, adoptatur in filium Dei, cui debetur hæreditas ex ipſo jure adoptionis, ſecundùm illud Rom. 8. cap. *Si filii, & hæredes*. Eſt enim Spiritus ſanctus pignus hæreditatis noſtræ, 2. *Cor.* 1. *cap.* &c.

Quarta concluſio. Gratia in nobis eſt principium meriti, & mercedis, principaliùs per charitatem, quàm per alias virtutes. Actus enim humanus habet rationem merendi ex duobus. Primò quidem & principaliter ex Divina ordinatione, ſecundùm quod actus dicitur eſſe meritorius illius boni, ad quod homo divinitùs ordinatur, ut dicit prima concluſio. Secundò verò ex parte liberi arbitrii, ſcilicet in quantum homo habet præ ceteris creaturis, ut per ſe agat voluntariè agens. Et quantùm ad utrumque principalitas meriti penes charitatem conſiſtit propter duo.

Primò. Quia vita æterna in Dei fruitione conſiſtit. Ioann. 17. cap. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant*, &c. Motus autem humanæ mentis ad fruitionem Divini boni eſt proprius actus charitatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, ſecundùm quod aliæ virtutes imperantur à charitate. Ideo meritum vitæ æternæ primò pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes ſecundariò, ſecundùm quod earum actus à charitate imperantur. Ioann. 14. *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum*.

Secundò. Quia illud, quod ex amore facimus, maximè voluntariè facimus; unde etiam, ſecundùm quod ad rationem meriti requiritur, quòd ſit voluntarium, principaliter meritum charitati attribuitur: fidei enim actus non eſt meritorius, niſi fides per dilectionem operetur, ut dicitur *Galat.* 5. *capite*. Similiter actus patientiæ, & fortitudinis non eſt meritorius, niſi quis ex charitate hæc operetur, ſecundùm illud 1. Cor. 13. cap. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Hæc ſanctus Thomas*.

Beatus Lucas maxima floruit charitate, utpote à Deo electus in numerum Evangeliſtarum, de quorum ardenti charitate *S. Aug. lib.* 12. *contra Fauſtum cap.* 26. aſſerit ſequentia: Hos Iacob viderat, cùm illum lapidem ad caput habebat, à terra in cælum ſcalas, per quas aſcendebant, & deſcendebant Angeli Dei. In quibus ſignificati ſunt Evangeliſtæ, Prædicatores Chriſti: aſcendentes utique, cùm ad intelligendam eius ſupereminentiſſimam Divinitatem excedunt univerſam creaturã, ut eum inveniant in principio Deum apud Deũ, per quem facta ſunt omnia: deſcendentes autem, ut eum inveniant factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret. Chriſtum verò ſcalam intelligimus; quia ipſe dixit: Ego ſum via. Ad ipſum ergo aſcẽditur, ut in excelſis intelligatur: & ad ipsũ deſcenditur, ut in membris ſuis parvulis nutriatur. Et per illum aſcẽditur, & deſcenditur: exemplũ quippe eius ſequentes Prædicatores eius, non ſolùm ſe erigunt, ut eum ſublimiter ſpectent, ſed etiã humiliant, ut eum temperãter annuncient. Videte Apoſtolum aſcendentem: ſive, inquit, mente exceſſimus, Deo. Videte & deſcendentem: ſive, inquit, ſobrii ſumus, vobis. Dicat & per quem aſcenderit, & deſcẽderit. Charitas enim, inquit, Chriſti urget nos, judicantes hoc, quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt: & pro omnibus mortuus eſt, ut, qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. *Hæc ille*. Vnde cõveniẽter, & meritò

Dignus eſt operarius mercede

Supernorum. Martyrum.
Angelorum. Doctorum.
Prophetarum. Immaculatorum.
Apoſtolorum.

PRIMO. *Dignus eſt operarius, ſcilicet beatus Lucas, mercede Supernorum*. Sciendum, quòd potiſſimum in lege novi Teſtamẽti eſt gratia Spiritus ſancti, quæ datur per fidem Chriſti; & ideo principaliter lex nova eſt ipſa gratia Spiritus ſancti, quæ datur Chriſti fidelibus. Rom. 3. cap. *Vbi eſt gloriatio tua? Excluſa eſt. Per quam legem? Factorum? Non: ſed per legem fidei*. Ipſam enim fidei gratiam legem appellat. Et expreſſiùs Rom. 8. cap. dicitur: *Lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberavit me à lege peccati, & mortis*. Vnde *Auguſtinus* dicit *in lib. de ſpiritu, & littera cap.* 20. quòd ſicut lex factorum fuit in tabulis lapideis; ita lex fidei ſcripta eſt in cordibus fidelium. Et *ibidem* dicit: Sunt leges Dei ab ipſo Deo ſcriptæ in cordibus ipsâ præſentiâ Spiritus ſancti.) Habet tamen lex nova quædam ſic diſpoſitiva ad gratiam Spiritus ſancti, & ad uſum huius gratiæ per-

tinentia, quæ ſunt quaſi ſecundaria in lege nova, de quibus inſtitui oportuit fideles Chriſti, tam circa credenda, quàm circa agenda. Rom. 1. cap. *Non enim erubeſco Evangelium: virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti*. Propterea neceſſarium fuit, ut Chriſtus eligeret quoſdam, qui Evangelium conſcriberent quantum ad ea, quæ pertinent ad gratiam Spiritus ſancti: vel ſicut diſpoſitiva, quantùm quidem ad intellectum per fidem, per quam datur gratia Spiritus ſancti, ſicut pertinentia ad Divinitatem, & humanitatem Chriſti; quantùm verò ad voluntatem, ſicut pertinentia ad contemptum mundi, per quem homo fit capax gratiæ Spiritus ſancti, quam mundus, id eſt, mundi amatores capere non poſſunt, *Ioan. 14. cap.* vel ſicut ordinantia huius gratiæ uſum, qui eſt in operibus virtutum, ad quæ multipliciter Scriptura novi Teſtamenti exhortatur.

Inter ceteros autem ad hoc miniſterium electos beatus Lucas aſſumptus eſt, qui fuit unus de ſeptuagintaduobus Diſcipulis, quos Chriſtus immediatè genuit in eſſe fidei, ut *Gregor.* dicit, & Eccleſia approbat, dum hodie legit Evangelium Lucæ 10. cap. *Deſignavit Dominus & alios ſeptuagintaduos Diſcipulos, & miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem civitatem, & locum, quo erat ipſe venturus.* Convenienter autem ad Chriſti Evangelium conſcribendum aſſumptus eſt: quia Lucas interpretatur conſurgens, vel elevans, vel lux. Ipſe enim conſurrexit ab amore mundi, omnia temporalia relinquendo. Elevavit ſe in amorem Dei, cùm à decem fuit electus, ut de eo dicatur illud Eccli. 45. cap. *Elegit eum ex omni carne, & dedit illi coram præcepta, & legem vitæ, & diſciplinæ: docere Iacob teſtamentum ſuum, & iudicia ſua Iſrael.* Propter quod fuit lux mundi: eò quòd mundum illuminaverit univerſum. Matth. 5. cap. *Vos eſtis lux mundi.*

Lux autem mundi eſt ſol, qui habet in ſitu ſublimitatem. Eccli. 26. cap. *Sol oriens mundo in altiſſimis Dei.* In aſpectu delectabilitatem. Eccleſiaſtes 11. cap. *Dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre ſolem.* In motu velocitatem. 3. Eſdræ 4. cap. *Magna eſt terra, & excelſum eſt cælum, & velox curſus ſolis.* In effectu utilitatem: quia ſecundùm *Philoſophum* homo generat hominem, & ſol. Sic beatus Lucas habuit ſublimitatem per cæleſtium contemplationem. Luc. 10. cap. *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis*, &c. Delectabilitatem per dulcem converſationem, juxta illud: *Noſtra converſatio in cœlis eſt.* Velocitatem per ferventem prædicationem: quia per totam Syriam verbum Dei prædicavit, ubi quamplurimos populos ad fidem Chriſti convertit. Vtilitatem per Evangelii cõſcriptionem, quod quidem eſt authenticum quatuor modis.

Primò. Patris æterni præordinatione. Iere. 31. cap. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus novum: non ſecundùm pactum, quod pepigi cum patribus eorum*, &c. *Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael. Poſt dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in viſceribus eorum.* Vbi loquitur de doctrina Evangelica.

Secundò. Filii ſuperni corroboratione. Lucæ 21. cap. *Cælum, & terra tranſibunt: verba autem mea non tranſibunt.* Quoniam uſque in finem ſeculi ſunt duratura, Matth. 24. cap. *Prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo orbe: & tunc veniet conſummatio.* Nam prædicatio Evangelii Chriſti poteſt intelligi dupliciter. Vno modo, quantùm ad divulgationem notitiæ Chriſti, & ſic prædicatum fuit Evangelium in univerſo orbe etiam tempore Apoſtolorum, ut *Chryſoſtomus* dicit. Et ſecundùm hoc, quod additur: *Et tunc erit conſummatio*, intelligitur de deſtructione Ieruſalem, de qua tunc ad litteram loquebatur. Alio modo poteſt intelligi prædicatio Evangelii in univerſo orbe cum pleno effectu, ita ſcilicet: quòd in qualibet gente fundetur Eccleſia, quod quidem erit poſt perſecutionem Antichriſti, ſicut *Auguſtinus* dicit in *epiſtola ad Heſychium*: Nõdum eſt prædicatum Evangelium in univerſo orbe; ſed hoc facto, veniet conſummatio mundi.

Tertiò. Spiritus ſancti inſpiratione. Vnde *Hieronymus in prologo ſuper Lucam* dicit: Sancto inſtigante Spiritu in Achaia hoc ſcripſit Evangelium.

Quartò. Eccleſiæ Chriſti approbatione, quæ juſſit illud legi per omnes Eccleſias. Quia ergo beatus Lucas fuit operarius Chriſti, miſſus ab eo in meſſem ſuam; ideo dignus eſt remunerari mercede ſupernorum, ſcilicet beatifica viſione Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & gaudiis omnium Beatorum.

SECVNDO. *Dignus eſt operarius, ſcilicet beatus Lucas, mercede Angelorum.* Vnde Apoc. 14. cap. dicitur: *Vidi alterum Angelum*

vo-

volantem per medium cæli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret ſedentibus ſuper terram, & ſuper omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum; dicens voce magna: Timete Dominum, & date illi honorem; quia venit hora judicii ejus; adorate eum, qui fecit cælum, & terram, mare, & fontes aquarum. Iſte enim Angelus fuit beatus Lucas; quia ſicut in Angelo, tanquam in ſpeculo, relucent arcana Divinæ ſapientiæ; ſic in beato Luca relucent Sacramenta fidei catholicæ. Verè enim dicitur Angelus propter quatuor.

Primò. Ratione revelationis. Nam, ut dicit *Dionyſius 4. cæleſt. Hierarch.* Divina debent fieri ad homines mediantibus Angelis. Vnde lex vetus data fuit per Angelos in manu Mediatoris, *Gal. 3. cap.* Et Stephanus dixit Act. 7. cap. *Accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum.* Licèt enim ſolius Principis ſit ſuâ auctoritate legem inſtituere, tamen quandoque legem inſtitutam per alios promulgat; & ita Deus ſua auctoritate legem inſtituit, ſed per Angelos promulgavit. Ita etiam, ut ordine quodam doctrina Chriſti ad omnes perveniret, ipſe Diſcipulos ſuos immediatè docuit, qui poſtmodum alios verbo, & ſcripto docuerunt. Proverb. 9. cap. *Miſit ancillas ſuas, ut vocarent ad arcem.* Ideo beatus Lucas, qui legem Chriſti nobis verbo, & ſcripto tradidit, eſt velut Angelus medius inter Deum, & nos, ſecundùm illud Malach. 2. cap. *Legem*, ſcilicet Chriſti, *requirunt ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum eſt.*

Secundò. Ratione annunciationis. Nam, ut dicit *Dionyſius 4. cap. cæleſt. Hierar.* Divinum Ieſu benignitatis myſterium Angeli primum edocti ſunt, poſtea per ipſos ad nos cognitionis gratia tranſivit. Sic ergo diviniſſimus Gabriel Zachariam quidē docebat Prophetam eſſe futurum ex ipſo: Mariam autem quomodò in ipſa fieret theandricum ineffabilis Dei formationis myſterium.) Sicut autem ſolus Angelus Virgini hæc ſacramenta annunciavit; ſic ſolus Lucas hæc myſteria nobis revelavit. Vnde *Hieronymus in prologo ſuper Lucam* dicit ſic: Dehinc in principio Evangelii ſui Ioannis nativitate præſumptâ cui Evangelium ſcriberet, & in quo electus indicaret conteſtans in ſe completa eſſe, quæ eſſent ab aliis inchoata, &c.

Tertiò. Ratione cognitionis. Nam Corpus Chriſti eſt panis Angelorum. Pſalm. *Panem Angelorum manducavit homo.* Quorum beatitudo eſt in plena deguſtatione ipſius per beatificam cognitionem. Sic beatus Lucas velut Angelus deguſtavit primò hūc panem, in quo plenè cognovit Sacramentum dominicæ Reſurrectionis. Luc. 24. cap. *Cognoverunt Dominum in fractione panis.*

Quartò. Ratione invitationis. Vnde Apoc. 19. cap. dicitur: *Vidi unum Angelum ſtantem in ſole, & clamavit voce magna omnibus avibus, quæ volant per medium cæli, dicens: Venite, & congregamini ad cænam Dei magnam*, &c. Iſte Angelus eſt B. Lucas, qui ſtat in ſole, id eſt, in plena, & perfecta cognitione Euchariſtiæ, ſupra omnes Evangeliſtas: quia Sacramentum Euchariſtiæ, in quo fuit ſumma benignitas demonſtrata, diligentiſſimè in ſuo Evangelio patefecit; ideo dignus fuit paſci tali Pane, velut mercede Angelorum.

TERTIO. *Dignus eſt operarius, ſcilicet beatus Lucas, mercede Prophetarum.* Sciendum, quòd Prophetæ aſſimilant beatum Lucam quatuor.

Primò, Evangeliſtæ. Vnde Iſa. 41. cap. dicitur: *Primus ad Sion dicet: Ecce adſum, & Jeruſalem Evangeliſtam dabo.* Rectè beatus Lucas fuit Evangeliſta, qui opus Evangeliſtæ complevit. 2. Timot. 4. cap. *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ.* Quod quidem eſt Evangelium prædicare. Iſa. 40. c. *Super montem excelſum aſcende, qui evangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jeruſalem: exalta, noli timere. Dic civitatibus Juda: Ecce Deus veſter*, &c. Opus Evangeliſtæ eſt Evangelium ſcribere: opus Evangeliſtæ eſt ſecundùm Evangelium vivere. B. Lucas evangelium prædicavit in Syria, in Antiochia, in Alexandria; unde fuit Epiſcopus Alexandrinus. Evangelium ſcripſit, ſecundùm Evangelium vixit, imitatus Chriſtum, qui cœpit facere, & poſtea docere, *Act. 1. cap.*

Secundò. Aſſimilatur bovi. Ezech. 1. c. *Facies bovis à ſiniſtris ipſorum quatuor.* Et Apoc. 4. cap. *Secundum animal ſimile vitulo.* Inter cetera ſancta animalia beatus Lucas per bovem, ſive vitulum deſignatur. Bos enim quantùm ad quatuor commendatur.

1. Quantùm ad ſacrificium: quia Deo in ſacrificium in templo immolabatur. Sic beatus Lucas dicitur bos ratione ſacrificii; quia circa templum ſemper immolatus fuit, & in principio ſui Evangelii agendo de Zachariæ

im-

immolatione, de præcurſoris in templo annũciatione, & de Mariæ in templo purificatione: in medio agendo de Chriſto duodenne in templo remanente, & poſtmodum in templo prædicante: in fine per Diſcipulos Domini in templo laudantes Deum conſummando.

2. Bos commendatur quoad inceſſum: quia non ſaltando vadit, ſed maturè incedit. Vnde *Gregorius hom. 3. ſuper illud Ezech. 1. c. Planta pedis, quaſi planta pedis vituli*, dicit: Maturè incedens, fortis, & diviſa. Sic beatus Lucas in ſuo Evangelio inceſſit maturè, introducendo præcurſorem Regis, poſtea conceptionem Regis: de conceptione proceſſit ad Nativitatem, de Nativitate ad infantiam, de infantia ad pueritiam, de pueritia ad juventutem, deinde ad ſuam conſummationem. Inceſſit fortiter: quia alii Evangeliſtæ fortiter inceperunt, ſed non fortiter finierunt: quia Matthæus, & Ioannes nihil agunt de Aſcenſione, Marcus nihil de judiciaria poteſtate, Lucas autem omnia iſta proſequitur. Inceſſit diviſim: quia narrationem præcurſoris & Regis non commiſcuit, ſed diviſim poſuit. Agens enim de annũciatione præcurſoris, accedit ad annunciationem Regis. Agens de nativitate præcurſoris, accedit ad Nativitatẽ Regis. Agens de prædicatione præcurſoris, accedit ad prædicationem Regis.

3. Bos commendatur, quantùm ad manſuetudinem: quia jugo preſſus, ſtimulo agitatus, clamoribus laceſſitus, non murmurat, non reclamat. Sic beatus Lucas preſſus jugo pœnitentiæ, agitatus ſtimulo perſecutionis tyrannicæ, laceſſitus clamoribus injuriæ, non murmuravit, ſed patientiam ſervavit ſecundũ illud: *Non murmur reſonat, non querimonia &c.*

4. Bos commendatur, quãtum ad laborẽ, & utilitatẽ. Eſt enim animal valde laborioſum & utile. Sic beatus Lucas fuit laborioſus & utilis, deſcribendo viam, & formam perveniendi ad vitam æternam. Eſt enim liber ſuus, ſcilicet Evanvelii, de quo dicitur Ezech 2. c. *Liber erat ſcriptus intus, & foris: & ſcripta erant in eo lamentationes, & carmen, & væ.* Hic liber Evangelii beati Lucæ eſt ſcriptus intus per profundi myſterii occultationem, & foris per hiſtoriæ apertionem, in quo continetur lamentum paſſionis, carmen reſurrectionis, & *væ* æternæ damnationis, ut patet 11. *capite*, ubi multa *væ* ponuntur.

Tertiò: Aſſimilatur medico. Vnde Col. 4. cap. dicitur *Salutat vos Lucas, medicus chariſſimus*. Rectè enim fuit medicus, de quo Ezech. 47. cap. dicitur: *Erunt fructus eius in cibum, & folia in medicinam*. Quia in Evangelio ſuo ponit unguenta pretioſa, & ſuavia, quæ ſunt exempla peccatorum converſorum; ſicut de Magdalena, de Matthæo publicano, de filio prodigo, de publicano, de Zachæo, de latrone converſo. Ideo *Hieronymus in com. epiſt. Pauli ad Philem.* dicit: Lucam ita Divina ſubſecuta eſt gratia, ut non ſolùm corporibus, ſed etiam animabus eius proficeret medicina. Eccli. 38. cap. *Vnguentarius faciet pigmenta ſuavitatis, & unctiones faciet ſanitatis*.

Quartò: Aſſimilatur fluvio, juxta illud Eccli. 24. cap. *Ego quaſi fluvius dioryx exivi de paradiſo Dei mei*. Dioryx interpretatur medicamentum; & ſignificat, quòd Evangelium beati Lucæ eſt ſplendidum lumine fidei, & medicinale medicinâ charitatis. Vnde ſicut Naaman Syrus mundatus fuit à lepra in fluvio, ut dicitur 4. *Regum* 5. *cap.* ſic Lucas docet in Evangelio ſuo, qualiter peccator debet curari à lepra, ſcilicet inobedientiæ, quæ fuit Simonis, *Luc.* 7. *cap.* Superbiæ, & ingratitudinis, ſcilicet decem leproſorum, *Luc.* 17. *cap.*

QVARTO, *Dignus eſt operarius, ſcilicet beatus Lucas, mercede Apoſtolorum*. Vnde in *ſermone*, qui legitur de eo in Eccleſia, dicitur ſic: Lucas inter Angelorum, & Apoſtolorum choros, atque candentia Virginum lilia, & immarceſcibiles Martyrum roſarum flores coruſcat. Ipſe enim coruſcat inter Apoſtolos quatuor modis.

Primò. Ratione Evangelicæ narrationis. Cùm enim beatus Lucas non fuerit in omnibus actibus, & miraculis Chriſti; ſuum Evangeliũ ſcripſit, ſecundũ quod Apoſtoli, quĩ præſentes fuerant, ſibi intimaverunt, & retulerunt ſicut ipſe *capite* 1. inſinuat, dicens: Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis: viſum eſt & mihi aſſecuto à principio omnia diligenter ex ordine tibi ſcribere, optime Theophile, ut cognoſcas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.

Secundò. Ratione Apoſtolicæ operationis. Nam actus Apoſtolorum conſcripſit, ut animaret noſtram operativam ad meritoriam actionem, oſtendendo, qualiter Apoſtoli fuerunt fortes ad bene operandum, & ad quodlibet adverſum ſuſtinendum. Vnde *Hieronymus ſuper Lucam* dicit: Cui Lucæ non immeritò etiam ſcribendorum Apoſtolorum

ac-

actuum poteſtas in miniſterium datur; quod legentibus, ac requirentibus Deum brevi volui ſermone comprehendere, quàm prolixius aliquid faſtidientibus prodidiſſe.

Tertiò. Ratione lucidæ approbationis. Nam eius Evangelium præclarè approbat beatus Paulus, quando ad confirmationem dictorum ſuorum Lucæ Evangelium adducit: Vnde *Hieronymus lib. de viris illuſtribus* dicit: Quidam ſuſpicantur, quotieſcunque Paulus in Epiſtolis ſuis dicit: ſecundùm Evangelium meũ, de Lucæ ſignificare volumine: quia ipſe dicit 2. Cor 8. cap. *Miſimus fratrem noſtrum*, ſcilicet Lucam ſecundùm *Glo. Cuius laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias*. Etiam, ut *Hieronymus* dicit: hanc epiſtolam fertur Apoſtolus ad Heb. conſcriptam Hebraicâ linguâ miſiſſe, cuius ſenſum, & ordinem retinens, Lucas Evangeliſta poſt exceſſum beati Pauli Apoſtoli Græco ſermone compoſuit.

Quartò. Ratione fidelis aſſociationis. Nam Paulo in omnibus tribulationibus ſemper adhæſit, & ab eo nunquam diſcedens eidem in prædicationis ſubſidium fuit. 2. Tim. 4. c. *Lucas eſt mecum ſolus*. In hoc, quod dicit: mecum, ſcilicet tanquam adjutor, & defenſor, notatur, qualiter ſibi ſubſidium præſtitit. In hoc, quod dicit: ſolus, notatur quàm conſtãter eidem adhæſit. 2. Cor. 8. cap. *Ordinatus eſt*, ſcilicet Lucas, *ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ, in hanc gratiam, quæ miniſtratur à nobis ad Domini gloriam, & deſtinatam voluntatem noſtram*.

QVINTO. *Dignus eſt operarius, ſcilicet beatus Lucas, mercede Martyrum*. Vnde in ſermone, qui legitur de eo per omnes Eccleſias dicitur: Martyrium ſuo corpori aſſiduis lamentationibus, crebriſque vigiliis membra ſua macerans, ipſe indixit. Chriſtus enim elegit ſeptuaginta duos Diſcipulos: quia Deus accepit de ſpiritu Moyſi, & dedit ſeptuaginta duobus viris, qui regerent populum cum Moyſe, ut dicitur *Numeri* 11. *cap.* Etiam ſeptuaginta palmas invenerunt filii Iſrael in deſerto, *Exodi* 15. *cap.* Præterea mundus diviſus eſt in ſepuaginta duas linguas, quibus Diſcipuli Chriſti debebant prædicare Evangelium. Vnde *Damaſus Papa*, ut habetur *diſt.* 68. *cap. Chorepiſcopi*, dicit ſic: Non amplius quàm duos ordines inter Diſcipulos Domini eſſe cognovimus, id eſt: duodecim Apoſtolorũ, & ſeptuaginta duorum Diſcipulorum. Et *Anacletus Papa*, ut dicitur *diſt.* 21. *cap. In novo*, dicit: Videntes autem ipſi Apoſtoli meſſem eſſe multam, & operarios paucos, rogaverunt Dominum meſſis, ut mitteret operarios in meſſem ſuam; inde ab eis electi ſunt ſeptuaginta duo Diſcipuli.) Inter quos fuit beatus Lucas, qui fuit datus ab univerſa Eccleſia comes beati Pauli ad prædicandum verbum Dei. Hic enim multas perſecutiones, flagella, & verbera, atque acerrima tormenta cum beato Paulo pro Nomine Chriſti perpeſſus eſt. Vnde dicitur *in collecta*: Qui Crucis mortificationem jugiter in ſuo corpore pro tui Nominis amore portavit, &c.

SEXTO. *Dignus eſt operarius, ſcilicet beatus Lucas, mercede Doctorum.* Vnde *beatus Hieronymus in epiſtola ad Paulinum* dicit: Omnia verba ſua animæ languentis ſunt medicina. Et in *ſermone*, qui legitur per omnes Eccleſias, de eo dicitur ſic: Beatus Lucas velut inſignis Lucifer ab Orientalibus renitens, nobis lumen fidei, & cæleſtis itineris patenter ſcandere callem demonſtrat. Et *beatus Ambroſius in præfat. ſuper Lucam* dicit: Lucas omnes ſapientiæ virtutes Evangelii ſui complectitur hiſtoriâ. Docuit enim naturalia, cùm de Spiritu ſancto dominicam Incarnationem extitiſſe referavit; unde & David naturalem docens ſapientiam, ait: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur*, &c. Item cùm docuit tenebras in Chriſti Paſſione factas, terram tremuiſſe, ſolem radios abſtraxiſſe. Docuit moralia, cùm in ipſis beatitudinibus mores docuit. Docuit rationalia, cùm ait: Qui fidelis eſt in minimo, & in magno fidelis eſt. Sine hac triplici ſapientia ipſa fides, ipſum myſterium Trinitatis eſſe non poteſt, hoc eſt: naturali, rationali, morali. *Hæc S. Ambroſius*.

SEPTIMO. *Dignus eſt operarius, ſcilicet beatus Lucas, mercede Immaculatorum.* Sciendum, quòd beatus Lucas immaculatam habuit vitam quadrupliciter.

1. Per innocentiam. Vnde *Hieron.* dicit: Sine crimine Domino maluit ſervire.

2. Per continentiam. *Idem ubi ſuprà.* Paulum ſecutus eſt Apoſtolum uſque ad confeſſionem fidei in virginitate permanens.

3. Per intelligentiam. Nam ſecreta ineffabilia, quæ Angelus, & ſola Virgo ſciebant, ſolus Lucas diſſeruit. Vnde *Bernardus ſuper Miſſus eſt, hom.* 4. ait: Ideo conceptus Eliſabeth annũciatur Mariæ, ut (dum nunc præcurſoris, nunc Salvatoris edocetur adventum, rerum tempus, & ordinem tenens) ipſa poſtmodum meliùs (Lucæ) ſcriptori, ac prædicatori Evangelii referet veritatem, quæ & ple-

plenè de omnibus à principio cælitus fuerat inſtructa myſteriis.)

Præterea etiam juxta traditionem *Antiquorum* Lucas pingendi arte peritus, effigiem Salvatoris, Deiparæ Virginis, Apoſtolorum Petri, & Pauli manus ſuæ pennicillo ductam devoto poſterorum conſpectui Romæ reliquit.

4. Per perſeverantiam. *Hieronym.* Lucas octoginta & quatuor agens ætatis annos, in Bithynia de ſeculo noſcitur emigraſſe.) Vnde meritis ſuis nos adjuvat: quia, cùm Chriſtiani à Turcis eſſent obſeſſi, apparuit eis vir quidam lucidus, & coruſcus, dicens ſe eſſe Lucam Evangeliſtam, præcipiens Chriſtianis, ut contra hoſtes ad bella procederent. Sed, cùm illi trepidarent, ante eos ſe poſuit, & victoriam magnam fecit. 2. Mach. 15. cap. *Hic eſt fratrum amator, & populi Iſrael*, &c. Amen.

SERMO LIII.

IN FESTO

S. VRSVLAE VIRGINIS, ET MARTYRIS.

Intraverunt cum ſponſo ad nuptias. Matth. 25. cap.

BEatus Bernardus *ſermone* 32. *ſuper Cantica* dicit: Magnis ſpiritibus magnus occurrit Sponſus, & magnificabit facere cum eis, emittens lucem ſuam, & veritatem ſuam, eoſque adducens, & deducens in montem ſanctum ſuum, & in tabernacula ſua. Regem in decore ſuo videbunt oculi eius, qui ejuſmodi eſt, præcuntem ſe ad ſpecioſa deſerti, ad flores roſarum, & lilia convallium, ad amœna hortorum, & irrigua fontium, ad delicias cellariorum, & odoramenta aromatum, poſtremò ad ipſa ſecreta cubiculi. Iſti ſunt theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ penes Sponſum abſconditi: hæc vitæ paſcua: hæ nuptiæ præparatæ in refectionem animarum ſanctarum. Beatus vir, qui implevit deſiderium ſuum ex ipſis. *Hæc ille*. Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtrum Beata Vrſula cum collegio ſuæ ſocietatis obtinuerit aureolam dedicatæ Chriſto virginitatis?

AD iſtam quæſtionem reſpondent duo Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt *Gloſſa* ſuper Exodi 25. *Facies aliam coronam aureolam*, dicens: Ad coronam pertinet canticum novum, quod Virgines coram Agno concinunt, quæ ſequuntur Agnum, quocunque ierit. Et rurſum ſuper illud Iſaiæ 56. *Hæc dicit Dominus Eunuchis: qui tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo meâ locum, & nomen melius à filiis, & filiabus*, &c. dicens: Propriam gloriam, excellentemque ſignat.

Alter eſt *ſanctus Thomas* 4. *Sent. diſt.* 49. *quæſt.* 5. *artic.* 3. dicens: Omne meritum actui virtutis debetur à charitate imperato: virginitas autẽ ſecundùm hoc ad genus virtutis pertinet, ſecundùm quod perpetua incorruptio mentis & corporis ſub electione cadit; & ideo illis tantùm virginibus aureola debetur, quæ propoſitum habuerunt virginitatis perpetuæ conſervandæ, ſive hoc propoſitum voto ſervaverint, ſive non: & hoc dico, ſecundùm quod aureola propriè accipitur, ut præmium quoddam merito redditum, quamvis hoc propoſitum fuerit aliquando interruptum, integritate tamen carnis manente, dummodò in fine vitæ inveniatur: quia virginitas mentis reparari poteſt, quamvis non virginitas carnis. *Hæc Sanctus Thomas*.

Sciendum, quòd, qui vult intrare cum Sponſo Ieſu Chriſto ad cæleſtes nuptias, per duodecim portas, quæ totidem ſunt gratiarum dona, ingredi debet. Vnde Apoc. 21. dicitur: *Vidi civitatem ſanctam, & habebat murum magnum, & altum, habentem portas duodecim.* Iſte murus eſt Angelorum cuſtodia, qui indignos prohibent ab ingreſſu illius civi-

Digitized by Google

vitatis. Portæ civitatis ſunt dona gratiarum, quæ nobis ſuggerunt, per quæ ingredimur civitatem illam.

Ab Oriente portæ tres.

Prima eſt contemptus bonorum temporalium. Deuter. 1. cap. *Parvuli, de quibus dixiſtis, quòd captivi ducerentur, ipſi ingredientur terram.* Vnde ſuperbi non intrant. Iſaiæ 37. cap. *Hæc dicit Dominus de Rege Aſſyriorum: Non intrabit civitatem hanc.* Et Matth. 18. cap. *Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.*

Secunda porta eſt confeſſio peccatorum. Pſal. *Introite portas eius in confeſſione.* Exemplum de latrone confitente, cui dictum Lucæ 23. cap. *Hodie mecum eris in paradiſo.*

Tertia porta eſt ſatisfactio peccatorum. Iſa. 26. cap. *Aperite portas, & ingredietur gens illa.* Scilicet, quæ facit judicium de ſe, puniendo ſe pro peccatis. Exemplum de Zachæo *Luc. 19. cap.* De his tribus portis dicitur Ezech. 48. cap. *Ab Oriente portæ tres: porta Dan, porta Beniamin, porta Ioſeph. Dan* interpretatur, faciens judicium, & ſignificat eum, qui non quærit propriam gloriam. Ioan. 8. cap. *Ego non quæro gloriam meam. Beniamin* interpretatur, filius dexteræ, & ſignificat confitentem. Pſal. *Me ſuſcepit dextera tua.* Scilicet per confeſſionem. *Ioſeph* interpretatur, additamentum, & ſignificat ſatisfacientem, qui addit opera bona in compenſationem malorum.

Ab Auſtro portæ tres.

Prima eſt caſtitatis munditia. Apoc. 21. cap. *Nihil coinquinatum, & abominationem faciens intrabit in illam.* Exemplum de Aaron Exo. 28. *Facies feminalia linea, quibus utentur filii Iſrael, quando ingreſſuri ſunt tabernaculum.* Et Num. 31. cap. *Purificati intrabitis caſtra.*

Secunda eſt ciborum abſtinentia. Levi. 10. c. *Vinum, & omne, quod inebriare poteſt, non bibetis tu & filii tui, quando intrabitis in tabernaculum teſtimonii.* Ezech. 44. cap. *Vinum non bibet omnis Sacerdos, quando ingreſſurus eſt atrium interius.*

Tertia eſt operum innocentia. Proverb. 30. cap. *Stellio manibus nititur: & moratur in ædibus Regis.* De hiſce tribus portis dicitur Ezech. 48. cap. *Ad Meridiem portæ tres: porta Zabulon, porta Simeon, porta Iſſachar. Zabulon* interpretatur, habitaculum pulchritudinis: ecce caſtitas. *Simeon* interpretatur, exaudibilis: ecce abſtinentia. *Iſſachar* interpretatur, vir mercedis: ecce ſancta exercitatio.

Ab Aquilone portæ tres.

Prima eſt ſuſtinentia perſecutionum. Heb. 4. cap. *Ingrediemur in requiem, qui credimus,* &c. Et 2. Reg. 5. c. *Cæcus, & claudus non intrabunt in templum.*

Secunda eſt patientia in tribulatione. Lucæ 24. cap. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?*

Tertia eſt dilectio offenſorum, ſeu inimicorum. Epheſ. 5. cap. *Ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit vos.* De his tribus portis dicitur Ezech. 48. cap. *A Septentrione portæ tres: porta Ruben, porta Iuda, porta Levi. Ruben* interpretatur, prævidens: ecce perſecutio propter fidem. *Iuda* interpretatur, laudans: ecce patientia. *Levi* interpretatur, copulatus: ecce charitas, apponenda ſeu copulanda tribulationibus, perſecutionibus, hoſtibus.

Ab Occidente portæ tres.

Prima eſt eleemoſynarum largitio. Pſalm. *Introibo in domum tuam in holocauſtis.* Prov. 18. cap. *Donum hominis dilatat viam eius: & ante Principes ſpatium ei facit.* Ideo excluditur avarus. Matth. 19. cap. *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum cælorum.*

Secunda eſt Paſſionis Chriſti meditatio. Geneſ. 24. cap. *Ingredere benedicte Domini.* Et Hebr. 9. cap. *In ſecundo tabernaculo ſolus Pontifex introibat non ſine ſanguine.*

Tertia eſt bonorum cæleſtium adeptio. Hebr. 6. cap. *Confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem uſque ad interiora velaminis, ubi Præcurſor pro nobis introivit Ieſus.* De hiſce tribus portis dicitur Ezech. 48. cap. *Ab Occidente portæ tres: porta Nephtali, porta Gad, & porta Aſer. Nephtali* interpretatur, æquiparatio: ecce pietas erga egenos. *Gad* interpretatur, accinctus: ecce compaſſio erga Chriſtum. *Aſer* interpretatur, felicitas, ſeu beatitudo: ecce bonorum cæleſtium adeptio. Ideo Apocal. ultimo dicitur: *Beati, qui lavant ſtolas ſuas, ut ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitatem.*

Beata Vrſula feſtinavit ingredi in civitatem ſummi Regis per has portas cum collegio ſuæ ſocietatis. Pſ. *Adducentur Regi virgines poſt eam: proximæ eius afferentur tibi in lætitia, & exultatione: adducentur in templum Regis.* Ipſa autem velut Regina aſtitit à dextris eius in veſtitu deaurato, circundata va-

Digitized by Google

rietate : quoniam inclinavit aurem ſuam ad legem Chriſti, & oblita eſt domum patris ſui; ideo concupivit Rex ſpeciem eius. Quia verò ipſa cum ſodalibus ſuis parata erat; propterea

Intraverunt cum Sponſo ad nuptias

Vocatione.	Viſitatione.
Revelatione.	Laudatione.
Sanctificatione.	Aſſociatione.

PRIMO. *Iſta beata Virgines intraverunt cum Sponſo Ieſu Chriſto ad nuptias vocatione.* Vnde Apoc. 4. cap. dicitur: *Vidi, & ecce oſtium apertum in cælo, & vox prima, quam audivi, tanquam tubæ loquentis mecum, dicens: Aſcende huc, & oſtendam tibi, quæ oportet fieri.* Chriſtus enim ad ſuas nuptias vocavit beatam Vrſulam, cui oſtendit, qualiter ſe debebat præparare tanquam virgo prudens, & non ut virgo fatua. In Evangelio hodierno deſignantur quinque ſtultitiæ animæ fatuæ.

Prima ſtultitia eſt: quia virgines fatuæ neceſſaria ſaluti animæ non ſumpſerunt. Vnde dicitur: *Fatuæ autem non ſumpſerunt oleum ſecum*, ſcilicet gratiarum actionis quoad Deũ. Luc. 7. c. *Oleo caput meum non unxſti.* Spiritualis exaltationis quoad ſeipſas. Matth. 6. c. *Tu autem, cùm ieiunas, unge caput tuum.* Id eſt, mentem, ſpirituali lætitia, pugnaturus cum diabolo, ne gravatus faſtidio capiaris ab eo. Pietatis, & miſericordiæ quoad proximum. Ier. 41. cap. *Noli nos occidere: quia habemus theſauros in agro*, ſcilicet conſcientiæ, *frumenti*, ſcilicet charitatis, *& mellis*, ſcilicet dulcedinis æternæ, *& olei*, ſcilicet compaſſionis ad pauperes.

Secunda ſtultitia earũ fuit: quia mendicare voluerunt aliorum merita, dicentes: *Date nobis de oleo veſtro*, &c. Quærere enim aliorum merita, quæ vix juſtis ſufficiunt ad ſalutem, eſt magna fatuitas. Vnde ſubditur: *Ne forte non ſufficiat nobis*, &c. Ezech. 14. cap. *Tres viri iſti Noe, Daniel, & Iob, ſi fuerint in medio eius, non liberabunt filios, & filias, ſed ipſi ſoli liberabuntur.*

Tertia ſtultitia earũ fuit: quia operari voluerũt, quãdo nõ potuerunt. Vnde dicitur: *Dũ autem irent emere, venit Sponſus.* Apo. 10. c. *Iuravit Angelus per viventem in ſecula, quòd tempus amplius non erit*, ſcilicet ad meritoriè operandum. Quia ut dicitur Apoc. 2. cap. *Dedit illi tempus, ut pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatione ſua.*

Quarta ſtultitia earum fuit: quia tardè venerunt; unde dicitur: *Noviſſimè veniunt & reliquæ virgines.* Id eſt, valde tardè: quia porta jam clauſa erat, id eſt, ſententia firmata, ut nullus reproborum ingrediatur.

Quinta ſtultitia earum fuit cæca præſumptio, quando dixerunt: *Domine Domine, aperi nobis.* Dominum vocant, cui ſervire noluerunt. Malach. 1. cap. *Si ego Dominus, ubi timor meus?* Petunt ſibi aperiri januam cæli, cui noluerunt aperire oſtium cordis. Cant. 5. cap. *Vox dilecti mei pulſantis: Aperi mihi ſoror mea*, &c.

Beata Vrſula non fuit de numero virginum fatuarum, ſed de numero prudentum, deducendo ſecum nobilem famulatum quinque puellarum. Vnde 1. *Reg.* 25. *cap.* dicitur, quòd, cùm Abigail pergeret obviam David, quinque puellæ iverunt cum ea. Sic beata Vrſula veniens ad Sponſum ſuum Chriſtum, decorum, & fortem, aſſumpſit in comitatu ſuo quinque puellas.

Prima eſt domina munditia, quâ animam ſuam ab omni macula peccati per baptiſmũ mundavit. Cant. 4. cap. *Tota pulchra es amica mea: & macula non eſt in te.* Nam in Britannia Rex quidam Chriſtianiſſimus fuit nomine Dionocus, qui quandam filiam generavit, & eam baptizari in fide Ieſu Chriſti fecit, & Vrſulam nominavit.

Secunda eſt domina fides, quâ credidit myſterium Sanctæ Triniratis, & myſterium Chriſti, quoad redemptionem generis humani. Ierem. 3. cap. *Patrem vocabis me, & poſt me ingredi non ceſſabis.* Vnde, cùm Conanus Rex Angliæ peteret à patre beatæ Vrſulæ ipſam copulari unigenito ſuo, pater eius cœpit plurimum anxiari: tum quia Chriſti fide inſignitam cultori idolorum tradere indignum duceret: tum quia ipſam nullatenus conſentire cognoſceret: tum quia Regis ferocitatem plurimum formidaret.

Tertia eſt domina ſapientia, quâ fallacias mundi convincebat. Iudith 11. cap. *Mirabantur omnes ad ſapientiam eius.* Hæc autem mirabili morum honeſtate, ſapientiâ, & pulchritudine pollebat, ita quòd eius fama ubique volabat.

Quarta eſt domina conſtantia mentis, quâ ſperavit adjuvari à Deo in omnibus adverſitatibus. Pſalm. *Dominus firmamentum meum, & refugium meum: Deus meus adiutor meus,*

&

& ſperabo in eum. Ipſa autem divinitùs inſpirata ſuaſit patri, ut prædicto Regi aſſenſum præberet.

Quinta fuit domina orationis inſtantia, quâ orabat, ut ad fidem Chriſti animas perditas reduceret. 1. Macha. 3. c. *Non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cælo eſt fortitudo*. Exemplum Exo. 17. cap. *Quando Moyſes levabat manus, vincebat Iſrael*. Et Eſther 14. cap. dicitur: *Eſther autem confugit ad Dominum, pavens periculum, quod imminebat*. Iſta autem orans Dominum audivit, ut in ſponſatione matrimonii hanc conditionē proponeret: quòd ipſe Rex cum patre decem virgines electiſſimas ſibi ad ſolatium traderet, & tam ſibi quàm aliis mille virgines aſſignaret, & comparatis trieribus inducias triennii ſibi daret ad dedicationem ſuæ virginitatis, & ipſe juvenis baptizatus in his tribus annis in fide inſtrueretur, &c.

SECVNDO. *Iſta ſanctæ virgines intraverunt cum Sponſo ad nuptias revelatione*, ſcilicet Angelorum, qui vigilant ſuper noſtrâ cuſtodiâ. Iſa. 62. cap. *Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes, tota die & nocte non tacebunt*. Et Cant. 3. cap. *Invenerunt me vigiles*. Circa iſtam cuſtodiam Angelorum pono quatuor concluſiones.

Prima concluſio. Angelus poteſt immutare ſenſus hominis exteriores, non cogendo libertatem eius. Patet. Quia aliquando apparet Angelus homini aſſumendo corpus aereum, & in materia viſibili immutat ſenſus hominis. Nam Angeli apparuerunt Abrahæ ad ilicem Mambre in corporibus aſſumptis, *Gen.* 18. *cap.* Etiam immutat ſenſus interiores oppilando aliquas arterias, ne potentia viſiva ad organum perveniat, ut patet *Gen.* 19. *cap.* de illis duobus Angelis, qui percuſſerunt Sodomitas cæcitate. Et 4. *Reg.* 6. *cap.* de Angelo, qui excæcavit Syrios volentes capere Eliſeum.

Secunda concluſio. Angelus poteſt immutare phantaſiam, & imaginationem hominis, non cogendo voluntatem eius. Et hoc patet tripliciter.

1. In ſomnis dormiendo. Quia, ſicut homo poteſt in ſeipſo fabricare imaginationes rerum, quas vidit, ſicut phreneticus patitur multas imaginationes concitatas per paſſiones febriles; ſic Angelus in phantaſia hominis dormientis poteſt fabricare phantaſticas, & imaginarias viſiones, quæ dicuntur ſomnia, commovendo ſpecies, & humores, ut patet de Angelo, qui apparuit in ſomnis Ioſeph, *Matth.* 1. *&* 2. *cap.*

2. Operando ſecretè inter ſomnum, & vigiliam, faciendo hominem vigilando dormire, & dormiendo vigilare, ut patet de Angelo, qui ſuſcitavit Petrum in vinculis dormientem, quem à carceribus liberavit, *Act.* 12. *c.*

3. Per imaginarias viſiones, ponendo hominem in ecſtaſim, manifeſtando arcana Dei, ſicut fecit Ioanni, dum eſſet in inſula Patmos, ubi habuit revelationem fiendorum in Eccleſia Dei.

Tertia concluſio. Angelus apparens homini corporaliter illuminat intellectum eius ſpiritualiter. Patet de Angelo, qui inſtruxit Abraham de immolatione Iſaac, *Gen.* 22. *cap.* Et de Angelo Tobiæ, qui eum duxit, & reduxit; & de uxore ducenda & cognoſcenda, & de hæreditate ſibi debenda, & de illuminatione patris ſalubriter inſtruxit, *Tob.* 6. *cap. & ſequentib.*

Quarta concluſio. Angelus indirectè agens in voluntatem hominis, libertatem eius non tollit. Patet. Quia ſolùm diſponit incitando humores, & vapores, ac ſpiritus, ad fabricationem imaginationum, quibus oſtendit mala futura intellectui, quo voluntas diſponatur recedere à peccatis, ut mala vitentur; vel perſuadendo bona promiſſa, ut voluntas inclinetur ad ſervandum Divina mandata, ut promiſſa adipiſcatur. Vnde *Iere.* 51. *cap.* dicitur, quòd Angeli Dei confortaverunt Babylonios minis, & promiſſis, qui tamen noluerunt acquieſcere; propter quod Angeli clamaverunt: *Recedamus: quia curavimus Babylonem, & non eſt ſanata*.

Ideo, cùm Angelus Conano futuro ſponſo B. Vrſulæ apparuit, juvenis illa conditione, quam B. Vrſula ſibi expoſuit, acceptâ, apud patrem inſtitit, & protinus baptizatus, accelerari cuncta, quæ virgo petierat, impetravit. Vnde Angelus revelavit quatuor.

1. Electionem, ſcilicet ſponſi beatæ Vrſulæ per regenerationem baptiſmalem, & ſui voti de numero Virginum adimpletionem.

2. Reverſionem. Nam Angelus Domini revelavit beatæ Vrſulæ, quòd poſt viſitationem ſanctorum Apoſtolorū Romæ, virgines Coloniam integro numero redirent, palmam martyrii percepturæ.

3. Aſſociationem. Nam ipſa nocte, quâ beatæ virgines Romam venerunt, Angelus Domini revelavit Cyriaco cuidam Epiſcopo

(non Pontifici, prout nonnulli dicunt) ut ſe cum aliis Prælatis Eccleſiaſticis illis aſſociaret.

4. Obviationem. Nam, cùm illa ſancta ſocietas Româ rediret, Angelus Domini revelavit Conano, ut ſponſæ ſuæ obviaret, cum ea Coloniæ palmam martyrii percepturus, &c.

TERTIO. *Beatæ Virgines intraverunt cum ſponſo, ſcilicet Ieſu Chriſto, ad nuptias ſanctificationē.* Iſtæ enim Virgines habuerunt quatuor impedimenta ſuæ virginitatis, ſcilicet: juventutem, divitiarum abundantiam, nobilitatem, & corporis pulchritudinem, quæ communiter fallunt mulieres. Ad cuſtodiam autem huius virginitatis habuerunt quadruplicem ambitum murorum, ſcilicet: frequentationem jejuniorum. Ioel. 2. c. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio*, &c. Protractionem vigiliarum. Matth. 24. cap. *Vigilate: quia neſcitis, quâ horâ Dominus veſter venturus ſit.* Aſperitatem veſtimentorum. Pſalm. *Poſui veſtimentum meum cilicium.* Vnde Iudith jejunabat omnibus diebus, habens ſuper lumbos ſuos cilicium. Exercitationem operum bonorum. *Bernardus.* Voluntas facit uſum, uſus exercitium, exercitium in omni labore vires ſubminiſtrat.)

Talis fuit defenſio beatæ Vrſulæ, cui aſſignatum fuit maximum collegium Virginum. Nam ad ipſam undique Virgines confluunt, undiq; viri ad tam grande ſpectaculum currunt, multi Epiſcopi ad ipſam conveniunt, ut ſecum pergant; inter quos fuit Pantulus Baſileenſis Epiſcopus. Etiam Gerafina Regina Siciliæ cum quatuor filiabus ſuis Babiliâ, Iulianâ, Victoriâ, Aureâ, & Adriano filio ſuo uſque in Britanniam navigavit. Singulis ergo præparatis juxta condictum beatę Vrſulæ, ſecreta cordis ſui beata Vrſula cõmilitonibus ſuis revelat, & in novam militiam ſe omnes ſanctificant; nunc jejuniis, nunc vigiliis intendunt, veſtes molles abjiciunt, vilioribus, & aſperioribus conteguntur, modò belli præludia inchoant, modo currunt, modo diſcurrunt, interdum bella, plerumque fugam ſimulant, omnique genere ludorum exercitatæ, nihil quod animo occurrebat, relinquebant intactum. Sed beata Vrſula omnes illas virgines ad fidem Chriſti cõvertit, & in lege Chriſti mira devotione ac ſanctitate inſtruxit, prout Spiritus ſanctus eidem ſuggeſſit, &c.

QVARTO. *Iſtæ Virgines intraverunt cum Sponſo Ieſu Chriſto ad nuptias viſitatiõne*, quæ eſt in gubernatione ſuæ familiæ, ſive Reipublicæ. Ad Reipublicæ gubernationem exiguntur quatuor, ſicut dicit Cato, & refert *Auguſtinus lib. 5. de civitate Dei cap. 12.* dicens: Plurima majores noſtros magnos fecerunt: ſcilicet domi induſtria, foris juſtitia, animus in conſulendo liber, nulli delicto obnoxius.

Primò. Quantũ ad domeſticos magna induſtria. Quia ut dicitur 1. Tim. 5. c. *Qui ſuorũ, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.* Exemplum Tobiæ 10. cap. *Apprehendentes parentes filiam ſuam, oſculati ſunt eam, monentes honorare ſoceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & ſeipſam irreprehenſibilem exhibere.* Beata Vrſula domum ſuam feliciter gubernavit. Nam matrem ſponſi ſui, & Conanum ſponſum ſuum, ſororem ſuam, & Dariam matrem ſuam ad fidem Chriſti convertit.

Secundò. Quantùm ad forenſes juſtitia. Iob 29. cap. *Iuſtitiâ indutus ſum.* Ioann. 7. cap. *Nolite ſecundùm faciem iudicare, ſed juſtũ iudicium iudicate.* B. Vrſula habuit juſtitiam, quæ Dei ſunt Deo reddẽdo, quæ Cæſaris Cæſari tribuendo. Antequam enim à domo paterna egrederetur, ab omnibus temporalibus ſe expedivit, ut Chriſto liberiùs vacaret; atque commilitones ſuos ſic peragere hortabatur.

Tertiò. Quantùm ad reprehenſionẽ, & conſultationem animus liber: ut nec timore, nec amore, nec odio, nec munere à veritate diſcedat, nec veritatẽ taceat. *Iſidor.* Iniqui judices errãt in veritate juſtitiæ, dum intendunt inæqualitatem perſonæ. B. Vrſula fuit liberi animi in conſulendo Epiſcopo Cyriaco, ut epiſcopatui renunciaret, quod & fecit, itineri ſe committens, ſumptis ſecum quibuſdam Prælatis & presbyteris, una cum Conſtantiâ, ſanctæ Vrſulæ cognatâ.

Quartò. Quantùm ad innocentiam animus nulli delicto ſubjectus. *Tullius.* Age, ne tua oratio tibi contraria ſit: quia pondus eſt pudoris graviſſimi, propriâ voce confundi. *Gregorius.* Durum eſt, ut, qui neſcit tenere moderamina vitæ propriæ, judex fiat vitæ alienæ. Beata Vrſula habuit animum innocentiâ præditum: quia non ſe armavit armis carnalibus, ſed ſpiritualibus. Nam, cùm ipſa perveniſſet cum commilitonibus ſuis proſperè uſque Coloniam, inde ad urbem Baſileam; ibi-

Digitized by Google

ibidem relictis navibus Romam per terram venerunt ſanctorum Apoſtolorum limina viſitaturæ, ubi, quæ nondum renatæ erant in Chriſto, baptizatæ ſunt, &c.

QVINTO. *Iſtæ Virgines intraverunt cum Sponſo Ieſu Chriſto ad nuptias laudatione*, quâ inter perſecutiones, & adverſa laudarunt Dominum. Vnde Iudi. 5. cap. dicitur: *Nova bella elegit Deus*. Et verè nova, propter perſonas bellantes. 1. Cor. 1. cap. *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia*. Eſt enim quadruplex genus novi belli.

Primum contra ſeipſum. Matth. 16. c. *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*. Iſtud genus belli aſſumpſit beata Vrſula cum commilitonibus ſuis, non ſolùm regnum mundi, & omnem ornatum ſeculi contemnendo propter amorem Domini Ieſu Chriſti, ſed etiam propriam voluntatem ipſi dedicando.

Secundum contra parentes, & amicos. Matth. 10. cap. *Non veni mittere pacem, ſed gladium: veni enim ſeparare hominem adverſùs patrem, & filiam adverſùs matrem ſuam, & nurum adverſùs ſocrum ſuam*, &c. *Et Hieronym. ad Heliodorum*. Si pater in limine oſtii jaceat, & mater ſparſis crinibus ubera, quibus te lactavit, oſtendat; per calcatum perge patrem, per calcatum perge matrem, & ſiccis oculis ad Crucem Chriſti evola. Solum pietatis genus eſt, in hac re eſſe crudelem.) Beata Vrſula cum ſocietate ſua relictis parentibus & conſanguineis ſecuta eſt Ieſum Chriſtum.

Tertium genus eſt, contra illatas injurias tacere, Ioſue 6. cap. *Non clamabitis, nec audietur vox veſtra, neque ullus ſermo de ore veſtro egredietur: donec veniat dies, in quo dicam vobis: Clamate, & vociferamini*. *Gregorius*. Glorioſiùs eſt iram tacendo fugere, quàm reſpondendo ſuperare. Matth. 5. cap. *Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe ei & alteram*. Beata Vrſula omnes injurias ob Epiſcopum Cyriacum ſecum abductum ſibi illatas æquo animo tolerabat, parata inſuper cruentum ſuſtinere pro gloria, & fide Chriſti martyrium.

Quartum genus eſt vulnera patienter tolerare. Matth. 10. c. *Ecce ego mitto vos, ſicut oves, in medio luporum*. Beata Vrſula cum cõmilitonibus ſuis Româ Coloniam rediit, & ipſam jam ab Hunnis ſive Vngaris obſeſſam invenit. Quas Barbari illi videntes, ſuper eas cum clamore nimio irruerunt, & quaſi lupi ſævientes in oves totam illam multitudinem occiderunt.

Beata Vrſula Principem Hunnorum vicit, & confudit ſua manſuetudine, prudentiâ, patientiâ, & oratione: qui videns eius miram pulchritudinem obſtupuit, & conſolans eam ſuper necem Virginum promiſit ſibi, quòd eam in conjugem duceret. Illa verò Deum laudans iſtum penitus ſprevit; qui contemptum ſe videns directâ ſagittâ eam transfixit, ſicque martyrium conſummavit. Cordula autem una ex Virginibus, cùm nocte latuiſſet morte perterrita, in craſtinum ſe ultro offerens, martyrii coronam ſuſcepit. Et ſic patet laudatio Ieſu Chriſti in ſupplicio ſanctarum Virginum.

SEXTO. *Iſtæ Virgines intraverunt cum Sponſo Ieſu Chriſto ad nuptias aſſociatione*: quia aſſociant Agnum ſequendo ipſum quocunque ierit. Apoc. 7. cap. *Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni. Ideo ſunt ante thronum Dei, & ſerviunt ei die ac nocte in templo eius*, &c. uſque: *ab oculis eorum*. Intraverunt enim in pulchritudinem cæleſtem, quam concupierunt, ubi eſt quadruplex pulchritudo mirabilis.

Prima eſt Regis cæleſtis. Iſa. 33. cap. *Regem in decore ſuo videbunt*. Apoc. 1. cap. *Facies eius ſicut ſol lucet*.

Secunda eſt Civium beatorum. Matth. 13. cap. *Fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno Patris eorum*. Phil. 3. cap. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ*, &c.

Tertia eſt pacificæ ſocietatis. Iſa. 32. cap. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis*, &c.

Quarta eſt civitatis cæleſtis. Num. 24. c. *Quàm pulchra tabernacula tua, Iſrael*, &c. Pſal. *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!* &c. Ad quam hodie pervenit beata Vrſula cum ſocietate. 3. Reg. 10. cap. *Ingreſſa eſt Regina Saba in Ieruſalem cum multo comitatu*. Indura decore regio, decorata coronâ regiâ, cibum Regis comedens, habitans in regali palatio, & memor ſuorum devotorum; ut patet in viſione cujuſdam Virginis ex numero iſtarum, quæ devoto ſuo promiſit aſſiſtentiam in extremis hìc per gratiam. Amen.

SER-

SERMO LIV.

IN FESTO

SS. APOSTOLORVM SIMONIS, ET IVDAE.

Secundùm propoſitum vocati ſunt Sancti. Rom. 8. cap.

DIvus Auguſtinus *lib.* 83. *quæſtion.* dicit: Ad miſericordiam pertinet vocatio: ad juſtitiam pertinet beatitudo eorum, qui venerunt vocati; & ſupplicium eorũ, qui venire noluerunt. Super quo talem moveo quæſtionem.

Virum in ſanctorum Simonis, & Thaddæi electione iuſtitia fuerit cum miſericordiæ ratione?

AD iſtam quæſtionem reſpondent duo Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt *Sanctus Ambroſius in cap. 6. Lucæ* dicens: Adverte cæleſte conſilium. Non ſapientes aliquos, non divites, non nobiles, ſed piſcatores, & publicanos, quos dirigeret, elegit: ne traduxiſſe prudentiâ, ne redemiſſe divitiis, ne potentiæ, nobilitatiſque auctoritate traxiſſe aliquos ad ſuam gratiam videretur: ut veritatis ratio, non diſputationis gratia prævaleret. Eligitur & Iudas, non per imprudentiam, ſed per providentiam. Quanta eſt veritas, quam nec adverſarius miniſter infirmat? Quanta moralitas Domini, qui periclitari magis apud nos judicium ſuum, quàm affectum maluit? Suſceperat enim hominis fragilitatẽ; & ideo nec has partes recuſavit infirmitatis humanæ. *Hæc ille.*

Alter eſt *ſanctus Thomas parte prima quæſt.* 21. dicens: Non poteſt aliquid facere Deus, quod ſit non condecens bonitati, & ſapientiæ eius. Et quia, quicquid in rebus creatis facit, ſecundùm convenientem ordinem, & propoſitionem facit, in quo conſiſtit ratio juſtitiæ; ſic oportet in omni opere Dei eſſe juſtitiam. Sicut enim ordo congruus familiæ, vel cuiuſcunque multitudinis gubernatæ demonſtrat juſtitiam in gubernante; ita ordo univerſi, qui apparet, tam in rebus naturalibus, quàm voluntariis, demonſtrat juſtitiam Dei. Vnde *Dion.* dicit 8. *c. de Divinis nominibus*: Oportet videre, in hoc eſſe veram Dei juſtitiam, quòd omnibus tribuit propria ſecundùm uniuſcujuſque exiſtẽtium dignitatem, & uniuſcujuſque naturam in proprio ſalvat ordine, & virtute.) Ea autem, quæ alicui creaturæ debentur, Deus ex abundantia ſuæ bonitatis largiùs diſpenſat, quàm exigat proportio rei. Minus enim eſt, quod ſufficeret ad conſervandum ordinem juſtitiæ, quàm quod Divina bonitas confert, quæ omnem proportionem creaturæ excedit, & ſic in quolibet opere Dei apparet miſericordia. *Hæc ſanctus Thomas.*

Sciendum, quòd in quolibet opere Dei eſt juſtitia, & miſericordia.

1. In opere creationis, in quo apparet juſtitia: quia producendo res de non eſſe ad eſſe, facit quod convenit ſuæ bonitati, quod eſt juſtum. Apparet etiam miſericordia: quia eripit res à tanta miſeria, ut eſt non eſſe, & deducit ad eſſe: & tantò major eſt miſericordia, quantò dat nobilius eſſe.

2. In opere expulſionis primorum parentum de paradiſo, in quo apparet juſtitia: quia ſubtraxit ab eis Deus id, quod ſtatui integritatis competebat, ſcilicet locus paradiſi terreſtris, propter peccatum ipſorum. Gen. 3. c. *Emiſit eum Deus de paradiſo voluptatis.* Apparet etiam miſericordia: quia, ſi homo poſt peccatum de ligno vitæ comediſſet, in miſeria huius vitæ diutiùs perſtitiſſet.

3. In opere redemptionis, in quo apparet juſtitia: quia Deus fecit, quod erat conveniens ſuæ bonitati, ſcilicet ſummè ſe communicando creaturæ per unionem perſonalem. Apparet etiam miſericordia: quia per hoc abſtulit miſeriam noſtram. Ad Titũ 3. cap. *Secundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit.*

4. In opere adimpletionis, in quo apparet juſtitia: quia Iudæis attendit, quod promiſit. Rom. 15. cap. *Dico enim, Ieſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis, ad con-*

Digitized by Google

confirmandas promiſſiones patrum. Apparet etiam miſericordia: quia ex ſuperabundanti gratia promiſit.

5. In opere converſionis, in quo apparet juſtitia: quia implevit Scripturas,& prophetias de converſione Gentium. Apparet etiam miſericordia: quia ex mera liberalitate Dei converſi ſunt Gentiles ad fidē Chriſti. Rom. 15. cap. *Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum*.

6. In opere juſtificationis, in quo apparet juſtitia, dum culpas relaxat propter dilectionem. Apparet etiam miſericordia: quia dilectionem miſericorditer iufundit; ſicut de Magdalena legitur Luc. 7. cap. *Remittuntur ei peccata multa: quoniam dilexit multum*.

7. In opere gubernationis, in quo apparet juſtitia: quia Deus temporaliter affligit juſtos cum impiis. Apparet etiam miſericordia: quia per hujuſmodi afflictiones aliqua levia in eis purgantur, & ab affectu terrenorum magis in Divina eriguntur, ſecundùm illud *Gregorii*: Mala, quæ nos in hoc mundo premunt, ad Deum ire compellunt.

8. In opere ſubtractionis, in quo apparet juſtitia: quia Deus à juſtis ſubtrahit bona temporalia, quæ non ſunt ſimpliciter homini bona, imo ſæpius avertunt hominem à benefaciendo. Apparet etiam miſericordia: quia bona ſpiritualia cedunt in profectum hominis quoad vitam æternam.

9. In opere punitionis, in quo apparet juſtitia: quia mali merentur pœnam æternam in inferno. Apparet etiam miſericordia, non quidem totaliter relaxans, ſed aliqualiter allevians, dum punit citra condignum.

10. In opere glorificationis, in quo apparet juſtitia: quia Deus dat electis gloriam æternam pro bonis operibus. Matth. 20. c. *Quod juſtum fuerit, dabo vobis*. Apparet etiam miſericordia: quia, cùm Deus ſit excellentiſſimus dator, propter ſuperabundantiam ſuæ bonitatis oportet,quòd ſemper eius datio in bonis ſuperexcedat proportionem recipientis. Vnde Apoſtolus Rom. 8. cap. ait: *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*.

Beati Apoſtoli Simon, & Iudas hodierna die, igne Spiritus ſancti inflammati, verbum Dei ferventiſſimè prædicaverunt, ſecundùm quod Chriſtus eis mandaverat dicens: *Euntes docete omnes gentes*, Matth. ult. cap. Quibus etiam dixit illud 1. Machab. 2. cap. *Filii, emulatores eſtote legis, & date animas veſtras pro teſtamento patrum, & accipietis gloriam magnam*. Vnde fuerunt figurati per duas olivas, quoad ſplendorem ſanctitatis. Zach. 4. cap. *Hi ſunt duæ olivæ*. Etiam per duos gladios,quoad fervorem prædicationis. Lucæ 22. cap. *Ecce duo gladii hic*. Et per duos calathos, quoad dulcorem gloriæ cæleſtis. Ierc.24.c. *Ecce calathi duo pleni ficis, poſiti ante templum Domini*. Quia verò ad iſta fuerunt electi hi duo Apoſtoli, propterea

Secundùm propoſitum Dei vocati ſunt Sancti per

Sapientiam.	Intelligentiam.
Iuſtitiam.	Vigilantiam.
Modeſtiam.	Diligentiam.
Obedientiam.	Audaciam.
Notitiam.	

PRIMO. *Secundùm propoſitum Dei vocati ſunt Sancti hi duo Apoſtoli per ſapientiam. Bernard.* Inveniſti planè ſapientiam, ſi prioris vitæ deſleas peccata, ſi huius ſeculi deſideria parvipendas, ſi æternam beatitudinem toto deſiderio concupiſcas. Inveniſti ſapientiam, ſi tibi horum ſingula ſapiunt, prout ſunt.)

Sapientia quatuor effectus habet ſingulares.

Primò. A carnalitate eruit. Proverb. 2. cap. *Si intraverit ſapientia cor tuum, & ſcientia animæ tuæ placuerit: conſilium cuſtodiet te, ut eruaris à via mala, & ab homine, qui perverſa loquitur; & à muliere perverſa, ut ambules viam bonam, & calles iuſtorum cuſtodias*.

Secundò. A vanitate arguit. Proverb.1. cap. *Sapientia foris prædicat, dicens: Vſquequo parvuli diligitis infantiam, & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia, cupient, & imprudentes odibunt ſcientiã? Convertimini ad correptionem meam: en proferam vobis ſpiritum meum*.

Tertiò. In ſpirituali ædificio confirmat. Matth. 7. c. *Omnis,qui audit verba mea,& facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram. Et deſcendit pluvia* diabolicæ tentationis, *& venerunt flumina* temporalis tribulationis, *& flaverunt venti* contumelioſæ locutionis, *& irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſupra firmam petram*.

Quar-

Digitized by Google

Quartò. Singula ordinat. Sap. 8. cap. *Diſponit omnia ſuaviter*. Scilicet affectum, per lætitiam de rebus Divinis. Pſalm. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine: dediſti lætitiam in corde meo*. Effectum, per bonam operationem. Matth. 7. cap. *A fructibus eorum cognoſcetis eos*. Auditum, per Verbi Dei devotionem. Ioann. 8. cap. *Qui eſt ex Deo, verba Dei audit*. Affatum, per doctrinæ Chriſti prædicationem. Matth. 12. cap. *Bonus homo de bono theſauro* (cordis ſui) *profert bona*.

Simon & Iudas hanc ſapientiam, quantò fuerunt Chriſto viciniores, tantò magis adepti ſunt; ſicut quantò quis eſt ſoli propinquior, tantò plus de luce participat. Iſti autem Apoſtoli fuerunt germani Chriſti: quia Anna, mortuo Ioachim, accepit Cleopham fratrem Ioſeph, genuitque ex eo aliam filiam, quam ſimiliter Mariam vocavit, & Alphæo poſtmodum in conjugem ſociavit. Hæc autem Maria ex Alphæo viro ſuo quatuor filios genuit, ſcilicet: Iacobum minorem, Ioſeph juſtum, qui & Barnabas dictus eſt, Simonem, & Iudam, qui & dictus eſt Thaddæus, qui à Chriſto ſanctificati fuerunt per gratiam.

SECVNDO. *Secundùm propoſitum Dei vocati ſunt Sancti hi duo Apoſtoli per juſtitiã. Bernardus ſuper cantica ſerm.* 24. dicit: Staturam dedit Dominus homini rectam, forſitan ut iſta rectitudo corporea exterioris vilioris figmenti hominem interiorem, qui ad imaginem Dei factus eſt, ſpiritualis ſuæ rectitudinis ſervandæ admoneret. Quid enim indecentiùs, quàm curvum recto corpore gerere animum?) *Et Ovidius* canit:

Pronaque cùm ſpectent animalia cetera terram,
Os homini ſublime dedit, cælumque videre
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Vnde Dominus ait Matth. 5. cap. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quàm Scribarũ, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum*. Hæc autem juſtitia eſt vivere ſecundùm ſtatuta novæ legis. Principalitas legis novæ eſt gratia Spiritus ſancti, quæ manifeſtatur quadrupliciter,

Primò. In fide per dilectionem operante. Homo autem conſequitur hanc gratiam per Dei Filium hominem factum, cuius humanitatem primò replevit gratia, & exinde ad hominem fuit derivata. Ioann. 1. capite. *Verbum caro factum eſt*. Deinde ſubditur: *Plenum gratiæ, & veritatis*. Et iterum: *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia*. Deinde additur: *Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*. Per hanc autem gratiam caro ſpiritui ſubditur.

Secundò. In Sacramentis, per quæ in gratiam introducimur. Et hæc ipſe Dominus inſtituit per ſeipſum, ſcilicet: Baptiſmum, Euchariſtiam, Ordinem miniſtrorum novæ legis, inſtituendo Apoſtolos, & ſeptuaginta duos Diſcipulos; & Pœnitentiam, & Matrimonium indiviſibile, Confirmationem etiam promiſit per Spiritus ſancti miſſionem: ex eius etiam inſtitutione Apoſtoli leguntur oleo infirmos ungendo ſanaſſe, ut habetur *Marci 6. cap.* quæ ſunt novæ legis Sacramenta.

Tertiò. In confeſſione fidei, quæ habet neceſſariam convenientiam ad interiorem gratiam, quæ in fide per dilectionem operante conſiſtit. Vnde Chriſtus Matth. 10. c. dicit: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis eſt. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis eſt*.

Quartò. In obſervantia legis Chriſti. Matthæi 10. cap. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum*, &c. Hæc enim præcepta Dominus dedit Apoſtolis, tanquam moralia inſtituta, & poſſunt intelligi dupliciter. Vno modo ſecundùm *Auguſtinum lib. de conſenſu Evangeliſt.* ut non ſint præcepta, ſed conceſſiones. Conceſſit enim eis, ut poſſent pergere ad officium prædicatonis ſine pera, & baculo, & aliis hujuſmodi, tanquam habentes poteſtatem neceſſaria vitæ accipiendi ab illis, quibus prædicabant; unde ſubdit: *Dignus eſt enim operarius cibo ſuo*. Non autem peccat, ſed ſupererogat, qui ſua portat, ex quibus vivat in prædicationis officio, non accipiens ſumptum ab his, quibus Evangelium prædicabat, ſicut Paulus fecit. Alio modo poſſunt intelligi ſecundùm aliorum expoſitionẽ Sanctorum: ut ſint quædam ſtatuta temporalia, Apoſtolis data pro illo tempore, quo mittebantur ad prædicandum in Iudæa ante Chriſti Paſſionem. Indigebant enim Diſcipuli, quaſi adhuc parvuli, ſub cura Chriſti exiſtentes, accipere aliqua inſtituta ſpecialia à Chriſto, ſicut & ſubditi à ſuis prælatis; & præcipuè, quia erant paulatim inſtruendi, & exercitandi, ut temporalium ſolicitudinem abdicarent, per quod reddebantur idonei ad hoc, quod Evangelium per univerſum

ſum orbem prædicarent. In his quatuor vocati fuerunt hi duo Apoſtoli.

TERTIO. *Secundùm propoſitum Dei vocati ſunt ſancti hi duo Apoſtoli per modeſtiam.* Col. 3. cap. *Induite vos, ſicut electi Dei ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ: benignitatem, humilitatem, & modeſtiam.* Modeſtia enim verſatur circa omnia, quæ relinquuntur moderanda; & hæc ſunt quatuor.

Primum eſt, motus animi ad aliquam excellentiam, quem moderatur humilitas.

Secundum eſt, deſiderium eorum, quæ pertinent ad cognitionem, & hoc moderatur ſtudioſitas, quæ opponitur curioſitati.

Tertium eſt, honeſtas in his, quæ pertinent ad corporales motus, & actiones, ut decenter, & honeſtè fiant.

Quartum eſt, quod pertinet ad exteriorem apparatum, puta in veſtibus, & aliis hujuſmodi. Lex autem Evangelica ordinat hominem ad modeſtiam, ſcilicet ne opera virtutis faciat propter inanem gloriam. Vnde proponit tria, ad quæ omnia alia reducuntur. Nam omnia, quæ aliquis facit ad refrænandum ſeipſum cũ ſuis concupiſcentiis, reducuntur ad jejunium. Quæcunque verò fiunt propter proximi dilectionem, reducuntur ad eleemoſynam. Quæcunque verò propter Dei cultum fiunt, reducuntur ad orationem. In his autem maximè obſervanda eſt modeſtia: quia per hoc homines ſolent maximè gloriam venari, & hoc per hypocriſim; ideo lex Evangelica in his valde deteſtatur hypocriſim, ut patet præcipuè *Matthæi cap. 6. & 23. Lucæ cap. 11.* &c. Nec minus *ſerm. 14. quadrageſimalis hujus Authoris* ante annũ Venetiis noviter editi, ubi ad exaggerandum cõtra hoc vitium materia copioſa.

Beati Apoſtoli Simon, & Thaddæus magnam modeſtiam habuerunt per converſationis honeſtatem. Matth. 5. cap. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Vnde legitur in *Eccleſiaſtica hiſtoria*, quòd, cùm Iudas ad Abagarum Regem veniſſet, vidit Rex in vultu eius quendam mirum, & Divinum ſplendorem. Ille autem ſplendor ſignificabat eius opera luminoſa.

QVARTO. *Secundùm propoſitum Dei vocati ſunt Sancti per obedientiam. Bernardus in quodam ſermone* dicit: Perfectus obediens moras neſcit, nec mandatum procraſtinat, parat aures auditui, & oculos viſui, linguam voci, manus operi, pedes itineri; & ſic totum ſe colligit, ut ex toto mandatum adimpleat imperantis.) In lege Evangelica Dominus dedit conſilium obedientiæ, quando dixit illud Ioann. 10. cap. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me.* Simon autem interpretatur obediens, & ipſe fuit verus obediens in executione mandatorum.

In cuius ſignum omnes creaturæ ſibi, & Thaddæo obediebant: utpote dæmones, quos de corporibus obſeſſis ejiciebant. Homines, quorum corpora curabant, & animas à peccatis, & erroribus purgabant. Provinciæ, & civitates: nam Iudas primo in Meſopotamia, & Ponto prædicavit, Simon verò in Ægypto, in quibus multos populos ad obedientiam, & fidem Chriſti converterunt. Denique obedierunt elementa: nam mare triginta mortuos reddidit, quos Simon reſuſcitavit. Aer, cùm eſſet ſerenus, in eorum morte tempeſtate magna turbatus fuit. Ignis cæleſtis pontifices idolorum combuſſit, &c.

QVINTO. *Secundùm propoſitum Dei vocati ſunt ſancti hi duo Apoſtoli per notitiam.* Matth. 10. cap. *Cùm autem tradent vos, nolite cogitare, quomodò, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini: non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Beati Apoſtoli Simon, & Thaddæus claram notitiam omnium habuerunt, Spiritu ſancto ſuggerente in die Pentecoſtes, quando in igneis linguis ſuper eos venit. Vnde ambo in Perſidem venerunt, & cùm Baradach Dux Regis Babyloniæ eos interrogaſſet de genere, cõditione, & causâ adventus; reſponderunt: Si genus quæris, Hebræi ſumus. Si conditionem, ſervi Ieſu Chriſti. Si cauſam, ſalutis veſtræ causâ hùc venimus, &c.

SEXTO. *Secundùm propoſitum Dei vocati ſunt ſancti hi duo Apoſtoli per intelligentiam.* Nam præcognoſcentes dæmonum malitiam atque aſtutiam, quâ totum mundum per idololatriam ſibi ſubjugaverant, mirâ ſapientiâ uſi ſunt; ſicut dicitur 1. Machab. 2. cap. *Simon frater veſter, ſcio, quòd vir conſilii eſt, ipſum audite ſemper: & ipſe erit vobis pater: & Iudas fortis viribus à juventute ſua, ſit vobis Princeps militiæ, & ipſe aget bellum populi.* Fuerunt enim magnæ ſapientiæ in convincendis dæmonibus, qui homines impugnabant quatuor modis.

1. Per fraudulentiam, dando falſa reſponſa. Sed Apoſtoli hanc malitiam detegebant, modò ne per ſimulacra loquantur prohibendo, modò ut reſponſa dent permittendo. Ezech. 13. cap. *Vident mala, & divinant mendaciam, dicentes: Ait Dominus Deus, cùm Dominus non miſerit eos.*

2. Per violentiam trahendo ad diverſa ſupplicia. Sed Apoſtoli hanc violentiam refrænabant. Vnde Dux tantam potentiam in eis videns, ait: Diis noſtris potentiores vos video.

3. Per præſtigia, per quæ lætificabant hominum ſenſus, & corda. Sed Apoſtoli hæc præſtigia deſtruebant. Vnde, cùm magi quibuſdam advocatis abſtuliſſent loquelam, greſſum, & viſum; Apoſtoli ſignum Crucis in eorum frontibus fecerunt, & magi talia ulteriùs facere non præſumpſerunt.

4. Per ſimulacra, fingentes in eis eſſe Divina numina. Sed Apoſtoli hæc ſimulacra frangi faciebant. Vnde ad eorum præceptum duo Æthiopes nudi, & nigri de ſimulacris exeuntes, ea penitus confregerunt.

SEPTIMO. *Secundùm propoſitum Dei vocati ſunt Sancti hi duo Apoſtoli per vigilantiam*, quæ apparuit circa quatuor.

1. In confuſione magorum, & pontificum idolorum, quos cõfuderunt in prophetatione exitus belli, qui erat pacis in craſtinum.

2. In præſervatione: quia, cùm Dux pontifices idolorum vellet incendere, Apoſtoli prohibuerunt dicentes: Nos miſſi ſumus non viventes occidere, ſed mortuos vivificare.

3. In electione: quia, cùm Angelus dixiſſet eis: Vnum è duobus eligite: aut horum repentinum interitum, aut veſtrum martyrium; reſponderunt ei: Oranda eſt Dei miſericordia, ut & iſtos convertat, & nos ad martyrii palmam perducat.

4. In ultione: quia, cùm magi ſerpentes venire feciſſent, Apoſtoli eos in magos converterunt, qui eorum carnes lacerabant, & venena diffundebant. Magnum quidem dolorem ſenſerunt in carnis laceratione, majorem in veneni revocatione, maximum in ſua confuſione. Vnde recedere coacti ſunt, &c.

OCTAVO. *Secundùm propoſitum Dei vocati ſunt Sancti hi duo Apoſtoli per diligentiam*, quam oſtenderunt in quatuor.

1. Subveniendo in corpore, & anima, ſanitatem integram conferendo; ſicut patet in Abagaro Rege Edeſſæ, cui Iudas ſanitatem corporis, & animæ impetravit.

2. Subveniendo in rebus, & in perſonis, bella compeſcendo; ſicut patet in Duce Babyloniæ contra Indos pergente, quos ſuis orationibus pacificaverunt; ut patet etiam in civitate Edeſſa, ubi epiſtola Salvatoris legitur, & hoſtes aut fugiunt, aut componuntur.

3. Subveniendo in fama, & in innocentia, ipſam conſervando; ſicut patet in quodam Diacono ſancto, de quadam muliere impregnata infamato, quem Apoſtoli miraculosè ab infamia defenderunt.

4. Subveniendo in tribulatione magna, morbos, & peſtilentias auferendo. Patet: quia, cùm duæ tigrides per terram diſcurrerent, & omnes occiderent, Apoſtoli eas manſuetiſſimas reddiderunt.

NONO. *Secundùm propoſitum Dei vocati ſunt Sancti hi duo Apoſtoli per audaciam.* 1. Machab. 2. cap. *Filii, æmulatores eſtote legis, & date animas veſtras pro teſtamento patrum veſtrorum: & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum.* Beati Apoſtoli potiùs voluerunt mortem ſuſtinere, quàm fidem deſerere, ſervantes illud Matth. 10. cap. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Nam pontifices templi in Apoſtolos irruerunt, & eos protinus trucidaverunt, &c. Rex autem corpora Apoſtolorum ad urbem ſuam tranſtulit, & in eorum honorem Eccleſiam miræ magnitudinis fabricavit. Amen.

SERMO LV.

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM I.

Ipſorum eſt regnum cælorum. Matth. 5. cap.

BEatus Auguſt. in *epiſt. ad Dioſcorum* dicit: Tanta eſt vis animæ, tam potentem fecit Deus animã, ut de eius pleniſſima beatitudine, quæ in fine temporum Sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorum naturam, quæ eſt corpus, non beatitudo, quæ intelligentis, & fruentis eſt propria, ſed plenitudo ſanitatis, quæ incorruptionis eſt vigor.) Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtrum animæ Sanctorum à corporibus exutæ iam præſentialiter videant in regno cælorum Divinam eſſentiam ſatiabiliter?

AD iſtam quæſtionem reſpondent quatuor Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt *Gregorius lib. 4. dialogorum cap.* 25. dicens: Noſſe velim, ſi nunc ante reſtitutionem corporum in cælo valeant recipi animæ Sanctorum? Hoc neque de omnibus juſtis poſſumus aſſerere, neque de omnibus negare. Nam ſunt quorundam juſtorum animæ, quæ à cæleſti regno quibuſdam manſionibus adhuc differuntur; in quo dilationis damno, quid aliud innuitur, niſi quòd de perfecta juſtitia aliquid minus habuerunt? Et tamen luce conſtat clariùs, quia perfectorum animæ mox, ut huius carnis clauſtra exeunt, in cæleſtibus ſedibus recipiuntur; quod & ipſa Veritas per ſe atteſtatur, dicens: Vbicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Si igitur animæ juſtorum ſunt in cælo, quid eſt, quod in die judicii pro juſtitiæ ſuæ retributione recipient? Hoc eis nimirum creſcit in judicio, quod nunc animarum ſolâ, poſtmodum verò & corporum beatitudine perfruuntur, ut in ipſa quoque carne gaudeant, in qua dolores pro Domino cruciatuſque pertulerunt. Pro hac quippe geminata gloria eorum ſcriptum eſt: In terra ſua duplicia poſſidebunt. Hinc etiam de Sanctorum animabus ante reſurrectionis diẽ ſcriptum eſt: Datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ, & dictum eſt illis, ut requieſcerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus conſervorum, & fratrum eorum. Qui itaque nunc ſingulas acceperunt, binas in judicio ſtolas habituri ſunt: quia modò animarum tantummodò, tunc autem animarum ſimul & corporum gloriâ lætabuntur. Et *ibid. cap.* 33. Fit in electis quoddam mirabilius: quia non ſolùm eos agnoſcunt, quos in hoc mundo noverant, ſed velut viros viſos ac cognitos recognoſcunt bonos, quos nunquam viderant. Nam, cùm antiquos patres in illa æterna hæreditate viderint, eis incogniti per viſionem non eunt, quos in opere ſemper noverunt. Quia enim illic omnes communi claritate Deum conſpiciunt, quid eſt, quod ibi non ſciant, ubi ſcientem omnia ſciunt? *Hæc ille.*

Secundus eſt *B. Hieronymus in ſerm. de Aſſumptione beatæ Virginis* dicens: Perſeverate in orationibus unanimiter viventes, quouſq; intrare poſſitis gaudia æternæ vitæ, quo beata Virgo feliciter introivit, alternantibus hymnidicis Angelorũ choris infra paſcua æternæ viriditatis; ubi una dulciſſima ſocietas omnium ſupernorum civium, ubi ſolemnitas Angelorum, ubi poſt labores & ærumnas ſeculi huius felix & ſuavis eſt refectio animarum.)

Tertius eſt *B. Ambroſius in quodam ſermone* dicens: Videns nos, vel de æterni tremore judicii, vel de futura beatitudine cogitantes, illam Evangelicam poſſit aſſumere Chriſti vocem: Pater, rogo, ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum: & nos quandoque ex hoc ſeculo migraturos Patronus noſter in ſede, & in ſinum ſuum, velut Abraham, peculiares recipiat, & in illo die incolumes oves ſuas lætus Paſtor agnoſcat.)

Quartus eſt *beatus Auguſtinus lib. meditationum cap.* 25. dicens: Ipſe Rex regum in me-

1. Per fraudulentiam, dando falſa reſponſa. Sed Apoſtoli hanc malitiam detegebant, modò ne per ſimulacra loquantur prohibendo, modò ut reſponſa dent permittendo. Ezech. 13. cap. *Vident mala, & divinant mendacium, dicentes: Ait Dominus Deus, cùm Dominus non miſerit eos.*

2. Per violentiam trahendo ad diverſa ſupplicia. Sed Apoſtoli hanc violentiam refrænabant. Vnde Dux tantam potentiam in eis videns, ait: Diis noſtris potentiores vos video.

3. Per præſtigia, per quæ lætificabant hominum ſenſus, & corda. Sed Apoſtoli hæc præſtigia deſtruebant. Vnde, cùm magi quibuſdam advocatis abſtuliſſent loquelam, greſſum, & viſum; Apoſtoli ſignûm Crucis in eorum frontibus fecerunt, & magi talia ulteriùs facere non præſumpſerunt.

4. Per ſimulacra, fingentes in eis eſſe Divina numina. Sed Apoſtoli hæc ſimulacra frangi faciebant. Vnde ad eorum præceptum duo Æthiopes nudi, & nigri de ſimulacris exeuntes, ea penitus confregerunt.

SEPTIMO. *Secundùm propoſitum Dei vocati ſunt Sancti hi duo Apoſtoli per vigilantiam*, quæ apparuit circa quatuor.

1. In confuſione magorum, & pontificum idolorum, quos cõfuderunt in prophetatione exitus belli, qui erat pacis in craſtinum.

2. In præſervatione: quia, cùm Dux pontifices idolorum vellet incendere, Apoſtoli prohibuerunt dicentes: Nos miſſi ſumus non viventes occidere, ſed mortuos vivificare.

3. In electione: quia, cùm Angelus dixiſſet eis: Vnum è duobus eligite: aut horum repentinum interitum, aut veſtrum martyrium; reſponderunt ei: Oranda eſt Dei miſericordia, ut & iſtos convertat, & nos ad martyrii palmam perducat.

4. In ultione: quia, cùm magi ſerpentes venire feciſſent, Apoſtoli eos in magos converterunt, qui eorum carnes lacerabant, & venena diffundebant. Magnum quidem dolorem ſenſerunt in carnis laceratione, majorem in veneni revocatione, maximum in ſua confuſione. Vnde recedere coacti ſunt, &c.

OCTAVO. *Secundùm propoſitum Dei vocati ſunt Sancti hi duo Apoſtoli per diligentiam*, quam oſtenderunt in quatuor.

1. Subveniendo in corpore, & anima, ſanitatem integram conferendo; ſicut patet in Abagaro Rege Edeſſæ, cui Iudas ſanitatem corporis, & animæ impetravit.

2. Subveniendo in rebus, & in perſonis, bella compeſcendo; ſicut patet in Duce Babyloniæ contra Indos pergente, quos ſuis orationibus pacificaverunt; ut patet etiam in civitate Edeſſa, ubi epiſtola Salvatoris legitur, & hoſtes aut fugiunt, aut componuntur.

3. Subveniendo in fama, & in innocentia, ipſam conſervando; ſicut patet in quodam Diacono ſancto, de quadam muliere impregnata infamato, quem Apoſtoli miraculosè ab infamia defenderunt.

4. Subveniendo in tribulatione magna, morbos, & peſtilentias auferendo. Patet: quia, cùm duæ tigrides per terram diſcurrerent, & omnes occiderent, Apoſtoli eas manſuetiſſimas reddiderunt.

NONO. *Secundùm propoſitum Dei vocati ſunt Sancti hi duo Apoſtoli per audaciam.* 1. Machab. 2. cap. *Filii, æmulatores eſtote legis, & date animas veſtras pro teſtamento patrum veſtrorum: & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum.* Beati Apoſtoli potiùs voluerunt mortem ſuſtinere, quàm fidem deſerere, ſervantes illud Matth. 10. cap. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Nam pontifices templi in Apoſtolos irruerunt, & eos protinus trucidaverunt, &c. Rex autem corpora Apoſtolorum ad urbem ſuam tranſtulit, & in eorum honorem Eccleſiam miræ magnitudinis fabricavit. Amen.

SER-

SERMO LV.

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM I.

Ipſorum eſt regnum cælorum. Matth. 5. cap.

BEatus Auguſt. in *epiſt. ad Dioſcorum* dicit: Tanta eſt vis animæ, tam potentem fecit Deus animã, ut de eius pleniſſima beatitudine, quæ in fine temporum Sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorum naturam, quæ eſt corpus, non beatitudo, quæ intelligentis, & fruentis eſt propria, ſed plenitudo ſanitatis, quæ incorruptionis eſt vigor.) Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtrum animæ Sanctorum à corporibus exutæ iam præſentialiter videant in regno cælorum Divinam eſſentiam ſatiabiliter?

AD iſtam quæſtionem reſpondent quatuor Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt *Gregorius lib. 4. dialogorum cap. 25.* dicens: Noſſe velim, ſi nunc ante reſtitutionem corporum in cælo valeant recipi animæ Sanctorum? Hoc neque de omnibus juſtis poſſumus aſſerere, neque de omnibus negare. Nam ſunt quorundam juſtorum animæ, quæ à cæleſti regno quibuſdam manſionibus adhuc differuntur; in quo dilationis damno, quid aliud innuitur, niſi quòd de perfecta juſtitia aliquid minus habuerunt? Et tamen luce conſtat clariùs, quia perfectorum animæ mox, ut huius carnis clauſtra exeunt, in cæleſtibus ſedibus recipiuntur; quod & ipſa Veritas per ſe atteſtatur, dicens: Vbicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Si igitur animæ juſtorum ſunt in cælo, quid eſt, quod in die judicii pro juſtitiæ ſuæ retributione recipient? Hoc eis nimirum creſcit in judicio, quod nunc animarum ſolâ, poſtmodum verò & corporum beatitudine perfruuntur, ut in ipſa quoque carne gaudeant, in qua dolores pro Domino cruciatuſque pertulerunt. Pro hac quippe geminata gloria eorum ſcriptum eſt: In terra ſua duplicia poſſidebunt. Hinc etiam de Sanctorum animabus ante reſurrectionis diẽ ſcriptum eſt: Datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ, & dictum eſt illis, ut requieſcerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus conſervorum, & fratrum eorum. Qui itaque nunc ſingulas acceperunt, binas in judicio ſtolas habituri ſunt: quia modò animarum tantummodò, tunc autem animarum ſimul & corporum gloriâ lætabuntur. Et *ibid. cap. 33.* Fit in electis quoddam mirabilius: quia non ſolùm eos agnoſcunt, quos in hoc mundo noverant, ſed velut viros viſos ac cognitos recognoſcunt bonos, quos nunquam viderant. Nam, cùm antiquos patres in illa æterna hæreditate viderint, eis incogniti per viſionem non erunt, quos in opere ſemper noverunt. Quia enim illic omnes communi claritate Deum conſpiciunt, quid eſt, quod ibi non ſciant, ubi ſcientem omnia ſciunt? *Hæc ille.*

Secundus eſt *B. Hieronymus in ſerm. de Aſſumptione beatæ Virginis* dicens: Perſeverate in orationibus unanimiter viventes, quouſq; intrare poſſitis gaudia æternæ vitæ, quo beata Virgo feliciter introivit, alternantibus hymnidicis Angelorũ choris infra paſcua æternæ viriditatis; ubi una dulciſſima ſocietas omnium ſupernorum civium, ubi ſolemnitas Angelorum, ubi poſt labores & ærumnas ſeculi huius felix & ſuavis eſt refectio animarum.)

Tertius eſt *B. Ambroſius in quodam ſermone* dicens: Videns nos, vel de æterni tremore judicii, vel de futura beatitudine cogitantes, illam Evangelicam poſſit aſſumere Chriſti vocem: Pater, rogo, ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum: & nos quandoque ex hoc ſeculo migraturos Patronus noſter in ſede, & in ſinum ſuum, velut Abraham, peculiares recipiat, & in illo die incolumes oves ſuas lætus Paſtor agnoſcat.)

Quartus eſt *beatus Auguſtinus lib. meditationum cap. 25.* dicens: Ipſe Rex regum in me-

medio tui, & pueri eius in circuitu eius. Ibi hymnidici Angelorum chori. Ibi ſocietas ſupernorũ civium. Ibi dulcis ſolemnitas omnium ab hac triſti peregrinatione ad tua gaudia redeuntium. Ibi Prophetarum providus chorus. Ibi Iudex Apoſtolorum numerus. Ibi innumerabilium Martyrum victor exercitus. Ibi ſanctorum Confeſſorum ſacer conventus. Ibi veri & perfecti Monachi. Ibi ſanctæ mulieres, quæ voluptates ſeculi, & ſexum infirmitatis contempſerunt. Ibi pueri, & puellæ, quæ annos ſuos moribus exceſſerunt. Ibi ſunt oves, & agni, qui jam huius vuluptatis laqueos evaſerunt. Exultant omnes in propriis manſionibus. Diſpar eſt gloria ſingulorum, ſed communis eſt lætitia omnium, plena, & perfecta. Ibi regnat charitas: quia Deus eſt ibi omnia in omnibus, quem ſine fine vident, & ſemper videndo in eius amore ardent, amant, & laudant. Omne opus eorum laus ſine defectione, ſine labore. Felix ego, & verè felix in perpetuum, ſi poſt iter huius corpuſculi audire meruero illa cantica cæleſtis melodiæ, quæ cantantur ad laudem Regis æterni ab illis ſupernæ patriæ civibus, beatorumq; ſpirituum agminibus. Fortunatus ego, & nimiũ beatus, ſi meruero illa cantare, & aſſiſtere Regi meo, Deo meo, Duci meo, & cernere ipſum in gloria ſua, ſicut ipſe polliceri dignatus eſt, dicens: Pater volo, ut, quos dediſti mihi, ſint mecum: ut videant claritatem meam, quam habui apud te, ante conſtitutionem mundi. Et alibi: Qui mihi miniſtrat me ſequatur: & ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit. Et iterum: Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligo eum, & manifeſtabo ei meipſum. *Hæc Auguſtinus.*

Sciendum, quòd duplex eſt judicium: unum generale, & finale, quod fiet ſimul de omnibus hominibus ſecundùm totum hominem, quantùm ad animam & corpus, publicè coram toto mundo, & hoc erit poſt reſurrectionem ſolùm. De iſto judicio dicitur Iſa. 3. cap. *Dominus ad iudicium veniet cum ſenibus populi ſui.* Daniel. 12. cap. *Veniet tempus, quale non fuit, ex quo gentes eſſe cœperunt: & in tempore illo ſalvabitur populus tuus: & multi de his, qui dormiunt in pulvere terræ, evigilabunt: alii in vitã æternã, alii in opprobrium, ut videant ſemper.* Ioel. 3. dicitur: *In diebus illis, cùm convertero captivitatẽ Iuda & Ieruſalẽ, congregabo omnes gentes, & deducam illas in vallẽ Ioſaphat: quia ibi ſedebo, ut iudicem omnes gentes.* Sap. 3. dicitur: *Iuſtorum anima in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. Viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace.*

Aliud eſt judicium particulare, & occultum, quod fit de quolibet homine, quantùm ad animam, poſt mortem corporis; de quo Eccli. 38. dicitur: *Memor eſto iudicii mei: ſic erit & tuum. Mihi heri, tibi hodie.* Et iſto judicio quilibet judicatur in morte ſua, non ſecundùm totum hominem, quia deſinit eſſe, ſed ſecundùm principalẽ partẽ, ſcilicet animam, quæ non deſinit eſſe, ſecundùm quam ſolam principaliter attenditur totum meritum, vel demeritum, quæ ſtatim præmiatur, vel punitur ante univerſale judicium; quod probatur quadrupliciter.

Primò. Auctoritate ſacræ Scripturæ. Matth. 5. *Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt.* Luc. 11. *Pueri mei mecum ſunt in cubili. Glo. interlinearis.* Pueri ſunt Apoſtoli, qui ſunt in cubili, id eſt, in æterna requie cum Chriſto. Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiſo.* Super quo *Auguſtinus* dicit: Vbicunque ſit paradiſus, quiſque Beatorum ab illo ibi eſt, qui ubique eſt. Ioann. 17. *Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam.* Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Et 1. Pet. 1. cap. dicitur: *Credentes autem exultabitis lætitiâ inenarrabili, & glorificata, reportantes finem fidei veſtræ ſalutem animarum.* Et 2. Cor. 3. *Nos omnes revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem trãſformamur à claritate in claritatẽ, tãquã à Domini ſpiritu. Glo.* Id eſt, à claritate fidei ad claritatẽ ſpeciei. Iac. 1. dicitur: *Beatus vir, qui ſuffert tẽtationem: quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Apoc. 7. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, tribubus, populis, & linguis, ſtantes ante thronum: & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum, clamantes voce magna, & dicentes: Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & Agno,* &c.

Secundò. Auctoritate ſanctorum Doctorum. *Gregorius libro quarto dialogorum* dicit: Animæ juſtorum, poſtquam de corporibus tranſeunt, nequaquam per morarum ſpatia,

e, ſicut antiqui patres, à cæleſtis patriæ præceptione differuntur; mox verò, cùm de carnis colligatione tranſeunt, in cæleſti ſede requieſcunt. Paulo atteſtante, qui ait: Scimus, quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſolvatur, ædificationem habemus ex Deo domum non manufactam, ſed æternam in cælis.) *Auguſtinus* exponens illud Pſalm. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt*, dicit: Aliquando, cùm peregrinatur homo, inter meliores vivit, quàm in patria ſua fortè viveret. Non ſic eſt patria illa Ieruſalem, ubi omnes boni. Quicunque inde peregrinatur, inter malos eſt, nec recedere à malis poteſt, niſi cùm redierit ad ſocietatem Angelorum, ut ibi ſit, unde peregrinatur. Ibi omnes Sancti & juſti, qui fruuntur Verbo Dei ſine lectione, ſine litteris: quod enim nobis per paginas ſcriptum eſt, per faciem Dei illi cernunt.) *Bernardus ad Eugenium* dicit: Quid opus eſt ſcalis, tenenti jam ſolium? Creatura cæli illa eſt, quæ tenet jam ſolium; præſto habens, per quod potiùs iſta intuetur, ſcilicet creaturas per ipſum Creatorem, quæ videt Verbum, & in Verbo facta per Verbum. Nec opus habet, ex his, quæ facta ſunt, Factoris notitiam mendicare.) *Beda ſuper illud: Centum cubitos latus continebit*, dicit: Quicunque promiſſionis filii in hac vita peregrinantes bona operantur, mox egreſſi de corpore, in cæleſti vita recipiuntur.

Tertiò. Auctoritate Canonum. Nam *Extra de cele. Miſ. cap. Cum Martha*, dicitur: De aliis Sanctis ſentiendum eſt, quòd non indigeant orationibus noſtris, pro eo, quòd, cùm ſint perfectè beati, omnia eis ſuccedunt ad votum.) Et *Extra de baptiſmo, & eius effectu cap. Maiores, dicitur*: Per Sacramentum baptiſmi Chriſti Sanguine rubricati culpa remittitur, vitatur periculum, ad regnum cælorum pervenitur, cuius januam Chriſti Sanguis fidelibus ſuis miſericorditer reſeravit.) *Ibid. cap. Debitum*, dicitur ſic: Iudæus ſeipſum baptizans, ſi cõtinuò deceſſiſſet, ad patriam protinus evolaſſet.) Et *Extra de reli. & venerat. Sanctorum in 6. cap. Glorioſus Deus in Sanctis*: Deus ſanctos ſuos cæleſtis efficit beatitudinis poſſeſſores.) Et *de pœnitentia diſ. 7. cap. Qui egerit*: Quicunque benè poſt pœnitentiam vixerit, ſicut ante pœnitentiam vivere debuit, poſt reconciliationem, quandocunque defunctus fuerit, ad Deum vadit, ad requiem vadit, & regno Dei non privabitur. Et *de conſe. diſ. 5. cap. Spiritus ſanctus*: Baptiſmi regeneratio per ſe ſalvat mox in pace beati ſeculi recipiendos.

Quartò. Auctoritate Eccleſiæ. Nam *de Apoſtolis* cantat: Iſti ſunt triumphatores, & amici Dei, qui contemnentes juſſa principum, meruerunt præmia æterna: modò coronantur, & accipiunt palmam. *Et iterum*. Iſti ſunt viri ſancti, quos elegit Dominus in charitate non ficta, & dedit illis gloriam ſempiternam.

De uno Martyre cantat ſic: Hic eſt verè Martyr, qui pro Chriſti Nomine ſanguinem ſuum fudit; qui minas Iudicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæſivit, ſed ad cæleſtia regna feliciter pervenit. *Et iterum*. Hic nempe mundi gaudia, & blandimenta noxia, caduca ritè deputans pervenit ad cæleſtia.

De pluribus Martyribus. Gaudent in cælis animæ Sanctorum, qui Chriſti veſtigia ſunt ſecuti: & quia pro eius amore ſanguinem ſuum fuderunt; ideo cum Chriſto regnant in æternum. *Et iterum*. Terrore victo ſeculi, pœniſque ſpretis corporis, mortis ſacræ compendio vitam beatam poſſident.

De uno Confeſſore. Iſte Sanctus dignè in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium tranſiit Angelorum. *Et iterum*. Cum Angelis cæleſtibus lætus potitur præmiis.

De Virginibus. Veni ſponſa Chriſti, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum: pro cuius amore ſanguinem tuum fudiſti, & cum Angelis in paradiſum introiſti. *Et iterum*. Sanguine fuſo meruit ſacrata ſcandere cælum.

De omnibus Sanctis. O quàm glorioſum eſt regnum, in quo Sancti amicti ſunt ſtolis albis, & ſequuntur Agnum, quocunque ierit. *Et iterum*. Semotâ jam caligine lumen cernunt in lumine: nunc revelatâ facie Regem cernunt in gloria.

Iſta propterea inducta ſunt: quia Græci, & quidam Hæretici, vocati Cathari, dixerunt, quòd animæ Sanctorum quantumcunque perfectorum, vel purgatorum, non videbunt Deum facie ad faciem, uſque ad diem univerſalis judicii, propter illud Matth. 20. *Cùm ſero*, id eſt, finis mundi, *factum eſſet, dixit Dominus*, nempe pater *vineæ*, ſeu Eccleſiæ, *procuratori ſuo*, id eſt Chriſto: *Voca operarios*, nimirum electos ad judicium, *& redde illis mercedem*, videlicet præmium cæleſtis gloriæ. Non attendentes, quòd Evangeliſta loquitur

de

de completa, & ultima mercede, quoad animam, & corpus, quæ reddetur in universali judicio. Nunc autem celebramus festum omnium Sanctorum propter mercedē, quam à Deo recipiunt, quoad judicium particulare secundùm animam, de quo dicitur:

Ipsorum est regnum cælorum

Inchoativè. Refectivè.
Promissivè. Venerativè.
Sanctificativè. Magnificativè.
Ordinativè.

PRIMO. *Ipsorum est regnum cælorum inchoativè.* Sciendum, quòd inchoatio regni cælorum in electis est ex Divina prædestinatione. Eph. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Prædestinatio autem est ratio transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ. Vnde prædestinatio aliquorum in salutem æternam præsupponit, quòd Deus illorum salutem velit. Ad hoc autem concurrunt quatuor.

1. Divina dilectio, in quantum vult alicui bonum vitæ æternæ: quia diligere est velle bonum alicui. Sap. 11. *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti.*

2. Electio, in quantum hoc bonum vitæ æternæ aliquibus vult præ aliis. Nam voluntas eius, quâ bonum vult alicui diligendo, est causa, quòd illud bonum ab illo præ aliis habeatur. Vnde *Damas. lib.* 2. dicit: Oportet nosse, quòd omnia quidem præcognoscit Deus, non autem omnia prædestinat.

3. Gratiæ collatio. Ita enim prædestinatur à Deo salus alicuius, ut etiam sub ordine prædestinationis cadat, quicquid hominem promovet in salutem, puta: orationes propriæ, vel alienæ, vel alia bona opera, sine quibus homo salutem non consequitur; unde prædestinatis conandum est ad orandum, & bene operandum: quia per ista prædestinationis effectus certitudinaliter impletur. Ideo dicitur 2. Pet. 1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Hoc autem non potest fieri, nisi per gratiam. Thren. ultimo. *Converte nos, Domine, ad te*, scilicet per gratiam, *& convertemur* per bona scilicet opera.

4. Interna vocatio. Rom. 8. *Quos prædestinavit, hos & vocavit*; de qua vocatione dicitur Ioel. 2. *Vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos, & sugentes ubera: egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo.* Vbi notantur octo ordines prædestinatorum.

Primus est Angelorum; qui licèt nunquam fuerint miseri, tamen eis competit prædestinari. Motus enim non accipit speciem à termino à quo, sed à termino ad quē. Nihil enim refert, quantùm ad rationē dealbationis, utri ille, qui dealbatur, fuerit niger, vel palidus, vel rubeus; & similiter nihil refert, quantùm ad rationem prædestinationis, utrum aliquis destinetur in vitam æternam à statu miseriæ, vel non; unde omnis collatio boni supra statum eius, cui confertur, ad misericordiam pertinet. Ideo dicit *Augustinus:* Prædestinatio est propositum miserendi.) Vocatio Angelorum est ex officio eorum, nempe illuminandi, purgandi, perficiendi, & ministrandi. Ideo dicitur: *Vocate cœtum*, id est Angelos. Vnde *Ecclesia*. Cœtus omnes Angelici.

Secundus ordo est Patriarcharum, quorum vocatio est ex fidei veritate (Heb. 11. *Fide plurimam hostiam Abel, quàm Cain, obtulit Deo*, &c. per totum) sensus maturitate, conversationis gravitate, locutionis honestate. Eccli. 44. *Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentiâ suâ à seculo. Dominantes in potestatibus suis homines magni virtute, & prudentiâ suâ præditi*, &c. per totum. Ideo dicitur: *Congregate populum*, scilicet Patriarcharum, à quibus populus Dei descendit.

Tertius est ordo Prophetarum, quorum vocatio est ex vitæ sanctitate. Eccli. 45. *Dilectus Deo, & hominibus Moyses*, &c. per totum. Ex prophetiæ claritate. 2. Petri 1. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Ideo dicitur: *Sanctificate Ecclesiam.* Quemadmodum dicit David in Psalm. *Congregate illis Sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia.*

Quartus ordo est Apostolorum, quorum vocatio est ex missione Spiritus sancti super eos, *Act. 2. cap.* Ex sanctificatione ipsorum: quia fuerunt cofirmati in gratia. Psalm. *Ego confirmavi columnas eius.* Ex prædicatione ipsorum. Psalm. *In omnem terram exivit sonus eorum.* Ex confirmatione miraculorum. Marci ultimo. *Illi autem profecti*

cti, prædicaverunt ubique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Ideo dicitur: *Canite tubà in Sion.*

Quintus ordo eſt Martyrum, quorum vocatio eſt ex victoria reſiſtendo diabolo. Iacobi 4. *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.* Ex victoria à perſecutoribus patiendo. Proverb. 16. *Melior eſt patiens, viro forti.* Ex victoria corpus morti exponendo. Heb. 11. *Lapidati ſunt, ſecti ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt.* Ideo dicitur: *Coadunate ſenes*, nempe Martyres, quorũ ſenectus fuit in ſenſus maturitate. Sap. 4. *Cani ſunt ſenſus hominis.*

Sextus ordo eſt Confeſſorum, quorum vocatio eſt ex Divinæ Scripturæ fideli expoſitione, interna devotione, ex Paſſionis Chriſti jugi meditatione. Pſalm. *In lege Domini fuit voluntas eius.* Et iterum. *Os iuſti meditabitur ſapientiam.* Ideo dicitur: *Et ſugentes ubera.* Deut. 32. *Vt ſugeret mel de petra.*

Septimus ordo eſt Virginum, quarum vocatio eſt ex puritate virginalis munditiæ. Apoc. 14. *Virgines enim ſunt, & ſequuntur Agnum, quocunque ierit.* Ex puritate converſationis ſanctæ. Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus.* Ex puritate ſpiritualis munditiæ. 1. Cor. 3. *Templum Dei eſtis.* Ideo dicitur: *Congregate parvulos*, id eſt Virgines puras.

Octavus eſt ordo Electorum omnium, quorum vocatio eſt ex civilitate, ex familiaritate, ex hæreditate. Eph. 2. *Iam non eſtis hoſpites, & advenæ: ſed eſtis cives Sanctorum, & domeſtici Dei.* Ex Divina filiatione. Rom. 8. *Si filii, & hæredes.* Ideo dicitur: *Egredietur ſponſus*, id eſt Chriſtus, ad beatificandos Electos, *& ſponſa*, nempe congregatio Electorum egrediatur de thalamo huius habitationis, ad Deum laudandum, &c.

SECVNDO. *Ipſorum eſt regnum cælorum promiſſivè.* Sciendum, quòd prædeſtinatio Electorum eſt certiſſima, & infallibilis, ſecundùm illud *Gloſſæ Rom.* 8. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit*, &c. dicentis: Prædeſtinatio eſt præparatio, & præſcientia beneficiorum Dei, quâ certiſſimè liberantur, quicunque liberantur.) Ideo ad deſignandum hanc certitudinem dicitur Apoc. 3. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Super quo dicit *Auguſt.* Alius non eſt acceptus, niſi iſte perdiderit.) Corona vitæ æternæ dicitur eſſe alicuius dupliciter. Vno modo ex prædeſtinatione Divina, & ſic nullus coronam ſuam perdit. Alio modo ex merito gratiæ. Quod enim meremur, quodammodo noſtrum eſt; & ſic ſuam coronam aliquis perdere poteſt per peccatum mortale ſequens: alius autem iſtam coronam amiſſam accipit, in quantum loco eius ſubrogatur; non enim permittit Deus alios cadere, quin alios erigat, ſecundùm illud Iob 34. *Conteret multos, & innumerabiles, & ſtare faciet alios pro eis.* Sic enim in locum Angelorum cadentium ſubſtituti ſunt homines, & in locum Iudæorum Gentiles. Subſtituitur autem aliquis in ſtatum gratiæ, & quantùm ad hoc coronam cadentis accipit: quia de bonis, quæ alius fecit, in æterna vita gaudebit, in qua unuſquiſque gaudebit de bonis tam à ſe, quàm ab aliis factis. Ideo dicitur Iaco. 1. *Beatus vir, qui ſuffert tentationem: quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Hanc autem promiſſionem confirmavit Chriſtus in morte per teſtamentum. Pſal. *Diſpoſui teſtamentũ electis meis.* Et hoc octo generibus Electorum, ut patet in Evangelio hodierno.

1. Per teſtamentũ promittens legavit Angelis regnum cælorum, ſi paupertatem ſpiritus obſervarent, dicens: *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Paupertas ſpiritus eſt humilitas, per quam Angeli omnia contempſerunt, & ſoli Deo adhæſerunt.

2. Per teſtamentum legavit Patriarchis regnum cælorum, ſi manſuetudinem obſervarent, dicens: *Beati mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Hanc manſuetudinem obſervavit Noe in fabricatione arcæ, Abraham in peregrinatione, Iſaac in immolatione, Iacob in perſecutione, Ioſeph in venditione, &c.

3. Per teſtamentum legavit Prophetis regnum cælorum, ſi lugerent peccata populorum, dicens: *Beati, qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur.* Hunc luctum habuit Moyſes, quãdo in adoratione vituli oravit cum lacrymis ad Dominum, dicens: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti*, Exo. 32. Habuit Iſaias, dicens 61. cap. *Vt conſolarer omnes lugentes, ut ponerem (fortitudinem) lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris.* Habuit Ieremias, dicens 9. cap. *Quis dabit capiti meo aquam*,

quam, & oculis meis fontem lacrymarum: & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei? Habuit Daniel, dicens 10. cap. *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus*, &c.

4. Per teſtamentum legavit Apoſtolis regnum cælorum, dicens: *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur.* Hanc juſtitiam, ſcilicet fidei ampliandæ, pro qua mori ſitiebant, prædicaverunt Apoſtoli. *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilii: quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.*

5. Per teſtamentum legavit Martyribus regnum cælorum, ſi obſervarent miſericordiam, dicens: *Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Hanc miſericordiam habuit beatus Stephanus, qui oravit pro lapidatoribus ſuis, dicens: *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum: quia neſciunt, quid faciunt.* Habuit beatus Laurentius, qui theſauros Eccleſiæ diſperſit, & dedit pauperibus.

6. Per teſtamentum legavit Confeſſoribus regnum cælorum, ſi obſervarent munditiam cordis, dicens: *Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt.* Hanc munditiam habuit beatus Dominicus, qui in pueritia ſua, relicto lecto, ſuper nudam terram jacuit, qui virginitatem ſuam à cunabulis Domino conſecravit. Habuit beatus Thomas de Aquino, qui nunquam habuit alicuius mortalis criminis in voluntate conſenſum.

7. Per teſtamentum legavit Virginibus regnum cælorum, ſi obſervarent pacem mentis, dicens: *Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur.* Hanc pacem habuit Beata Catharina, quæ multa pace convertit quinquaginta Oratores, & Porphyrium cum ducentis militibus, & Reginam ad fidem Chriſti. Habuit beata Agnes, quæ filium Præfecti, volentem eam corrumpere, ſuſcitavit à mortuis.

8. Per teſtamentum legavit omnibus Electis regnum cælorum, ſi obſervarent patientiam, dicens: *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* De iſta dicit *Gregorius homil. 35. in Evang.* Tribus modis virtus patientiæ exerceri ſolet. Alia nanque ſunt, quæ à Deo, alia quæ ab antiquo adverſario, alia quæ à proximo ſuſtinemus. A proximo nanque perſecutiones, damna, & contumelias ſuſtinemus. Ab antiquo adverſario tentamenta, à Deo autem flagella toleramus; Sed in his omnibus modis vigilanti oculo ſemetipſam debet mens circumſpicere, ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali, ne contra tentamenta adverſarii ſeducatur ad delectationem vel conſenſum delicti, ne contra flagella opificis proruat ad exceſſum murmurationis. *Hactenus.*

TERTIO. *Ipſorum eſt regnum cælorum ſanctificativè.* Sciendum, quòd omnes homines naturaliter deſiderant beatitudinem, ſecundùm illud *Boethii.* Omnis mortalium cura, quam multiplicium ſtudiorum labor exercet, diverſo quidem calle procedit, ad unum tamen beatitudinis finem nititur pervenire.) Sed circa ſubjectum beatitudinis diverſi errores proceſſerũt. *Epicurei* poſuerunt ſubjectum beatitudinis eſſe corpus, & hoc in voluptatibus corporis. *Stoici* poſuerunt ſubiectum beatitudinis eſſe animam, & hoc in virtute animi. *David* Propheta poſuit ſubiectum beatitudinis totum hominem, dicens in Pſalm. *Rex meus & Deus meus: Beati, qui habitant in domo tua, Domine.* Totus enim homo in corpore, & in anima beatus erit. Nam corpus in præſenti patitur quadruplicem defectum, ſcilicet: mortalitatem, obſcuritatem, ponderoſitatem, & groſſitiem. Et quantùm ad hos quatuor defectus glorificabitur quadrupliciter, ut dicitur 1. *Cor.* 15. Quia paſſibilitas tranſibit in immortalitatem. Ideo dicit: *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione.* Obſcuritas tranſibit in claritatem. Ideo dicit: *Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria.* Ponderoſitas tranſibit in agilitatem. Ideo dicit: *Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute.* Groſſities tranſibit in ſubtilitatem. Ideo dicit: *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale.*

Etiam beatificabitur quantùm ad omnes ſenſus. Viſus beatificabitur in Dei viſione. Nam color albus eſt Divinitas Chriſti: color niger eſt ſua humanitas. Ex his duobus reſultat unus color in una Perſona Chriſti, qui eſt viridis. Luc. 23. *Si in viridi*, id eſt, in perſona Chriſti *hæc faciunt.* Et iſte color eſt delectabilis ad videndum.

Auditus beatificabitur in Dei allocutione. Cant. 2. *Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis.* Iſa. 51. *Gaudium & lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.*

Odoratus beatificabitur in Carnis Chriſti odo-

odoratione, quæ eſt tanquam Roſa odorifera. Eccli. 50. *Quaſi flos Roſarum in diebus vernis.* Si enim corpora Sanctorum ſuaviſſimum odorem redolent, quantò magis Corpus Chriſti?

Guſtus beatificabitur in plena Dei delectatione, quam ſentiet ex Carne Chriſti dulciſſima. Iob 31. *Dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det, de Carnibus eius ut ſaturemur?*

Tactus beatificabitur in Perſonæ Chriſti contrectatione. Si enim tanta virtus erat in tangendo Perſonam Chriſti in hac vita, in oſculando pedes eius, quid erit in cælo? Cant. 2. *Dextera illius amplexabitur me.*

Etiam beatificabitur anima quantùm ad intellectum, in quo erit perfectiſſima ſcientia. Nam ſcientia noſtra in hac vita patitur triplicem defectum, ut dicitur 1. *Cor.* 13. Eſt enim obſcura. Ideo dicit: *Videmus nunc per ſpeculum in anigmate.* Eſt imperfecta. Ideo dicit: *Nunc cognoſco ex parte.* Eſt à ſenſibilibus accepta. Ideo dicit: *Cùm eſſem parvulus, ſapiebã ut parvulus.* In patria verò noſtra ſcientia erit clara. Ideo dicit: *Tunc autem facie ad faciem.* Erit perfecta. Ideo dicit: *Tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.* Erit ab ipſo Deo infuſa. Ideo dicit: *Evacuavi quæ erant parvuli.*

Etiam beatificabitur quantùm ad affectivam in Dei bonitate. Sap. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Auguſtinus.* Quanta erit ibi felicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum?)

Appetitiva beatificabitur in Dei ſocietate: quia erit in fonte. Pſalm. *Apud te eſt fons vitæ.* Et iterum. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Et iterum. *Inebriabuntur ab ubertate domus Dei.*

QVARTO. *Ipſorum eſt regnum calorũ ordinativè.* Sciendũ, quòd domus Dei, quæ eſt gloria cæleſtis, eſt magna, & bene diſpoſita quadrupliciter, ut notat *Baruch* 3. *cap.* 1. Eſt magna; ideo dicit: *O Iſrael, quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius!* 2. Eſt longus locus ſine fine; ideo dicit: *Magnus eſt, & non habet finem.* 3. Eſt altus ſine menſura; ideo dicit: *Excelſus.* 4. Eſt amplus & ſpatioſus ſine modo; ideo dicit: *Immenſus.* Et licèt ſit tantæ magnitudinis, eſt tamen ordinatiſſimus. Inſtar enim domus regalis, multas ibi fecit Deus manſiones. Io: 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Scilicet oratorium, atrium, cellarium, conſiſtorium, cœnaculum, viridarium, & cubiculum.

In oratorio ſunt Angeli Dei, laudem continuè decantantes, & dicentes illud Iſa. 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum,* &c.

In atrio ſunt Patriachæ, pauperes ſuſtentantes. Eſt enim atrium locus, in quo pauperes recipiuntur. Abraham recepit Angelos hoſpitio, & Lot ſimiliter, &c.

In cellario ſunt Prophetæ, adventum Chriſti ardentiſſimè ſitientes. Iſa. 64. *Vtinam dirumperes cælos, & deſcenderes.* Pſalm. *Veni ad liberandum nos, Domine Deus virtutum: oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.* Moyſes Exo. 4. *Obſecro, Domine, mitte quem miſſurus es.* Et quia ſic ardentiſſimè ſitiebant; ideo pleniſſimè ſatiati ſunt. Cant. 2. *Introduxit me Rex in cellam vinariam.*

In conſiſtorio, ubi cauſæ audiuntur, & ſententiæ proferuntur, ſunt Apoſtoli. Matthæi 19. cap. *Sedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael.*

In cœnaculo ponuntur Martyres. Quia enim fuerunt tribulati, afflicti, & fame, & ſiti affecti; ideo pleniſſimè ibi ſatiabuntur. Lucæ 22. *Edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.*

In viridario ſunt Confeſſores; qui fuerunt viridarium Dei, in quibus fuit roſa patientiæ. Vnde de beato Dominico cantatur: O lumen Eccleſiæ, Doctor veritatis, roſa patientiæ, lilium munditiæ. Et de beato Thoma de Aquino cantatur: Militantis Doctor Eccleſiæ, virginali florens munditiâ. Et de Confeſſoribus dicit Pſalm. *Iuſtus germinabit ſicut lilium.* Etiam fuit ſicut viola humilitatis profundæ.

In cubiculo ſunt Virgines tanquam ſponſæ. Eſther 2. *Ducta eſt ad cubiculum Regis.* Pſal. *Aſtitit Regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato,* &c.

QVINTO. *Ipſorum eſt regnum calorum refectivè.* Sciendum, quòd omnes ordines Sanctorum multiplici jure aſſecuti ſunt cæleſtem gloriam; ideo meruerunt invitari ad convivium, & refectionem regni cæleſtis.

Primò. Angeli acquiſiverunt eam per feudatariam poſſeſſionem. Quamvis enim ſuam beatitudinem, & confirmationem meruerint, eò quòd aliis ſuperbientibus, ad Deum totaliter ſunt converſi; tenentur tamen ſervare feudum, & tributum Regi, & familiæ Regis: quia obligantur Deo aſſiſtere, & nobis miniſtrare. Dan. 7. *Millia millium miniſtrabant ei.* Ecce tributum familiæ Re-

Digitized by Google

gis. *Et deciesmilliesſ centena millia aſſiſtebant ei*. Ecce tributum Regis. Iſti vocantur ad convivium æternum. Eſther 1.c. *Aſſuerus*, id eſt Deus, qui eſt beatitudo,& gloria Sanctorum, *tertio anno imperii ſui*, nempe in ſtatu gloriæ, poſt ſtatum legis Moſaicæ, & gratiæ Evangelii, *fecit grande convivium cunctis principibus ſuis*, ſcilicet Angelis. Pſalm. *Prævenerunt principes*, id eſt Angeli, *coniuncti pſallentibus*.

Secundò. Patriarchæ acquiſiverunt eam per ædificationem. Nam ædificaverunt ſibi manſionem cæleſtem de auro dilectionis Divinæ: de argento dilectionis proximi: de lapidibus pretioſis, id eſt, operibus meritoriis. 1. Cor. 3. *Superædificet ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, & lapides pretioſos*. Eleemoſyna,dum datur,eſt quaſi terra,plumbum, & ſaxum. Sed in cælo terra convertitur in aurum,plumbum in argentum, ſaxum in lapidem pretioſum. *Auguſtinus ſuper Pſalm.* Laudas mercatorem, qui vendit plumbum, & emit aurum: & non laudas illum, qui erogat pecuniam, & acquirit juſtitiam & gloriam.) Iſti vocantur ad convivium æternum; ideo dicit: *Et pueris ſuis*, id eſt Patriarchis, qui juxta ætates mundi fuerunt in eius puericia.

Tertiò. Prophetæ acquiſiverunt eã per operis locationem,& ſervitii retributionẽ. Vnde dicitur *Matth.* 21. quòd paterfamilias locavit vineam ſuam agricolis ſuis, nempe ſanctis Prophetis. Et Eccli. 46. dicitur: *Dedit Dominus ipſi Caleb fortitudinem, & uſque in ſenectutem permanſit illi virtus, ut aſcenderet in excelſum terræ locum: & ſemen ipſius obtinuit hæreditatem, ut viderent omnes filii Iſrael, quia bonum eſt obſequi Sancto Deo*. Iſti vocantur ad convivium æternum; ideo dicit: *Fortiſſimis Perſarum*, id eſt, ſanctis Prophetis, qui fuerunt fortiſſimi ad defenſionem legis, pro qua mori non dubitaverunt; ut Iſaias ſectus, Ieremias vinctus, Ezechiel lapidatus, Daniel in lacum leonum miſſus, &c.

Quartò. Apoſtoli acquiſiverunt eam per emptionem. Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia*. Ecce pretium. *Centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis*. Ecce comparatum præmium. Iſti vocantur ad æternum convivium; ideo dicit: *Et Medorum inclytis*, id eſt, Apoſtolis, conformantibus ſe vitæ, & fidei Ieſu Chriſti.

Quintò. Martyres acquiſiverunt eam per violentiam, & direptionem. Matth. 11. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Rapuerunt enim de manibus Dei regnum cælorum, theſaurum deſiderabilem, vitam Beatorum. *Ambroſius*. Aggrediamur Dominum, & more latronum ſuis eum ſpoliare nitamur. Cupiamus ſibi auferre regnum, theſauros,& vitam. Sed ille tam dives eſt, ut non abnuat, non reſiſtat. Aggrediamur, inquam, eum non fuſte, non ferro, non ſaxo; ſed manſuetudine, bonis operibus, charitate.) Iſti vocantur ad convivium æternũ; ideo dicit: *Et præfectis provinciarũ*, id eſt, Martyribus, qui præſides, & præfectos provinciarum non timuerunt.

Sextò. Confeſſores acquiſiverunt eam per hæreditariam ſucceſſionem: fuerunt enim pacifici; & ideo filii Dei. Matth. 5. *Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur*. Et quia filii; ideo hæredes. Rom.8. *Si filii,& hæredes*. De illa hæreditate dicit Pſalm. *Novit Dominus dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit*. Iſti vocantur ad convivium æternum; ideo dicit: *Invitavit omnem populum*, ſcilicet Doctorum, Monachorum, Religioſorum,Anachoretarum, Eccleſiaſticorũ, Prælatorum, ſubditorum, &c.

Septimò. Virgines acquiſiverunt eam per gratuitam donationem. Sunt enim ſponſæ Chriſti, & ad ſponſum ſpectat, omnia ſua ſponſæ gratis donare; unde cantat *Eccleſia*: Veni ſponſa Chriſti: accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum. Iſtæ vocantur ad convivium æternum; ideo dicit: *Fecit convivium fœminarum in palatio*, ſcilicet regni cæleſtis.

SEXTO. *Ipſorum eſt regnum cælorum venerativè*. Sciendum, quòd in cæleſti gloria eſt admirabilis chorea per ingreſſum Sanctorum ad intuitum Divinitatis, & egreſſum ad reſpectum Humanitatis Ieſu Chriſti. Ioan. 10. *Ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet*. Et ſicut in choreis mundi eſt unus, ducens totam choream, ſcilicet ſponſus; ita in illa cæleſti chorea Chriſtus, tanquam Sponſus, ducit, & præcedit illam ſanctam ſocietatem omnium Electorum. Apoc. 7. *Agnus, qui in medio throni eſt, reget illos*. Et iterum 14. cap. *Sequuntur Agnum, quocunque ierit*. Sed illa ſanctiſſima chorea non vadit ad ſiniſtram, ſicut chorea mundi: quia non pergit ad ſiniſtram inferni, ſed ad dexteram Dei. Proverb. 4. cap. *Viæ, quæ à dextris ſunt, novit Dominus*, id eſt, approbat:

qua

quæ autem à ſiniſtris ſunt, perverſa ſunt.

In hac chorea fit cãtus mirabilis,& à Chriſto inchoante, & à quolibet ordine Sanctorum ſingillatim proſequente, & reſpondente. 1. Chriſtus cantat ſuæ dulciſſimæ Matri illud Ioann. 2. dicens: *Quid mihi, & tibi Mulier?* Quaſi dicat: Mihi eſt Divinitas, & & Humanitas, tibi eſt Virginitas, & fœcunditas: mihi ſublimitas, tibi humilitas: nunc mihi claritas, tibi jucunditas: mihi Sanctorum ſocietas, tibi eorum feſtivitas. Ad hoc beata Virgo reſpondet dulciſſimam cantilenam, Luc. 1. cap. dicens: *Magnificat anima mea Dominum.*

2. Cantat Chriſtus Angelis illud Pſalm. *Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum eius. Benedicite Domino omnes virtutes eius, miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius.* Ad hoc reſpondent Angeli dulciſſimam cantilenam, Apoc. 7. dicentes: *Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum.* Quaſi dicerent: Tibi Chriſte ſplendor Patris, ſit benedictio in Incarnatione, claritas in Nativitate, & & apparitione, ſapientia in prædicatione, gratiarum actio in Redemptione, morte, & Paſſione, honor in Reſurrectione, virtus in Aſcenſione, fortitudo in judicii conſummatione.

3. Cantat Chriſtus Patriarchis cantilenã, quam cantavit Deus Moyſi in viſione rubi, Exo. 3. *Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, Deus patrum noſtrorum miſit me ad vos. Hoc nomen eſt mihi in aternum, & hoc memoriale meum in generatione & generationem.* Ad hoc reſpondent Patriarchæ cantilenam dulciſſimam, Apoc. 7. dicentes: *Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & Agno.*

4. Cantat Chriſtus Prophetis cantilenam devotiſſimam, Exo. 19. dicens: *Vos ipſi vidiſtis quæ fecerim Aegyptiis, quomodò portaverim vos ſuper alas aquilarum. Vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta.* Ad hoc reſpondent Prophetæ illud Apoc. 5. *Dignus es, Domine, accipere librum, & ſolvere ſeptem ſignacula eius: quoniam occiſus es, & redemiſti nos in Sãguine tuo, & feciſti nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotes.*

5. Cantat Chriſtus Apoſtolis ſuaviſſimam cantilenam, Luc. 22. dicens: *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum: ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Ad hoc reſpondent Apoſtoli illud Ioan. 6. dicentes: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus, & cognovimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei.*

6. Cantat Chriſtus Martyribus cantilenam dulciſſimam, Matth. 5. dicens: *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Ad hoc reſpondent Martyres illud 2. Timo. 2. *Si commortui ſumus, & convivemus: ſi ſuſtinuimus, & conregnabimus.*

7. Cantat Chriſtus Pontificibus cantilenam amœniſſimam 1. Pet. 2. *Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis.* Id eſt, genus electum per æternam prædeſtinationem, regale ſacerdotium per ſubditorum protectionem, gens ſancta per virtutum perfectionem, populus acquiſitionis per exemplorum ædificationem. Ad hoc reſpondent Pontifices illud Pſalm. dicentes: *Tranſivimus per ignem* adverſitatis, *& aquam* proſperitatis: *& eduxiſti nos in refrigerium* æternæ felicitatis.

8. Cantat Chriſtus Doctoribus cantilenã jucundiſſimam, Matth. 5. dicens: *Vos eſtis ſal terræ. Vos eſtis lux mundi.* Scilicet per condimentum ſacrorum eloquiorum in expoſitione fideliſſima. Ad hoc reſpondent Doctores illud Pſ. dicentes: *Sicut audivimus, ſic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei noſtri.*

9. Cantat Chriſtus Anachoretis, Religioſis, & Monachis, dicens illud Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Scilicet plenitudine cæleſtium gaudiorum. Ad hoc reſpondent prædicti illud Pſalm. *Hic eſt Dominus Deus noſter in aternum, & in ſeculum ſeculi: Ipſe reget nos in ſecula.*

10. Cantat Chriſtus Virginibus cantilenã jucundiſſimam, Sap. 4. dicens: *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate!* Nam Virgines habent claritatem incorruptionis, viduæ claritatem devotionis, coniuges claritatem ſucceſſionis, & omnes pariter habent claritatem odoriferæ famæ, & bonæ opinionis. Ad hoc reſpondent Virgines, & continentes illud Cant. 1. *Oleum effuſum Nomen tuum: ideo adoleſcentulæ dilexerunt te.*

11. Cantat Chriſtus omnibus electis cantilenam jucundiſſimam, Matth. 25. dicens:

Venite benedicti Patris mei, ſcilicet per gratiæ adoptionem: *Poſſidete regnum, quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi*. Scilicet per æternalem prædeſtinationem. Ad hoc reſpondent electi illud 1. Timo. 1. *Regi ſeculorum immortali, inviſibili, ſoli Deo honor, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen*. Iſti ſunt hymni, de quibus Pſal. dicit: *Hymnus omnibus Sanctis eius*.

SEPTIMO. *Ipſorum eſt regnum calorum magnificativè*. Sciendum, quòd Sancti in gloria continuè laudant Deum, & in reſurrectione dabitur lingua ad ipſum laudãdum. Eccli. 51. *Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam, & in ipſa laudabo eum*. Et Iſa. 43. *Populum iſtum formavi mihi, laudem meam narrabit*. Vnde quantùm ad iſtud officium creditur, quòd ibi lingua remanebit. *Remigius* dicit, quòd tunc omnis lingua ceſſabit, & ſola lingua Hebræa, quæ fuit lingua Adæ, remanebit. *Auguſt. lib. 22. de civ. Dei. cap. 30.* dicit: Vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus. Ipſe Deus erit finis deſideriorum noſtrorum, qui ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur.) Vnde Pſalmiſta invitat omnes Sanctos ad laudandũ Deum dicens: *Laudate Dominum de cœlis: laudate eum in excelſis*.

1. Ad Angelos dicit: *Laudate eum omnes Angeli eius*.

2. Ad Patriarchas dicit: *Laudate eum ſol, & luna: laudate eum omnes ſtellæ, & lumen*. Patet de Ioſeph, dicente Gen. 37. *Vidi per ſomnium, quaſi ſolem, lunam, & ſtellas undecim adorare me*. Qui omnes fuerunt Patriarchæ. Inſuper Abrahæ dictum eſt: *Numera ſtellas cœli, ſi potes: ſic erit ſemen tuum*, Gen. 15. cap.

3. Ad Prophetas dicit: *Laudate eum cœli cœlorum: & aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt, laudent Nomen Domini*. Prophetæ enim ſuâ cognitione penetraverunt cælos, & pervenerunt uſque ad cælum Trinitatis, quorum prophetiæ fuerunt nobis obſcuræ. Pſalm. *Tenebroſa aqua in nubibus aeris*. Id eſt, obſcura intelligentia in Prophetis.

4. Ad Apoſtolos dicit: *Ipſe dixit, & facta ſunt*. Id eſt, Apoſtolos elegit, & facti ſunt Doctores Gentium. *Ipſe mandavit*, ut ſcilicet irent in univerſum mundum prædicaturi, *Mar. ultimo*. *Et creata ſunt*, per Spiritus ſancti miſſionem. Pſalm. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur*, &c.

5. Ad Evangeliſtas dicit: *Statuit ea in æternum, & in ſeculum ſeculi*. Id eſt ea, quæ continentur in Evangelio. Apoc. 14. *Vidi alterum Angelum, volantem per medium cœli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret ſedentibus ſuper terram*, &c. *Præceptum poſuit, & non præteribit*. Id eſt, *Cœlum & terra tranſibunt: verba autem mea non tranſibunt*, Luc. 21.

6. Ad Martyres dicit: *Laudate Dominum de terra*. Id eſt, qui paſſi eſtis martyrium in corpore, formato de terra. Matth. 10. cap. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Dracones, & omnes abyſſi*, ſcilicet victiſtis, & ſuperaſtis.

7. Ad Confeſſores dicit: *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius*. Nam Confeſſores, qui obſervant verba legis Dei (Eccli. 44. cap. *Non eſt inventus ſimilis illi, qui conſervaret legem Excelſi*, &c.) ſunt ignis ex puritate, & ſubtilitate conſcientiæ; grando divitias & voluptates ſeculi contemnendo; nix ex honeſtate converſationis; glacies ex mortificatione carnis; ſpiritus procellarum, id eſt, tempeſtas ex mortificatione vitiorum.

8. Ad Doctores dicit: *Montes, & omnes colles, ligna fructifera, & omnes cedri*. Nam Doctores fideliter ſacram Scripturam exponentes ſunt montes in ſenſu literali, colles in ſenſu morali, ligna fructifera in ſenſu allegorico, cedri in ſenſu anagogico.

9. Ad Anachoretas dicit: *Beſtiæ, & univerſa pecora, ſerpentes, & volucres pennatæ*. Id eſt, vos Anachoretæ, qui victiſtis beſtias, nempe motus beſtiales carnis; & univerſa pecora, id eſt, tentamenta mundi; ſerpentes, nimirũ tentationes diaboli, qui velut volucres per cæleſtem converſationem, pennatæ per ſimplicitatem mentis (Pſalm. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ? & volabo, & requieſcam*.) laudate Deum.

10. Ad Religioſos, & Monachos dicit: *Reges terræ, & omnes populi, Principes, & omnes Iudices terræ*. Id eſt, vos, qui inſtruxiſtis in lege Dei ſapientes, & potentes mundi, Reges, populos, Principes, & Iudices veſtris ſermonibus, & exhortationibus, ſanctitate vitæ, & bonis moribus; laudate cum illis Dominum.

11. Ad Virgines dicit: *Iuvenes, & virgines laudent Nomen Domini*. Quia virginitatem ſuam Deo devoverunt.

12. Ad Viduas dicit: *Senes laudent Nomen Do-*

Domini. Id eſt, quæ ſunt in ſtatu viduitatis, &c.

13. Ad conjugatas dicit: *Cum iunioribus*, ſcilicet viris conjugatæ, laudent Nomen Domini.

14. Ad omnes Electos præcipuè pœnitentes dicit: *Confeſſio eius ſuper cælum, & terram*; ideo *exaltavit cornu populi ſui*. Quia pœnitentia cælum penetrat, & terram pedibus conculcat.

Quia verò Sancti hac die laudant Deum; ideo & nos ipſum in Sanctis ſuis laudare debemus. Pſalm. *Laudate Dominum in Sanctis eius*. Et hoc ſecundùm omnes Ordines Sanctorum.

1. Debemus laudare beatam Virginem; ideo dicit: *Laudate eum in firmamento virtutis eius*. Nam firmamentum virtutis fidei fuit beata Virgo: quia ceteris titubantibus horâ Paſſionis Chriſti, ipſa ſola permanſit firma in virtute fidei. Ezech. 1. *Firmamentum*, *quod erat imminens capiti animalium*, id eſt Chriſto Capiti Apoſtolorum, *quaſi aſpectus lapidis ſapphiri*. Per firmitatem fidei ipſam honoramus. Peccatores, præcipuè Hæretici, non celebrant feſtum beatæ Virginis, ſed feſtum *Aſtaroth*, qui interpretatur *Diana*, & *Iuno*, aliorumque deorum, vacantes divinationibus, & magicis artibus.

2. Debemus laudare Angelos; ideo dicit: *Laudate eum in Virtutibus eius*. Id eſt, pro gloria Angelicis ſpiritibus data: per humilitatem autem ipſos honoramus. Eccli. 3. *Magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur*. Peccatores non celebrant feſtum Angelorum, ſed *Luciferi* per ſuperbiam. Iob 41. *Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*.

3. Debemus laudare Patriarchas; ideo dicit: *Laudate eum ſecundùm multitudinem magnitudinis eius*. Id eſt, pro gloria Patriarchis collata, in quibus relucet magnitudo, & multitudo Divinæ bonitatis; ex quibus ortus eſt Chriſtus, quos de limbo eduxit, & ad cælum deduxit. Gal. 3. *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones*, &c. Zach. 9. *Tu quoque in Sanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos de lacu*. Pſalm. *Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem*. Per miſericordiam ipſos honoramus. Heb. ultimo. *Hoſpitalitatis nolite oblivi ſci*. Per hanc quidam placuerunt Deo. Peccatores non celebrant feſtum Patriarcharum, ſed *Mammonæ* per avaritiam. Matth. 6. *Non poteſtis Deo ſervire, & mammonæ*.

4. Debemus laudare Prophetas; ideo dicit: *Laudate eum in ſono tubæ*. Id eſt, pro gloria Prophetis collata, qui fuerunt tubæ Dei. Iſaiæ 58. *Clama, ne ceſſes: quaſi tuba exalta vocem tuam*. Per contemptum mundi ipſos honoramus. Heb. 11. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti*. Peccatores non celebrant feſtum Prophetarum, ſed *Beelphegor*, imaginem viri nudi, & laſcivi. Eccli. 11. *In veſtitu ne glorieris unquam*.

5. Debemus laudare Apoſtolos; ideo dicit: *Laudate eum in pſalterio*. Id eſt, pro gloria Apoſtolis collata, qui fuerunt pſalterium decem chordarum, nempe præceptorum Dei, quæ prædicaverunt in univerſo mundo. Pſalm. *In pſalterio decem chordarum pſallite illi. Cantate ei canticum novum*. Scilicet Incarnationis, Paſſionis, Reſurrectionis Chriſti. Per zelum ſalutis fraternæ ipſos honoramus. Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros*. Peccatores non celebrant feſtum Apoſtolorum, ſed *Beelzebub*, qui eſt Deus muſcarum, ſignificantium detractores. Matth. 10. *Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quantò magis domeſticos eius?*

6. Debemus laudare ſanctos Innocentes; ideo dicit: *Laudate eum in cithara*. Id eſt, pro gloria ſanctis Innocentibus collata: cithara enim dulciter ſonat. Et quid dulciùs, quàm innocenter vivere? Apoc. 14. *Vocem, quam audivi, ſicut citharœdorum, citharizantium in citharis ſuis*. Per innocentiam ipſos honoramus. Pſalm. *Innocentes, & recti adhæſerunt mihi*. Peccatores non celebrant feſtum Innocentum, ſed *Veneris*, & luxuriæ.

7. Debemus laudare Martyres; ideo dicit: *Laudate eum in tympano*. Quia ſicut tympana fuerunt extenſi martyrio, & in pellibus percuſſi reſonabant fidem Chriſti. Ierem. 31. *Virgo Iſrael, adhuc ornaberis tympanis tuis*. Per patientiam ipſos honoramus. Vnde canit Eccleſia:

Non murmur reſonat, non querimonia:
Sed corde tacito mens bene conſcia
Conſervat patientiam.

Peccatores non celebrant feſta Martyrum, ſed *Martis* dei belli per iracundiam. Iacobi 4. *Litigatis, & belligeratis*. Scilicet duellis, & ludis vacando.

8. Debemus laudare Pontifices; ideo dicit: *Et choro*. Etiam Religioſos; ideo dicit: *Laudate eum in chordis*. Inſuper Doctores; ideo dicit: *Et organo*. Qui ſuis doctrinis ſuaves melodias dederunt. Per abſtinentiam

ipſos

ipſos honoramus. 2. Corint. 6. *In vigiliis, in ieiuniis, in caſtitate.* Peccatores celebrant feſtum *Cereris*, & *Bacchi* per crapulam, & ebrietatem. Philip. 3. *Quorum Deus venter eſt.*

9. Debemus laudare Virgines; ideo dicit: *Laudate eum in cymbalis benè ſonantibus.* Etiam totũ collegium Electorum; ideo dicit: *Laudate eum in cymbalis iubilationis.* Per continentiam, & puritatem eos honoramus. 1. Theſſ. 4. *Sciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificationem, & honorem.* Peccatores celebrant feſtum *Aſmodai*, dæmonum ſpurcitias ſectantes. Sap. 2. *Nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Concludit ergo, dicens Propheta Regius: *Omnis ſpiritus*, tam cæleſtis, quàm terreſtris, *laudet Dominum.* Amen.

SERMO LVI.

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM II.

Merces veſtra copioſa eſt in cælo. Matth. 5. cap.

BEatus Gregor. *de diſ. novem ordin. Angelor. hom. 34. in Evãg.* dicit ſic: Diſtinctè cõverſationes hominũ, ſingulorum ordinum Angelorum dignitatibus congruunt, ut in eorum ſortem, vel ordinem per converſationis ſimilitudinem deputentur.) Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtrum Electos aſſumi ad ordines ſpirituum beatorum ſic conveniat, ut decimum ordinem poni ſeorſum non deceat?

AD iſtam quæſtionem reſpondent quatuor Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt *beatus Auguſtinus in Enchir. (& allegatur à Magiſtro ſententiarum lib. 2. diſ. 9. cap. 8.)* dicens: Superna Ieruſalem Mater noſtra, Dei civitas nulla civium ſuorum numeroſitate fraudabitur, aut uberiore etiam copia fortaſſe regnabit. Neque enim numerum aut ſanctorum hominum, aut immundorum dæmonum novimus, in quorum locum ſuccedentes filii catholicæ Matris, quæ ſterilis apparebat in terris, in ea pace, de qua illi ceciderunt, ſine ullo temporis termino permanebunt. Sed illorum civium numerus, ſive qui eſt, ſive qui fuit, ſive qui futurus eſt, in contemplatione eius artificis eſt, qui vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt. *Hæc Auguſtinus.*

Secundus eſt *beatus Gregorius (ut allegatur à Magiſtro ead. diſt. cap. 7.)* dicens: Superna illa civitas ex Angelis & hominibus conſtat, ad quam credimus tantos humani generis aſcendere, quantos illic contigit Angelos remanſiſſe; ſicut ſcriptum eſt: Statuit terminos populorum juxta numerum filiorum Dei.)

Tertius eſt *Mag. ſent. ead. diſt. c. 6.* dicens: Apparet, de hominibus non eſſe formandum decimum ordinem, tanquàm novem ſint Angelorum, & decimus hominum: ſed homines pro qualitate meritorum ſtatuendos in ordinibus Angelorum. Quod ergo legitur decimus ordo complendus de hominibus (ſuper illud Luc. 15. *Aut quæ mulier habens drachmas decem*, &c.) ex tali ſenſu dictum accipi poteſt: quia de hominibus reſtaurabitur, quod in Angelis lapſum eſt; de quibus tot corruerunt, ut poſſet fieri decimus ordo. Propter quod dicit Apoſtolus, reſtaurari omnia in Chriſto, quæ in cælo ſunt, & quæ in terris: quia per Chriſtum redemptum eſt genus humanum, de quo fit reparatio ruinæ Angelicæ; tamen non minus ſalvaretur homo, etiamſi Angelus non cecidiſſet.)

Quartus eſt *Origo. ſuper lib. Numeri homil. 23.* dicens: Agunt Angeli diem feſtum lætantes ſuper iis, qui refugientes conſortia dæmonum per exercitia virtutum Angelicis feſtinant ſociari conſortiis.)

Sicut autem diverſa ſunt merita Sanctorum,

Digitized by Google

rum, ſic diverſæ ſunt viæ & portæ, quibus intrant in illam civitatem Dei. Vnde Ioann. Apoc. 21. cap. dicit: *Oſtendit mihi (Angelus) civitatem ſanctam Ieruſalem deſcendentem de cælo à Deo, habentem claritatem Dei. Et habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim. Ab oriente portæ tres: ab Aquilone portæ tres: & ab Auſtro portæ tres: & ab Occaſu portæ tres*, &c. Qui enim intraverunt in hanc civitatem per viam, quæ reſpicit ad Orientem, non fuerunt aſſumpti ad ordines Angelorum, ſed exaltati fuerunt ſuper eos, eò quòd major gloria eis debebatur.

Per primam portam intravit Chriſtus Ezech. 43. cap. *Ecce gloria Dei Iſrael ingrediebatur per viam Orientalem*. Et Marci ultimo cap. *Dominus quidem Ieſus aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei*.

Per ſecundam portam intravit Spiritus ſanctus, poſtquam deſcendit ſuper Apoſtolos in linguis igneis. Ezech. ibid. *Maieſtas Domini ingreſſa eſt templum per viam portæ, quæ reſpiciebat ad Orientem*.

Per tertiam portam intravit Beata Virgo. Ezech. 44. cap. *Convertit me ad viam portæ Sanctuarii exterioris, quæ reſpiciebat ad Orientem: & erat clauſa*. Per hanc introivit beata Virgo, quæ fuit clauſa per Virginitatem in conceptione Chriſti; ideo cantat ſancta Mater Eccleſia: *Exaltata eſt Sancta Dei Genitrix ſuper choros Angelorum, ad cæleſtia regna*. Si autem quæratur modus exaltationis eius, patet per illud, quod dicitur de ea: *Elegit eam Deus, & præelegit eam: & habitare eam fecit in tabernaculo ſuo*. In cuius figuram dicitur 3. Reg. 2. cap. *Surrexit Rex in occurſum eius, adoravitque eam, & ſedit ſuper thronum ſuum*.

Ceteri autem Electi aſſumuntur ad ordines ſanctorum Angelorum, ſicut dicit Chriſtus Matth. 22. cap. *Erunt ſicut Angeli Dei in cælo*. Propterea dicunt verba poſita: *Merces veſtra copioſa eſt in cælis*.

Sunt autem novem ordines Angelorum, ut declarat *Magiſter ſententiarum lib. 2. diſt. 9. cap. 1.* dicens: Novem eſſe ordines Angelorum Scriptura promulgat: Angelos, Archangelos, Principatus, Poteſtates, Virtutes, Dominationes, Thronos, Cherubim, atque Seraphim. Et inveniuntur in iſtis ordinibus tria terna eſſe, & in ſingulis tres, ordines, ut Trinitatis ſimilitudo in eis inſinuetur impreſſa. Vnde *Dionyſius* tres ordines Angelorum eſſe tradit, ternos in ſingulis ponens. Sunt enim tres ordines ſuperiores, tres medii, tres inferiores. Superiores Seraphim, Cherubim, Throni. Medii Dominationes, Principatus, Poteſtates. Inferiores Virtutes, Archangeli, & Angeli.) Ad iſtos aſſumuntur novem ordines hominum electorum.

Vnde ſciendum, quòd de quolibet ordine Angelorum multi ceciderunt, ſicut declarat *Magiſter ſententiarum ubi ſuprà cap. 4.* dicens: Quòd ita diſtincti fuerint à primordio ſuæ conditionis iſti ordines, videtur teſtimonio auctoritatis inſinuari, quæ tradit de ſingulis ordinibus aliquos cecidiſſe. De ordine nanque ſuperiori Lucifer ille cecidit, quo nullus dignior conditus eſt. Apoſtolus etiam principatus, & poteſtates tenebrarum nominat, oſtendens de ordinibus illis cecidiſſe, qui, cùm in malos miniſterium exercent, non tamen penitus nominibus ordinum ſuorum privati ſunt.) Et intelligit, quòd à principio creationis iſti ordines fuerunt diſtincti non donis, ſed datis, id eſt, non gratuitis, ſed naturalibus. Priùs ergo fuerunt diſtincti naturalibus, poſtea gratuitis, ſecundùm illud Matth. 25. cap. *Dedit unicuique ſecundùm propriam virtutem*. In locum iſtorum cadentium ſucceſſerunt homines electi: & iſtæ ſunt manſiones, de quibus dicit Chriſtus Ioann. 14. cap. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*. Super quo dicit *Gregorius lib. 4. dialogorum cap. 35.* In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Si enim diſpar retributio in illa beatitudine æterna non eſſet, unam potiùs manſionem quàm multas Salvator appellaret. Multæ ergo manſiones ſunt, in quibus & diſtincti bonorum ordines propter meritorum conſortium communiter lætantur; & tamen unum denarium omnes laborantes accipiunt. Qui multis manſionibus diſtinguuntur: quia & una eſt beatitudo, quam illic percipiunt, & diſpar retributionis qualitas, quam per merita diverſa ſortiuntur.) Cùm ergo novem ſint ordines Angelorum; ideo novem ſunt ordines hominum electorum, qui ad illos aſſumpti ſunt, quos per ordinem videamus.

PRIMVS *ordo eſt Seraphim*, qui interpretãtur ardentes. De his dicit *Greg. homil. 34. in Evang. de diſt. 9. ordinum*. Seraphim ardentes vel incendentes vocantur; quæ, quia ita Deo conjuncta ſunt, ut inter hæc & Deum nulli alii ſpiritus interſint, tantò magis ardent, quan-

Digitized by Google

quantò hunc viciniùs vident.) Ab iſto ordine cecidit Lucifer. Vnde *Magiſter ſent. lib. 2. diſ. 6. c. 1.* dicit: De majoribus & minoribus quidam corruerunt, inter quos unus fuit Lucifer, omnibus aliis cadentibus excellentior, nec inter ſtantes aliquis eo fuit dignior, ſicut teſtimoniis auctoritatum monſtratur. Vnde Iſaias. *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris?* Qui non unus ordo, ſed unus ſpiritus accipiendus eſt: qui, teſte *Iſidoro*, poſtquam creatus eſt, eminentiam naturæ, & profunditatem ſcientiæ ſuæ perpendens, in ſuum Creatorem ſuperbivit in tantum, quòd ſe Deo æquare voluit; ut in Iſaia dicitur: *In cælum conſcendam*, id eſt, ad Dei æqualitatem. *Super aſtra cæli*, id eſt, ſuper omnes Angelos, *exaltabo ſolium meum, & ero ſimilis Altiſſimo*. Similis quidem Deo eſſe voluit, non per imitationem juſtitiæ, ſed per æqualitatem potentiæ.)

In locum Luciferi ſucceſſit ordo Patriarcharum, de quibus *Gregorius ubi ſuprà*. Sunt nonulli, qui ſupernæ contemplationis facibus accenſi in ſolo ſui Conditoris deſiderio anhelant, nihil jam in hoc mundo cupiunt, ſolo æternitatis amore paſcũtur, terrena quoque abjiciunt, cuncta temporalia mente tranſcendunt, amant, & ardent, atque in ipſo ſuo ardore requieſcunt: amando ardent, & quos verbo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt. Quid ergo iſtos niſi Seraphim dixerim, quorum cor in igne converſum lucet, & urit?) Tali nempe charitate accenſi erant Patriarchæ. Vnde *Auguſtinus libro de laudibus charitatis*: In charitate pauper eſt dives, ſine charitate omnis dives eſt pauper. Hæc in adverſitatibus tolerat, in proſperitatibus temperat, in duris paſſionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutiſſima, inter veros fratres lætiſſima, inter falſos patientiſſima. In Abel per ſacrificium grata, in Noe per diluvium ſecura, in Abrahæ peregrinatione fideliſſima, in Iſaac immolatione obedientiſſima, in Iacob perſecutione mitiſſima, in Ioſeph venditione patientiſſima.)

Conabatur autem Lucifer extinguere hanc charitatem in Patriarchis, accendendo mentis cupiditatem, ut patet de Cain, Eſau, & de paſtoribus Abrahæ & Lot, ut dicitur *Gen. 13. cap.* Propterea dicitur 1. Tim. ult. cap. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.*

Vt autem poſſent ſe defendere à laqueis Luciferi, habuerunt unam ſociam, ſcilicet dominam *Innocentiam*, de qua dicit Pſalm. *Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia*. Et iterum. *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ*. Propter hanc dixit Abraham ad Lot: *Ne, quæſo, ſit iurgium inter me & te: fratres enim ſumus*, Gen. 13. De Iacob dicitur Gen. 25. *Iacob autem vir ſimplex habitabat in tabernaculis*. Induebantur autem veſtimentis aureis dilectionis Dei, & proximi, juxta illud Iob 40. cap. *Circunda tibi decorem, & in ſublime erigere: eſto glorioſus, & ſpecioſis induere veſtibus*.

Cum his veſtimentis aſcendunt Patriarchæ ad domum Domini per portam, quæ reſpicit ad Meridiem, juxta illud Apoc. 21. cap. *Ab Auſtro porta tres*. Per primam portam intrant Patriarchæ: tum ſol in meridie ardet, & quia Patriarchæ ardebant charitate (juxta illud Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram: & quid volo, niſi ut accendatur?*) ideo intraverunt regnum cælorum per hanc portam.

Venientes autem ad pedes ſanctiſſimæ Trinitatis, cantaverunt illud Pſalm. *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.* Quos gratiſſimè acceptavit, coronans eos coronâ divitiarũ cæleſtium, quæ eſt apud ipſam, juxta illud Proverb. 8. *Mecum ſunt divitiæ & gloria*. De hac corona dicitur Proverb. 14. *Corona ſapientum divitiæ*. Sic autem coronatos deputavit oratorio, in quo ſtant Seraphim, laudantes Deum continuè, juxta illud Iſa. 6. cap. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum: & ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum. Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ uni, & ſex alæ alteri. Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum. Plena eſt omnis terra gloriâ eius*. In eodem oratorio ſtant Patriarchæ, cantantes illud Pſalm. *Beati, qui habitant in domo tua, Domine: in ſecula ſeculorum laudabunt te*. Habuerunt autem iſtam manſionem per feudũ, obſervantes fidelitatem, & obedientiam Deo, ut declarat *Paulus Hebr. 11. cap.*

Tunc domina paupertas aſſecuravit eos de ſua gloria, dicens: *Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*. Super quo *Auguſtinus lib. de verbis Domini*. Hi ſunt pauperes ſpiritu, qui, quando faciunt aliquid boni, Deum laudant. Et *Hugo lib. de*

clau-

Digitized by Google

claustra animæ. Pauperes ſpiritu ſunt, qui, licèt affluant divitiis, corda tamen nolunt apponere. Et ſic patet primus.

SECVNDVS *ordo eſt Cherubim*, qui interpretãtur plenitudo ſcientiæ. De his dicit *Gregorius in homil. ubi ſuprà*: Sublimiora illa agmina ideo Cherubim vocata ſunt: quia tantò perfectiori ſcientiâ plena ſunt, quantò claritatem Dei viciniùs contemplantur, ut ſecũdùm creaturæ modum eò pleniùs omnia ſciant, quò viſioni Conditoris ſui per meritum dignitatis appropinquant.) Ab iſto ordine cecidit ſatan, de quo dicitur Luc. 10. cap. *Videbam ſatanam, ſicut fulgur de cælo cadentem*. Et aſſimilatur fulgori propter luminoſitatem: quia in eo vigebat lumen intellectus, quod eſt obſcuratum in caſu eius.

In locum ſatanæ ſucceſſit ordo Prophetarum propter lumen Divinarum revelationum eis factarum. Vnde *Gregorius in homil. ubi ſuprà* dicit: Quia verò Cherubim plenitudo ſcientiæ dicitur, & Paulo dicente dicimus, quia plenitudo legis eſt dilectio & charitas; omnes, qui Dei, ac proximi charitate ceteris amplius pleni ſunt, meritorum ſuorum ſortem inter Cherubim numeros perceperunt.) Hi autem fuerunt Prophetæ, qui dicunt illud 1. Cor. 2. *Nobis autem revelavit Deus per ſpiritum ſuum. Quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi ſpiritus Dei*. Et 2. Pet. 1. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*.

Conabatur autem ſatan extinguere hanc ſapientiam in Prophetis, pervertendo locutionis veritatem; & hæc eſt tentatio fraudulentiæ. Act. 5. *Anania, cur tentavit ſatanas cor tuum mentiri te Spiritui ſancto?* Ideo ſatan dicit illud 3. Reg. 22. cap. *Ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius*.

Vt autem poſſent ſe defendere à laqueis ſatanæ, habuerunt unam ſociam, ſcilicet dominam *Prudentiam*, de qua Proverb. 9. cap. dicitur: *Relinquite infantiam, & vivite, & ambulate per vias prudentiæ*. Quibus ipſa dicit illud Eccli. 2. c. *Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabũtur corda veſtra*. Induebantur autem veſtimentis lucidiſſimis ſapientiæ. Rom. 13. cap. *Induamur arma lucis, ſicut in die honeſtè ambulemus*. Et Pſalm. *Decorem induiſti, amictus lumine, ſicut veſtimento*.

Cum his veſtimentis aſcendunt Prophetæ ad domum Domini per ſecundam portam, quæ eſt ad Meridiem: quoniam ſol in meridie maximè lucet. Et quia Prophetæ lucebant lumine ſapientiæ (Phil. 2. *Inter quos lucetis, ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Chriſti.*) ideo intraverunt regnum cælorum per hanc portam.

Venientes autem ad pedes ſanctiſſimæ Trinitatis cantaverunt illud Pſalm. *Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos*, &c. Quos gratiſſimè acceptavit, & coronavit coronâ pretioſâ, de qua dicitur Eccli. 25. cap. *Corona ſenum multa peritia: & gloria illorum timor Dei*. Sic autem coronatos deputavit cancellariæ: ſunt enim tanquam cancellarii curiæ cæleſtis. Pſalm. *Lingua mea calamus ſcribæ, velociter ſcribentis*. Cantantes illud Pſalm. *Beatus homo, quem tu erudieris Domine: & de lege tuâ docueris eum*. Habuerunt autem iſtam manſionem per ædificationem. 1. Cor. 3. *Superædificat ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos*.

Tunc domina Manſueta aſſecurans eos de adepta gloria, dixit: *Beati mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram*. De qua *Auguſtinus lib. 2. de doctr. Chriſtiana*. Miteſcere eſt non contradicere Divinæ Scripturæ, ſive intellectæ, ſi aliqua vitia noſtra percutit; ſive non intellectæ, quaſi nos meliùs ſapere, & meliùs percipere poſſimus.)

TERTIVS *ordo eſt Thronorum*, in quibus ſedet Deus ad judicium exequendum. Vnde *Gregorius in homil. ubi ſuprà* dicit: Throni quoque illa agmina ſunt vocata, quibus ad exercenda judicia ſemper Omnipotens Deus præſidet.) Ab iſto ordine cecidit Belial, qui interpretatur, abſque jugo, vel abſque domino, de quo dicitur 2. Cor. 6. c. *Quæ cõventio Chriſti ad Belial?* Quaſi dicat: Nulla: quoniam *Omne judicium dedit Pater Filio*, Ioann. 5. Sed tale judicium fugit Belial, quia eſt privatio ſui principatus.

In locum Belial ſucceſſit ordo Apoſtolorum, de quibus dicitur Matth. 19. cap. *Cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim*, &c. Vnde *Gregorius in homil. ubi ſuprà*. Sunt nonnulli, qui, dum ſibimetipſis vigilanti cura dominantur, dumque ſe ſolicita intentione diſcutiunt, Divino timori ſemper inhærentes, hoc in munere virtutis accipiunt, ut judicare rectè & alios poſſint. Quorum profectò mentibus, dum Divina contemplatio prætto eſt,

in his velut in throno ſuo Dominus præſidens, aliorum facta examinat, & cuncta mirabiliter de ſua ſede diſpenſat. Quid ergo iſti, niſi Throni Conditoris ſunt?)

(Conabatur autē Belial extinguere rectitudinē judicii in Apoſtolis, extinguēdo fidei claritatē: quoniā, ut habetur 1. Pet. 5. *Adverſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret; cui reſiſtite fortes in fide.* Et Apoc. 2. *Eſto fidelis uſque ad mortem.* Contra hanc tentationem invigilabat Paulus 1. Theſſ. 3. dicens: *Miſi ad cognoſcendam fidem veſtram, ne forte tentaverit vos is, qui tentat, & inanis fiat labor noſter.*

Vt autem poſſent ſe defendere à laqueis Belial, habuerunt unam ſociam, ſcilicet dominam *Veritatem*, dicentes illud Proverb. &c. *Veritatem meditabitur guttur meum & labia mea deteſtabuntur impium.* Induebantur autem veſtimentis juſtitiæ, juxta illud Iob 29. cap. *Juſtitiā indutus ſum, & veſtivi me ſicut veſtimento, & diademate, judicio meo.* Et Iſa. 61. cap. *Induit me (Dominus) veſtimento ſalutis, & indumento juſtitiæ circumdedit me.*

Cum his veſtimentis aſcendunt Apoſtoli ad domum Domini per tertiam portam ad Meridiem. Nam ſol in meridie eſt in medio cæli, & Apoſtoli fuerunt in Eccleſia Dei, ſicut ſol in medio cæli. Matth. 5. cap. *Vos eſtis lux mundi.*

Venientes autem ad pedes ſanctiſſimæ Trinitatis, cantaverunt illud Apoc. 7. cap. *Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & Agno.* Quos gratiſſimè acceptavit, & coronavit coronâ aureâ, de qua dicitur Proverb. 16. cap. *Corona dignitatis ſenectus, quæ in viis juſtitiæ reperitur.* Sic coronatos deputavit conſiſtorio, ubi cauſæ audiuntur, & ſententiæ diffiniuntur. Sap. 3. cap. *Fulgebunt juſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent. Judicabunt nationes, & dominabuntur populis.* Habuerunt autem iſtam manſionē per emptionem, Matth. 19. cap. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Quid ergo erit nobis?* Ieſus autem dixit: *Centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis.*

Tunc Apoſtoli cantaverunt illud Pſalm. *Beati, qui cuſtodiunt judicium, & faciunt juſtitiam in omni tempore.* Statimque domina Liberalitas aſſecuravit eos de ſua gloria, dicens: *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur.* Super quo *Richardus lib. de contemplatione* dicit: Juſtitia perfecta jubet inimicos diligere, parentes & propria quoque relinquere, illata mala patienter ferre, oblatam gloriam ubique declinare.) Sed hæc omnia obſervaverunt Apoſtoli. Et ſic patet tertius.

QVARTVS *ordo eſt Dominationum.* De his dicit *Greg. in hom. ubi ſup.* Ea Angelorum agmina, quæ mirâ potentiâ præeminent, pro eo quod eis cetera ad obediendum ſubjecta ſunt, Dominationes vocantur.) Ab iſto ordine cecidit Behemoth, qui interpretatur, beſtia, de quo dicitur Iob 40. cap. *Behemoth fœnum, quaſi bos, comedet. Ipſe eſt principium viarum Dei*, &c.

In locum Behemoth ſucceſſit ordo Martyrum, de quibus Heb. 11. dicitur: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones.* Vnde *Gregorius loco citato* ait: Sunt nonnulli, qui ſic in ſemetipſis cunctis vitiis, omnibuſq; deſideriis dominantur, ut ipſo jure munditiæ, dii inter homines vocentur. Quò ergo iſti, niſi inter numeros Dominationum currunt?) Habuerunt autem hanc munditiam per martyrium, juxta illud Apoc. 7. cap. *Laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni.*

Conabatur autem Behemoth extinguere in Martyribus operis Dei aſſiduitatem per inconſtantiā, & apoſtaſiam à religione Chriſti & per culturā idolorum, juxta illud Eccli. 2. cap. *Fili accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia*, ſcilicet religionis Chriſti, *& timore: & præpara animam tuam ad tentationem.* Scilicet tyrānorum, inducentium ad idololatriā. Sed Martyrū ordo perſtitit conſtans, & firmus in obſervantia religionis Chriſti, dicens illud Iob 27. cap. *Juſtificationem meam, quam cœpi tenere, non deſeram: neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea*, &c.

Vt autem poſſent ſe defendere à laqueis Behemoth, habuerunt unam ſociam, nempe dominam *Patientiam*, juxta illud Iac. 1. cap. *Beatus vir, qui ſuffert tentationem: quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Et *Auguſtinus libro de patientia* aſſerit: Virtus animi, quæ patientia dicitur, tam magnum donum Dei eſt, ut etiam ipſius, qui nobis eam largitur, patientia prædicetur.) Sancti Martyres libenter pro Chriſto martyrium ſuſtinebant, & cum multa patientia. Induebantur autem veſtimentis magnanimitatis, de quibus dicitur Iſa. 52. cap. *Conſurge, conſurge, induere fortitudine tua Sion,*

Sion, induere veſtimentis gloriæ tuæ. Et Proverb. ultimo cap. *Fortitudo, & decor indumentum eius.*

Cum his veſtimentis aſcendunt Martyres ad domum Domini per primam portam, quæ reſpicit ad Occidentem: quoniam tunc ſol rubet. Et de Martyribus dicitur: *Quare rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?* Iſa. 63. cap.

Venientes autem ad pedes ſanctiſſimæ Trinitatis, cantaverunt illud Apoc. 7. cap. *Benedictio, ſapientia, claritas, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum. Amen.* Quos gratiſſimè acceptavit, & coronavit coronâ de lapide pretioſo, juxta illud Pſalm. *Poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo.* Sic autem coronatos deputavit cœnaculo. Vnde Apoc. 2. cap. dicitur: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei.* Et Lucæ 22. cap. *Edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* Cantantes illud Eccli. 48. cap. *Beati ſunt, qui te viderunt, & in amicitia tua decorati ſunt.* Habuerunt autem iſtam manſionem per expugnationem, & victoriam, Matth. 10. cap. *Eſtote fortes in bello, & pugnate cum antiquo ſerpente: & accipietis regnum æternum.*

Tunc domina Perſeverantia aſſecuravit Martyres de ſua gloria, dicens: *Beati, qui lugent: quoniam ipſi ſaturabuntur.* Super quo *Bernardus in ſermone* dicit: O verè gloriosa ſocietas! O ſanctum convivium! O deſiderabiles epulæ! Vbi nimirum anxietas nulla, nullum poterit eſſe faſtidium; quinimo ſatietas ſumma, & ſummum erit ibi deſiderium!) Et ſic patet quartus, &c.

QVINTVS *ordo eſt Principatuum.* De his dicit *Gregorius in homil. ubi ſuprà*: Principatus quoque vocantur, qui ipſis quoque bonis Angelorum ſpiritibus præſunt, qui ſubjectis aliis, dum quæque ſunt agenda, diſponunt, & eis ad explenda Divina miniſteria principantur.) Ab iſto ordine cecidit Beelzebub, qui interpretatur princeps muſcarum; de quo dicitur Luc. 11. cap. *In Beelzebub principe dæmoniorum eiecit dæmonia.* Et Matth. 10. cap. dicitur: *Patremfamilias Beelzebub vocaverunt.*

In locum Beelzebub ſucceſſit ordo Confeſſorum, nempe Sacerdotum, Doctorum, & Prædicatorum, de quibus dicitur Malach. 2. cap. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt.* Vnde *Gregorius loco ſæpe citato.* Sunt nonnulli, qui acceptis virtutibus etiam electorum hominum merita tranſcendunt; cumque & bonis meliores ſint, electis quoque fratribus principantur. Quò ergo iſti ſortem ſuã, niſi inter Principatuum numeros accipiunt?) Ideo dicitur Eccli. 45. *Phinees filius Eleazari placuit Deo Iſrael. Ideo ſtatuit illi teſtamentum pacis, Principem Sãctorum, & gentis ſuæ, ut ſit illi, & ſemini eius ſacerdotii dignitas in æternum.*

Conabatur autem Beelzebub extinguere intentionis ſynceritatem à ſanctis Confeſſoribus, & hæc eſt tentatio vanæ gloriæ. Matth. 6. capite. *Attendite, ne iuſtitiam veſtram*, id eſt opus bonum, *faciatis coram hominibus.*

Vt autem poſſent ſe defendere à laqueis Beelzebub, habuerunt unam ſociam, nempe dominam *Obedientiam*, juxta illud Act. 5. cap. *Oportet obedire Deo magis, quàm hominibus.* Et 1. Reg. 15. c. *Melior eſt enim obedientia, quàm victimæ.* In Principe requiritur, ut obediat legi Dei, aliàs privatur principatu, ut patet de Saule Rege Iſrael, qui privatus fuit regno propter inobedientiam. Vnde ſequitur ibidem: *Pro eo, quod abieciſti ſermonem Domini, abiecit te Dominus, ne ſis Rex.* Super quo *Gregorius lib. 35. moral. cap.* 12. Obedientia ſola virtus eſt, quæ menti ceteras virtutes inſerit, inſertaſque cuſtodit. Melior eſt obedientia quàm victimæ. Obedientia victimis jure præponitur: quia per victimas caro aliena, per obedientiam verò caro, & voluntas propria mactatur.) Induebantur autem veſtimentis Temperantiæ refrænantis, juxta illud Exo. 29. cap. *Applicabis quoque filios Aaron, & induet tunicis lineis, cingeſque balteo, & imponet eis mitras, eruntque Sacerdotes mihi religione perpetua.* Hoc eſt indumentum album, quod reddit carnem mundam, ſecundùm illud Apoc. 3. cap. *Suadeo tibi emere aurum ignitum probatum, ut locuples fias: & veſtimentis albis induaris, ut non appareat confuſio nuditatis tuæ.* Iſta verba fuerunt dicta Epiſcopo Laodiciæ.

Cum his veſtimentis aſcendunt Confeſſores ad domum Domini per ſecundam portam, quæ reſpicit ad Occidentem: quoniam tunc ſol humectat. Sic Confeſſores erant humidi per diſcretionem. Vnde *Bernardus ſuper Cantica ſerm. 49.* dicit: Diſcretio omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit, decorem, & perpetuitatem confert. Eſt er-

go discretio non tam virtus, quàm quædam moderatrix & auriga virtutum, ordinatrix affectuum, & doctrix morum. Tolle hanc, & virtus vitium est.) Et Paulus ait: *Probate spiritus, si ex Deo sunt.*

Venientes autem ad pedes sanctissimæ Trinitatis, cantaverunt illud Eccli. 36. capite: *Secundùm benedictionem Aaron de populo tuo: ut sciant omnes, quia tu es Deus, conspector seculorum.* Quos gratissimè acceptavit, & coronavit coronâ aureâ, de qua Eccli. 45. cap. *Corona aurea super mitram eius, expressa signo sanctitatis, & gloria honoris, & opus fortitudinis.* Sic autem coronatos deputavit viridario, juxta illud Cant. 6. *Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium: & inspicerem, si floruisset vinea, & germinassent mala punica.* Per illa poma significantur Sacerdotes propter odorem sanctitatis, juxta illud 2. Cor. 2. c. *Christi bonus odor sumus.* Per mala punica significantur Prædicatores verbi Dei, ut habetur *dis.* 43. *cap. Sit rector.* cantantes illud Proverb. 20. cap. *Qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se filios derelinquet.*

Habuerunt autem istam mansionem per donationem, secundùm illud Rom. 8. cap. *Cum illo omnia nobis donavit.* Et Matth. 24. cap. *Fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: ut det illis cibum in tempore.*

Tunc domina Continentia assecuravit Cõfessores de sua gloria, dicens: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnũm cælorum.* Super quo *Gregorius in moral.* Sanctorum mentes æternitatis præmia præstolantes, ex adversitatibus vires sumunt: quia crescente pugna glorioſiorem sibi non ambigunt manere victoriam, & coronam. Electorum enim desideria, dum premuntur adversitate, proficiunt; sicut ignis flatu premitur, ut augmentetur; & unde quasi extingui cernitur, inde roboratur.

SEXTVS *ordo est Potestatum.* De his ait *Gregorius in homil. citata*: Potestates vocantur hi, qui hoc potentiùs ceteris in suo ordine perceperunt, ut eorum ditioni virtutes adversæ subjectæ sint, quorum potestate refrænantur, ne corda hominum tantùm tentare prævaleant, quantùm volunt.) Ab isto ordine cecidit Beelphegor, qui dicitur, simulacrum ignominiæ, de quo Iosue 22. capite. *Peccastis in Beelphegor, & macula huius sceleris in vobis permanet.* Osee 9. cap. dicitur: *Ipsi intraverunt ad Beelphegor, & abalienati sunt in confusionem: & facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.*

In locum Beelphegor successit ordo sanctarum Virginum, de quibus Ps. *Adducentur Regi Virgines post eam: proximæ eius afferentur tibi: adducentur in templum Regis.* Vnde *Gregorius in homil. ubi suprà* dicit: Sunt nonnulli, qui etiam de obsessis corporibus malignos spiritus fugant, eosque virtute orationis, & vi acceptæ potestatis ejiciunt. Quò itaque isti meritum suum, nisi inter Potestatum cælestium numerum sortiuntur?) Istud patet de Sara juvencula uxore Tobiæ junioris, *Tob. 8. cap.*

Conabatur autem Beelphegor extinguere in Virginibus corporis puritatem, & hæc est tentatio fornicationis & luxuriæ. Iaco. 1. c. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.* Ideo dicitur Eph. 5. cap. *Fornicatio, & omnis immunditia non nominetur in vobis, sicut decet Sanctos.*

Vt autem possent se defendere, habuerunt unam sociam, scilicet dominam *Pudicitiam*, quæ dicit illud Gal. 5. cap. *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.* Et *Ioannes Cassianus in collatione Abbatis Pastoris* dicit sic: Maior est virtus, maior est gratia, internam libidinem carnis extinguere, quã nequitias dæmonum extrinsecùs irruentes signo Domini, ac virtute Altissimi subjugare. Majus enim miraculum est de propria carne somitem eradicare luxuriæ, quàm de alienis corporibus immundos spiritus effugare.) Et ut dicit *Tullius lib. 1. de officiis*: Pudicitia est virtus, non solùm impetum libidinis coercens, sed & signa cohibens.) Induebantur autem vestimentis sanctitatis, de quibus dicitur Eph. 4. cap. *Deponite vos, secundùm pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris. Renovamini autem spiritu mentis vestræ, & indaite novũ hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.*

Cum his vestimentis ascendunt Virgines ad domum Domini per tertiam portam, quæ respicit ad Occidentem: quoniam tunc sol refrigerat. Sic Spiritus sanctus refrigerabat, imo extinguebat ardorem cõcupiscentiæ in sanctis Virginibus; unde communiter dicebant: Benedico te Pater Domini mei Iesu Christi: quia per Filium tuum ignis extinctus est à latere meo. Et Eccli. 18. dicitur: *Ardorem refrigerabit ros.*

Ve-

Digitized by Google

Venientes autem ad pedes ſanctiſſimæ Trinitatis, cantaverunt illud Pſalm. *Dominus virtutem populo ſuo dabit : Dominus benedicet*, &c. Quas cùm audiret vocavit eas, dicens illud Cantic. 4. c. *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano , veni : coronaberis*. Cumque propiùs acceſſiſſent, coronatæ ſunt coronâ florum, de qua dicitur Iſa. 62. cap. *Eris corona gloriæ in manu Domini , & diadema regni in manu Dei tui : quia complacuit Domino habitare in te : & gaudebit ſponſus ſuper ſponſam, & gaudebit ſuper te Deus tuus*. Sic autem coronatas deputavit cubiculo , ſive thalamo ſuo , juxta illud Eſther 2. *Ducta eſt ad cubiculum Regis* . Quæ dicunt illud Cantic. 3. cap. *Inveni , quem diligit anima mea . Tenui eam, nec dimittam , donec introducam illum in domum matris meæ , & in cubiculum genitricis meæ*. Cantantes illud Pſalm. *Beati immaculati in via , qui ambulant in lege Domini*. Habuerunt autem iſtam manſionem per dotationem , ſecundùm illud Gen. 30. cap. *Ditavit me Deus dote bona* . Et Exo. 22. capite. *Reddet ei iuxta modum dotis , quam virgines accipere conſueverunt* .

Tunc domina Caſtitas aſſecuravit Virgines de ſua gloria, dicens : *Beati mundo corde : quoniam ipſi Deum videbunt* . Super quo *Auguſtinus de civitate Dei* . Ibi tota virtus eſt videre quod amas , & ſumma felicitas amare quod vides : ubi vera vita in ſuo fonte bibitur , ubi veritatis omnis viſio clariſſimè aperitur . Et ſic patet ſextus .

SEPTIMVS *ordo eſt Virtutum* . De his inquit *Gregorius in homil. ubi ſuprà :* Virtutes vocantur illi nimirum ſpiritus , per quos ſigna, & miracula frequentiùs fiunt .) Ab iſto ordine cecidit Leviathan , qui interpretatur copulatio , de quo dicitur Iſa. 27. cap. *In die illa viſitabit Dominus in gladio ſuo duro , & grandi , & forti , ſuper Leviathan ſerpentem vectem , & ſuper Leviathan ſerpentem tortuoſum* .

In locum Leviathan ſuccedit ordo pœnitentium , de quibus *Gregorius in homil. citata* . Sunt nonnulli , qui mira faciunt , ſigna valenter operantur . Quò ergo iſti niſi ad ſupernarum Virtutum ſortem,& numerum cõgruunt ?) Pœnitentes autem mira faciunt ſigna,cùm ad Deum convertuntur; ut patet de Maria Magdalena , latrone in cruce , & filio prodigo . Vnde *Bern. in ſermone* dicit : Quid majus miraculum , quàm tot juvenes , tot adoleſcentes , tot nobiles , univerſique , quos hìc video , velut in carcere aperto tenentur ſine vinculis , ſolo Dei timore confiſi , quòd in tanta afflictione perſeverent pœnitentiæ ultra virtutem humanam , ſupra naturam , contra conſuetudinem ?)

Conabatur autem Leviathan extinguere in pœnitentibus veram pœnitentiam , ſuadendo peccati impunitatem , juxta illud Proverb. 29. cap. *Peccantem virum iniquum involvet laqueus , & iuſtus laudabit , atque gaudebit* . Et Pſalm. *Narraverunt , ut abſconderent laqueos : dixerunt : Quis videbit eos ?* Hi autem fuerunt dæmones , de quibus dicitur Iob 3. cap. *Parati ſunt , ſuſcitare Leviathan* .

Vt verò poſſent ſe defendere , habuerunt ſociam , ſcilicet dominam *Solicitam*, quæ dicit illud Eccli. 5. cap. *Ne tardes converti ad Dominum , & ne differas de die in diem : ſubitò enim veniet ira illius , & in tempore vindictæ diſperdet te* . Induebantur autem veſtimentis humilitatis,& aſperitatis , dicentes illud Pſalm. *Ego autem , cùm mihi moleſti eſſent , induebar cilicio : humiliabam in ieiunio animam meam* . Exemplo Ionæ 3. cap. *Pervenit verbum ad Regem Ninive: & ſurrexit de ſolio , & abiecit veſtimentum ſuum , & indutus eſt ſacco , & ſedit in cinere* .

Cum his veſtimentis aſcendunt poenitentes ad domum Domini per primam portam, quæ reſpicit ad Aquilonem . Nam *ab Aquilone pandetur omne malum*, Iere. 1. cap. Sol enim ab Aquilone ſerenatur . Et Eccli. 3. dicitur : *Sicut in ſereno glacies , ſolventur peccata tua* .

Venientes autem ad pedes ſanctiſſimæ Trinitatis, cantaverunt illud Deut. 23. cap. *Benedicat nos Dominus Deus noſter in omni opere noſtro in terra,ad quã ingredimur poſſidẽdã* . Quos lætiſſimè acceptavit, & coronavit coronâ æternâ,dicens eis illud 1. Pet. 5. cap. *Percipite immarceſcibilem aternæ gloriæ coronam* . Sic autem coronatos deputavit cellario, ut perciperent guſtum dulcedinis æternæ,dicens eis illud Pſalm . *Guſtate , & videte , quoniam ſuavis eſt Dominus : beatus vir , qui ſperat in eo* . Qui dixerunt illud Cantic. 2. cap. *Introduxit me Rex in cellam vinariam : ordinavit in me charitatem*, cantantes illud Pſalm. *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates , & quorum tecta ſunt peccata* .

Tunc domina Clementia aſſecuravit pœnitentes de ſua gloria, dicens : *Beati eſtis , cùm maledixerint vobis homines , & dixerint omne malum adversùm vos mentientes propter me :*

me : gaudete & exultate, ecce enim merces veſtra copioſa eſt in cælo. Vnde *Hieronymus ſuper illud Pſal. Beatus vir, qui non abiit*, &c. dicit ſic : Beatus vir, qui non docuit, nec fecit, nec cogitavit mala : non ſtetit, non perſeveravit in delicto; ſed per pœnitentiam ad meliora converſus eſt.

OCTAVVS *ordo eſt Archangelorum*, de quibus ait *Gregorius in homil. ubi ſuprà* : Qui ſumma annunciant, Archangeli vocãtur. Hinc eſt, quòd ad Mariam Virginem non quilibet Angelus, ſed Gabriel Archangelus mittitur.) Ab iſto ordine cecidit Beelſephon, cujus nominis medietas Beel ſignificat, vetuſtus; compoſitum verò Beelſephon olim erat ſpecula, ſeu locus præruptus, & inacceſsus, de quo dicitur Exodi 14. cap. *Vniverſus exercitus erat contra Beelſephon.*

In locum Beelſephon ſuccedit ordo Contemplativorum, de quibus dicit *Gregorius ubi ſuprà* : Sunt nonnulli, qui largitatis munere refecti, ſecretorum cæleſtium ſumma capere prævalent, & nunciare. Quò ergo iſti, niſi intra Archangelorum numerum deputãtur ?) Sed Contemplativi ſolius contemplationis ſtudio inardeſcunt, ut contemplari Divina ſecreta quietiùs poſſint, de quorum vita *Gregorius ſuper Ezech.* tradit : Contemplativa vita eſt charitatem Dei & proximi tota mente retinere, ab exteriori actione quieſcere, ſoli deſiderio Conditoris inhærere, ut nil jam habere libeat, ſed conculcatis curis omnibus, ad videndam ſui Conditoris faciem animus inardeſcat.)

Conabatur autem Beelſephon extinguere Divinam contemplationẽ in Contemplativis, aſſumendo Angeli formam, de quo dicitur 2. Cor. 11. *Transfigurat ſe in Angelum lucis.* Non eſt ergo mirum, ſi miniſtri eius transfigurentur velut miniſtri juſtitiæ; unde ſæpius decipiunt homines ſub apparentia boni, & recti.

Vt autem Contemplativi poſſent ſe defendere à laqueis iſtorum, habuerunt unam ſociam, nempe dominam *Intelligentiam*, quæ dicit illud Proverb. 1. cap. *Audiens ſapiens ſapientior erit, & intelligens gubernacula poſſidebit.* Hæc enim dat intellectum ſcripturarum, ad cognoſcendam veritatem, ut patet de Chriſto, quando tentatus fuit à dæmone, ut habetur *Matth. 4. cap.* Induebantur autem veſtimentis glorioſis, juxta illud Eccli. 45. cap. *Induit eum Dominus ſtolam gloriæ.* Et Daniel. 12. cap. *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti.*

Cum his veſtimentis aſcendunt ad domum Domini per ſecundam portam, quæ reſpicit ad Aquilonem: quoniam ſtella Aquilonaris eſt ſita in alto. Sic Contemplativi in alto contemplationis, & converſationis ſunt, juxta illud Phil. 3. cap. *Noſtra autem converſatio in cælis eſt.*

Venientes autem ad pedes ſanctiſſimæ Trinitatis, cantaverunt illud Pſalm. *Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt Nomen tuum : quoniam tu benedices iuſto. Domine, ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.* Quos lætiſſimè acceptavit, & coronavit coronâ ſapientiæ, de qua dicitur Eccli. 50. cap. *Corona fratrum quaſi plantatio cedri in monte Libano.* Sic autem coronatos deputavit depoſitariæ, ſimulque dixit illud 1. Tim. 6. cap. *Depoſitum cuſtodi, devitans prophanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* Cantantes illud Baruch 4. cap. *Beati ſumus Iſrael: quia, quæ Deo placent, nobis manifeſta ſunt.* Habuerunt autem iſtam manſionem per hæreditatem, juxta illud Eccli. 4. capite : *Sapientia filiis ſuis vitam inſpirat, & ſuſcepit exquirentes ſe, & præbit in via iuſtitiæ : & qui diligit illam, diligit vitam : & qui vigilaverint ad illam, complectentur placorem eius. Qui tenuerint illam, vitam hæreditabunt : & quò introibit, benedicet Deus.*

Tunc domina Religioſa aſſecuravit Cõtemplativos de ſua gloria, dicens : *Beati pacifici : quoniam filii Dei vocabuntur.* Super quo *Gregorius in Paſtorali.* Si filii Dei vocantur, qui pacem faciunt, proculdubio ſunt ſatanæ filii, qui pacem confundunt.) Sed contemplatio ducit ad veram pacem ; ergo, &c.

NONVS *ordo eſt Angelorum*, de quibus ait *Gregorius in homil. ubi ſuprà* : Hi, qui minima nunciant, Angeli vocantur.) Ab iſto ordine cecidit Mammona, de quo dicitur Matth. 6. cap. & Lucæ 16. cap. *Non poteſtis Deo ſervire, & mammonæ.*

In locum Mammonæ ſuccedit ordo Activorum, de quibus *Gregorius ubi ſuprà* ait : Sunt plerique, qui parva capiunt, ſed tamen hæc eadem parva, quantùm prævalent, nunciare fratribus non deſiſtunt. Iſti itaque in Angelorum numerum currunt.) Et Luc. 16. dicitur : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis : ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* De vita iſtorum Activorum *Beda ſuper illud : Intravit Ieſus in quoddam*

Digitized by Google

dum caſtellum, dixit ſic: Activa vita eſt panem eſurienti tribuere, verba ſapientiæ neſcientem docere, errantem corrigere, ad humilitatis viam ſuperbientem proximum revocare; infirmitatis curam gerere, quæ ſingulis quibuſque expediunt, ut ſibi eſt poſſibile, diſpenſare; & commiſſis nobis, qualiter ſubſiſtere valeant, providere.) Iſto modo Activi faciunt ſibi amicos de Mammona iniquitatis, id eſt de divitiis huius ſeculi nequam, & iniqui.

Conabatur autem Mammona extinguere in Activis benignitatem, decipiendo per temporalium vanitatem, ſecundùm illud Sap. 14. cap. *Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.*

Vt autem poſſent ſe defendere à laqueis Mammonæ, habuerunt unam ſociam, ſcilicet dominam *Pietatem*, quæ dicit illud 1. Timoth. 6. cap. *Sectare iuſtitiam, fidem, pietatem, charitatem.* Et Proverb. 21. cap. *Qui ſequitur iuſtitiam, & miſericordiam, inveniet vitam, iuſtitiam, & gloriam.* Induebantur autem veſtimentis clementiæ, miſerantis ad eroganda beneficia. Coloſſenſ. 3. cap. *Induite vos ſicut electi Dei ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes invicem, & donantes vobiſmetipſis*, &c.

Cum his veſtimentis aſcendunt Activi ad Dominum per tertiam portam, quæ reſpicit ad Aquilonem: quoniam ſtella Aquilonaris in nocte lucet. Sic Activi lucent in nocte huius ſeculi per eleemoſynam, ſubveniendo pauperibus. Tobiæ 4. cap. *Eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram Deo eleemoſyna, omnibus facientibus eam.*

Venientes autem ad pedes ſanctiſsimæ Trinitatis, cantaverunt illud Pſalm. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: & campi tui replebuntur ubertate.* Quos libentiſsimè acceptavit, & coronavit coronâ miſericordiæ, juxta illud Pſalm. *Coronat te in miſericordia, & miſerationibus.* Sic autem coronatos deputavit atrio. Eſt autem atrium locus, in qua pauperes recipiuntur: & quia Activi in hac vita receperunt pauperes ſuis eleemoſynis; ideo dicitur Tobiæ 12. cap. *Eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam*, &c. Cantantes illud Pſalm. *Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius.* Id eſt, in operibus miſericordiæ, juxta illud Pſalm. *Vniverſæ viæ Domini miſericordia*, &c.

Tunc domina Miſericordia aſſecuravit Activos de ſua gloria, dicens: *Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Ecce quomodò ordines hominum electorum aſſumuntur ad ordines ſanctorum Angelorum. Ad quos nos perducat Ieſus Chriſtus. Amen.

SER-

Digitized by Google

SERMO LVII.

IN COMMEMORATIONE OMNIVM FIDELIVM DEFVNCTORVM.

Mortui audient vocem Filii Dei. Ioann. 5. cap.

BElial, inimicus fidei Chriſtianæ, heri ſero, & hoc mane audiens pulſari campanas vehementiùs ſolitò, videns homines utriuſque ſexus devotiſſimè concurrere ad Eccleſias, atque pecunias, candelas, panem, frumentum, & alia offerre in Templo Domini, pleroſque cernens jacere ſuper ſepulcra defunctorum, legere orationes, pſalmos, ac multa alia pietatis, devotionis, exequiarum opera facere, mirabatur de tanta commotione, eò quòd per totum anni circulum præterquàm iſta die ſimilia non vidiſſet. Et veniens in ſimilitudinem cujuſdam Doctoris artium & medicinæ ad animam catholicam & devotã, quæſivit ab ea, quid ſibi iſta velint, fraudulenter interrogans, ut tandem decipiat. Cui anima velut ſimplex reſpondit: Hodie eſt dies animarum ſecundùm Eccleſiæ inſtitutionem, in qua multa pietatis opera ſolvimus pro earum liberatione à purgatorio.

Tunc ait Belial: O ſtulta, & inſipiens, quàm facilè omnia credis? Sagax modus eſt iſte, extorquendi à te pecunias. Iſti Sacerdotes, qui ſemper cupiditati ſtudent, hoc adinvenerunt; &, quod peius eſt, ſtatuerunt, ut te ſpoliarent paucis bonis temporalibus, quæ magno labore, & ſudore acquiſiviſti. Me decipere nequeunt, qui bene intellexi ſacram Scripturam, ſicut ipſi. Stupuit autem anima in verbis Belial, & quaſi conturbata diſcedebat, dicens: Quoniam ſancti viri hoc juſſerant.

Belial volens animam ſeducere, ait: Si placet, ego planè oſtendam tibi, animam nihil eſſe poſt mortem corporis. Verùm quia delectaris in teſtimoniis ſacræ Scripturæ, quæ eſt fundamentum fidei, relictis rationibus naturalibus, ecce adduco duas auctoritates veteris Teſtamenti.

Prima eſt Eccleſiaſtes 3. cap. ubi dicitur ſic: *Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, & oſtenderet ſimiles eſſe beſtiis. Idcirco unus interitus eſt hominum, & iumentorum, & æqua utriuſque conditio: ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur. Similiter ſpirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius. Cuncta ſubiacent vanitati, & omnia pergunt ad unum locum. De terra facta ſunt, & in terram pariter revertuntur. Quis novit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum? Et deprehendi, nihil eſſe melius, quàm lætari hominem in opere ſuo, & hanc eſſe partem illius. Quis enim eum adducet, ut poſt ſe futura cognoſcat?*

Secunda eſt Sap. 2. cap. *Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt, quæ agnitus ſit, reverſus ab inferis: quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus, tanquam non fuerimus. Extinctus cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus diffundetur tanquam mollis aer, & tranſibit vita noſtra tanquam veſtigium nubis, & ſicut nebula diſſolvetur, quæ fugata eſt à radiis ſolis, & à calore illius aggravata: & nomen noſtrum oblivionem accipiet per tempus, & nemo habebit memoriam operum noſtrorum. Umbræ enim tranſitus eſt tempus noſtrum, & non eſt reverſio finis noſtri: quoniam conſignata eſt, & nemo revertitur.* Ecce habes expreſsè, quòd poſt hanc vitam mortalem non reſtat alia vita immortalis, ut fingunt hi Sacerdotes. Sed exterrent te hujuſmodi verbi prædicantes circa gravitatem, & diverſitatem pœnarum purgatorii, ut exhauriant burſam tuam.

Quibus auditis, anima vehementer commota eſt, & adhæſiſſet tentationi Belial, niſi Angelus Dei ſibi revelaſſet, ut ad Matrem ſuam, ſanctam Eccleſiam confugeret. Quæ hoc mane veniens ad Eccleſiam, quaſi tota exanimis, & trepidans, vix potuit loqui. Cumque cauſas moeſtitiæ requireret ſacra Eccleſia, aſſumptâ fiduciâ, ſic orſa eſt anima: Eſt mihi dubium maximum, quod tota nocte pertractans perplexam, ac ſuſpenſam me reliquit. Obſecro te, ut illud pla-

num

num mihi facias, ne à tua fide, & devotione deviem. Dubium meum eſt iſtud.

Vtrum poſt hanc vitam ſit alia vita immortalis, in qua debetur animæ pro meritis retributio æqualis?

CVi ſancta Mater Eccleſia dixit illud Cant. 5. & 8. cap. *Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa. Ibi te docebo: & dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum meorum.* Tunc ambæ deſcenderunt in iſtud viridarium, in quo erat fons Sapientiæ; circa quem erant quatuor ordines ſapientiſſimorum virorum, quos ſancta Mater Eccleſia benignè, & vultu placido ſalutavit. Illi autem aſſurgentes ei, mirabantur adventum eius. At illa dixit: Puella hæc noviter ad me venit, anxia ſuper dubio quodam, quod vehementer affligit mentem eius. Quia verò, quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt vobis, *Rom.* 1. cap. declarate dubium, ut exercitatior fiat in lege Domini. Seniores illi rogaverunt ſanctam Matrem Eccleſiam, ut adeſſet ſententiæ eorum, & quod veritatis dixiſſent, approbaret; ſi quid autem falſitatis, damnaret. Diffinitum eſt ergo, ut ambæ, ſcilicet Mater, & filia remanerent circa fontem prædictum.

In primo ordine ſtabant Poetæ, Hiſtoriographi, Reges Pagani, qui primò in ſapientia floruerunt; qui ruminantes dubium puellæ, diffinierunt eſſe aliam vitam immortalem poſt iſtam, in qua erat retributio pro meritis, puta: præmia, vel pœnæ condecentes.

Primus fuit *Virgilius*, qui confirmavit ſententiam prædictam, dicens: Ego multa dixi de inferno, purgatorio, & campis Elyſiis, & ceteris, in quibus animæ defunctorum pro qualitate collocantur meritorum; & hoc *lib. 6. Aeneid.* Vnde inter cetera dixi.

——— *Facilis deſcenſus Averni.*
Sed revocare gradum, ſuperaſq; evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt.

Secundus fuit *Ovidius* confirmans eandem ſententiam, & dicens: Ego multa retuli de pœnis, quas ſuſtinent animæ in inferno, præcipuè *lib. 9. Metamorph.* introducens Deum loquentem cum anima Herculis hiſce terminis.

——*Aeternum eſt à me quod traxit, & expers,*
Atque immune necis, nullaque domabile flammâ.

Quin *ibidem lib.* 15. cecini.

Morte carent animæ, ſemperque priore relictâ
Sede, novis domibus vivunt, habitantque receptæ:
Ipſe ego nam memini, Traiani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram.

Tertius fuit *Seneca* pro confirmatione noſtræ ſententiæ canens *Tragœd.* 1.

——— *Quiſquis eſt placidè potens,*
Dominuſque vitæ, ſervat innocuas manus,
Et cruentam mitis imperium regit,
Animoque parcit, longa permenſus diu
Felicis ævi ſpatia, vel cælum petit,
Vel læta felix nemoris Elyſii loca.

Et rurſus. *Certus incluſos tenet*
Locus nocentes: utque fert fama, impios
Supplicia vinclis ſæva perpetuis domant.

Similia de immortalitate animæ Tragœdiis meis inſerui plura.

Salluſtius inter Hiſtoricos confirmat eandem ſententiam, dicens. *In lib. de Republica* dixi: Divitiarum & famæ gloria fluxa, atque fragilis eſt: virtus clara, æternaque habetur. Ergo præclara facies, magnæ divitiæ, adhuc vis corporis, brevi dilabuntur. Ingenia, & egregia facinora, ſicut animus, immortalia ſunt.) Etiam *in Catilinario* induxi Catonem & Cæſarem in una oratione multa de pœnis animarum ſeparatarum loquentes, ut patet.

Valerius Hiſtoricus libr. 1. cap. de miraculis confirmat eandem ſententiam fere per totam illam rubricam. Et *lib. 2. rubrica* 1. Gentiles adducit, quorum uxores certant mori cum maritis, ſpe cohabitandi in alia vita. Similiter affirmat; Gallorum vetuſtiſſimus mos fuit, ut iis, qui civitates eorum ingrederentur, pecunias mutuas darent, quæ his apud inferos redderentur, quia perſuaſum habebant, animas hominum immortales eſſe.)

Lucanus Cordubenſis Hiſtoricus & Poeta in multis locis idem affirmat.

Didymus Rex Brachmanum ad Alexandrum magnum ſic ſcribit: Quapropter nimium vecordes vos, & miſerabiles judicamus, qui originem veſtram eſſe cæleſtem non ſuſcipitis, magnamque cum Deo habere cognationem. Et *in alia epiſtola* dicit: Nos non ſumus huius mundi incolæ, ſed advenæ; nec ita in orbem terrarum venimus, ut in eo libeat conſiſtere, ſed tranſire. Properamus enim ad patrium larem, nullis delictorum ponderibus prægravati. Nuda quippe conſcientiæ fronte progredimur, ut expediti, ac faciles ſpatium propoſiti decurramus itineris.)

Cyrus maior Rex moriens convocatis filiis

ait: Nolite arbitrari, ò filii mei chariſſimi, me, cùm à vobis diſceſſero, nuſquam, aut nullum fore. Nec enim, dum eſſem vobiſcum, animum meum videbatis, ſed eum eſſe in hoc corpore, ex his rebus, quas apud vos gerebam, adeſſe intelligebatis. Eundem ergo eſſe creditote, etiamſi nullum videbitis. Hoc refert *Tullius libro de ſenectute*, & *Xenophon Philoſophus* idem priùs recitavit, ut patet.

In ſecundo ordine ſtabant Philoſophi morales, naturales, Aſtrologi, Medici, qui ſecundò *in ſapientia* floruerunt, & omnino concordes cum prioribus, eandem ſententiam confirmaverunt, ut patebit.

Hermes Triſmegiſtus Gracus & moralis ad Aſclepium ſic ſcribit: Cum itaque animadverteret Deus, hominem non poſſe omnium rerum eſſe diligentem, niſi eum mundano tegumento contegeret; texit eum corporeâ domo, taleſque omnes eſſe præcepit, ex utraque natura in unum confundens, miſcuitque, quantum ſatis eſſe debuit. Itaque hominem conformat ex animi, & corporis, id eſt, ex æterna, & mortali natura, ut ita conformatus utrique ſuæ origini ſatisfacere poſſet, & imitari, atque orare cæleſtia, & incolere, atque gubernare terrena. Omnis ergo humana anima eſt immortalis.) Ecce expreſsè conformat ſe prioribus, &c.

Lucretius moralis hos verſus compoſuit.

Cedit idem retro de terra, quod fuit ante
In terra. Sed quod miſſum eſt ex Aetheris oris,
Id rurſum cæli fulgentia templa receptant.

Ariſtoteles moralis lib. 1. Ethic. taliter felicitatem deſcribit, quòd impoſſibile eſt eam habere in hac vita. Et *lib. 3. de anim. lect. 10.* expreſsè declarat animam humanam eſſe immortalem, &c.

Tullius moralis lib. de ſomnio Scipionis dicit ſic: Conſtat certum eſſe in cælo definitum locum, ubi Beati ſempiterno ævo fruuntur. Illi vivunt, qui è corporum vinculis tanquam ex carcere evolaverunt: noſtra verò, quæ dicitur vita, mors eſt.) Et *in oratione pro Marco Marcello* dicit: Quanquam iſte tuus animus his anguſtiis, quas natura nobis ad vivendum dedit, contentus fuerit, ſæpe tamen immortalitatis amore flagravit: nec enim hæc tua vita dicenda eſt, quæ corpore, & ſpiritu continetur. Illa, inquam, illa vita eſt, quæ vigebit memoriâ ſeculorum omnium, quam poſteritas alet, quam ipſa æternitas ſemper tuebitur. Huic tu inſervias, huic te oſtentes oportet.) Et in fine *libri de ſenectute* dicit ſic: Sapientiſſimè quiſque æquiſſimo animo moritur. Nec eum vixiſſe pœnitet, qui ita vixit, ut non fruſtra ſe natum exiſtimet: & ex hac vita diſcedit, tanquam ex hoſpitio, non ex domo. Commorandi enim diverſorium natura nobis dedit, non habitandi. O præclarum illum diem, cùm ad illud Divinum proficiſcar animorum conſilium, cumque ex hac turbæ colluvione diſcedam! Proficiſcar enim ad viros ſapientes, & præcipuè ad Catonem meum, cuius corpus à me crematum eſt, quo nemo vir melior natus eſt, nemo pietate præſtantior.) Et *lib. 1. de Tuſcul. quæſt.* Nulla eſt celeritas, quæ poſſit cum animi celeritate contendere; qui, ſi permanet incorruptus, ſuique ſimilis, neceſſe eſt, ita feratur, ut penetret, & dividat omne cælum hoc: eaque ei demum ſedes naturalis erit, cùm ad ſui ſimile penetraverit, in quo nullâ re egens aletur, & ſuſtentabitur eiſdem rebus, quibus & aſtra ſuſtentantur. Cumque corporis facibus ad omnes cupiditates inflammari ſoleamus, profectò beati erimus, cùm cupiditatum, & æmulationum expertes fuerimus, totoſque nos in contemplandis perſpiciendiſque rebus ponemus: quia ineſt mentibus noſtris inſatiabilis quædam veri videndi cupiditas, quâ præcipuè viſione fruentur, qui, cùm has terras incolentes caligine circunfuſi erant, tamen acie mentis conſpicere cupiebant.) Ecce quàm expreſsè concordat cum ceteris.

Lactantius moralis lib. 3. cap. 18. refert, quòd Cato cupiditate vitæ immortalis ſeipſum peremit, ut cælum anima eius aſcenderet. Similiter & alii plures idem fecerunt. *Seneca lib. de immatura morte, & de natural. quæſt. in principio*, ſicut & in *epiſt. 4. 36. 76.* & alibi idem dicit. Imo *epiſt. 92.* quærit: Quid eſt, cur non exiſtimes in animo Divini quid exiſtere, qui Dei pars eſt? Totum hoc, quo continemur, & unum eſt, & Deus: & ſocii eius ſumus, & membra. Capax eſt: perfertur illò, ſi vitia non deprimant.) Similiter *epiſt. 102.* Tunc in tenebris vixiſſe dices, cùm totam lucem totus aſpexeris: quam nunc per anguſtiſſimas oculorum vias obſcurè intueris, & tamen admiraris eam procul. Quid tibi videbitur Divina lux, cùm illam ſuo loco videris?)

Quintilianus moralis cap. 4. dicit: Si quis ſciat, quis ſit finis bonorum, quæ vera felicitas, nunquam ſibi videbitur præmaturâ

rā morte periturus.

Pythagoras Philoſ. naturalis putat, à lacteo circulo deorſum incipere Ditis imperium, quia animæ inde lapſæ videntur jam à ſuperis receſſiſſe. Ideo primam naſcentibus, ait, lactis alimoniam offerri, quia primus eis motus à lacteo incipit in corpora terrena labentibus. Ergo deſcenſuræ, cùm adhuc in cancro ſunt, quoniam illic poſitæ necdum lacteum reliquerunt, adhuc in numero ſunt deorum. Cùm verò ad leonem labendo pervenerint, illic conditionis futuræ auſpicantur exordium. Ita *Macrob. lib. 1. in ſomn. Scip. cap. 12.*

Empedocles Philoſophus dicebat, futuræ felicitatis appetitu, nil eſſe felicius: qui amore immortalitatis aſſequendæ ſeipſum in ardentis Ætnæ ſpecum intempeſta nocte dejecit, ut, cùm repentè non apparuiſſet, abjiſſe ad deos crederetur, ut recitat *Lactant. lib. 3. cap. 18.*

Ariſtoteles Philoſophus cùm in Euripo flumine ſibi extrema ingruere præſenſiſſet, dolore, ac ſpe in lacrymas profuſus, primæ cauſæ illius fluxus miſericordiam imploravit. Ita *Cal. lib. 16. c. 34. Diog. Laert. Cenſor.*

Archyta Tarentinus Philoſophus natural. dixit mentem noſtram eſse quoddam Divinum munus, & ſic immortalitatem ſortiri; ut refert *Tullius lib. de ſenect.*

Apuleius Philoſophus natural. lib. de deo Socratis dicit: Homines ſunt ratione plaudentes, oratione pollentes, immortalibus animis gaudentes.

Plotinus Philoſophus naturalis dicit: Fugiendum eſt ad clariſſimam patriam, ubi parent omnia; ut refert *Auguſtinus lib. 9. de civitate Dei cap. 10.*

Zenon Philoſophus naturalis dicit mortem eſse gloriam, ut dicit *Seneca in epiſtolis*: qui ſeipſum interfecit, ut poſt mortem beatiùs viveret; ut refert *Lactantius ubi ſuprà.*

Plato Philoſophus naturalis in Timæo dicit, poſt omne corpus animas in ſinum Patris æterni reverti: atque tot animas eſse, quot ſunt aſtra, & legem immortalitatis habere. Et *in Phædone* introducit Socratem diſputantem de immortalitate animæ, & de pœnis inferni.

Ariſtoteles Philoſophus naturalis in libris de anima dicit: Separatur hoc ab hoc, id eſt, anima à corpore ſicut perpetuum à corruptibili: & quòd anima ſeparata habet alium modum intelligendi, quàm ut eſt conjuncta.

Porphyrius Philoſoph. aſſerit: Non eſt mirū, animam, quæ ſubſtantia incorporea eſt, poſse ſeparari à corpore: cùm ignis, qui eſt ſubſtantia corporea corruptibilis, à lignis, quibus eſt unitus, poſſit ſeparari, & reverti in ſuam materiam ſine ſui corruptione, ut refert *Galenus lib. de ſpermate.*

Macrob. Aſtrol. in ſomn. Scip. lib. 1. cap. 12. tradit: Hæc eſt differentia inter terrena corpora & ſupera, cæli, dico, & ſiderum, aliorumque elementorum, quòd illa quidem ſurſum accerſita ſunt ad animæ ſedem, & immortalitatem ex ipſa natura regionis & ſublimitatis imitatione emeruerunt: ad hæc verò terrena corpora anima ipſa deducitur, & ideo mori creditur, cum in caducam regionem, & in ſedem mortalitatis includitur. Nec te moveat, quòd de anima, quam eſse immortalem dicimus, mortem toties nominamus: etenim ſua morte non extinguitur, ſed ad tempus obruitur, nec temporali demerſione beneficium perpetuitatis eximitur, cùm rursùs è corpore, ubi meruit contagione vitiorum penitùs eliminatâ purgari, ad perennis vitæ lucem reſtituta, in integrum revertatur.)

Avicenna Medicus dicit, quòd animæ à corpore ſeparatæ, utuntur quaſi pro organo, aliqua parte cæleſtis corporis, cui corpus humanum oportet eſse conforme ad hoc, quod perficiatur animâ rationali, quæ eſt ſimilis motoribus cæleſtis corporis, quaſi animæ redeant ad compares ſtellas.)

Galenus Medicus lib. de ſperm. ait: Sicut lux ſolis, quæ incorruptibilis eſt, complens ſuum emyſphærium, nullam patitur deciſionē, vel diviſionem; ſic & anima, quæ incorruptibilis eſt. Sicut etiam lumen ſolis, quod incorruptibile eſt, ab aere, & ab omni intelligentia oculorum ſeparatur ſine corruptione; ſic anima, quæ incorruptibilis eſt, ſeparatur ſine corruptione à corpore.) Ecce qualiter iſti Pagani expreſsè dicunt, animam eſse immortalem, & accipere retributionem?

In tertio ordine ſtabant Patres veteris Teſtamenti, qui tertiò in ſapientia floruerunt, & cum prioribus concedunt immortalitatem animæ, & retributionem in alia vita pro meritis.

Moyſes Numeri 16. cap. dicit. *Dirupta eſt terra ſub pedibus Core, Dathan, & Abiron, & aperiens os ſuum devoravit illos: deſcenderuntque vivi in infernum operti humo,* &c.

David in Pſalm. *Sicut oves in inferno poſiti*

ſiti ſunt: mors depaſcet eos. Introibit uſque in progenies patrum ſuorum, & uſque in æternum non videbit lumen. Et loquitur de lumine gloriæ, juxta illud Pſal. *Quoniam apud te eſt fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen.*

Salomon Sap. 5. cap. *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes, & præ angustia ſpiritus gementes: Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt? Ergo erravimus à via veritatis, & juſtitia lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, &c. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt*, &c.

Iob 21. ſimiliter ait: *Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad ſonitum organi: ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt: qui dixerunt Deo: Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Et loquitur contra eos, qui negant animæ immortalitatē.

Iſaias Propheta 5. cap. *Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in convivijs veſtris: & opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum eius conſideratis. Propterea captivus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam. Propterea dilatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque ullo termino, & deſcendent fortes eius, & populus eius, & ſublimes gloriosique eius ad eum, & Deus ſanctus ſanctificabitur in juſtitia.*

Nahum Propheta 2. cap. *State, ſtate, & non eſt, qui revertatur. Diripite argentum, diripite aurum, & non eſt finis divitiarum ex omnibus vaſis deſiderabilibus. Diſſipata eſt, & ſciſſa, & dilacerata: & cor tabeſcens, & diſſolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus, & facies omnium eorum ſicut nigredo ollæ.* Vbi Propheta primò alloquitur ſuperbos morientes, dicens: *State, ſtate.* Quaſi diceret: Vos, qui conſueviſtis in mundo tam potentiſſimè ſtare, & quaſi ſoli in terra habitare; ſtate, de mundo exire nolite, ſed flatum, & ſpiritum continete. Et Propheta reſpondet, dicens: *Et non eſt, qui revertatur*: id eſt, nemo eſt, qui poſſit ſpiritum continere.

Secundò alloquitur divites, dicens: *Diripite argentum, diripite aurum.* Quaſi dicat: Vos divites, qui pergitis ad regionem ignotam, deferte aurum & argentum vobiſcum, ut in veſtris neceſsitatibus vobis provideatis. Propheta reſpondet, dicens: *Non eſt finis divitiarum ex omnibus vaſis deſiderabilibus.* Id eſt, mors non eſt deputata, ut divitiæ deferantur, aut vaſa argentea portentur. Quid ergo fiet de iſto divite avaro, & quid erit de divitiis eius? Reſpondet Propheta: *Diſſipata eſt*, ſcilicet ſubſtantia eius à conſanguineis: *ſciſſa eſt*, ſcilicet anima eius à dæmonibus: *dilacerata eſt*, ſcilicet eius caro à vermibus.

Tertiò alloquitur luxurioſos, & guloſos, dicens: Vos luxurioſi habuiſtis renes inflammatos igne concupiſcentiæ, ſed tunc deficient concremati igne gehennæ; ideo cor veſtrum tabeſcet, & in ſtuporem nimium convertetur. Pſal. *Anima eorum in malis tabeſcebat.* Vos guloſi habuiſtis genua impinguata, ſed tunc diſſolventur præ fame, & ſiti in inferno.

Quartò alloquitur omnes jam dictos, dicens: Et facies omnium veſtrum erunt nigerrimæ præ nimia ignis aduſtione, juxta illud Iſa. 13. cap. *Facies combuſtæ vultus eorum.* Et Threnorum 4. cap. *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum.* Et Baruch 6. c. *Nigræ ſunt facies eorum à fumo*, &c. Ecce quomodo ſancti Patriarchæ veteris Teſtamenti confirmant ſententiam primorum.

In quarto ordine ſtabant Patriarchæ novi Teſtamenti, qui ex revelatione Spiritus ſancti confirmaverunt quæ dicta erant à prioribus, quaſi unus ſpiritus loqueretur per ora cunctorum jam adductorum.

Petrus 2. Canonica 2. cap. dicit: *Novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem judicii cruciandos reſervare: magis autem eos, qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant*, &c.

Paulus Philipp. 2. cap. *In Nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum*, &c.

Iudas, qui & Thaddæus, in Canonica dicit: *Væ illis, qui viâ Cain abierunt, & errore Balaam, mercede effuſi ſunt, quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum*, &c.

Matthæus 25. cap. dicit: *Ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.*

Marcus 13. cap. *Tunc mittet Angelos ſuos, & congregabit electos à quatuor ventis cæli*, &c.

Lucas 16. cap. *Factum eſt autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno.*

Ioannes Apocal. 14. cap. *Beati mortui, qui*

Digitized by Google

qui in Domino moriuntur.

Tunc ſancta Mater Eccleſia approbavit ſententiam omnium iſtorum ſapientum, dicens: Quoniam illæ auctoritates in contrarium adductæ fuerunt hominum Epicureorum, quemadmodum eſt illa Sap. 2. capite: *Dixerunt impii apud ſe non rectè cogitantes*, &c. Non verò hæc Eccleſiaſtis 12. cap. *Revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Itaque filia mea non eſt, quod dubites amplius.

Factum eſt autem, dum loquerentur redeũtes ad civitatem; ecce vox Filli Dei dicentis ad eos, qui in purgatorio erant, illud Matthæi 11. cap. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis*, nempe ſatisfaciendo in purgatorio pro peccatis veſtris, condignam patientes poenam; *& ego reficiam vos.* Et ſancta Mater Eccleſia oſtendit animas ſine numero aſcendentes in cælum ipſi animæ devotæ, & mirabatur, & glorificabat Deum. Cui occurrens Ioannes Evangeliſta dixit: *Mortui*, ſcilicet animæ mortuorum poſt expletam ſatisfactionem pro peccatis ſuis, *audient vocem Filii Dei*, eas ad gloriam paradiſi vocantis. Et ſic remanſit anima in puritate fidei, quam ſancta Mater Eccleſia prædicat, & diſſoluta eſt omnis perplexitas mentis eius.

Mortui audient vocem

Purgationis.	Satisfactionis.
Punitionis.	Diminutionis.
Acceptationis.	Intentionis.
Liberationis.	Vivificationis.

PRIMO. *Mortui audient vocem purgationis.* Anima fidelis & devota petit à ſancta Matre Eccleſia, qualis vox eſt iſta purgationis. Non enim poſſum intelligere, ait, quomodo poſt hanc vitam ſit purgatio animarum. Ratio eſt. Quia ſicut ſe habet charitas ad præmium æternum; ita ſe habet peccatum mortale ad ſupplicium æternum: ſed illi, qui moriuntur in peccato mortali, ſtatim deputantur ad ſupplicium æternum in inferno; ergo illi, qui moriuntur in charitate, ſtatim vadunt ad præmium æternum. Confirmo rationem. Quia in Epiſtola hodierna legitur ſic: *Beati mortui, qui in Domino*, id eſt, in charitate *moriuntur. Amodò iam dicit ſpiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis.* Et habetur hoc ipſum *Apoc.* 14. *cap.* Illi, qui non moriuntur in Domino, non audiunt vocem purgationis: illi autem, qui moriuntur in Domino, audiunt vocem glorificationis. Qui ergo ſunt iſti mortui, qui audiunt vocem purgationis?

Reſpondet ſancta Mater Eccleſia, dicens: Filia mea, ut intelligas, qui ſunt illi mortui, qui audiunt hanc vocem, adverte, quòd per contritionem debitam culpæ non tollitur ex toto reatus, & obligatio pœnæ, nec etiam ſemper venialia dimiſſis mortalibus tolluntur: & juſtitia Dei hoc exigit, ut peccatum per pœnam debitam expietur. Ideo illi mortui audiunt vocem purgationis, qui non habuerunt ſufficientem contritionem de peccatis ſuis: vel poſt abſolutionem factam à Sacerdote in confeſſione ſacramentali non debitè ſatisfecerunt: vel cum veniali peccato mortui ſunt. Et pro iſto adduco rationem, & auctoritatem.

Ratio eſt iſta. Quia malum non poteſt eſſe purum abſque commixtione boni, ſicut bonum ſummum eſt abſque commixtione mali. Ideo illi, qui ad beatitudinem, quæ ſummum bonum eſt, transferendi ſunt, debent eſſe ab omni malo purgati; propter hoc oportet, ſi exeunt ab hoc ſeculo non omnino purgati, quòd purgentur in aliquo loco. Et iſti ſunt, qui audiunt vocem purgationis.

Auctoritas habetur 2. Machab. 12. cap. ubi dicitur: *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* Sed pro defunctis, qui ſunt in paradiſo, non eſt orandum: quia illi nullo indigent. Nec etiam pro illis, qui ſunt in inferno: quia illi à peccatis ſolvi non poſſunt. Ergo poſt hanc vitam ſunt aliqui à peccatis nondum ſoluti, qui ſolvi poſſunt; & tales habent charitatem, ſine qua non fit remiſſio peccatorum: quoniam (ut dicitur Proverb. 10. cap.) *Vniverſa delicta operit charitas.* Vnde ad mortem æternam non devenient, pro eo, quòd dicitur Ioann. 11. cap. *Qui credit in me, non morietur in æternum.* Nec etiam ad gloriam inducentur niſi purgati: quia *nihil coinquinatum in eam introibit*, ut patet Apo. 21. cap. Ergo aliqua purgatio reſtat poſt hanc vitam. Sic ergo, filia mea, confitere, & crede, quòd mortui audient vocem purgationis. Et ſubitò *Gregorius Nyſſenus* occurrens animæ, dixit: Si aliquis Chriſto amico conſentiens in hac vita purgare peccata minùs

Digitized by Google

nus potuerit, poſt tranſitum hinc per purgatorii ignis conflationem expiabitur. Hoc prædicamus dogma veritatis ſervantes, & ita credimus. Hoc etiam univerſalis Eccleſia tenet, pro defunctis exorans, ut à peccatis ſolvantur.)

Tunc anima devota converſa ad ſanctam Matrem Eccleſiam, dixit: Confiteor ſyncera mente, quòd mortui audient vocem purgationis, licèt quieſcant à labore operationis ad merendum, non autem à labore paſſionis ad purgandum; unde habentes charitatem, quandiu purgantur, impediuntur, ne ad vitam æternam perveniant propter cauſas jam dictas.

Sed graviùs anxior ſuper alio dubio, quod mihi ex dictis tuis occurrit, ſcilicet: Vbi eſt locus iſte purgationis?

Sancta Mater Eccleſia reſpondit. Iſtud non poteſt ſciri, niſi ex ſpeciali revelatione, facta per Spiritum ſanctum aliquibus filiis meis, & mandavit *S. Gregorio*, ut declararet dubium, maximè quia erat Paſtor Eccleſiæ, & ſibi commiſſa fuerat cura animæ fidelis; qui aſſumptâ licentiâ loquendi dixit: Locus purgationis eſt duplex. Vnus ſecundùm legem communem; & ſic locus purgatorii eſt locus inferior, inferno conjunctus, ita quòd idem ignis eſt, qui & juſtos in purgatorio purgat, & damnatos in inferno cruciat, licèt damnati, ſecundùm quod ſunt inferiores merito, ſic etiam loco inferiores ordinandi ſint: ſicut enim ſub eodem igne aurum rutilat, & palea fumat, ita ſub eodem igne peccator crematur, & electus purgatur. Alius eſt locus purgatorii ſecundùm diſpenſationem; & ſic quandoque in diverſis locis aliqui puniti ſunt, vel ad vivorum inſtructionem, vel ad mortuorum ſubventionem, ut viventibus eorum pœna innoteſcens per ſuffragia Eccleſiæ mitigetur. Sic Germanus Epiſcopus Capuanus Paſchaſium, qui in balneis purgabatur, invenit, & ſic de multis aliis. Vt autem ceſſavit loqui, anima devota remanſit ſufficienter in fide confirmata, & gratias egit.

SECVNDO. *Mortui audient vocem punitionis.* Anima fidelis & devota converſa ad Matrem ſuam ſanctam Eccleſiam petit, qualis eſt iſta vox punitionis. Miror valde, ait, quomodo animæ electorum puniantur in alia vita: quia pœna purgationis ordinatur directè contra peccata venialia, vel contra reatum, qui eſt effectus culpæ. Sed venialibus, cùm ſint leviſſima, debetur pœna valdè levis: nam, ut dicitur Deuteronom. 25. *Pro menſura peccati erit & plagarum modus.* Ergo illa pœna purgationis erit valde levis. Etiam reatus non intenditur, niſi culpa intendatur: ſed in electo, cui eſt jam culpa dimiſſa, non poteſt culpa intendi; ergo reatus ſuus non creſcit in morte. Sed in hac vita ille reatus non merebatur graviſſimam pœnam; ergo pœna, quam electus patietur poſt hãc vitam, non erit gravior omni pœna temporali.

Tunc ſancta Mater Eccleſia reſpondit. Filia, volo te ſcire, quòd pœna purgatorii excedit omnem pœnam huius vitæ; quod declaro ratione, & auctoritate.

Ratio eſt iſta: quia in purgatorio eſt duplex pœna. Pœna damni, in quantum retardantur illæ animæ à Divina viſione: & pœna ſenſus, prout ab igne corporali puniuntur. Quoad utramque pœnam minima pœna purgatorii excedit maximam pœnam huius vitæ. Nam quantò aliquid magis deſideratur, tantò abſentia eius eſt moleſtior: & quia affectus, quo deſideratur ſummum bonum, ſcilicet beatitudo æterna poſt hanc vitam, in animabus electis eſt intenſior, & maior (quia ille affectus non retardatur propter gravedinem corporis: etiam quia terminus fruendi ſummo bono jam advenìſſet, niſi aliquid impediret) ideo de iſta tardatione maximè dolent. Similiter etiam, cùm dolor non ſit læſio, ſed ſenſus læſionis, tantò aliquis magis dolet de aliquo læſivo, quantò eſt magis ſenſitivum. Exemplum. Læſiones, quæ fiunt in locis maximè ſenſitivis, cauſant maximum dolorem: & quia totus ſenſus corporis eſt ab anima; ideo, ſi in ipſam animam aliquod læſivum agat, oportet de neceſſitate, quòd anima maximè affligatur. Sed anima purganda patitur ab igne corporali, juxta illud 1. Cor. 3. cap. ubi dicitur: *Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: & uniuſcuiuſque opus, quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet. Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur; ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Ideo pœna purgatorii, quantùm ad pœnam damni & ſenſus, excedit omnem pœnam huius vitæ.

Auctoritas eſt *Sancti Auguſtini* dicentis *in Canone diſt. 25. cap.* Qui in aliud ſeculum diſtulit fructum converſionis, priùs purgabitur igne purgationis. Hic ignis, etſi perpetuus non ſit, miro tamen modo gravis eſt: excellit enim omnem pœnam, quam unquam aliquis paſſus eſt in hac vita, vel pati poteſt.)

His

Digitized by Google

His auditis, anima devota ſubitò adhæſit huic veræ determinationi, dicens: Opinor ego, quòd acerbitas illius pœnæ non eſt tantum ex quantitate peccati, quantum ex diſpoſitione puniti, quia idem peccatum graviùs punitur ibi, quàm hìc. Sicut ille, qui eſt melioris complexionis, magis punitur jiſdem plagis impoſitis, quàm alius, & tamen Iudex utrique eaſdem plagas pro jiſdem culpis inferens juſtè facit.

Sancta Mater Eccleſia reſpondit. Filia mea devota, rectè imaginaris: quia quamvis anima ſit minus paſſiva quàm corpus, tamen eſt magis cognoſcitiva paſſionis; & ubi eſt maior paſſionis ſenſus, ibi eſt maior dolor, etiamſi ſit minor paſſio.

Tunc anima devota dixit ſanctæ Matri Eccleſiæ: Cognoſco ex veritate dictorum tuorum, quiſnam ſit Iudex in hac punitione; quia Chriſtus, juxta illud Ioann. 5. cap. *Pater omne iudicium dedit Filio*. Quis punitur; quia anima negligens. Sed neſcio, qui ſint miniſtri juſtitiæ, nempè an illæ animæ puniantur pœnâ purgationis per Angelos bonos, vel per dæmones tanquam per miniſtros. Obſecro, declara iſtud.

Sancta Mater Eccleſia reſpondit. Filia mea, ut mens tua ſit certior, ſcitò, quòd, ſicut poſt diem judicii Divina juſtitia ſuccendet ignem, quo damnati in perpetuum puniẽtur; ita & nunc ſolâ Divinâ juſtitiâ electi poſt hanc vitam purgantur. Non enim dæmones ſunt ibi miniſtri: quia injuſtum eſt, ut, qui de aliquo triumphavit, ſubjiciatur ei poſt triumphum. Sed illi, qui ſunt in purgatorio, de dæmonibus triumphaverũt ſine peccato mortali decedentes; ideo non ſubjiciuntur eis puniendi per eos. Neque etiam Angeli boni ſunt ibi miniſtri: quia cives ſuos non tam vehementer affligerent; ſed tamen poſſibile eſt, quòd eos ad loca poenarum deducant, ſicut deduxerunt Lazarum ad limbum ſanctorum Patrum, qui erat locus poenalis, ut patet *Luca 16. cap.* Statimque anima devota procidit ad pedes ſanctæ Matris Eccleſiæ, dicens: *Super inimicos meos prudentem me feciſti*. Gratias tibi.

TERTIO. *Mortui audient vocem acceptationis*. Anima fidelis & devota petit à S. Matre Eccleſia, qualis vox eſt iſta acceptationis.

Cui ſancta Mater Eccleſia reſpondit, dicens, quòd illi, qui ſunt in purgatorio, habent rectum cor, quæ rectitudo conſiſtit in hoc, ut electi voluntatem ſuam Divinæ voluntati conforment; ideo, cùm Deus velit eos puniri, jubet, ut ipſi voluntariè illam poenam ſuſtineant, & acceptent. Et quia libenter eam ſuſtinent, & acceptant; ideo audiunt vocem acceptationis.

Tunc anima dixit: Miror, quomodo acceptant poenam illam acerbiſſimam, ut priùs dixiſti: quia nullus petit liberari à poena, quam voluntariè ſuſtinet, & acceptat. Sed illi, qui ſunt in purgatorio, petunt liberari ab illis poenis, ut *Gregorius in dial.* narrat; ergo non audiunt vocem acceptationis, ſuſtinendo illas poenas voluntariè.

Cui ſancta Mater Eccl. reſpondet, dicens, quòd in illa poena duo conſiderantur. Primò, quòd eſt afflictiva, & ſic diſplicet voluntati: quia ex hoc ſumitur ratio poenæ, quod voluntati contrariatur. Secundò, quòd eſt purgativa, & ſic placet voluntati: quia quamvis per poenã nullũ bonum eis accreſcat, tamen ſine poena ad ſummum bonum pervenire non poſſunt. Exemplum. Corporaliter medicina, in quantum eſt amara, non placet, ſed in quantum ſanativa, acceptatur, & pro ea pretium ſolvitur; & hæc voluntas vocatur voluntas mixta, ſicut exemplificat *Philoſophus 3. Ethicor.* De projectione mercium in mare: nam talis projectio, ut eſt mercium, perditio multum diſplicet voluntati; ſed in quantum eſt ſalutis occaſio, acceptatur; & tunc voluntas non aſſumit poenam, imo vellet ab ea liberari, ſed eam ſupportat, & ſic dicitur acceptari, & hoc modo poena purgatorii eſt voluntaria: quia omnis ſapiens vult illud, ſine quo non poteſt pervenire ad finem intentum. Sed illi, qui ſunt in purgatorio, ſciunt ſe non poſſe pervenire ad gloriam, niſi prius puniantur; ideo audiunt vocem acceptationis. Tunc anima ſubjunxit: *Super omnes docentes me intellexi*: quia doctrina tua *meditatio mea eſt*.

QVARTO. *Mortui audient vocem liberationis*. Fidelis & devota anima petit à ſancta Matre Eccleſia, qualis eſt iſta vox liberationis.

Cui ſancta Mater reſpondit, dicens: Pœna purgatorii eſt gravior, quàm quælibet poena huius mundi, ut jam dixi tibi. Sed per poenam ſatisfactoriam, quam aliquis in hac vita ſuſtinet, liberatur à debito poenæ; ideo multò fortiùs per poenam purgatorii liberatur ab omni debito poenæ. Cùm ergo aliquis compleverit poenam ſuam in purgatorio,

tunc

Digitized by Google

tunc audit vocem ſuæ liberationis.

Tunc anima fidelis ait: Non benè intelligo hanc liberationem: quia *Gregorius* dicit: Talis in judicio quiſque futurus eſt, qualis de corpore exivit: quoniam, ut dicitur Eccleſ. 11. *Lignum, ubi ceciderit, ibi erit*. Si ergo aliquis ex hac vita exit cum peccato veniali, in judicio cum veniali erit, & ita per purgatorium non liberatur à culpa veniali. Etiam, quia culpa actualis non deletur niſi per contritionem: ſed poſt hanc vitam non poteſt haberi contritio, quæ eſt actus meritorius, quia ibi nec eſt meritum, nec demeritum: cùm ſecundùm *Damaſcenum* hoc ſit hominibus mors, quod Angelis caſus; & ſic non intelligo, qualis eſt iſta vox liberationis.

Cui ſancta Mater Eccleſia reſpondit, dicens: Quicunque eſt debitor alicuius, per hoc à debito abſolvitur, quod debitum ſolvit. Et quia reatus nihil eſt aliud, quàm debitum poenæ, per hoc aliquis à reatu abſolvitur, quòd poenam ſuſtinet, quam debebat, & ſecundùm hoc poena purgatorii à reatu liberat; & hæc eſt vox liberationis. Similiter culpa venialis in eo, qui cum gratia decedit poſt hanc vitam, dimittitur per ignem purgatorium: quia poena illa aliqualiter voluntaria (ut tibi dixi) virtute gratiæ habebit vim expiandi omnem culpam, quæ ſimul cum gratia ſtare poteſt. Remiſſio enim culpæ venialis eſt ex volũtate informata gratiâ, quæ erit in anima ſeparata exiſtente in purgatorio. Vnde venialis culpa non mutat ſtatum hominis: quia neque tollit, neque diminuit charitatem, ſecundùm quam menſuratur quantitas gratuitate bonitatis animę; ideo talis erit in judicio quoad charitatem, qualis erat, quando exivit ab hoc corpore. Similiter poſt hanc vitam non poteſt eſſe meritum reſpectu præmii eſſentialis, ſed reſpectu alicuius præmii accidentalis poteſt eſſe, quandiu manet homo in ſtatu viæ aliquo modo; ideo in purgatorio poteſt eſſe actus meritorius, quantùm ad remiſſionem culpæ venialis.

Tunc anima fidelis ait: Liberatur ne unus alio citiùs ab illis poenis?

Sancta Mater Eccleſia reſpondit, dicens: Quædam venialia ſunt majoris adhærentiæ, quàm alia, ſecundùm quod affectus magis ad ea inclinatur, & fortiùs in eis figitur: & quia ea, quæ ſunt majoris adhærentiæ, tardiùs purgantur; ideo quidam in purgatorio diutiùs, quàm alii, torquentur, ſecundùm quòd affectus eorum ad venialia fuit magis immerſus. In purgatorio ſunt duo: ſcilicet acerbitas poenæ, & diuturnitas. Acerbitas poenæ reſpondet quantitati culpæ. Diuturnitas reſpondet radicationi culpæ in ſubjecto. Vnde poteſt contingere, quòd aliquis in purgatorio diutiùs moretur, qui minus affligitur, & econtra, ſcilicet: quia magis adhæſit minori peccato veniali, aut quia majori minus adhæſit. Tunc anima fidelis & devota gratias egit ſanctæ Matri Eccleſiæ, dicens: *Super ſenes intellexi*: quia doctrinam tuam quæſivi.

QVINTO. *Mortui audient vocem ſatisfactionis*. Fidelis & devota anima petit à ſancta Matre Eccleſia, qualis eſt iſta vox ſatisfactionis.

Cui ſancta Mater Eccleſia reſpondit, dicens: Omnes fideles per charitatem uniti, ſunt unius corporis myſtici membra, ſicut *Apoſtolus* 1. *Cor.* 12. *cap.* loquitur de myſtico corpore, ad ſimilitudinem corporis humani. In corpore verò humano natura per unum membrum ſupplet indigentiam alterius; cùm ergo gratia ſit potior quàm natura, gratia in corpore myſtico per unum membrum poteſt ſupplere alterius indigentiam. Hinc eſt, quòd ſuffragia membrorum Eccleſiæ poſsũt prodeſse commembris indigentibus: quia verò per mortem commembra ejuſdem corporis eſse non deſinunt, poſsunt prodeſse etiã defunctis. Vnde *Auguſtinus* dicit: Non eſt negandum ſpiritus defunctorum pietate ſuorum viventium poſse relevari.) Sed hanc relevationem ſentiunt, & cognoſcunt animæ in purgatorio exiſtentes; ideo mortui audient vocem ſatisfactionis.

Tunc anima fidelis ait: Valde dubito, quomodo vivi poſſint ſatisfacere pro mortuis: quia ad juſtitiam Dei pertinet, ut unicuique retribuatur pro meritis. Pſalm. *Tu reddes unicuique iuxta opera ſua*. Et in Epiſtola hodierna dicitur: *Opera enim illorum ſequuntur illos*. Sed impoſſibile eſt, juſtitiam Dei deficere; ergo impoſſibile eſt, quòd mortui ex operibus vivorum juventur.

Sancta Mater Eccleſia reſpondet, dicens: Actus vivorum poſſunt valere ad duo. 1. Ad aliquem ſtatum acquirendum, ſicut per opus meritorium homo acquirit ſtatum beatitudinis. 2. Ad aliquid conſequens ſtatum, ſicut homo per aliquem actum meretur aliquod præmium accidentale, vel dimiſ-

missionem poenæ. Ad utrumque istorum actus viventis potest valere dupliciter. Vno modo per viam meriti, alio modo per viam orationis. Istæ duæ viæ differunt per hoc: quia meritum innititur justitiæ; sed orans impetrat petitum ex sola liberalitate eius, qui oratur. Dico ergo, quòd opus viventis nullo modo potest valere defuncto ad statum consequendum per viam meriti, ut scil. ex his, quæ vivens facit, defunctus mereatur vitam æternam. Ratio est: quia sors gloriæ redditur secundùm mensuram accipientis: unusquisq; autem ex suo actu disponitur, & non ex alieno, & voco dispositionem dignitatem ad præmium. Per viam verò orationis actus viventis potest valere defuncto ad statum consequendum, scilicet, cùm defunctus est in purgatorio, quia adhuc est in via. Ratio est: quia impetratio orationis est secundùm liberalitatem Dei, qui oratur; ideo ad omnia illa impetratio orationis se potest extendere, quæ potestati Divinæ subiunt ordinatè. Secundò dico, quòd quantùm ad aliquid consequens, vel accessorium ad statum, opus viventis potest valere defuncto non solùm per viam orationis, sed etiam per viam meriti propter tres rationes. Prima ratio est, ratione dilectionis: quia omnes, qui invicem charitate cõnectuntur, aliquod emolumentum ex mutuis operibus reportant, tamen secundùm mensuram status uniuscujusque; quia in patria unusquisq; Beatus de bonis gaudebit alterius; unde articulus fidei est: *Sanctorum communionem*. Secunda ratio est, ratione intentionis: quia vivens aliqua opera specialiter ad hoc facit, ut talibus prosint; unde ista opera quodammodo efficiuntur eorum, pro quibus fiunt, quasi eis à faciente collata. Tertia est, ratione satisfactionis: nam opus, quod pro aliquo fit, efficitur eius pro quo fit. Similiter opus, quod est eius, qui mecum est unum, est quodammodo etiam meum. Vnde non est contra Divinam justitiam, si unus percipit fructum de operibus factis ab eo, qui est unum secum in charitate, vel ab operibus pro se factis. Hoc etiam secundùm humanam institutionem contingit, ut satisfactio unius pro alio accipiatur; ergo, &c. Tunc anima devota gratias egit Matri suæ dicens: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua: super mel ori meo*.

SEXTO. *Mortui audient vocem diminutionis*. Anima fidelis & devota petit à sancta Matre Ecclesia, qualis est ista vox diminutionis?

Cui sancta Mater Ecclesia respondit, dicens: Purgatio animæ per poenas purgatorii non est aliud, quàm expiatio reatus impedientis à perceptione gloriæ: & quia per poenam, quam vivens sustinet pro defuncto, potest reatus defuncti expiari; ideo per viventis satisfactionem diminuitur poena defuncti in purgatorio. Quia verò defunctus sentit hanc relevationem à poenis; propterea audit vocem diminutionis.

Tunc anima devota ait: Ex dicto tuo videtur sequi, quòd nulla sit poena purgatorii: quia poena purgatorii est finita secundùm ea, quæ jam dixisti. Si ergo per suffragia viventium aliquid de poena diminuitur, tantum poterunt suffragia multiplicari, quòd tota poena tolletur, & ita peccatum remanebit ex toto impunitum, & nulla erit poena purgatorii, quod videtur Divinæ justitiæ repugnare.

Sancta Mater Ecclesia respondit, dicens: Quamvis animæ post mortem non sint simpliciter in statu viæ, sicut erant ante, tamen quantùm ad aliquid adhuc sunt in via, scilicet in quantum eorum progressus adhuc retardatur ab ultima retributione. Ideo secundùm hoc earum via est circunsepta, ut non possint ulterius per aliqua opera transmutari secundùm statum felicitatis, & miseriæ, juxta illud Iob 19. cap. *Semitam meam circumsepsit, & transire non possum*. Sed quantùm ad hoc non est circunsepta, quin quoad hoc, quòd detinentur ab ultima retributione, possint ab aliis juvari: quia secundùm hoc adhuc sunt in via; quod patet ratione, & auctoritate.

Ratio est ista: quia charitas, quæ est vinculum uniens membra Ecclesiæ, non solùm ad vivos se extendit, sed etiam ad mortuos, qui in charitate decedunt: charitas enim nõ finitur per vitam corporis. 1. Cor. 13. *Charitas nunquam excidit*. Similiter etiam mortui in memoriis hominum vivunt, ideo viventes possunt dirigere intentionem suam ad eos; & sic suffragia vivorum possunt valere defunctis dupliciter, sicut & vivis. Primò, propter charitatis unionem. Secundò, propter intentionem ad eos directam. Tamen ista suffragia non sic eis valent, ut status eorum muretur de miseria ad felicitatem, sed valent ad diminutionem poenæ. Exemplum. Si homo portaret grave onus, & alius submitteret humeros suos oneri, primus leviùs por-

Digitized by Google

taret, & tot homines poſſent eum juvare, quòd ex toto diminueretur eius poena; unde non eſt inconveniens, ſi multiplicatis ſuffragiis poena in purgatorio exiſtentium annihiletur. Non enim ſequitur, quòd peccata remaneant impunita, quia poena unius pro altero ſuſcepta alteri computatur.

Auctoritas eſt *Auguſtini lib. de cura pro mor. agen.* dicentis: Non parva eſt univerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo offeruntur ad eius altare, locum ſuum habeat etiam cõmendatio mortuorum.) Iſta conſuetudo ab ipſis Apoſtolis inchoavit, ut dicit *Damaſcenus in quoddam ſermone de ſuſ. mor.* ſic: Myſteriorum conſcii Diſcipuli Salvatoris & ſacri Apoſtoli, in tremendis & vivificis myſteriis memoriam fieri eorum, qui fideliter dormierunt, ſanxerunt.) Hoc idem patet per *Dionyſium ultimo cap. Eccleſ. Hierar.* ubi ritum commemorat, quo in primitiva Eccleſia pro mortuis orabatur; ubi etiam *Dionyſ.* aſſerit, ſuffragia vivorum mortuis prodeſſe ad diminutionem poenæ; ergo, &c. Tunc anima fidelis ait: Gratias tibi ago Mater immaculata: quoniam *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.*

SEPTIMO. *Mortui audient vocem intentionis.* Anima fidelis & devota converſa ad Matrem ſuam ſanctam Eccleſiam, ait: qualis eſt iſta vox intentionis?

Cui ſancta Mater Eccleſia reſpondit, dicens: Iuſtitia humana exemplatur à juſtitia Divina: ſed in juſtitia humana, ſi aliquis pro aliquo debitum ſolvit, eum ſolum abſolvit; cùm ergo vivens pro aliquo defuncto ſuffragia facit, quodammodo ſolvit debitum eius, pro quo facit, & videtur, quòd illi ſoli profint ratione intentionis ad defunctum directæ. Cùm autem ſolutum fuerit pro debito eius, ſentiet ſe relevari à poenis, & iſta eſt vox intentionis.

Tũc anima devota. Miror valde de iſta particularitate: quia lumen ſpirituale eſt magis cõmunicabile, quàm lumen corporale: ſed lumen corporale, ſcil. candelæ, quãvis accẽdatur pro uno, tamẽ æqualiter omnibus prodeſt, qui ſimul commorantur, quamvis pro eis candela non accendatur; ergo, cùm ſuffragia ſint quædam ſpiritualia lumina, quamvis pro uno ſpecialiter fiant, non magis valent ei, quàm aliis in purgatorio exiſtentibus. Etiam ſequitur, quòd pauperes eſſent deterioris conditionis, quàm divites: quia pro pauperibus non tot fiunt ſuffragia, quot pro divitibus.

Sancta Mater Eccleſia reſpondit. Valor ſuffragiorum poteſt penſari ex duobus. Primò, ex virtute charitatis, quæ facit omnia bona communia, & ſic ſuffragia magis valent ei, qui eſt charitate plenus, quamvis pro eo ſpecialiter non fiant; & hoc modo ſuffragia conſiderantur ſecundùm quòd afferunt quandam interiorem conſolationem, prout unus in charitate exiſtens delectatur de bonis alterius poſt mortem quantùm ad diminutionem poenæ. Secundò, valent ſuffragia ex hoc, quòd per intentionem viventis applicantur defuncto, & ſic ſatisfactio viventis defuncto computatur, & ſic non eſt dubium, quòd magis valent ei, pro quo ſpecialiter fiunt, imo ſic ſoli ſibi valent: quia ſatisfactio propriè ad dimiſſionem poenæ ordinatur; unde quantùm ad dimiſſionem poenæ præcipuè valet ſuffragium ei, pro quo fit. In quantum ergo ſuffragia ſunt quædam ſatisfactiones, per intentionem facientis in alterum translatæ, non ſunt ſimilia lumini, ſed magis ſolutioni cujuſdam debiti. Non eſt autem neceſſe, ut, ſi debitum pro uno ſolvatur, ex hoc aliorum debitum ſolvatur. Etiam nihil prohibet divites, quantum ad expiationem poenæ, melioris fore conditionis, quàm pauperes.

Tunc anima devota ait: Quid ergo fiet de illis ſuffragiis ſpecialibus, quæ ſuperſunt his, pro quibus fiunt?

Sancta Mater Eccleſia reſpondit. Si aliquid de ſpecialibus ſuffragiis ſuperſit his, pro quibus fiunt, ſcilicet, ut eis non indigeant, per Divinam miſericordiam aliis diſpenſantur, pro quibus non fiunt, ſi eis indigeant, ut patet per *Damaſcenum in ſermone de dormit.* dicentẽ: Deus tanquam juſtus commetietur impotenti poſſibilitatem, tanquam ſuſcipiens defectum & mutationem negotiabitur; quæ quidem negotiatio attenditur, ſi id, quod deeſt uni, alteri ſuppleat.) Et veriſimile eſt, quòd iſta commutatio fiet pro pauperibus, qui oraverunt pro illis in hoc ſeculo, pro quibus ſpecialiter fiunt. Tunc anima devota gratias agens, dixit: *Viviſicaſti me ſecundùm eloquium tuum.*

OCTAVO. *Mortui audient vocem vivificationis.* Anima fidelis & devota petit à S. Matre Eccl. qualis eſt vox vivificationis?

Cui S. Mater Eccl. reſpondit. Suffragia Eccleſiæ pro defunctis ſunt quaſi quædam ſatisfactiones viventium vice mortuorum, & ſecundùm hoc mortuos à poena abſolvunt, quã

non

non ſolverunt, quâ ſolutâ, liberi & purgati aſcendunt in cælum, ubi ſummâ felicitate gaudent, & beatificè vivificantur; ideo mortui audient vocem vivificationis.

Tunc anima devota ait: Si iſta ſuffragia exiſtentibus in purgatorio valerent, ut tu dicis, maximè ea viderentur valere, quæ ſunt ad eorum imperium facta, ſed hæc non ſemper valent: ſicut ſi aliquis moriens diſponat tot ſuffragia pro ſe fieri, quæ ſi facta eſſent, ſufficerent ad totam poenam abolendam. Poſito ergo, quòd hujuſmodi ſuffragia differantur, quouſq; ille poenam evaſerit, tunc iſta ſuffragia nihil ei proderunt: quia non poteſt dici, quòd ei proſint, antequam fiant; poſtquã autẽ fiũt, eis nõ indiget, quia jã poenas evaſit. Ergo ſuffragia exiſtentibus in purgatorio nõ valẽt.

S. Mater Eccl. reſpondit. Suffragia valent ex duobus, ſcil. ex opere operante, & ex opere operato. Et voco opus operatũ non ſolùm Eccleſiæ Sacramentũ, ſed effectũ accedentem ex operatione. Exemplũ. Ex collatione eleemoſynarum conſequitur pauperum relevatio, & eorum oratio pro defuncto ad Deum. Similiter opus operans poteſt accipi, vel ex parte principalis agentis, vel ex parte exequentis. Dico ergo, quàm citò moriens diſponit aliqua ſuffragia ſibi fieri, præmium ſuffragiorũ plenè conſequitur etiam, antequã fiant, quantùm ad efficaciam ſuffragii, quæ erat ex opere operãte principalis agentis, ſed quantùm ad efficaciam ſuffragiorum, quæ eſt ex opere operato, vel ex opere operante exequentis, non conſequitur fructum, antequam ſuffragia fiant.

Tunc anima devota ait: Credo firmiter, eſſe verum quod dicis; ſed non plenè intelligo.

S. Mater Eccl. reſpõdit. Opus ſuffragii, quod pro altero fit, poteſt cõſiderari dupliciter. Vno modo, ſecũdùm quod eſt meritoriũ vitæ æternæ, quod habet in quantũ procedit ex radice charitatis. Et ſic, quia iſte hoc modo diſponẽs ſuffragia, eſt in charitate; ideo iſta opera ſunt meritoria vitæ æternæ, nõ reſpectu præmii eſſẽtialis, quia hoc ſibi debetur ratione charitatis, ſed reſpectu præmii accidentalis, ad quod ordinãtur; & quãvis iſta opera nunquã fierẽt, ſemper tamen iſte ſic diſponens habebit illud præmiũ accidentale. Alio modo poteſt cõſiderari opus ſuffragii, ſecũdũ quod eſt ſatisfactorĩũ, quod habet in quantũ eſt expiativũ pœnæ per modũ cujuſdã recõpenſationis, quæ in ſatisfactione attenditur; & ſic tale opus abſolvit eũ à debito pœnæ, quia in tali recõpenſatione attenditur æqualitas juſtitiæ. Et ſi prius cõtingat ipſũ à pœna purgari, quoad hoc fraudabitur fructu ſuffragiorum: quia non abſolvent eum ab illa poenã, nec erunt ſatisfactoria, ſed ſolùm meritoria, ut dixi.

Tunc anima devota ait: Quare iſte patitur in purgatorio, ſi adhibuit diligẽtiã, ut ſolverẽtur iſta ſuffragia, quamvis executores neglexerint, & tardaverint ſolutionem eorum?

S. Mater Eccleſia reſpondit. Non eſt inconveniens, quòd aliquis defraudetur in temporalibus per culpam alterius: poena autem purgatorii eſt temporalis; ideo non valent ſibi ad diminutionẽ poenæ in purgatorio, ex quo non ſolvuntur. Sed quantùm ad æternã retributionẽ nullus defraudari poteſt niſi per propriam culpam: & quia iſte eã non commiſit; ideo pro illis remunerabitur in cælo; ita quòd ſi citò fuiſſent ſoluta iſta ſuffragia, fuiſſent ſatisfactoria, & quia tardata eſt ſolutio eorum, jam fiunt meritoria. Adverte filia mea: quia negligentia ſolutionis ſuffragiorum redundabit in in illos executores, quorum culpã iſte ſic diſponens defraudatur.

Exemplum. Miles quidam in bello Caroli Magni cum Mauris pugnaturus, rogavit cognatum ſuũ, ut, ſi in bello moreretur, equum ſuum venderet, & pretium pauperibus erogaret; quo mortuo, cùm equus nimis placeret ſibi, eum ſibi retinuit. Poſt modicum temporis defunctus ei tanquam ſol fulgens apparuit, dicens: Cognate, benè per octo dies me feciſti pati poenas in purgatorio propter equum, cuius pretium, ut dixeram, pauperibus non dediſti; ſed impunè non feres. Hodie enim diaboli ferent animam tuam in infernum, & ego purgatus vado in regnum Dei. Et ecce ſubitò in aere auditus eſt clamor leonum, urſorum, & luporũ, qui ipſum de medio abſtulerunt. Tu ergo filia mea, noli tardare in ſolutione ſuffragiorum maxima iſta die pro animabus exiſtentibus in purgatorio, ne deteriùs tibi contingat. Statim anima devota reverenter inclinans, gratias agens ſanctæ Matri Eccleſiæ, dixit illud Pſ. *Inclinavi cor meum, ad faciendas juſtificationes tuas in æternum*, quoad ſublevationem animarum, in purgatorio exiſtentium, *propter retributionem*, ſcil. earum. Cumque Sacerdos in fine Miſſæ altè dixiſſet: *Requieſcãt in pace;* anima devota in ſpiritu vidit infinitã multitudinẽ animarum de purgatorio exeuntium, quas comitabantur Angeli uſque in cælum, & ait: Verè nunc ſcio, quòd *mortui audiant vocem Filii Dei*, hic per gratiam, tandem per gloriam. Amen.

SERMO LVIII.

IN FESTO SANCTI LEONARDI CONFESSORIS.

Nardus mea dedit odorem ſuum . Cant. 1. cap.

BEatus Bernardus ſuper iſto verbo *ſerm. 42. in Cant.* dicit: Bonus humilitatis odor, qui de hac valle plorationis aſcendens perfuſis circunquaque vicinis regionibus ipſum quoque regium accubitum grata ſuavitate reſpergat. Eſt quippe Nardus humilis herba, quam calidæ feruot eſſe naturæ *hi*, qui herbarum vires curioſiùs exploraverunt. Et ideo per hanc *videor mihi* non inconvenienter hoc loco virtutẽ humilitatis accipere, ſed quæ ſancti ămoris vaporibus flagret. Odor devotio eſt, odor bona opinio, quæ ad omnes pervenit, ut ſis bonus odor Chriſti in omni loco, ſpectabilis in omnibus, amabilis omnibus; cuius humilitas, tanquam Nardus, ſpargit odorem ſuum, amore callens, devotione vigens, opinione redolens. *Hac Bernardus*. Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtrum Beatus Leonardus perfectior fuerit ſolitariam vitam eligens, quàm ſocialem in communi degens?

AD iſtam quæſtionem reſpondent tres Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt *Iſidorus lib. 3. de ſummo bono*, dicens: Sancti viri funditùs ſeculo renunciantes, ita huic ſeculo moriuntur, ut ſoli Deo vivere delectentur: quantoque ab huius ſeculi converſatione ſe ſubtrahunt, tantò interne mentis acie præſentiam Dei, & Angelicæ ſocietatis frequentiam contemplantur. Quidam etiam corporaliter ſeparari deſiderant ab iniquis, ut eorum non involvantur delictis. Nonnulli, etſi non corporali diſceſſu, ſpirituali tamen ab eis intentione diſcedunt, qui, etſi communes ſint converſatione, diſcreti tamen ſunt corde, vel opere. Et licèt ſæpe in medio carnalium vitam Deus protegat electorum, tamen ſatis rarum eſt, ut quis inter ſeculi voluptates poſitus, à vitiis maneat illibatus; in quibus, etſi non citò implicetur, aliquando tamen attrahitur: neq; enim diu tutus eſſe poteſt, qui periculo proximus eſt. Bonum eſt corporaliter remotum eſſe à mundo; ſed multò eſt melius voluntate, utrumque verò perfectum. Ille igitur perfectus eſt, qui ab hoc ſeculo, & corpore, & corde diſtans eſt, atque diſcretus. Onager, ut ait Iob, contemnit civitatem; & monachi communem civium converſationem. *Hac Iſid.*

Secundus eſt *Bernardus in Cant. ſerm. 40.* dicens: O ſancta anima, ſola eſto, ut ſoli uni ſerves teipſam, quem tibi ex omnibus elegiſti. Fuge publica, fuge & ipſos domeſticos, ſecede ab amicis, & intimis, etiam ab illo, qui tibi miniſtrat. Nihil tibi, & turbis. Secede ergo mente, non corpore. Deus enim ſpiritus, non corporis requirit ſolitudinem; quanquam & corpore non otiosè te ſeparas, cùm opportunè potes, præſertim tempore orationis. De cetero tibi indicitur ſola mentis ſolitudo, & ſpiritus. An neſcis, te verecundum habere ſponſum, qui nequaquam ſuam velit tibi indulgere præſentiam præſentibus ceteris? Sola es, in quantacunque hominum verſeris frequentia. Tantùm caveas alienæ converſationis eſſe aut curioſus explorator, aut temerarius judex. *Hac Bernardus*.

Tertius eſt *Sanctus Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 188. artic. 8. in reſp. principali* dicens: Illud, quod eſt ſolitarium, debet eſſe per ſe ſufficiens ſibi. Hoc autem eſt, cui nihil deeſt, quod pertinet ad rationem perfecti; & ideo ſolitudo competit contemplanti, qui jam ad perfectum pervenit, quod quidem contingit dupliciter. Vno modo ex ſolo Divino munere, ſicut patet de Ioanne Baptiſta, qui fuit repletus Spiritu ſancto adhuc ex utero matris ſuæ; unde, cùm adhuc puer eſſet, erat in deſertis, ut dicitur *Luc. 1. cap.* Alio modo per exercitium virtuoſi actus,

tus, ſecundùm illud Hebr. 5. cap. *Perfectorum eſt ſolidus cibus: eorum, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni ac mali*. Ad exercitium autem hujuſmodi juvatur homo ex aliorum ſocietate dupliciter. Vno modo quantùm ad intellectum, ut inſtruatur in his, quæ ſunt contemplanda. Vnde dicit *Hieron. ad Ruſtic. monach.* Mihi placet, ut habeas ſacrum contubernium, nec ipſe te doceas. Alio modo quantùm ad affectum, ſcilicet, ut noxiæ affectiones hominis reprimantur exemplo, & correctione aliorum. Quia, ut *Greg. lib. 30. moral. cap. 23. ſuper illud Iob: Cui dedi in ſolitudinem domum*, dicit: Quid prodeſt corporis ſolitudo, ſi ſolitudo defuerit cordis? Ideo vita ſocialis neceſſaria eſt ad exercitium perfectionis, ſolitudo autem competit jam perfectis. Vnde *Hieronymus ad Ruſticum monachum*. Solitariam vitam minimè reprehendimus, quippe quam ſemper laudamus: ſed de nido monaſteriorum hujuſmodi volumus egredi milites, quos eremi dura rudimenta non terreant, qui ſpecimen ſuæ converſationis multo tempore didicerunt, qui omnium fuerunt minimi, ut primi omnium fierent; quos nec eſuries, nec ſatietas aliquando ſuperavit, qui paupertate lætantur, quorum habitus, ſermo, vel inceſſus doctrina virtutum eſt.) Sicut ergo id, quod jam perfectum eſt, præeminet ei, quod ad perfectionem exercetur; ita vita ſolitariorum, ſi debitè aſſumatur, præeminet vitæ ſociali. *Hæc S. Thomas*.

Sciendum, quòd vita ſolitaria quadrupliciter aſſumitur. Primò, propter animi ſævitiam, quaſi ſocietatem humanam non ferendo, & hoc eſt beſtiale: quia homo naturaliter eſt animal ſociale, uti *Phil. 1. Polit.* dicit. Et *Seneca epiſt. 55. ad Lucillam*. Qui res, & homines fugit, quem cupiditatum ſuarum felicitas relegavit, qui alios feliciores videre non potuit, qui velut timidum, atque iners animal oblituit metu, ille ſibi non vivit, ſed (quod eſt turpiſſimum) ventri, ſomno, libidini. Non continuè ſibi vivit, qui nemini.)

Secundò, propter audaciam, ſcilicet, abſque præcedenti virtutum exercitio; & talis vita eſt periculoſiſſima, niſi per Divinam gratiam ſuppleatur, quod in aliis per exercitium acquiritur, ſicut patet de beatis Antonio, & Benedicto. Vnde *Gregorius lib. 28. moral. cap. 11.* In præcipitio pedem porrigit, qui menſurarum ſuarum limitem non attendit; & plerumque amittit & quod poterat, qui audaciter ea, ad quæ pertingere non valet, arripere feſtinat.)

Tertiò, propter inobedientiam, ſcilicet, diſciplinam aliorum fugiendo: nam actu obedire aliis, eſt his, qui exercitati non ſunt in virtutibus, neceſſarium; quia indigent aliorum directione ad perfectionem capiendam. Vnde *Hieronymus ad Ruſticum monachum*. Non facias quod vis, comedas quod juberis, habeas quantum acceperis, ſubjiciaris cui non vis, ſervias fratribus, Præpoſitum monaſterii timeas ut dominum, diligas ut parentem.)

Quartò, propter ſapientiam, ſcilicet totaliter Divinis rebus inhærendo. Ideo *Auguſtinus lib. 19. de civitate Dei cap. 19.* ait: A ſtudio cognoſcendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium.) Contemplandæ igitur veritati vacandum eſt, ad quam plurimum valet ſolitudo. Vnde qui ſolitariam vitam agunt, multum utiles ſunt generi humano, ut dicit *Auguſtinus libro de moribus Eccleſiæ*, de his loquens, qui pane ſolo, qui eis per certa intervalla temporum affertur, & aquâ contenti, deſertiſſimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui piis mentibus inhærent. Videntur autem nonnullis res humanas, plus quàm oportebat, deſeruiſſe, non intelligentibus, quantum nobis eorum animus in orationibus profit, & vita ad exemplum, quorum corpora videre non ſinimur.

Quia verò beatus Leonardus hoc modo vitam inſtituit, ut animum ſuum transferret ad Sapientiam Dei ociùs contemplandam, Spiritu ſancto ad eremum ductus, vitam ſuam cum magna ſanctitate, & plebis attractione peregit, ut verè dicere poſſit: *Nardus mea dedit odorem ſuum*. Id eſt: Converſatio mea humilis, & fervens præbuit populis fragrantiam ſuaviſſimæ devotionis per converſionem multorum ad Chriſtum.

Nar-

Digitized by Google

Nardus mea dedit odorem

Lætificationis ſpiritalis.
Educationis patriarchalis.
Orationis prophetalis.
Narrationis doctrinalis.
Animationis virtualis.
Regulationis ſapientialis.
Delectationis virginalis.
Vocationis æternalis.
Sanctificationis divinalis.

PRIMO. *Beatus Leonardus dedit odorem lætificationis ſpiritalis*; Quoniam ex odore ſuæ ſanctiſſimæ converſationis lætificavit Angelos, eorum officia in ſe aſſumens, & hoc quadrupliciter.

(Primò enim Angeli ſunt immateriales: quia ſpiritus carnem & oſſa non habent. Sic beatus Leonardus in juventute ſua fuit immaterialis per continentiam, carnis paſſiones & concupiſcentias non ſequens, ſed bonos mores apprehendens. Antiqui enim Gentiles filios ſuos in juventute bonis moribus informabant, tum ſcripturis librorum, tum picturis geſtorum, tum figuris ſignorum: nam pueros ſuos tam litteris, quàm moribus informandos tradebant melioribus Philoſophis. Vnde Trajanus Plutarchum, Nero Senecam, Alexander Ariſtotelem magiſtros habuerunt. Etiam (uti dicitur *ſuper Iuvenalem lib.* 1.) Nobiles Romani ſic diſpoſuerant omni die ſuas occupationes, quòd ſummo mane omnes ſimul adibant arcus triumphales, in quibus anteceſſores ſui pingebãtur cum armis & ſignis, quibus devicerant hoſtes; ut juvenes his viſis accenderentur ad virtutes. Deinde pergebant ad templum Apollinis, ubi erat domus ſapientiæ: poſtea Iudices deſcendebant ad forum, ut audirent cauſas, & Senatores ad Capitolium, ut de communitate Reipublicæ tractarent, & ſic tempus ſuum uſque ad Nonam expendebant. Vnde uſque ad hanc horam meretrices proſtibula ſua egredi non audebant, ne fortè delectationibus libidinoſis tam juvenes quàm ſenes turbarentur; propterea meretrices apud eos dicebantur Nonariæ, ut refert *Auguſtinus*.

Item Macrobius lib. 1. *ſaturnal. cap.* 6. tradit, quòd apud Romanos pueri Nobilium quadam utebantur veſte, quæ dicebatur prætexta, & inde vocabantur prætextati, & habebant in pectore ſuo quandam bullam auream, habentem figuram cordis humani, quæ bulla erat ſemirotundæ figuræ. Prætexta erat purpurea rubei coloris, ut pudore ſuæ nobilitatis à vitiis ſe ſubtraherent: & cordis imaginem ante pectus portabant, ut ſe invicem intuentes, ſe fore homines cogitarent, ſi corde præſtarent.

Hiſce modis beatus Leonardus ſuam juventutem bonis moribus informavit. Nam poſtquàm evaſit annos ſuos pueriles, adoleſcens factus, juxta conſuetudinem parentelæ, regali noluit implicari militiâ, ſed Spiritu Divino tactus, potiùs voluit ſequi Archiepiſcopi Remigii veſtigia, cuius ſalutaria monita non ut ſurdus auditor excipiebat, verùm ut prudens futurus ſeminator in ſecretarium cordis reponebat, juxta illud Eccleſ. 12. cap. *Memento Creatoris tui in die juventutis tuæ*.

Secundò. Angeli ſunt intellectuales, pleni ſcientiâ, & virtute, qui homines illuminant ad benè vivendum. Act. 12. cap. *Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo carceris: percuſſoque latere Petri, excitavit eum, dicens: Surge velociter*, &c. Petrus dormiens in carcere, eſt peccator, irretitus malæ conſuetudine. Iacet inter duos milites, qui ſunt mors, & dæmon: mors inſidiatur corpori, dæmon animæ. Vinctus catenis duabus, quæ ſunt amor deliciandi, & pudor revelandi. Duo cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem; qui ſunt præſumptio veniæ, & prolixæ vitæ confidentia; ne homo per confeſſionis oſtium exeat. Ideo juventus, quæ plurimùm ſic vincitur, eſt arctiùs caſtiganda. Eccli. 30. *Curva cervicem eius, in iuventute: qui enim parcit virgæ, odit filium ſuum*.

Beatus Leonardus juventutem ſuam domabat abſtinentiâ eſcæ, & potus, vigiliis, diſciplinis, dicens illud 1. Cor. 9. cap. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo*, &c.

Tertiò. Angelus eſt motor orbis, à quo cauſatur, & producitur, quicquid per generationem procedit ad eſſe. Patet de Angelo, qui deſcendebat ſecundùm tempus in piſcinam, & movebatur aqua; poſt cuius motionem, qui primus in piſcinam deſcendit, ſanabatur, ut dicitur *Ioann.* 5. *cap.* Iuventus enim fluit undique per concupiſcentias velut aqua, & in diverſas infirmitates peccatorum corruit, niſi Angelus Divinæ gratiæ moveat eam propitius ſuſtentando, aſſuefaciendo eam ſobrietati, ſecundùm illud ad Tit. 2. *Iuvenes ſimiliter hortare, ut ſobrii ſint*. Vnde *Auguſtinus*

lib.

lib. 9. confeſſ. cap. 8. narrat de quadam matrona, cui cura quarundam juvencularum nobilium commiſſa fuerat, eratque illi in eis coercendis ſancta ſeveritas, & in docendis ſobria prudentia; quas adeo moderatè alebat, ut, ſi extra menſam exardeſcerent ſiti, nec aquam bibere ſinebat, præcavens malam conſuetudinem, dicens: Modò aquam bibitis, quia in poteſtate vinum non habetis, cùm ad maritum veneritis factæ dominæ apothecarum, & cellariorum, aqua ſordebit, ſed mos potandi prævalebit.

Beatus Leonardus, quamvis claris parentibus fuerit ortus (utpote qui collaterales Clodovei Regis Franciæ primatum militiæ in palatio regio obtinebant; quem Rex levans de ſacro Fonte alendum ſuſcepit) propoſuit in corde ſuo, non pollui de menſa Regis, neque à potu vini contaminari, legumina ad veſcendum, & aquam ad bibendum eligens; cui Deus dedit ſcientiam, diſciplinam, & ſapientiam in omni verbo, quod ſciſcitaretur ab eo. Vnde poterat dicere illud Angeli Tobiæ 12. cap. *Cùm eſſem vobiſcum, videbar quidem vobiſcum manducare, & bibere: ſed ego cibo inviſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, utor.*

Quartò. Angeli ſunt cuſtodes hominum. Vnde *Origenes in lib. Num. homil.* 20. dicit: Adeſt unicuique noſtrum, etiam minimis, qui ſunt in Eccleſia, Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, qui moveat, qui gubernet, qui pro actibus noſtris corrigendis, & miſerationibus expoſcendis quotidie videat faciem Patris, qui in cælis eſt.) Vnde juventus eſt mitiùs judicanda, ſi aliquando labitur in peccatum; & quâvis frequenter peccaverit, non eſt deſperandum, ut patet de Paulo, dicente Act. 26. cap. *Et quidem vitam meam à juventute, quæ ab initio fuit in gente mea in Jeroſolymis, noverunt omnes Judæi, præſcientes me ab initio*, &c.

Beatus Leonardus ſciens, quia Angelis ſuis Deus mandavit de ipſo, ut ipſum cuſtodirent in omnibus viis ſuis, cautiſſimè ambulavit, fugiendo conſolationes ſeculi, & tentationibus reſiſtendo diaboli. Vtque Angelos lætificaret, cavit eorum offenſam, in his maximè ſe exercendo, quibus eos noverat delectari. Hæc autem placent eis, quæ in eo invenerunt, ut erat: ſobrietas, caſtitas, paupertas voluntaria, creber in cælum gemitus, & ſuper hæc omnia, charitas, & pax, quam ab eo exigebant.

SECVNDO. *Beatus Leonardus dedit odorem educationis patriarchalis.* Quoniam converſatio eius fuit ſimilis converſationi Patriarcharum.

Primus enim Patriarcha fuit *Adam*, cui Deus contulit innocentiam, quam dum ſervavit, nihil ei nocuit. Nihil etiam hodie noceat eis, qui innocentiam ſervant. Eccleſ. 8. cap. *Qui cuſtodit præceptum, non experietur quicquam mali. Auguſtinus.* Quid times hominem, ò homo, in ſinu Dei poſitus? Tu de ſinu eius noli cadere. Quicquid ibi patiaris, ad ſalutem valebit, non ad perniciem. Nam innocentia eſt armatura Dei, quam ſi habueris, tu cum tuis in ſalvo eris. Iob 22. cap. *Innocens ſalvabitur.* Idem 4. cap. *Quis unquam innocens periit?* Innocentia quippe eſt veſtis, ſine qua nemo cælum intrat. Pſalm. *Quis aſcendit in montem Domini: aut quis ſtabit in loco ſancto eius?* Reſpondet: *Innocens manibus, & mundo corde.*

Beatus Leonardus hanc innocentiam baptiſmalem diligentiſſimè conſervavit quoad quatuor. 1. Quoad Deũ, Dei gloriã non offendendo, nec diminuendo per alicuius peccati mortalis conſenſum, nec Dei gloriam per ambitionem ſibi uſurpando, ſed humilitatem ſectando. 2. Quoad ſeipſum, conſcientiam ſuam mundam conſervando. 3. Quoad proximum, ne exemplo malo corrumperet proximum, bonam famam ſicut pupillam oculi cuſtodiendo. 4. Quoad bona temporalia, ipſa à ſe voluntariè abdicando.

Secundus Patriarcha fuit *Noe*, cui Deus contulit ſapientiam, conſervandi genus humanum. Sap. 10. cap. *Cùm aqua deleret terram, ſanavit ſapientia, per contemptibile lignum iuſtum gubernans.*

Beatus Leonardus multis ægrotantibus per totã Galliam ad eum confluentibus gratiâ recuperandæ ſanitatis, in Nomine Domini per ſignum Crucis ſalutem reddebat, inſuper eis eſcam ſpiritualem, & corporalem tribuebat.

Tertius Patriarcha fuit *Abraham*, cui contulit Deus fidelitatẽ religionis in peregrinatione, ut patet Gen. 12. cap. *Egredere de terra, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monſtravero tibi.*

Beatus Leonardus recedens à Francia, ſeminando verbum Dei pervenit Aureliam, extra quam civitatem invenit venerabilem virum nomine Maximinum, cui aliquanto tem-

tempore adhæsit, in quodam cœnobio solitariam vitam agens, ubi plurimum profecit.

Quartus Patriarcha fuit *Ioseph*, cui contulit Deus libertatem captivorum in dura detentione, ut patet *Gen. 39. cap.* Qui cùm missus esset in carcerem, Deus tantam gratiam ei contulit in conspectu domini carceris, quòd tam carcerem, quàm inclusos eius potestati deputavit, unde pincernam liberavit. Sap. 10. cap. *In vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni*.

Beatus Leonardus hoc ipsum à Rege Franciæ obtinuit, ut omnes, qui in carceribus detinebantur, quosque liberare voluisset, omninò solverentur: sciebat enim scriptum istud Evangelicum: *In carcere eram, & venistis ad me. Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* In tantũ quoq; Deus eum magnificavit, quòd, si quis in carcere positus invocasset nomen eius, ruptis catenis, liber fiebat, nec quispiam eum impedire valebat. Multis etiam de longinquis regionibus, ex carceribus seu vinculis per ipsum liberati, eum requirebant, ubi habebat hospitium; cui compedes, catenarumque pondera afferebant, & ad pedes coram procedentes, Deo immensas gratias referebant.

TERTIO. *Beatus Leonardus dedit odorem orationis prophetalis*. Eius enim conversatio fuit similis conversationi Prophetarum, ut patet in quatuor Prophetis.

Primus fuit *Moyses*, cui contulit Deus gratiam humilitatis. Hebr. 11. cap. *Fide Moyses grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere incunditatem: maiores divitias æstimans, thesauro Ægyptiorum, improperium Christi*.

Beatus Leonardus dedit odorem humilitatis, de quo *Gregor. homil. 6. super Ezech.* dicit: Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni. Flos violæ redolet: quia magna est virtus humilitatis, qui ex desiderio ultima loca tenentes, per humilitatem se à terra in altum non sublevant, & cælestis regni purpuram in mente servant.) Cùm enim Vir Dei pervigil meditaretur in lege Domini die ac nocte, divulgabatur opinio eius apud universos multiplici sermone. Quapropter Rex Franciæ ipsum ad se accersiri per honoratos legatos jussit; cui & dixit: Leonarde, homo Dei, deprecor te, ut nusquã discedens, in palatio meo mecum maneas, quousque infulam Pontificalem, prout dignus es, suscipias. Erat enim jam Clericus humilis, & mansuetus. Cui sanctus Leonardus respondit: Si secundùm jura parentum meorum Regibus Franciæ militare voluissem, in tua aula non mediocris fuissem. Verùm, quia magis elegi abjectus servire Deo meo, quàm in sublimitate positus Regi obtemperare terreno, ista largire eis, qui cupiunt: mihi satis fuerit, solitariè laudare Nomen Domini; reliqui enim terrenæ dignitatis fastigia. Et sic aufugit.

Secundus Propheta fuit *Elias*, qui vitam solitariam eligens, venit ad montem Dei Horeb, & mansit in spelunca, 3. *Reg.* 19. *cap.* Qui erat vir pilosus, & zonâ pelliceâ accinctus renibus, 4. *Reg.* 1. *cap.* Cui contulit Deus gratiam austeritatis, in mortificatione carnis.

Beatus Leonardus galeâ salutis, & scuto fidei decẽter armatus, versùs Aquitaniam prosequebatur iter initum, tandemque intravit quandam sylvam, quæ satis erat abundans, & plena ferarum, ibique construxit oratorium in nomine sanctæ Dei Genitricis Mariæ, ubi permansit multo tempore, vitam solitariam agens, coarctans seipsum strictissimo cibo, macerans corpus jejuniis, orationibus, & vigiliis.

Tertius Propheta fuit *Eliseus*, cui contulit Deus gratiam miracula faciendi: nam sanavit fontem aquarum Iericho, ita ut in eis non esset ultra mors, neque sterilitas, ut dicitur 4. *Regum* 2. *cap.*

Beatus Leonardus in sylva, in qua morabatur, præcepit siccam scrobem fieri in modum putei, & stans supra invocavit Nomen Domini; ad cuius preces confestim puteus recepit aquam indeficientem, quæ incolis potum præstat usque ad præsentem diem, cùm tamen prius non haberent aquam, nisi fluvium Vigennam, qui distat uno milliari ab oratorio prædicto, quod situm est in monticuli vertice.

Quartus Propheta fuit *Daniel*, cui contulit Deus gratiam benignitatis. Nam, cùm missus esset à Babyloniis in lacum leonum, nihil ei nocuerunt, sed feritatem eorum in benignitatem convertit, ut patet *Dan.* 14. *cap.* & per Prophetam Habacuc illi miraculosè provisum est, uti dicitur *ibidem*.

Beatus Leonardus in sylva nemorosa habitans, nil mali à feris passus est, sed mansuescentes benignè ipsum visitabant, eique blandiebantur, donec ab eo dimitterentur; cui Deus multo tempore per Angelum suum alimentum semel in die ministravit.

QVARTO. *Beatus Leonardus dedit odo-*

rem

Digitized by Google

rem narrationis doctrinalis Apoſtolorum. Sciendum, quòd Apoſtoli habuerunt quatuor prærogativas.

Prima fuit præeminentia dignitatis: quia fuerunt Principes Eccleſiæ militantis, Aſſeſſores æterni Iudicis, Paſtores dominici gregis. Vnde *Bernardus*. Tales decebat humani generis Paſtores & Doctores conſtitui, qui & dulces eſſent, & potentes, & ſapientes. Dulces, ut me blandè, & miſericorditer ſuſciperent. Potentes, ut fortiter protegerent. Sapientes, ut ad viam, & per viam, quæ ducit ad civitatem, perducerent.)

Beatus Leonardus maximam fidelium multitudinem ex finitimis, & longinquis provinciis ſua prædicatione, & vitæ ſanctitate ad ſe attraxit, quam pietate amabilis, charitate laudabilis amplectens, fovebat velut gallina pullos ſuos ſub alis, quos admonebat, dicens: Laborate propriis manibus, ſicut fecerunt Apoſtoli ſancti, ut habeatis, quod pauperibus largiri poſſitis pro Chriſti Nomine.

Secunda fuit præeminentia ſanctitatis, unde propter eorum maximam ſanctitatem, & gratiarum plenitudinem vita & converſatio Chriſti in eis tanquam in ſpeculo relucebat. *Chryſoſtomus ſuper Matth.* Miſit Chriſtus Apoſtolos, tanquã ſol radios ſuos, quaſi roſa odorem ſuavitatis ſuæ, quaſi ignis ſcintillas ſuas diſpergens; ut ſicut ſol in radiis ſuis apparet, ſicut roſa in odoribus ſuis ſentitur, ſicut ignis in ſcintillis ſuis aſpicitur, ſic in illorum virtutibus Chriſti potentia cognoſcatur.

Beatus Leonardus alacris erat in exhortatione, dulcis & humilis in ſermone, ſimplex & pudicus in operatione, veridicus in promiſſione, munificus & hilaris in eleemoſynarum largitione, modeſtus in reddẽda ratione.

Tertia fuit præeminentia poteſtatis. *Auguſtinus.* Apoſtolis dedit Deus poteſtatem ſuper naturam, ut eam curarent: ſuper dæmones, ut eos fugarent: ſuper elementa, ut ea mutarent: ſuper animas ipſas, à peccatis ut ſolverent: ſuper mortem, ut ipſam contemnerent: ſuper Angelos, ut Corpus Dominicum conſecrarẽt.

Beatus Leonardus verbis & operibus, quãtùm poterat, Chriſti Nomen exaltabat, dæmonia fugabat, cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum reddebat; infirmantibus quoque univerſis, qui ad ſe veniebant, remedia ſalutis præſtabat, etiam dum in hac vita mortali degebat.

Quarta fuit præeminentia utilitatis. *Auguſtinus.* Ex abjectiſſimis, ex imperitiſſimis, ex pauciſſimis nobilitantur, illuminantur, multiplicantur cultiſſima eloquia; præclariſſima ingenia, copioſiſſima agmina acutorum, facundorum, atque Doctorum ſubjugantur.

Beatus Leonardus, quamvis multitudinem populi vitaret, & ſolitariam vitam adamaret, Divino tamen inſtinctu conveniebãt ad eum infinita debilium agmina, per quem curabantur. Extendebatur nomen eius per totam Aquitaniam, per omnem Britaniam, per univerſam Germaniam; quamplures cum ipſo remanebant, ut ſoli Deo ſervirent, quos inſtruebat vivere ex agricultura potiùs, quàm ſecularibus rapinis, & fraudibus irretiarentur; unde doctrina eius fuit Apoſtolica.

QVINTO. *Beatus Leonardus dedit odorem animationis virtualis* ſanctorum Martyrum. Sciendum, quòd ſancti Martyres fidem, pro qua animosè pugnaverant, quadrupliciter ornaverunt.

1. Charitate informando. 1. Cor. 13. cap. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Charitas enim eſt forma fidei.

2. Sacramentis manifeſtando, quæ robur habent ex Paſſione Chriſti. Ioann. 3. cap. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.*

3. Operibus vivificando. Iacobi 2. cap. *Fides ſine operibus mortua eſt.*

4. Ferventer prædicando. Marci ult. *Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Quidam enim mortui ſunt pro Chriſto propter fidem, quam ſuſceperunt: quidam propter fidem, quam prædicaverunt: quidam propter fidem, quam non negaverunt: quidam propter corruptores fidei, quos arguerunt: quidam, quia corruptoribus fidei non conſenſerunt: quidam, quia fidem defenderunt.

Beatus Leonardus Aquitaniam versùs iter dirigens tranſivit Bituricam, nullatenus timore paſſionis ſe occultans, ſed tanquam miles egregius, armis fidei accinctus Nomen Domini viriliter prædicabat. Erat enim in illis partibus adhuc novella Chriſtianitas, quia nondum per baptiſmum extincta erat ſæva gentilitas; unde, licèt non fuerit mortuus pro fide Chriſti, tamen palmam martyrii non perdidit. *Gregorius hom.* 35. *in Evang.* Si adjuvante nos Domino virtutem patientiæ ſervare contendimus, & in pace Eccleſiæ vivimus, martyrii palmam tenemus.) Tota enim vita Beati Leonardi fuit martyrium

riũ pro Nomine Chriſti, quemadmodum *Bernardus ſermone 1. de omnibus Sanctis circa finem* dicit: Quodnam martyrium gravius eſt, quàm inter epulas eſurire, inter veſtes multas & pretioſas algere, paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas oſtendit malignus, quas deſiderat noſter appetitus? Propterea pauperibus pariter & martyribus regnum cælorum promittitur: quia paupertate quidem emitur, ſed in paſſione pro Chriſto abſque dilatione percipitur. *Hæc ille.*

SEXTO. *Beatus Leonardus dedit odorem regulationis ſapientialis* Confeſſorum, & Doctorum. Sciendum, quòd homo tenetur confiteri veritatem fidei quadrupliciter.

Primò. Dum Deus vilipenditur. Nam confiteri fidem non ſemper, nec in omni loco eſt de neceſſitate ſalutis; ſed certo loco, & tempore, quando per omiſſionem huius confeſſionis retraheretur honor debitus Deo, & utilitas proximo impendenda. Exemplum. Si quis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quòd non haberet fidem, vel quòd fides non eſſet vera, vel quòd alii per eius taciturnitatẽ à fide retraherentur; in hujuſmodi caſibus confeſſio fidei eſt de neceſſitate ſalutis. Rom. 10. capite. *Corde creditur ad iuſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem.*

Secundò. Dum fides contemnitur. Nam finis fidei, ſicut & aliarum virtutum, referri debet ad finem charitatis, quæ eſt amor Dei, & proximi. Et ideo, quando honor Dei, vel utilitas proximi hoc expoſcit, ut quis fidem confiteatur, non debet homo contentus eſſe, ut per fidem ſuam veritati Divinæ conjungatur, ſed debet exteriùs confiteri.

Tertiò. Dum fidelis pervertitur. Nam in caſu neceſſitatis, ubi fides periclitatur, quilibet tenetur fidem ſuam aliis propalare, vel ad inſtructionem aliorum fidelium ſive confirmatorum, vel ad reprimendam infidelium inſultationem.

Quartò. Dum infidelis convertitur. Nam, ſi turbatio infidelium oriatur ex confeſſione fidei manifeſta abſque utilitate fidei, vel fidelium, non eſt laudabile in tali caſu fidem publicè confiteri. Vnde Dominus dicit Matth. 7. c. *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos: ne forte conculcent eas pedibus ſuis, & converſi dirumpant vos.* Ex quo ſequitur, quòd prædicantes, qui cogunt Iudæos ire ad prædicationes ſuas, ex quibus nulla ſequitur converſio, ſed potiùs ſcandalum, graviter peccant. Sed ſi utilitas aliqua ſperaretur circa fidem, aut neceſſitas cogeret, tunc contemptâ turbatione infidelium, debet homo fidem publicè confiteri. Vnde *Matth. 15. cap.* dicitur, quòd Phariſæi audito hoc verbo ſcandalizati ſunt; quibus reſpondit Dominus: *Sinite illos*, ſcilicet turbari. *Cæci ſunt, & duces cæcorum.*

Beatus Leonardus, ut fidem Chriſti confirmaret, Reginam à periculo partus liberavit precibus Regis Franciæ, qui ad nemus Nobiliacum, diſtans Limonio decem milliaribus, venandi causâ deſcenderat. Cumque Rex, & Regina ſcyphos aureos, pateraſque argenteas, veſtes purpureas auro textas, aliaque ornamenta quàm plurima eidem pro munere præſentaſſent, Vir Dei omnia reſpuens, ait: Audi me Rex. Donum Dei nullatenus pecuniâ comparatur, ſed pretio fidei fidelibus adminiſtratur; admonuitque Regem, ut ſimilia pauperibus erogaret. Tunc Rex volens illud nemus eidem donare, non acquievit Vir Dei, ſed tantum expetiit, quantum una nocte cum aſello ſuo circuiret; cui Rex libentiſſimè annuit, ubi monaſterium conſtruxit.

SEPTIMO. *Beatus Leonardus dedit odorem delectationis virginalis*, ſeu virginitatis. Sciendum, quòd virginitas habet quatuor excellentias.

Primò. Eſt ſponſa Regis æterni. *Ambroſius.* Pulchritudinem quis poteſt majorem æſtimare decore eius, quæ amatur à Rege, probatur à Iudice, dedicatur Deo, ſemper ſponſa, ſemper innupta?

Secundò. Aſſimilatur Angelis. *Ambroſius.* Virginitas conditionem humanæ naturæ ſupergreditur, per quam homines Angelis ſociantur.) Maior tamen eſt victoria virginum, quàm Angelorum: Angeli enim ſine carne vivunt, virgines verò in carne triumphant.

Tertiò. Eſt illuſtrior in univerſis fidelibus. *Cyprianus.* Virginitas eſt flos Eccleſiaſtici germinis, decus, atque ornamentum gratiæ ſpiritualis, læta indoles laudis, & honoris, opus integrum, atque incorruptum, Dei imago; rurſus ad ſanctimoniam Dei illuſtrior portio gregis Chriſti.)

Quartò. Eſt excellentior matrimonio. *Auguſtinus.* Generoſiùs eligit in carne vitam

jam

Digitized by Google

jam imitari Angelorum, quàm ex carne numerum augere mortalium. Eſt enim uberior feliciorque fœcunditas non ventre graveſcere, ſed mente grandeſcere. Ille parturit filios doloris, iſta filios gaudii & exultationis.)

Beatus Leonardus attendens, quoniam nuptiæ terram implent, virginitas paradiſum, virginitatem ſuam Deo vovit in manibus Sancti Remigii Archiepiſcopi Remenſis, cuius diſcipulus à pueritia extitit; quam ut illibatam conſervaret, vitam ſolitariâ ſemper amavit, ne fortè in ſeculo manens caſtitatem ſuam macularet.

OCTAVO. *Beatus Leonardus dedit odorem vocationis æternalis*, quâ æternaliter prædeſtinatus erat à Deo in ſortem electorum dignam vocationem ſuam faciens.

Sciendum, quòd omne bonum à Deo hominibus collatum poſt peccatum Adæ cadit ſub meritis Chriſti: non ſolùm enim pro delicto Adæ ſatisfecit, ſed etiam totum prædeſtinationis effectum in unoquoque homine promeruit. Rom. 5. cap. *Non ſicut delictum, ita & donum. Si enim unius hominis delicto multi mortui ſunt*: ſcilicet peccato originali; *multò magis gratia Dei, & donum, in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit*. Ecce dicit: *multò magis*: quia in plures effectus; & magis condignè, quàm fuerat pœna pro culpa. Et ſequitur: *Non ſicut per unum peccatum, ita & donum*, ſcilicet in unum effectum contra illud peccatum. *Nam iudicium quidem ex uno, in condemnationem: gratia autem ex multis delictis, in juſtificationem*, ſcilicet delictis actualibus, vel in non electis. *Si enim in unius delicto mors regnavit per unum: multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & juſtitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum*. Vbi Apoſtolus nominat quatuor prædeſtinationis effectus, ſcilicet: abundantiam gratiæ, donationis, juſtitiæ, & vitæ æternæ, quæ referuntur ad gratiam baptiſmalem, ad juſtificationem ab actualibus, ad perſeverantiam, & ad finale præmium beatitudinis.

Similiter *Rom.* 8 *cap.* circa finem deducit, quomodò per Chriſtum electi conſequuntur omnes prædeſtinationis effectus, qui ſunt ſeptem.

Primus eſt remiſſio peccati originalis per gratiam baptiſmalem. Ideo dicit: *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit*.

Secundus eſt juſtificatio per fidem Jeſu Chriſti, ſive venturi, ſivè qui jam venit; ubi non eſt baptiſmus in adulto. Ideo dicit: *Quos vocavit, hos & juſtificavit*. Rom. 3. cap. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in Sãguine ipſius*, id eſt, per fidem de paſſione eius: *Ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ*, ſcilicet, quæ recompenſationem exegit pro culpa: *Propter remiſſionem præcedentium delictorum, ut ſit ipſe juſtus, & juſtificans eũ, qui ex fide eſt Jeſu Chriſti*.

Tertiùs eſt augmentũ gratiæ in Sacramentis, ſcilicet: Confirmationis, Euchariſtiæ, Ordinis, extremæ Vnctionis, in quorum exercitio confertur gratia, & augetur juſtitia ex merito Chriſti, à quo tam efficaciam quàm inſtitutionem habent. Ideo dicit: *Quos juſtificavit, illos & glorificavit*.

Quartus eſt collatio primæ gratiæ in converſione, & contritionis meritoriæ, quòd reſurgat ad primam gratiam, quòd pœnalis in contritione ſit ſimul meritorius, & ſatisfactorius. Ideo dicit: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?*

Quintus eſt præſervatio à peccato, victoria in tentatione, finalis perſeverantia, & omnis exceſſus ſupererogationis. Ideo dicit: *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Pſalm. *Dedit dona hominibus*. Id eſt, non ſolùm gratiam, ſed etiam Spiritus ſancti dona.

Sextus eſt acceptatio, quâ in fine non imputatur ad miſeriam deficientia illa, quâ omnes quaſi deficiunt à perfectione juſtitiæ, ad quam in puncto mortis deveniſſe tenentur. Ideo dicit: *Quis accuſabit adversùs electos Dei? Deus qui juſtificat: quis eſt qui condemnet?*

Septimus eſt apertio januæ cæleſtis: morte quippe ſua, uno veriſſimo ſacrificio, quicquid culparum erat, abſtulit. Ideo dicit: *Chriſtus Jeſus, qui mortuus eſt, imo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*. Sanguis enim Jeſu Chriſti fiduciam nobis præſtat æternæ ſalutis. Hebr. 10. cap. *Habentes fiduciam in introitu Sanctorum in Sanguine Chriſti*.

B. Leonardus hos prædeſtinationis effectus pleniſſimè in ſe habuit. Baptizatus enim fuit à B. Remigio Archiepiſcopo Remenſi, & à Clodoveo Rege Franciæ de ſacro Fonte ſuſceptus. Ab eodem Archiepiſcopo eruditus, in fide confirmatus, Clericus etiam ordinatus eſt, qui tanquâ fidelis agricola ubiq; ſeminabat verbum Dei. Tandem Spiritu ſan-

cto suggerente solitariam vitam assumpsit, prout fratri suo sancto Lifardo retulit: cumque in nemore, quod à Rege impetraverat, cum duobus monachis hospitaretur, multi ex eius genealogia, imo septem familiæ ex suis ad ipsum venerunt cum uxoribus suis, venditis possessionibus & prædiis, ut Christo famularentur, quos acceptavit.

NONO. *Beatus Leonardus dedit odorem sanctificationis divinalis*, seu gloriosæ beatitudinis in cælo. Sciendum, quòd beatitudo dicitur quadrupliciter.

Primò. Præmium essentiale, quod consistit in fruitione Divinæ essentiæ clarè visæ; & tale præmium vocatur aurea: quia principaliter respicit charitatem, quæ per aurum figuratur. Psalm. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato*. Et Eccli. 45. cap. *Corona aurea super caput eius*.

Secundò. Præmium accidentale, quod non est de Deo clarè viso, sed de creatura relucente in Divina essentia: quia perfectior Beatus plura videt, secundùm illud 1. Cor. 15. cap. *Stella differt à stella in claritate*. Nam intellectus plus participans de lumine gloriæ, perfectiùs videbit Deum; plus autem participat de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate: quia ubi est maior charitas, ibi est maius desiderium, quod facit desiderantem aptum ad susceptionem desiderati; unde, qui plus habet de charitate, perfectiùs Deum, & plus in eo videbit.

Tertiò. Gaudium de aliquo actu animæ, importante excellentem victoriam habitam meritoriè in præsenti. Hoc vocatur aureola, quæ, licèt sit actus animæ, tamen in corpus per aliquod signum evidens illi correspondens redundabit.

Quartò. Actus excellentis victoriæ, qui in præsenti potest esse in materia triplici secundùm triplicem pugnam, quam habemus, scil. contra carnem, mundum, & diabolum. Contra carnem excellens victoria est virginitas, quæ virtuosè respuit omnes venereas delectationes, tam licitas, quàm illicitas. Contra mundum est excellens victoria per martyriũ contra malos homines mundanos, qui bonos persequuntur, & contemnunt. Contra diabolum, qui falsis suggestionibus nos conatur seducere, perfectissima victoria est prædicatio, sive doctrina, quâ homo non solùm semetipsum benè regit, sed & alios corrigit, & instruit. Vnde his tribus generibus hominum, scilicet Virginibus, Martyribus, Doctoribus, tres aureolæ deputantur propter tres actus excellentis victoriæ.

Beatus Leonardus hosce quatuor gradus beatitudinis habet in cælo. 1. Visionem Divinæ essentiæ. Quia vixit omnibus diebus vitæ suæ in timore Dei cum virtutum reverẽtia, serviens Conditori suo sine querela, dicens illud 1. Timot. 4. cap. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus Iudex*.

2. Gaudium accidentale, quo revelatum est Clericis Ecclesiæ suæ, ut aliam Ecclesiam honorabiliorem fabricarent, in qua sacrum corpus collocarent; quod patet per miraculum nivis.

3. Aureolam, per quam crebra, & innumera miracula per eum fiunt (ut patet in *legenda*) & præcipuè liberationis à catenis, & carceribus.

4. Aureolam virginitatis, &c. Quia fuit Virgo mente, & corpore, Martyr voluntate, Doctor prædicatione verbi Dei; propter quæ omnia Deus Sanctum suum mirificavit. Cujus rei testis sum ego Magister *Leonardus de Vtino* Ordinis Prædicatorum, qui febribus pestiferis oppressus, me huic Sancto devovi, proponens hunc librum compilare in honorem ipsius, cuius meritis & intercessione mox pristinæ sanitati restitutus fui. Sic ergo Nardus mea dedit odorem suum. Amen.

SER-

SERMO LIX.

IN FESTO

S. MARTINI EPISCOPI, ET CONFESS.

Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus. Eccli. 44. cap.

BEatus Auguſtinus *lib. de Eccleſ. dogm.* dicit: Nullum credimus ad ſalutem, niſi Deo invitante, venire: nullum invitatum ſalutem, niſi Deo auxiliante, operari: nullum, niſi orantem, auxilium promereri: nullum voluntate Dei perire, ſed per ſeipſum pro electione arbitrii, ne ingenuitatis libertas, atque poteſtas ſemel homini attributa, ad ſervilem cogatur neceſſitatem.) Super quo moveo talem quæſtionem.

Vtrum ex puris naturalibus, ſine gratia gratum faciente infuſa, Beatus Martinus pervenit ad vitam æternam mente inconfuſa?

AD iſtam quæſtionem reſpondent duo Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt *Hugo lib. 1. de Sacramentis, parte* 10. dicens: Tria ſunt, quæ ante adventum Chriſti, & poſtea ad ſalutem obtinendam neceſſaria fuerunt, ſcilicet: fides, & fidei Sacramenta, & bona opera. Hæc tria ita cohærent, ut ſalutis effectum habere non poſſint, ſi ſimul non fuerint: quia nec fides meritum habet, ſi, dum poteſt operari, negligitur, nec bonum opus eſt aliquid, ſi ſine fide invenitur. Et rurſus: Fides operans hominem ſanctificare non ſufficit, ſi eam, quæ in Sacramentis Dei conſtat, ſanctificationem accipere contemnit.)

Secundus eſt *Iſidorus*, ut habetur 24. *quæſt.* 3. *cap. Quidam hæretici*. Vbi reprobat opinionem Pelagii, & multorum eum ſequentium; qui dixit, quòd ex puris naturalibus poſſumus aſſequi vitam æternam, & mereri ſine gratia, cuius fundamentum eſt tale. Quia unumquodque ex ſua natura poteſt adipiſci ſuum finem, propter quem factum eſt, ſi eſt perfectum, aliter fruſtra eſſet factum, ſi ad illum finem pervenire non poſſet. Sed finis creationis hominis eſt, ut habeat vitam æternam, ut dicit *Mag. ſent. lib.* 2. *diſt.* 1. *cap.* 8. Fecit Deus rationalem creaturam, quæ ſummum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando poſſideret, & poſſidendo frueretur. Cùm ergo finis hominis ſit frui Deo, quod eſt vita æterna, videtur, quòd per ea, quæ data ſunt homini in creatione, quæ ſunt de eſſentia ſuæ naturæ, homo poſſit conſequi hunc finem.

Sed iſtud fundamentum non arguit, quòd abſque gratia Dei homo poſſit habere vitam æternam. Licèt enim omnis creatura perfecta ex ſuis naturalibus poſſit adipiſci ſuum ultimum finem naturalem, ſicut *Lincolnienſis primo Poſteriorum capite* 17. dicit, quòd natura eſt perfectior, quæ perfectius poteſt in ſuum finem; non tamen eſt verum de fine ſupernaturali. Si autem homo faciat, quantum in ſe eſt, atque omnia ſua naturalia ponat ad inveniendum ſummum bonum, quod eſt Deus, tunc ipſe Deus miſericors, & affluens gratiâ, ſuam gratiam ei infundet, & ſuus labor tunc factus in gratia meretur habere vitam æternam ſecundùm ſuas latas promiſſiones. Exemplum de ſancto Iob, qui non fuit ſub lege circunciſionis, ut dicit *Iſidorus de obitu Patriarcharum*, & tamen ſalvatus eſt; quamvis fuit præceptum *Gen.* 17. *cap.* quòd omnis maſculus circuncideretur, & anima, cuius præputii caro circunciſa non fuerit, periret de populo Dei.

Ad propoſitum. Beatus Martinus omnem ſuum conatum adhibuit, ut inveniret Deum. Nam cùm eſſet annorũ duodecim invitis parentibus ad Eccleſiam catholicam confugit, ſeque catechumenum fieri poſtulavit. Ex tunc Deus tantam gratiam menti eius infudit, ut eremum intrare diſponeret; quod & feciſſet, niſi carnis infirmitas obſtitiſſet. Licèt autem militaverit uſque ad vigeſimum annum, juſſus à Iuliano Cæſare, tamen immunis fuit ab his vitiis, quibus illud hominum genus implicari ſolet, & multa ſancti-

ta-

tatis opera faciebat. Cùm enim eſſet annorum quindecim, & ad militandum urgeretur, uno tantùm ſervo contentus erat, cui ſerviens ſæpiùs miniſtrabat, & calceamenta ſæpiùs detrahebat, atque tergebat, ut verè de eo dici poſſit: *Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus.*

Dominus dedit illi benedictionem

Angelorum per miniſterii fidelitatem.
Patriarcharum per fidei ſynceritatem.
Prophetarum per intellectus claritatem.
Apoſtolorum per affectus charitatem.
Martyrum per patientiæ invincibilitatẽ.
Confeſſorum per miſericordiæ pietatẽ.
Virginum per continentiæ puritatem.
Militum per juſtitiæ æquitatem.
Religioſorum per obſervantiæ felicitatẽ.
Prælatorum per virtutum honeſtatem.

PRIMO. *Dominus dedit ſancto Martino benedictionem Angelorum in miniſtratione fideli. Omnes* (enim) *ſunt adminiſtratorii ſpiritus*, ut dicitur Hebr. 1. cap. Nam ille eſt miniſter fidelis, qui voluntatem Domini prudenter intelligit, fideliter complet, & perficit, & iratum placare novit. Sed Angeli in principio ſuæ converſionis ad Deum, quando mali angeli apoſtataverunt à Deo, & ceciderunt de cælo, tunc voluntatem Domini intellexerunt; ideo fideliter ad ipſum converſi ſunt, & eius iram fideli & humili obſequio placaverunt, iuxta illud Proverb. 11. cap. *Ubi ſuperbia, ibi contumelia*, quoad malos angelos: ſed *ubi humilitas, ibi ſapientia*, quoad bonos.

Beatus Martinus, tanquam bonus miniſter, Deo fideliter miniſtravit, cùm intellexit voluntatem Dei, dicentis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*, Ioann. 3. cap. Vnde, cùm eſſet annorum decem & octo, baptizari ſe fecit, & relictâ militiâ, ad ſanctum Hilarium Pictavienſem Epiſcopum perrexit, & ab eo acolytus eſt ordinatus. Acolyti autem miniſtrant in Eccleſia militante, ſicut Angeli in Eccleſia triumphante. Sunt enim novem ordines in Eccleſia militante, ſcilicet: quinque minores, & quatuor majores, quemadmodum ſunt novem ordines Angelorum in Eccleſia triumphante, ut habetur *diſt.* 23. *cap. Pſalmiſta*. Et *diſt.* 77. *cap. Illud nos*. Et *diſt.* 21. *cap. Cleros*. Ideo Beatus Martinus habuit benedictionem, nempe officium Angelorum.

SECVNDO. *Dominus dedit ſancto Martino benedictionem Patriarcharum in fidei ſynceritate*, de qua *Bernard. in quodam ſerm.* dicit: Multi ante Salvatoris adventum Deum omnipotentem tenentes, & diligentes ſuæ ſalutis gratiſſimum promiſſorem, cernentes in promiſſione fidelem, ſperantes certiſſimum Redemptorem, in hac expectatione ſalvati ſunt; licèt quando, qualiter, & quo ordine ſalus repromiſſa fieret, ignorarent.) Etiam de ipſorum fide expreſsè loquitur Paulus *Hebr.* 11. *cap.*

Sed maior fuit fides beati Martini, qui provinciã Galliarum ab hoſtibus liberavit. Nam irruentibus intra Gallias Barbaris, Iulianus Cæſar contra eos pugnaturus pecunias militibus erogavit. At Martinus nolens deinceps militare, ſtipendium recipere noluit, Cæſari dicens: Chriſti ego miles ſum, pugnare mihi non licet. Indignatus Iulianus dixit, quòd non religionis gratiâ, ſed meru belli imminẽtis militiæ reſignaret. Cui S. Martinus intrepidus reſpondit: Si hoc ignaviæ, non fidei aſcribitur, craſtina die ante aciem inermis aſtabo, & in nomine Chriſti ſigno Crucis, non clypeo protectus, aut galea, hoſtium cuneos penetrabo ſecurus. Vnde cuſtoditi jubetur, ut inermis, ſicut dixerat, Barbaris objicerẽtur. Sed die ſequenti hoſtes legationem miſerunt, ſua omnia, ſeque dantes. Vnde non eſt dubium, meritis ſancti viri talem victoriam ſine ſanguine datam eſſe.

TERTIO. *Dominus dedit ſancto Martino benedictionem Prophetarum in intelligentiæ claritate*. Triplex invenitur prophetia. Vna de præterito, ſicut illa: *In principio creavit Deus cælum & terram*, Gen. 1. cap. Alia de futuro, ut illa Iſaiæ 7. cap. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium*. Alia de præſenti occulto, ut illa Ioann. 1. cap. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Ideo *Gregorius* dicit: Rectè Propheta dicitur, non quia prædicit futura, ſed quia prodit occulta.

Sed beatus Martinus prædixit occulta. Cùm enim requireretur à quodam paupere, dixit Britius eius Diaconus: Si illum delirum quæris, proſpice à longè; ille eſt enim, qui quaſi amens cælum reſpicit. Cùm ergo pauper à Martino, quæ petierat, accepiſſet, Vir ſanctus Britium ad ſe vocans, dixit: En ego tibi delirus videor, Briti. Quod cùm ille præ verecundia ſe dixiſſe negaret, ait Martinus: Non-

ne

Digitized by Google

ne aures meæ ad os tuum erant, quando hoc eminùs loquebaris? Amen dico tibi: quia à Domino obtinui, ut mihi in Epiſcopatu ſuccedas. Et ſtatim prophetavit de futuro, dicens: Scito te multa in Epiſcopatu adverſa paſſurum, quod rei probavit eventus.

QVARTO. *Dominus dedit ſancto Martino benedictionem Apoſtolorum in affectu charitate.* Sicut enim Apoſtoli tribus vicibus Spiritum ſanctum receperunt ad faciendum miracula, ut dicitur *Matth.* 10. *cap.* ad relaxandum peccata, ut habetur *Marci ultimo cap.* ad confirmanda corda, ut habetur *Act.* 2. *cap.* ſic beatus Martinus recepit Spiritum ſanctum, qui ſuper caput eius in ſpecie ignis apparuit; ideo par Apoſtolis appellatur.

Nonne magna miracula fecit, quando tres mortuos ſuſcitavit, & peccata relaxavit; dum gentiles multos convertens, eis veniam obtinuit, & Spiritum ſanctum in igne viſibili ad confirmationem accepit? Pſalm. *Spiritu oris eius omnis virtus eorum*, &c. Nam Apoſtoli eum frequenter viſitabant, tanquam comparem ſuum, ut ſatis patere poteſt.

QVINTO. *Dominus dedit ſancto Martino benedictionem Martyrum in patientia invincibilitate.* Vnde *Gregorius homil.* 35. *in Evang.* ait: Si adjuvante nos Domino, virtutem patientiæ ſervare contendimus, & in pace Eccleſiæ vivimus, martyrii palmam tenemus.) Nam ille dicitur ſapiens pugnator, qui ſcit inimicorum inſidias declinare, & adverſarios expugnare, & per ipſas hoſtium manus de hoſtibus triumphare. Sic fecerunt ſancti Martyres, qui de manibus hoſtium meruerunt coronam martyrii. Quis enim fabricavit coronam Stephano, niſi manus lapidantium? quis Laurentio, niſi manus aſſantium? quis Andreæ & Petro, niſi manus crucifigentium? Ideo Eccles. 9. cap. dicitur: *Melior eſt ſapientia, quàm arma bellica.* Verùm, ut *Gregorius in homil. præfata* dicit: Nos ſine ferro, & flamma Martyres eſſe poſſumus, ſi patientiam in animo veraciter cuſtodimus.) Iſtud declarat *Iſidorus lib. Etymol.* dicens: Duo ſunt martyrii genera. Vnum in aperta paſſione, alterum in occulta animi virtute. Nam multi hoſtis inſidias virtute tolerantes, & cunctis carnalibus deſideriis reſiſtentes, per hoc, quòd ſe omnipotenti Deo in corde mactaverunt, etiam pacis tempore Martyres facti ſunt.)

Sanctus Martinus utroque genere martyrii Martyr verè poteſt dici. Quoad primũ genus patet. Cùm enim eſſet acolytus ordinatus, monebatur à Domino per ſoporem, ut parentes ſuos adhuc Gentiles viſitaret; profectus ergo multa adverſa ſe paſſurum prædixit. Nam inter alpes incidit in latrones, quorum unus ſecurim in caput innocentis vibrabat: & quamvis alter ictum ferientis dextera ſuſtuliſſet, ligatis tamen eius à tergo manibus cuſtodiæ tradebant, interrogantes, an timuiſſet; quibus alacri animo reſpondit, ſeſe nunquam fuiſſe ita ſecurum, quia ſcivit miſericordiam Dei maximè in tentationibus affuturam; incipienſque latroni prædicavit, & ipſum ad fidem convertit, pervenienſque ad parentes ſuos matrem convertit. Sed cùm hæreſis Arriana pullularet per totum orbem, & Martinus ſolus obſiſteret, publicè cæſus, & civitate ejectus eſt.

Cùm poſtmodum in Inſula Gallinaria ſemen cujuſdam herbæ venenoſæ in cibo ſumpſiſſet, periculum mortis ſubiens, omne diſcrimen doloremque orationis virtute fugavit.

Similiter, dum quondam aſello procedens, obſcuro ac maculato, quo operiebatur, pallio equos ſibi obvios terreret, ut collapſi pariter dejicerent inſeſſores, hi in furiam acti Sanctũ contumeliis, ac verberibus eò prolixiùs excipiebant, quò conſtãtiùs eorundem furori tergum præbebat. Verùm, dum equos ad progrediendum nullâ poterant vi adigere, proinde perpetrato facinore ſe deliquiſſe agnoſcerent, veniam petentes, mox equis ad ambulandum pronis, greſſus ſuos in viam pacis direxerunt. Ecce quot adverſa illi contigerunt. Ideo cantatur de eo: O anima ſanctiſſima, quã etſi gladius perſecutoris non abſtulit, tamen martyrii palmam non amiſit.

Quoad ſecundum genus martyrii, fuit multæ auſteritatis in ſeipſo, prout refert *Severus in epiſtola ad Euſebium*, ut patet in *legenda aurea*, &c.

SEXTO. *Dominus dedit ſancto Martino benedictionem Confeſſorum in miſericordia pietate.* Vnde *Auguſtinus de ſermone Domini in monte* dicit: Beati illi, qui ſubveniunt miſeris: quoniam eis rependetur, ut per miſericordem Dominum de miſeria liberentur. Nam idipſum videtur juſtum, ut, qui à potentiori juvari vult, adjuvet inferiorem, in quo eſt ipſe potentior.) Et *Gregorius in Paſtorali.* Charitatis & pietatis opera tantò ſecuriora ſunt, quantò & occultiora; de quibus apud Deum eò major fit retributio, quantò apud homines minor eſt glorificatio.) Sed

iſta

iſta pietas habet tres partes. Prima eſt, dare partem de ſuperfluo, & partē retinere. Luc. 11. cap. *Quod ſupereſt, date eleemoſynam*, &c. Et hæc eſt magna. Secunda eſt, dare omnia ſuperflua, & retinere neceſſaria. 1. Cor. 7. cap. *Qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur*, &c. Et hæc eſt maior. Tertia eſt, dare etiam neceſſaria, ſicut fecit vidua, ut habetur *Luc. 21. cap.* & hæc eſt maxima.

Hanc tertiam partē pietatis habuit beatus Martinus, qui partē chlamydis neceſſariæ pauperi in porta Ambianēſi diviſit. Alia vice etiā pauperem nudū induit propriâ tunicâ, cùm ad Eccleſiā pergeret Miſſam celebraturus, ut patet *in legenda*. Multæ etiam aſſiduitatis fuit in orando, ut patet *ibidem*.

SEPTIMO. *Dominus dedit S. Martino benedictionem Virginum in continentia puritate*. Vnde *Iſidorus lib. 3. de ſummo bono* dicit: Quidā in juventute luxuriosè viventes in ſenectute continentes fieri delectantur, & tunc eligunt caſtitati ſervire, cùm libido contempſerit eos ſervos habere. Nequaquam in ſenectute continentes vocandi ſunt, qui luxuriosè in juventute vixerunt. Tales non habent præmium, quia laboris certamen non habuerunt. Eos enim expectat gloria, in quibus fuerunt glorioſa certamina.) Triplex eſt continentiæ puritas, ſcilicet: conjugalis, vidualis, & virginalis.

Beatus Martinus fuit virgo mente & corpore. Patet auctoritate, & exemplo. Auctoritas eſt Eccleſiæ cantantis: Qui & vitro purior, lacte candidior, carne quoque monſtratus eſt gemma Sacerdotum.

Exemplum eſt iſtud. Cùm Martinus in cella ſolus ſederet, & Severus, & Gallus eius diſcipuli præ foribus expectarent, ſubitò mirabili concuſſi horrore plures in cella audiunt colloquentes, de quo caſu, cùm poſtmodum Martinum requiſiviſſent, ille ait: Dico vobis, (ſed, quæſo, nulli dicatis) Agnes, Thecla, & Maria ad me venerunt; nec tantùm iſta die, ſed pluries me viſitant, quoniam virginitatem meam Domino conſecravi, &c.

OCTAVO. *Dominus dedit beato Martino benedictionem militum in juſtitia aquitate*. Vnde *Auguſtinus lib. de verbis Domini c.* 19. dicit: Militare non eſt delictum: ſed propter prædam militare, peccatum eſt. Nec Rempublicam gerere criminoſum eſt: ſed ideo agere Rempublicam, ut rem familiarem potiùs augeas, videtur eſſe damnabile; propterea quædam ſtipendia ſunt militibus conſtituta, ne, dum ſumptus quæritur, prædo graſſetur.) Regulam militum dictavit Ioannes Baptiſta, quæ habet tria capitula. Dicit enim Lucæ 3. cap. *Interrogabant autem eum milites dicentes: Quid faciemus & nos?* Ioannes reſpondit eis, ut nemini injuriam facerent. Injuria verò tribus modis infertur: aliquando in perſona per oppreſſionem; ideo ponit primum capitulum, dicens: *Neminem concutiatis*. Aliquandō in fama per falſi nominis impoſitionem; ideo ponit ſecundum capitulum, dicens: *Neque calumniam faciatis*. Aliquando in temporali ſubſtantia per ſpoliationem; ideo ponit tertium capitulum, dicens: *Eſtote contenti ſtipendiis veſtris*.

Beatus Martinus hanc regulam cum omnibus ſuis capitulis diligentiſſimè obſervavit; cùm adhuc eſſet miles. Primum capitulum obſervavit: quia pauperes adjuvit, ut dictum eſt, cùm uni chlamydem diviſit. Pſal. *Adjuvit pauperem de inopia*. Secundum capitulum obſervavit: quia pupillos & orphanos adjuvit. Vnde dicitur, quòd cura illi erat, aſſiſtere laborantibus, alere egentes, opes ferre miſeris. Pſalm. *Tibi derelictus eſt pauper: orphano tu eris adjutor*. Patet de leproſo, cui beatus Martinus obvians, ipſum oſculatus eſt, & benedixit, ſtatimque mundatus eſt. Pſalm. *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione*. Tertium capitulum obſervavit: quia non aliena rapiebat, ſed propria donabat; unde nihil ſibi præter quotidianum victum ſervabat; ſed omnia, quæ habere poterat, pauperibus erogabat, &c.

NONO. *Dominus dedit beato Martino benedictionem Religioſorum in obſervantia facilitate*. Vnde *Hieronymus ſuper Pſalm.* dicit: Sicut Martyres laudant Dominum purè in regione vivorum, ita & Monachi, qui die ac nocte pſallant Deo, debent eandem puritatem habere Martyrum, ſiquidem ipſi Martyres ſunt. Quod etiam faciunt Angeli in cælo, hoc faciunt Monachi in mundo terreno.) Angeli Dei in cælo tria faciunt. 1. Paupertatem ſpiritus obſervant. 2. Caſtitatem. 3. Obedientiam. Sic Monachi hæc omnia obſervare debent.

Beatus Martinus, fuit Monachus devotiſſimus. Nam extra civitatem Turonenſem duobus fere milliaribus monaſterium conſtituit, ubi cum octuaginta diſcipulis in multa paupertate, & abſtinentia vixit; ubi nemo vinum noverat, niſi quem infirmitas coegiſſet,

ſet, ubi mollior habitus pro crimine erat, &c. Paſſus eſt autem beatus Martinus graves perſecutiones à dæmonibus, cùm eſſet in monaſterio, ut patet *in legenda*.

DECIMO. *Dominus dedit beato Martino benedictionem Prælatorum in virtutum honeſtate*. Vnde *Auguſtinus in quodam ſermone* dicit: Nihil eſt in hac vita, & maximè hoc tempore difficilius, laborioſius, & periculoſius, quàm Epiſcopi, aut Presbyteri officium. Sed apud Deum nihil beatius, ſi eo modo militetur, quo noſter Imperator jubet.) Modum autem expoſuit Paulus 1. Timo. 3. dicens: *Oportet Epiſcopum eſſe ornatum, doctorem, hoſpitalem*.

Beatus Martinus obſervavit iſta tria, quia omni virtute fuit ornatus. Fuit doctor aſſiduus, & in pauperes liberaliſſimus; ideo plebs Turonenſis eum ſibi ordinari Epiſcopum petiit. Multæ fuit compaſſionis erga delinquẽtes, nec unquam lecto, ſed cilicio & cinere recumbere ſolebat. Tandem viribus corporis cœpit deſtitui, convocatiſque diſcipulis indicavit ſe reſolvi, ut dicitur *in legenda*. Cumque ſpiritum Deo reddidiſſet, vultus eius tanquam jam glorificatus reſplenduit, ac chorus Angelorum ibidem concinens à multis auditus fuit, ejuſque exequiis ſanctus Ambroſius miraculosè interfuit, ut patet *in legenda* de beato Martino. Nam *beatus Ambroſius* dicit ſic: Beatus Martinus prophani erroris templa deſtruxit, vexilla pietatis erexit, mortuos ſuſcitavit, ab obſeſſis corporibus dæmonia ſæva excluſit, ac variis laborantes languoribus ſalutis remedio ſublevavit: quia ita perfectus inventus eſt, ut Chriſtum texerit in paupere; & veſte, quã egenus acceperat, mundi Dominum induerit. O felix largitas, quam Divinitas operatur! O chlamydis glorioſa diviſio, quæ militem texit & Regem! O inæſtimabile donum, quod veſtire meruit Divinitatem! Dignè huic, Domine, confeſſionis tuæ præmia contuliſti. Dignè ei Arrianorum ſubjacuit feritas. Dignè amor martyrii perſecutoris tormenta non timuit. Quid erit pro oblatione integri corporis recepturus, qui pro quãtitate veſtis exiguæ veſtire Deum meruit, & videre? Sic ſperantibus contulit medicinam, ut alios ſupplicationibus, alios viſu ſalvaret.) Obtinuit autem à Domino, ut quicunque eius ſuffragia expoſceret, maximè morbo peſtifero laborans, ſi in eius vigilia in pane & aqua jejunaret, perfectam ſanitatem pro illo anno impetraret. Et ego Magiſter *Leonardus de Vtino* Ordinis Prædicatorum in Alemania experientiâ hoc didici eſſe verum, & in multis Italiæ civitatibus idem prædicavi. Vnde in dicto jejunio in pane & aqua in vigilia ſancti Martini ſtatim ceſſavit tempeſtas illa graviſſima peſtilentiæ. Adeoque benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus.

Conſtat præterea, inſignia hujus Sancti merita durare per ſeculum præſens. Nam, dum anno 1680. Sabariæ, civitate regni Vngariæ, lues peſtifera multos necaret, ſeque illic extenderet per ſuburbium uſque ad conventum FF. Prædicatorum, & eorum Eccleſiam (in quâ ſancti huius Confeſſoris locus extat nativitatis:) jejunantibus illis in ejuſdem feſti vigilia annuo more in ſolo pane & aqua; nemo, nec quidem de ſeculari familia (licèt pecora præ foribus caderent infecta, atque ex incautis illis civitatenſibus quidam actualiter lue contagiosâ laborantes, tam ſacram Ædem, quàm conventum præfatum intrarent:) epidemiâ ictus, ſed omnes evaſere intacti. Quam gratiam operis hujus corrector & reſtaurator, eo temporis ibidem indignus Prior, participans, gratitudinis affectu ſubſcribit, teſtis oculatus.

SERMO LX.

IN FESTO

S. CATHARINAE VIRGINIS, ET MART.

Virginem caſtam deſpondi, exhibere Chriſto. 2. Corinth. 11. cap.

BEatus Ambroſius *lib.* 1. *de virginitate* dicit: Pulchritudinem quis poteſt majorem æſtimare, virginis decore, quæ amatur à Rege, approbatur à Iudice, dedicatur Domino, conſecratur Deo?) Super quo moveo talem quæſtionem.

Verum beata Catharina ſit ceteris Virginibus glorioſior, quæ ſola fuit Chriſti ſponſa familiarior?

AD iſtam quæſtionem reſpondent tres Doctores veteris Teſtamenti, qui in figura prævidentes gloriam Beatæ Catharinæ, magnis laudibus eam extulerunt.

Primus eſt David in Pſalm. dicens: *Adducentur Regi Virgines poſt eam: proximæ eius afferentur tibi.* Quaſi dicat: Beata Catharina inter Virgines eſt primiceria: quia in eius converſione apparuit Chriſtus, viſibiliter eam deſponſans, quod prius nulli alteri conceſſit.

Secundus eſt Salomon Proverb. 31. cap. dicens: *Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu ſupergreſſa es univerſas.* Quaſi dicat: Inter ceteras filias Dei, quæ ſpirituales divitias congregaverunt, Beata Catharina ceteras Virgines poſt Virginem glorioſam ſupergreſſa fuit.

Locò tertii ſunt 70. Interpr. in lib. Eſther cap. 2. dicentes: *Adamavit eam Rex plus quàm omnes mulieres, habuitque gratiam, & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres, & poſuit diadema regni in capite eius: & iuſſit præparari convivium permagnificum cunctis Principibus pro coniunctione, & nuptiis eius.* Gratia conſimilis, quin longè maior obtigit beatæ Catharinæ. Si filia nobilis nubat Regi, aſſumitur ad regiam dignitatē prout Eſther, quam Rex Aſſuerus voluit eſſe Reginam, cùm tamen eſset de humili progenie. Sed Catharina, dum eſset Regina ſecundùm carnem, facta eſt Regina cæli per deſponſationem cum Filio Dei.

Intelligendum, quòd deſponſatio eſt quadruplex. Prima carnalis, de qua Ioan. 2. c. dicitur: *Vocat ſponſum architriclinus.* Secunda ſacramentalis per fidei ſignaculum, quæ contrahitur in baptiſmate. Oſee 2. capite. *Sponſabo te mihi in fide.* Tertia ſpiritualis, quæ fit per paſſionis Sacramentum; & iſta fuit contracta in Chriſti Paſſione. Oſee ibid. *Sponſabo te mihi in iuſtitia & iudicio.* Quarta virtualis, quæ fit per virginitatis votum; & iſta contrahitur in thalamo conſcientiæ. Ibid. *Sponſabo te mihi in miſericordia, & miſerationibus.* Virginitatem enim ſervare non eſt virtutis humanæ, ſed miſerationis Divinæ.

Beata Catharina primam deſponſationem omnino renuit cum homine terreno, ſed illam habuit cum homine cæleſti, ut patet Sap. 3. cap. *Felix ſterilis, & inconquinata, quæ neſcivit torum in delicto.* Secundam deſponſationem habuit per fidei ſignaculum, quãdo in converſione ſua baptizata fuit. Tertiam habuit per paſſionis Sacramentum, quod pro Nomine Ieſu ſuſtinuit. Quartam habuit per virginitatis votum, quod ſponte emiſit. Vnde, cùm Maxentius Imperator virgini loqueretur, dicens: O virgo generoſa, juventuti tuæ conſule, & poſt Reginam in palatio meo ſecunda vocaberis, & imagine tua in medio civitatis fabricata, à cunctis velut dea adoraberis; reſpondit virgo: Deſine talia dicere, quæ ſcelus ſit etiam cogitare. Ego me Chriſto ſponſam tradidi. Ille gloria mea: ille amor meus: ille dulcedo & dilectio mea. Ab eius amore nec blandimenta, nec tormenta me poterunt revocare: carnem & ſanguinem meum Chriſto offerre deſidero, ſicut ipſe pro me ſeipſum obtulit. Ipſe enim Deus meus & amor meus, paſtor & ſponſus unicus meus, &c. Ideo ipſamet de ſe dicit: Virginem caſtam deſpon-

di

Digitized by Google

di exhibere, ſcilicet me Chriſto, ut dicunt verba propoſita:

Virginem caſtam deſpondi exhibere Chriſto

Per conformitatem.
Per nobilitatem.
Per docibilitatem.
Per ſtabilitatem.
Per fœcunditatem.
Per locupletabilitatem.

PRIMO. *Beata Catharina exhibuit ſe Chriſto tanquam Virginem caſtam ſponſam eius per conformitatem.* Fuit enim Deo ſimilis ſecundùm naturam. Sicut enim non poteſt eſſe matrimonium inter ſpecies differentes, puta inter Angelum & hominem, nec inter hominem & pecudem, ſed tantùm inter virum & mulierem ratione ſimilitudinis ſpeciei; ſic inter Deum & animam noſtram debet eſſe ſimilitudo, quæ attenditur in quinque, ſcilicet: in ſimplicitate, pluralitate, bonitate, præſentialitate, incorruptibilitate. Secundùm has conditiones anima eſt ſimilis Deo.

Primò enim Deus non eſt corpus, ſed ſpiritus, *Ioan. 4.c.* Sic anima non eſt corpus, ſed ſpiritus. Vnde *Auguſtinus lib. 7. de Gen. ad litteram cap. 28.* dicit: De anima, quam Deus inſpiravit homini in eius faciem inſufflando, nihil confirmo, niſi quòd ex Deo ſic eſt, ut non ſit ſubſtantia Dei; & ſic incorporea, quòd non ſit corpus, ſed ſpiritus.) *Et lib. de quantitate anima cap. 1.* affirmat: Anima eſt ſubſtantia creata, inviſibilis, incorporea, immortalis, Deo ſimilis, imaginem habens Creatoris ſui.) Sic ergo eſt ſimilis Deo in ſimplicitate.

Secundò. Eſt ſimilis Deo in pluralitate. Nam ſicut in Deo eſt ſubſtantiæ unitas, & Perſonarum pluralitas; ſic in anima ſunt potentiæ diverſæ, ſcilicet: memoria, intelligentia, & voluntas in una ſubſtantia animæ, ut dicit *Magiſter ſententiarum lib. 1. diſ. 3. cap. 7.*

Tertiò. Eſt ſimilis Deo in bonitate. Nam Deus eſt ita bonus, quòd nihil eſt eo melius; ſic in creaturis nihil eſt animâ melius. Vnde *Auguſtinus lib. de quantitate anima cap. 34.* dicit: Animæ autem naturâ nec terra, nec maria, nec ſidera, nec luna, nec ſol, nec quicquam omninò, quod tangi, aut his oculis videri poteſt; non denique ipſum, quod videri à nobis non poteſt, cælum, melius eſſe credendum eſt; imo hæc omnia longè deteriora eſſe, quàm eſt quælibet anima creata, certa ratio convincit. Deus ergo ſolus colendus eſt, qui ſolus auctor eius eſt.)

Quartò. Eſt ſimilis Deo in præſentialitate. Sicut enim Deo nil ſecretius eſt, & nil præſentius; ſic animâ nil ſecretius, & maximè in corpore nil præſentius, cùm totum moveat corpus, quod moriendo, nil tibi manifeſtius. Vnde *Auguſtinus ubi ſuprà cap. 36.* Quis enim juſtè ſtomachetur, quòd agendo, atque miniſtrando corpori anima data ſit?) Vnde eius præſentia patet per omnes ſenſus ſenſificando, corpus vivificando, vegetando, &c.

Quintò. Eſt ſimilis Deo in incorruptibilitate. Sicut enim ſine Deo nihil eſſe poteſt; ſic ſine anima non eſt homo: quia illâ ſeparatâ à corpore, jam non eſt homo, imo corrumpitur corpus. Ideo *Bernardus in meditationibus* exclamat: O anima inſignita Dei imagine, decorata ſimilitudine, deſponſata fide, dotata ſpiritu, redempta Sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis, rationis particeps, quid tibi cum carne? Nunquid maius ſterquilinium inveniſti?) Anima ergo colens Deum ſuper omnia, eſt ſimilis Deo. Sed anima Gentilis, & Pagani ſubjiciens ſe idolis, non eſt ſimilis Deo, nec ſponſa eius. Similiter anima Chriſtiani avaritiæ dedita, quæ eſt idolorum ſervitus; & anima guloſi, cuius Deus venter eſt, & anima cujuſcunque peccatoris non eſt Deo ſimilis, nec eius ſponſa. Licèt autem ſic adulteraverit, juxta illud Ieremiæ 3. cap. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis;* tamen Deus vocat eam, dicens illud Cant. *6. Revertere Sunamitis: revertere, ut intueamur te.* Et tunc ſimilitudo Dei deformata in anima renovatur. Vnde *Bernardus ſuper Cantic.* dicit: Paupertate, manſuetudine, & fletu, renovatur in anima ſimilitudo quædam Trinitatis, imago æternitatis, omnia tempora complectens, dum paupertate futura meretur, manſuetudine præſentia ſibi vendicat, luctu pœnitentiæ præterita recuperat.)

Pro cuius intellectu ſciendum, quòd adventus Divinæ inſpirationis in animam, primò eam immutat per dolorem, & compunctionem, dum ignis pravi amoris confunditur, & lux pravi intellectus abſconditur; ſicut adveniente luce ſolis, lux lunæ, & aliarum ſtellarum abſconditur. Pſal. *Renuit conſolari*

anima mea ; memor fui Dei , & delectatus ſum, & exercitatus ſum , & defecit ſpiritus meus . Vnde anima peccatrix ſtat ſuſpenſa , & deſinit peccare . O qualis mutatio ! Pſalm. *Hæc mutatio dextera Excelſi* . O factum mirabile ! Pſalm. *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris* .

Secundò . Peccatricem animam ſic ſuſpenſam claudit intra ſe , & in ſui cogitatione facit ipſam ſtare ſtupefactam . Exemplum . Prius ipſa currebat ſicut flumen poſt mundana temporalia , peccando variis cogitationibus ; nunc autem ſtat clauſa in ſuis cogitationibus . Sicut flumen Iordanis ſtetit , dum filii Iſrael portarent arcam Domini , *Joſue* 3. *& 4. cap.*

Tertiò . Peccatricem animam ſtupefactam vulnerat , & in deſiderium amoris Dei atque virtutis ipſam inflammat , ita ut quaſi appareat liquefieri . Pſal. *Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens* .

Quartò . Peccatricem animam percutit , ad rugitum & gemitum provocat, cognoſcens proprium peccatum, quo Creatorem ſuum offendit . Pſal. *Rugiebam à gemitu cordis mei* . Sic vocavit Balaam , volentem ire ad maledicendum populo Dei , *Numeri* 22. *cap.* Sic vocavit Petrum, quando ipſum reſpexit, ſcilicet illuminando intellectum eius, *Matth.* 26. *cap.* Sic vocavit Paulum, quando *ſubitò circumfulſit eum lux de cælo* , Act. 9. cap. Et Petrum vinctum catenis duabus . Vnde *Angelus Domini aſtitit , & lumen refulſit in habitaculo carceris . Percuſſoque latere Petri, excitavit eum, dicens : Surge velociter* , &c. Act. 12. cap. Ideo *Bernardus in quodam ſermone* dicit : Animæ deſideranti Dominus feſtinus occurrit, cæleſti rore circumfuſus , unguentis optimis delibutus animam recreat fatigatam , eſurientem reficit , aridam impinguat , faciens terrenorum oblitam, & ſui ipſius immemorem .)

Sic vocavit ſanctam Catharinam , quando conſcientiam ſuam quadruplici ſentiebat cõpunctione morderi, ſcilicet: pudore, genio, & gemino metu Deum cogitabat factorem ſuum , cogitabat & benefactorem , cogitabat Patrem, cogitabat Dominum; ad omnia ream ſe cognoſcebat , plangebat per ſingula . Ad primum & ultimum reſpondebat timor eius, ad duo media pudor ; propterea conſcientia eius ſemper in pœna erat , & nunquam ſecura, donec Sponſum ſuum invenit, cui deſponſata eſt per cõformitatem in ſua converſione.

SECVNDO. *Beata Catharina exhibuit Chriſto tanquam Virginem caſtam ſponſam eius per nobilitatem* . Habet enim anima humana hanc nobilitatem : quia, cùm ſit à Deo creata , eſt à nobiliſſima progenie producta , & ſibi propinqua . Vnde *Auguſtinus lib. de quantitate animæ cap.* 34. dicit ; Quemadmodum fateor dicendum , animam humanam non eſſe, quod Deus eſt; ita præſumendum , nil inter omnia , quæ creavit , Deo eſſe propinquius.) Ab hac nobilitate nemo excluditur : quia omnes in Divina creatione includuntur, juxta illud Ezech. 18. c. *Omnes animæ meæ ſunt* . Sed iſta nobilitas perditur per peccatum , ſicut *Auguſtinus ſuper Gen. ad litteram* declarat, dicens : Sicut Deus omnem creaturam , ſic anima omnem creaturam corporalem dignitate naturæ præcellit . Omnis anima aut Chriſti ſponſa , aut diaboli eſt adultera .) *Et lib.* 4. *de civitate Dei cap.* 3. ait : Bonus etſi ſerviat , liber eſt : malus autem etſi regnat , ſervus eſt : nec unius domini , ſed quod gravius eſt , tot dominorum , quot vitiorum ,)

Fortè dicis : Ego ſum de vili ſemine , anima mea non poterit Chriſto deſponſari .

Reſpondeo ; quòd nobilitas eſt duplex , ſcilicet: materialis, parentelæ , divitiarum, & hæc eſt corporis, de qua *Philoſophus* 1. *Rhetor.* dicit , quòd, quantuncunque magna ſit , informis eſt . Iſta non eſt illa nobilitas, quam petit Sponſus Chriſtus . Alia eſt nobilitas mentis per virtutem , quæ ſecundùm *Philoſophum* 2. *Rhetoric.* dicitur generoſitas . Vnde *Hier. in epiſtola ad Celantiam* dicit : Sola apud Deum libertas eſt, non ſervire peccatis . Nobilitas eſt ſumma apud Deum, clarum eſſe virtutibus . Nam ille apud Deum præeſt potior, non quem nobilitas generis , nec dignitas ſeculi, ſed quem devotio fidei, & vita ſancta commendat .) Ideo *Philoſophus* 1. *Politic.* dicit, quòd nihil aliud quàm virtus & malitia determinant ſervum , & liberum . Cùm autẽ tu poſſis adipiſci virtutes, potes eſſe nobilis . Vnde *Bernardus ad Eugenium* dicit : Genus Apoſtolorum non aliunde nobile , quàm morum ingenuitate , & animi fortitudine .)

Sed beata Catharina habuit utramque nobilitatem , ſcilicet corporis . Vnde dixit Maxentio Imperatori : Confiteor meam progeniem non tumore jactantiæ , ſed humilitatis amore : ego enim ſum Catharina Coſtæ Regis filia . Hanc autem nobilitatem corporis Deo dedicavit per virginitatem , ut clarior eſſet eius nobilitas . Vnde *Chryſoſto-*

mus

mus incerto Auth. ſuper illud Matth. 3. *Patrem habemus Abraham, homil.* 3. quærit: Quid prodeſt ei, quem ſordant mores, generatio clara? Aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant, & nobilitant? Ipſe enim ſe vacuum ab omnibus bonis actibus oſtendit, qui gloriatur in patribus. Quid profuit Cham, quòd fuit Noe filius? Nonne ſeparatus de medio filiorum? qui ſecundùm carnem frater fuerat natus, ſecundùm animi factus eſt ſervus? Nec familia eius ſancta potuit defendere impios mores. Aut quid nocuit Abrahæ, quòd patrem habuit Tharé luteorum deorum cultorem? Nonne ſeparatus à genere ſuo, poſitus eſt in caput fidelium, ut jam non dicatur filius peccatorum, ſed pater Sanctorum? Nec potuerunt eius gloriam ſordidare paterni errores.)

Sic beata Catharina, ne gentilitas, & idololatria parentum ſordidarent eius nobilitatem, conſecravit eam Chriſto; unde poſt prædicta verba dixit Imperatori: Quamvis in purpura ſim nata, & liberalibus diſciplinis non mediocriter inſtructa, hæc tamen omnia contempſi, & ad Dominum Ieſum confugi.

Etiam habuit nobilitatem mentis per virtutum adeptionem, ſicut *Auguſtinus libro de virginitate* dicit: Dominica virgo debet cognoſcere, quibus præceptis debeat inſiſtere, vel à quantis vitiis debeat abſtinere, ſi vult etiam in ſeculo poſita cum Deo manere, & cum eodem poſt vitæ huius reſolutionem in claritate cæleſti regnare.)

Sed beata Catharina habuit multa retrahentia ipſam à virginitate, quæ virtute mentis ſuperavit, ut patebit.

1. Habuit juventutem: erat enim octodecim annorum. Iuventus autem multis eſt cauſa laſciviæ. Eccleſ. 11. *Adoleſcentia, & voluptas vana ſunt.* Sed iſtud non nocuit: quia maturitatem cordis ſervavit. Sap. 4. c. *Cani ſunt ſenſus hominis: & ætas ſenectutis vita immaculata.*

2. Habuit pulcritudinem. Vnde de ea dicitur, quòd erat incredibilis pulchritudinis, & omnium oculis admirabilis videbatur; pulchritudo autem in juvencula eſt cauſa ruinæ. Ezech. 16. cap. *Habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es.* Sed iſtud non nocuit: quia innocentiam ſervavit, quæ eſt pulchritudo interior. Pſalm. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis*, id eſt lucidis, &c.

3. Habuit rerum abundantiam: quia patri ſuo, qui Rex erat, in divitiis magnis ſucceſſit. Talis autem abundantia eſt multis cauſa ruinæ. Pſalm. *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum*, &c. Sed iſtud non nocuit: quia temperantiam ſervavit. Proverb. 13. cap. *Eſt dives, cùm nihil habeat: & eſt pauper, cùm in multis divitiis ſit.*

4. Habuit libertatem: quia ſui, & ſuorum domina remanſerat. Talis autem libertas eſt cauſa ruinæ in juvencula. Eccli. 7. cap. *Filiæ tibi ſunt? ſerva corpus illarum: & non oſtendas faciem tuam hilarem ad illas.* Sed iſtud non nocuit: quia timorem Domini cuſtodivit. Proverb. 31. cap. *Mulier timens Deum ipſa laudabitur.*

5. Habuit oblationem muneris: quia tyrannus dixit ei: Reconde, oro, in corde tuo, quod moneo, & noli dubiis reſpondere ſermonibus. Non te quaſi famulam poſſidere cupimus, ſed Regina potens, & electa decore in regno meo triumphabis. Multæ autem ſunt, quas non decipit juventus, nec pulchritudo, ſed munerum oblatio. Oſee 8. cap. *Munera dederunt amatoribus ſuis.* Sed iſtud non nocuit: quia conſtantiam mentis obſervavit; unde ipſa reſpondit Imperatori: Attende & tu, obſecro, & judicii examine veridica ſanctione decerne, quem magis eligere debeo, aut Omnipotentem, æternum, glorioſum, & decorum; aut infirmum, mortalem, ignobilem, & deformem? Sciebat enim, quòd hujuſmodi munera dabantur concubinis, & non ſponſis. Gen. 25. cap. *Filiis autem concubinarum largitus eſt munera.*

6. Habuit nobilitatem invitantis: nobilitas enim amatorum faciliùs inclinat animos puellarum, ut patet de David, & Berſabee 2. *Reg.* 11. *cap.* Iſte autem erat Imperator, ideo nobilis, & ſublimis. Sed iſtud non nocuit: quia continentiam cuſtodivit; eius enim nobilitatem comparatione Sponſi cæleſtis vilipendit. Eccli. 48. *In diebus ſuis non pertimuit Principem, & potentiâ nemo vicit illam: nec ſuperavit illam verbum aliquod.* Quia continentiam dilexit.

7. Habuit comminationem ſupplicii: Imperator enim dixit ei: Quamvis arte magica Reginam mori feceris, ſi tamen reſipueris, prima in palatio meo eris. Hodie igitur aut diis ſacrificia offeres, aut caput amittes. Multæ autem juvenculæ ſunt, quæ reſpuunt munera, & nobilitatem invitantis, & conſentiunt propter ſupplicia. Dan. 13. cap. *Sic faciebatis filiabus Iſrael, & illa timentes lo-*

que-

Digitized by Google

quebantur vobis. Sed iſtud non nocuit: quia magnanimitatem ſervavit; unde Imperatori reſpondit: Fac, quæ animo concepiſti, paratam me videbis ad omnia ſuſtinenda; unde minas eius contempſit. 1. Ioann. 2. cap. *Adoleſcentes viciſtis malignum*.

8. Habuit corporis nuditatem: quia tyrannus furore repletus, juſſit eam ſpoliatam ſcorpionibus cædi, ut ſic nuditas verecundiam ei adduceret: ſolent enim virgines magis nuditatis verecundiam timere, quàm pœnam. Ezech. 16. cap. *Erat nuda, & confuſione plena*. Sed iſtud non nocuit: quia patientiam obſervavit, potiùs ſuſtinens confuſionem corporis, quàm mentis. Proverb. 16. cap. *Melior eſt patiens, viro forti: & qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium*.

9. Habuit loci obſcuriſſimi incluſionem: quia tyrānus ſic cæſam in obſcuriſſimum carcerem juſſit tradi, ut loci obſcuritas virginem deterreret. Iob 7. cap. *Nunquid mare ſum ego, aut cete: quia circundediſti me carcere?* Sed iſtud non nocuit: quia Imperatrix ingrediens carcerem, vidit eum inæſtimabili claritate fulgentem. Sap. 18. cap. *Sanctis autem tuis maxima erit lux*.

10. Habuit famis longævæ afflictionem. Nam Imperator juſſit, ut in carcere diebus duodecim continuatâ fame cruciaretur, ut ſic eam ad ſe inclinaret, quemadmodum Ruth obſtinato animo decrevit pergere cum Noemi, quia facta erat fames in terra, ut habetur *Ruth* 1. cap. & ſicut prodigus præ fame adhæſit uni civium illius regionis, &c. *Luc.* 15. cap. Sed iſtud non nocuit: quia Chriſtus per hos dies miſsâ de cælo candidâ columbâ cæleſti eam cibo refovebat; unde ipſa ad orationis ſuffragium confugit. Iob 5. cap. *In vaſtitate, & fame ridebis: & beſtias terræ non formidabis*. Ecce, quot modis impugnabatur eius viginitas? Ideo *Ambroſius de Virgin.* dicit: Supergreditur virginitas conditionem humanæ naturæ, per quam homines aſſimilantur Angelis in puritate. Maior eſt tamen victoria virginum, quàm Angelorum: Angeli enim ſine carne vivendo militant; virgines verò in carne triumphant.) Magis itaque ſolicitudine, & virtute conſervavit nobilitatem ſuam.

TERTIO. *Beata Catharina exhibuit ſe Chriſto, tanquam Virginem caſtam ſponſam eius, per docibilitatem*. Non enim fuit ſui conſilii, ſed alieni, ſapiens & diſcreta, ſciens diſcernere inter virtutes & vitia, inter majus & minus: hoc enim eſt ſalutare ſtudium. Vnde *Chryſoſtomus libro 1. de nugis curialium, & veſtigiis Philoſophorum* dicit: Omnino iniquum eſt, nobiliora ingenia ſtudiis dehoneſtari minoribus, & eos, quos graviora & ardua expectant officia, voluptatis & vanitatis occupationibus agitari.) Ideo *Iſidorus libro 1. de ſummo bono* dicit: Quid prodeſt in humanis proficere doctrinis, & inaneſcere in Divinis: caduca ſequi figmēta, & Divina faſtidere myſteria? Cavendi ergo ſunt tales libri, & propter amorem Scripturarum ſanctarum vitandi.) Cuius rationem aſſignat *Cyprian. epiſt. 2. de diſciplina & habitu Virginum*, dicens: Diſciplina, id eſt Scriptura ſacra, cuſtos ſpei, retinaculum fidei, dux itineris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magiſtra virtutis, facit ſemper in Chriſto manere, jugiter benè vivere, ad promiſſa cæleſtia & æterna divinaque præmia pervenire.)

Sed beata Catharina in ſtudiis humanarum litterarum erudita non contentabatur, donec decimoquarto ætatis ſuæ anno ſanctarū Scripturarum profunda myſteria cognoſceret. Vnde nullo docente, ſed Spiritu ſancto ſuggerente, multa de Creatore & Domino omnium intellexit. Deſiderabat enim ſanctarum Scripturarum eruditionem, quæ naturam laudabilem eximiè reddit, ut ſapientior fieret, atque ornatior. Advertit ſanctiſſima Virgo, quòd ibi prudens invenit, unde ſapientior fiat; ibi bellator reperit, unde animi virtute roboretur; ibi princeps accipit, quomodo populos ſub æqualitate componat; nec aliqua in mundo poteſt eſſe fortuna, quam litterarum ſanctarum non augeat glorioſa notitia. Tantam quoque ſapientiam Spiritus ſanctus menti eius infudit, ut omnes alias virgines exceſſerit, quod poteſt patere per multa.

Quia aliæ virgines habuerunt aliquam ſapientiam à Deo infuſam; hæc autem etiam fuit ſtudiis omnium liberalium artium erudita, quæ majorem eius ſapientiam in convincendis erroribus indicabant.

Aliæ virgines habuerunt ſapientiam regendi ſeipſas; hæc autem habuit ſapientiam, quâ ſe omni morum honeſtate compoſuit, quæ dicitur *Ethica*, ſeu moralis; quâ familiam ſuam, quæ ſibi magna relicta fuit, laudabiliter rexit, & hæc dicitur *Oeconomica*; quâ urbes regni ſui ſapienter diſpoſuit, & hæc dicitur *Politica*, ſive civilis, aut etiam regnativa.

Aliæ

Aliæ habuerunt ſapientiam quoad ſimplicem eruditionem; hæc autem per varias concluſiones ſyllogiſmorum allegoricè, methodicè, diſertè, & myſticè cum Cæſare diſputavit.

Aliæ virgines habuerunt ſapientiam in prædicando; hæc autem habuit ſapientiam & prudentiam; unde dixit Imperator: Eſt apud nos puella, ſenſu & prudentiâ incomparabilis, &c.

Aliæ virgines habuerunt ſapientiam in convincendis erroribus; hæc autem habuit ſapientiam, & eloquentiam; unde dixit Cæſar: Audivimus tuam eloquentiam, & mirati ſumus tuam prudentiam.

Aliæ virgines habuerunt ſapientiam in demonſtrando veritatem fidei; hæc autem habuit ſapientiam & convincendi efficaciam; unde dixerunt Rhetores, cum quibus diſputabat: Nullus unquã coram nobis comparuit, quin continuò vinceretur; hæc autem puella ſic nos in admirationem convertit, ut contra ipſam dicere, aut omnino neſciamus, aut penitus formidemus, &c.

Aliæ virgines habuerunt ſapientiam in convertendo homines ſimplices & illuſtratos; hæc autem habuit ſapientiam convertendi quinquaginta Rhetores, & Philoſophos electos ex toto orbe.

Aliæ virgines habuerunt ſapientiam in convertendo homines populares; hæc autem habuit ſapientiam in convertendo Reginas & Principes: ſicut vxorem Maxentii, & Porphyrium Principem militum.

Aliæ virgines habuerunt ſapientiam in reſpondendo ſibi objectis; hæc autem habuit ſapientiam in arguendo. Nam, cùm Oratores dicerent, Deum fieri hominem aut pati, fore impoſſibile, virgo contrarium à Gentilibus prædictum eſſe oſtendit. Nam *Plato* aſtruit Deum eſſe bonitatem, pulchritudinem, juſtitiam, medium, finem. Et *Sibylla* quædam ſic ait: *Felix ille Deus, ligno qui pendet ab alto*, &c.

Aliæ virgines habuerunt ſapientiam in exemplis ſanctitatis; hæc autẽ habuit ſapientiam mirificæ poteſtatis. Vnde Cæſar dixit: Hæc omnes ſapientes confutat, & deos noſtros dæmones eſſe affirmat. Itaque virgo dum cum Oratoribus diſputaret ſapientiſſimè, & eos rationibus apertis confutaret potentiſſimè, obſtupefacti illi, & quid dicerent non invenientes, muti penitus ſunt effecti. Ideo Lucæ 21. cap. dicit Chriſtus: *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere omnes adverſarii veſtri*. Licèt autem beata Catharina eſſet adoleſcentula, non tamen erat eius doctrina deſpicienda; unde *Gloſſa ſuper illud Eccli. 42. cap. Sis de ſenioribus, qui iudicantur ab adoleſcentibus, & eris eruditus in omnibus*, &c. dicit ſic: Qui congrua diſciplina unumquemque arguit, eruditum ſe, & probabilem Doctorem in conſpectu omnium oſtendit. Nec eſt ætas juvenilis in Doctore deſpicienda, quam vita & diſcretio commendat veneranda.) Apparet itaque ex his omnibus, quomodo beata Catharina exhibuit ſe ſponſam Chriſti per docibilitatẽ.

QVARTO. *Beata Catharina exhibuit ſe Chriſto tanquam Virginem caſtam ſponſam eius per ſtabilitatem*. Sunt enim quædam animæ adeo infirmæ, quæ minimâ tentatione à Deo recedunt, ipſius legem negligentes. Non ſic faciebat Suſanna, dicens: *Melius eſt mihi incidere in manus hominum, quàm derelinquere legem Dei mei*, Dan. 13. cap. Quædam pro modico fumo vanæ gloriæ, quædam pro cupiditate pecuniæ, quædam pro minimo verbo à Deo recedunt. Quædam ſunt inſtabiles, modò hùc, modò illùc divertentes. Hodie eligunt unum ſtatum, cras alium, totus mundus non ſufficit eis. Vna die petunt, ut obtineant lacrymas cum Magdalena, aliâ die ſunt in convivio cum Herodiana. Vnâ horâ levant oculos ad Chriſti vulnera cum Maria & Ioanne, aliâ horâ cum Hebræis in deſerto ad idola vanitatibus plena. Vno tempore delectantur videre proximum, alio quoque tempore videndo affliguntur. Modò volunt activam, modò contemplativam. Modò præbent aures in Eccleſia Divino verbo, quàm citò exeunt, otioſo, imo detractorio. Ecce quanta inſtabilitas. In ſe ſunt peccatores, & volunt reputari oratores. Sunt velut arena in litore maris, ut pulvis ante faciem venti.

Sed beata Catharina cogitabat graviorem eſſe culpam poſt veniam, renovatum vulnus peius poſt curam, hominem peius ſordidari poſt gratiam: cogitabat ingratum eſſe, qui poſt veniam peccat; ſanitate indignum, qui ſemetipſum, poſtquam ſanatus eſt, vulnerat; nec mundari debere, qui ſemetipſum poſt gratiam ſordidat. Cogitabat enim qualis debebat eſſe ſponſa Chriſti per ſtabilitatem, conſiderando, quid Dominus requirat ab ea, & tunc attendit ad illud Pſalmi: *Ego autem in juſtitia apparebo conſpectui tuo*. Nam volens

ac-

Digitized by Google

accedere ad Christum Sponsum suum cum justitia perfectiva, ostendit se præeligendam ab eo; quam Christus ipse suis manibus fabricavit, & firmam fecit secundùm dispositionem corporis sui.

Fuit quippe alta per donum sapientiæ, cõtemplando Divinitatem Christi. Psal. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua*. Fuit profunda per donum scientiæ, contemplando humanitatem eius per Incarnationem in Virgine. Fuit lata per charitatem, ad dexteram prosperitatis eum diligendo, ad sinistram adversitatis eum amando. Fuit integra in omnibus membris per obedientiam, observando singula eius præcepta, & consilia. Habuit caput per prudentiam, pulchrè capillatum mundis & sanctis cogitationibus. Fuit tota pulchra, non habens in se maculam per innocentiam baptismalem, &c. Fuit recta per veritatem vitæ, non declinans ad obliquitatem alicuius malitiæ. Fuit proportionata in intellectu per virtutes intellectuales, & in affectu per virtutes morales. Fuit robusta per fortitudinem in aggrediendis arduis, nempe quando fuit posita super rotas. Fuit complexionata optimè per justitiam fidei, quam usque ad mortem defendit. Fuit colorata colore roseo per temperantiam, quam Imperator vidit splendidiorem, cùm educeretur è carcere. Fuit amicabilis per benignitatem in appetitu, subveniens indigentibus & miseris. Fuit venerabilis per modestiam in ingressu, vitans lasciviam discursus, &c. Fuit honestatis admirabilis, in prospectu, declinans oculorum petulantiam. Pergit ad templum cum Sponso, ut Deum exoret per latriam, abjiciens idololatriam. Pergit ad desertum, id est ad carcerem per abstinentiam, ut cum Christo vincat tentationes diaboli, &c. Ascendit in montem cum Christo Sponso suo, per vitam contemplativam meditando. Descendit de monte per vitam activã, operibus misericordiæ insistẽdo, ut patet. Ambulavit super mare cum Christo, carnales sensus superando & calcando. Ivit cum Christo per mundum, persecutiones & labores per patientiam tolerando & sustinendo. Perrexit in Ierusalem cum Christo per magnanimitatem, digna magno honore faciendo. Egressa fuit ad hortum cum Christo, in oratione ferventi persistendo cum magna devotione. Ducta est ad Annam cum Christo, id est ad Imperatorem, dulciter se excusando de magicis artibus. Præsentata est Caiphæ cum Christo, id est Imperatori, veritatem sine jactantia confitendo. Ligata fuit ad columnam cum Christo, frequentes disciplinas suscipiendo, quando scorpionibus flagellabatur. Adducta fuit ad Herodem cum Christo, videlicet ad 50. Oratores, derisiones ab eis sustinendo. Deducta fuit ad Pilatum cum Christo, nempe ad Cæsarem, capitalem sententiam audiendo. Exivit extra portam cum Christo, boni publici privationem lætanter admittendo, ut patet. Ascendit crucem cum Christo, injurias & carceres pro defensione fidei patiendo, &c. Vestibus spoliata fuit cum Christo, quando Imperator jussit eam spoliari propriis vestibus ad confusionem. Blasphemias omnium sustinuit cum Christo, patiens linguis Gentilium vituperari. Felle potata est cum Christo, patiens dolorem dolore acerrimè gravari, &c. Cupiebat ad Christi expirationem à corpore separari, dicens: Quæcunque tormenta potes excogitare, ne differas: quia carnẽ, & sanguinem meum Christo offerre desidero sicut ipse, &c. Oprabat ire ad limbum cum Christo, cupiens justis & injustis exemplis & meritis communicari. Resurrexit cum Christo, quando in vita fuit transformata. Psal. *Refloruit caro mea*. Ascendit in cælum cum Christo, quando post eius passionem, & martyrium in gloria fuit collocata. Mittit Spiritum sanctum cum Christo, quia nobis per ipsam fuit gratia impetrata, dum dixit: Iesu Rex bone, obsecro te, ut, quicunque passionis meæ memoriam egerit, seu in exitu animæ, vel in quacunque necessitate me invocaverit, tuæ propitiationis consequatur effectum. Factaque est vox de cælis, dicens: His, qui passionem tuam celebraverint, oprata præsidia promitto de cælis. Mundum acquisivit cum Christo, dum eius sanctitas miraculorum celebratione manifestatur. Veniet ad resurrectionem, quam expectans Christi vocem audire, magnâ fiduciâ præstolatur. Demum apparebit glorioſa in judicio universali, dum ei sedes ad judicandum cum Christo præparatur. Ecce qualiter beata Catharina fuit firma, & stabilis, sequens vestigia Christi tanquam sponsa Sponsum.

QVINTO. *Beata Catharina exhibuit se Christo tanquam Virginem castam sponsam eius per fœcunditatem*. Mulier enim potest dici fœcunda, eò quòd habet mentis consensum versùs virum suum præparatum, habetque complexionem habilem, & idoneam.

Exem-

Digitized by Google

Exemplum. Beata virgo præbuit Deo conſenſum, & Spiritu ſancto præparata fuit fœcundata. Eodem modo anima per conſenſum debet tendere in Deum, & ab ipſo ſuſcipere ſemen gratiæ, quo fœcundetur. Vtrumque autem eſt neceſſarium, ſcilicet: ut præparemus mentes noſtras & virtutes, per bonum propoſitum ſurſum levando; & Dominus dabit ſemen gratiæ, quo fœcundetur.

Sic fecit beata Catharina, cuius fœcunditas ſpiritualis apparuit, quando filios ſapientes Chriſto Sponſo ſuo generavit. Convertit nanque qninquaginta Oratores, Reginam, Porphyrium, & ducentos milites ad fidem Chriſti. Cùm autem timerent, eò quòd ſine baptiſmo decederent, & Virgo eos mortuos ſpiritualiter non generaret, ait illis: Ne timeatis: quia effuſio veſtri ſanguinis vobis baptiſmus reputabitur & corona. Et ſic generavit eos ſpiritualiter, ipſos confortans, & ad martyrium conſtantes efficiens, & de fide Chriſti diligenter inſtruens.

Similiter generavit ſpiritualiter Reginam, quæ nimio eius amore ſuccenſa cum principe militum Porphyrio ad carcerem Virginis properavit. Incipienſque Virgo, æterna ei gaudia prædicavit, & ad fidem convertens martyrii coronam ei prædixit. Quæ cùm omnia Porphyrius audiviſſet, ad pedes Virginis procidit, & cum ducentis militibus fidem recepit. Sed hi omnes decollari jubentur, & per martyrium Chriſto regenerantur.

Multos alios genuit Chriſto ſpiritualiter doctrinis, miraculis, & exemplis, juxta illud Apoc. 4. cap. *De throno procedebant fulgura, voces, & tonitrua*. Thronus enim eſt beata Catharina, in cuius animo Deus requievit; à qua procedebant voces, & tonitrua prædicationum, fulgura miraculorum, & coruſcationes exemplorum. Patet in oratione pro confractione rotarum, &c.

SEXTO. *Beata Catharina exhibuit ſe Chriſto tanquam Virginem caſtam ſponſam eius per locupletabilitatem*. Nam iſte ſponſus eſt valde dives: quia in ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ Dei abſconditi; imo eſt ſummus theſaurus, quo genus humanum eſt redemptum. Quid ergo habemus divitiarum, cuius merito acceptari valeamus? Intra nos inquiramus. Dicat unaquæque anima: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Interrogemus alios, ſi in nobis nihil invenimus, ſicut ſunt Apoſtoli, quorum unus portavit Indiam, alius Æthiopiam, Martyres proprium ſanguinem, Confeſſores propriam linguam, Virgines ſanctimoniam, Magdalena unguentum; vel ſaltem portemus cum latrone miſericordiam poſtulando, vel cum Petro lacrymas fundendo, vel cum Maria, Ioanne, Magdalena dolorem mentis ad pedes Crucis, vel cum David pronunciando verbum trium ſyllabarum, ſcilicet: *Peccavi*. Quod ſi linguâ careas, conteraris cordetenus, & ſufficit. Pſal. *Cor contritum, & humiliatum, Deus, non deſpicies*. Sic ergo anima præmunita præmiabitur à Chriſto.

Sed beata Catharina in deſponſatione ſui cum Chriſto portavit magnam dotem, ut patet. Primò. Portavit dotem charitatis: quoniam Chriſtum ſuper omnia dilexit. Chriſtus autem acceptavit hanc dotem, augendo eius dotem, per ſui viſitationem. Sicut enim ad tranſitum Ioannis Evangeliſtæ Chriſtus venit cum Diſcipulis ſuis; ſic, dum beata Catharina eſſet in carcere, Chriſtus cum multitudine Angelorum, & Sanctorum ad eam deſcendit. Ioann. 14. cap. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*.

Secundò. Portavit dotem contemptus mundanæ delectationis: quoniam mundi oblectamenta contempſit. Chriſtus autem acceptavit hanc dotem, augendo eius dotem per ſpiritualem refectionem. Sicut enim pavit Magdalenam ſpiritualibus refectionibus; ſic beatæ Catharinæ in carcere exiſtenti per columbam continuè miniſtravit. Pſal. *Panem de cælo præſtitiſti ei, omne delectamentum in ſe habentem*.

Tertiò. Portavit dotem magnæ ſanctitatis: quoniam ſe totam dedicavit Deo. Chriſtus autem acceptavit hanc dotem, augendo eius dotem per petitionum exauditionem. Sicut enim exaudivit Blaſium, & Margaritã, ut, quicunque in nomine ipſorum aliquid à Deo peteret, obtineret; ſic beata Catharina idem petiit, & impetravit. Pſalm. *Clamavit ad me, & ego exaudiam*.

Quartò. Portavit dotem magnæ perfectionis: quoniam fuit valde perfecta, in ſuo ſanguine volens baptizari. Chriſtus acceptavit hanc dotem, augendo eius dotem per cæli reſerationem. Sicut enim Stephanus vidit cælos apertos; ſic beatæ Catharinæ vox de cælis dixit: Veni dilecta mea, ſponſa mea: ecce tibi cæli janua aperta. Lucæ 3.

cap. *Cæli aperti ſunt ſuper eam*.

Quintò. Portavit dotem virginitatis: quoniam ipſa fuit virgo Deo conſecrata. Chriſtus autem acceptavit hanc dotem, augendo eius dotem per Angelorum conſolationem. Sicut enim Angeli coſolabantur ſanctum Martinum in eius obitu; ſic Angeli beatæ Catharinæ in ſui obitu obſequia præſtiterunt. Eccli. 27. *Volatilia*, id eſt Angeli, *ad ſibi ſimilia*, nempe ad virgines *conveniunt*.

Sextò. Portavit dotem excellentis prædicationis: quoniam fuit de numero Sanctorum Prædicatorum. Chriſtus autem acceptavit hanc dotem, augendo eius dotem per lactis emanationem. Sicut enim Paulus propter ſui ferventem, & puram prædicationem dedit laç pro ſanguine, cùm decollaretur; ſic de beatæ Catharinæ, cùm decollata fuiſſet, corpore lac pro ſanguine emanavit. Threnor. 4. cap. *Nitidiores lacte*.

Septimò. Portavit dotem lucidæ famæ, & converſationis: quoniam famoſa erat, & magnæ reputationis. Chriſtus autem acceptavit hanc dotem, augendo eius dotem per Divinæ lucis coruſcationem. Sicut enim Petrus in ſui martyrio magna luce emicuit; ſic beatæ Catharinæ in carcere tenebroſo exiſtenti magna claritas reſplenduit. Act. 12. cap. *Lumen refulſit in habitaculo carceris*.

Octavò. Portavit dotem magnæ ſapientiæ: quoniam habuit ſapientiam humanam, & Divinam. Chriſtus autem acceptavit hanc dotem, augendo eius dotem per ſepulcri venerationem. Sicut enim Angeli præparaverunt monumẽtum marmoreum beato Clementi in mari; ſic Angeli corpus beatæ Catharinæ ad montem Sinai itinere plus quàm viginti dierum deduxerunt, & ibi honorificè ſepelierunt, in eo monte inquam, in quo Deus Moyſi ſapientiam ſuam dedit. Iſa. 11. cap. *Erit ſepulcrum eius glorioſum*.

Nonò. Portavit dotem magnæ miſericordiæ, & pietatis: quoniam extitit valde pia, & miſericors. Chriſtus autem acceptavit hanc dotem, augendo eius dotem per miraculi illuſtrationem. Sicut enim de corpore beati Nicolai oleum emanat; ſic de membris virgineis beatæ Catharinæ oleum emanat. Pſal. *Sicut oleum in oſſibus eius*. Ad ſignandum miſericordiam eius.

Decimò. Portavit dotem magnæ fructuoſitatis: quoniam habuit fructum Virginum, Martyrum, & Prædicatorum. Chriſtus autem acceptavit hanc dotem, augendo eius dotem per præmiorum glorificationem. Sicut enim Ioannes Baptiſta trecentena præmia habuit, juxta illud:

Serta ter denis alios coronant
Aucta crementis, duplicata quoſdam:
Trina centeno cumulata fructu
Te, ſacer, ornant.

Sic beata Catharina trecentena præmia à Deo recepit, ſcilicet Virginum, Martyrum, & Prædicatorum. Ex his omnibus patet reſponſio ad dubium, ſcilicet, quòd beata Catharina eſt ceteris Virginibus glorioſior, cùm ſit ſponſa Dei familiarior in gloria æterna; ad quam nos perducat Virginum Sponſus. Amẽ.

SER-

SERMO LXI.

IN FESTO SANCTI ANDREAE APOSTOLI.

Vocavit Andream fratrem eius. Matth. 4. cap.

BEatus Auguſtinus, perpendens diverſis in locis ſuorum voluminum, qualiter humanæ ſalutis reparator Chriſtus Apoſtolos ſuos, per quos operabatur ſalutem in medio terræ, aſſumpſerit non de foro Iuſtiniani, nec vocaverit Reges, Senatores, Philoſophos deditos ſcientiæ, quæ inflat, ſed plerumque piſcatores merè ſimplices, ait præcipuè *lib. 22. de civitate Dei cap. 5.* Ineruditos liberalibus diſciplinis, non peritos Grammaticâ, non armatos Dialecticâ, non inflatos Rhetoricâ, ſed piſcatores cum retibus fidei pauciſſimos miſit; atque ita ex omni genere tam multos piſces, tantò mirabiliores, quantò rariores, etiam ipſos Philoſophos cepit.) Super quo moveo talem quæſtionem.

Vtrum beatus Andreas rationabiliter Chriſtum ſe vocantem ſecutus fuerat, quem nullas virtutes facere viderat?

AD iſtam quæſtionem reſpondet *Gregorius in homil.* ſuper illo verbo propoſito, dicens: Audiviſtis fratres chariſſimi, quia ad unius juſſionis vocem Andreas relictis retibus ſecutus eſt Redemptorem. Nulla verò hunc facere adhuc miracula viderat: nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audierat; & tamen ad unum Domini præceptum hoc, quod poſſidere videbatur, oblitus eſt.

Porphyrius Philoſophus depravans iſtam vocationem Apoſtolorum, arguit tripliciter contra eam. Primò, quia iſta vocatio Chriſti procedit ex magna malitia Chriſti: nam omnia facta Chriſti erant ſophiſtica, & falſa. Si habuiſſet ſecum viros ſapientes, facillimè perpendiſſent malitiam, & fraudem eius; propterea voluit habere ſimplices, & ignaros, ut faciliùs deciperentur. In eo enim, quòd fuerunt piſcatores, erant modici ingenii, maximè, quia hæc ars modico ingenio indiget. Ergo, &c.

Ad iſtud dico, quòd Chriſtus non vocavit tales ad decipiendum, ſed ad inſtruendũ, quod patet dupliciter. Primò ex doctrina, quam ab eo receperunt, quæ non eſt decepto͂ria, ſed cunctis fidelior, benignior, & virtuoſior invenitur. Hæc enim docet vitia fugere, virtutes acquirere, injurias remittere, & alia, quæ pertinent ad humanam perfectionem. Secundò ex modo, quo didicerunt. Cùm enim eſſent idiotæ, ſimplices, & pauperes, quomodo potuiſſent acquirere tantam ſapientiam, & eloquentiam, & linguis omnium gentium ſcire loqui una die, niſi hoc fuiſſet à Deo? Non enim hoc habuerunt à diabolo: quoniam illum perſecuti ſunt, & exterminaverunt ab univerſis idolis, quibus mundus erat plenus. Quomodo non etiam Philoſophi hoc idem aſſecuti ſunt, qui idola colebant? Reſtat ergo, ut omnia iſta didicerint à Spiritu ſancto, ſecundùm quod Chriſtus promiſit eis Ioan. 16. c. dicens: *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Secundò arguit *Porphyrius*. Quia iſta vocatio Apoſtolorum procedit ex magna inſipientia: nam ad promulgandam novam legem in mundo, & ad trahendum homines ad eam, debuiſſet aſſumere viros ſapientes, qui ſciviſſent hæc facere, & qui fuiſſent magnæ famæ, & digni fide, maximè cùm ſcribatur Iob 36. cap. *Deus potentes non abiicit, cùm & ipſe ſit potens.* Sicut ſol non abjicit lunam, vel alias ſtellas, quamvis ſit potens in lumine. Vnde, cùm Chriſtus elegerit ſimplices homines, & ſe & ſuam legem adduxit in contemptum.

Ad iſtud dico, quòd non fuit inſipientiæ, ſed magnæ ſapientiæ, quòd non elegit ſapientes, vel potentes: quia hoc fecit ad manifeſtandam veritatem fidei, quæ ſi per ſapientes fuiſſet introducta, potuiſſet aſcribi eorum aſtutiæ aut potentiæ, & non virtuti fidei, vel Chriſti. Ideo 1. Cor. 1. cap.

dicitur : *Videte vocationem veſtram fratres : quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles : ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, ut confundat ſapientes : & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia ; & mundi ignobilia, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea, quæ ſunt, deſtrueret, ut non glorietur omnis caro in conſpectu eius*. Fecit enim Chriſtus, ſicut de Gedeone factum in veteri Teſtamento ; unde dicitur *Iudic. 7. c.* quòd Deus mandavit diminui multitudinem populi, quæ erat cum eo ad pugnandum, ut non aſcriberet ſibi victoriam. Sic etiam fecit nunc in novo Teſtamento. Vnde *Auguſtinus de verbis Apoſt. ſerm. 29.* Si Chriſtus primitùs eligeret Oratorem, diceret Orator : eloquentiæ meæ merito electus ſum. Si eligeret Senatorem, diceret Senator : dignitatis meæ merito electus ſum. Si priùs eligeret Imperatorem, diceret Imperator : poteſtatis meæ merito electus ſum. Poteſt Senator gloriari de ſemetipſo, poteſt Orator, poteſt Imperator, non poteſt, niſi de Chriſto, piſcator. Veniat propter docendam humilitatem ſalubrem, priùs veniat piſcator, per ipſum meliùs adducitur Imperator.)

Tertiò *Porphyrius* arguit ſic. Quia Apoſtoli fuerunt leves corde, & ſtulti, tam citò aſſentiendo huic vocationi. Sapiens enim nunquam movetur ad aſſentiendũ rei dubiæ, niſi evidentem notitiam, vel demonſtrationem habendo, vel ex aliquo probabili argumento. Sed Apoſtoli abſque ullo argumento adducto, abſque ullo miraculo viſo, ſtatim credentes, relictis omnibus ſecuti ſunt Chriſtum ; ergo non fuerunt ſapientes. Nam Salomon ait : *Qui citò credit, levis corde eſt*.

Ad iſtud dico, quòd hoc non proceſſit ex levitate mentis, ſed ex virtute Chriſti trahentis. Nam vox Chriſti vocantis habuit non ſolùm virtutem inductivam, ſed etiam attractivam, quoniam erat inſtrumentũ Divinitatis. Pſal. *Dabit voci ſuæ vocem virtutis* ; ut quos vocaret exterius, moveret, & traheret interius. Sicut *Greg. homil. 33. in Evang.* de Maria Magdalena dicit : Quid miramur fratres : Mariam venientem, an Dominum ſuſcipientem ? Suſcipientem dicam, an trahentem ? Dicam melius : ſuſcipientem & trahentem.) Si enim magnes trahit ad ſe ferrum virtute ſuæ naturæ, & ſol ſuo calore vapores ſurſum trahit, & panthera ſuo odore alia animalia ad ſe venire facit ; multò magis Chriſtus, qui eſt fons omnis virtutis, dare potuit voci ſuæ vocem attractivam.

Intelligendum, quòd una res ſequitur aliam tripliciter. Primò per violentiam, ſicut currus poſt boves. Quantumcunque enim ſit volubilis, nunquam tamen per ſe iret, niſi traheretur. Sic currus liberi arbitrii nunquam moveretur in Deum, niſi traheretur. Rotæ enim liberi arbitrii ſunt duæ, ſcilicet : ratio, & voluntas : quia liberũ arbitriũ eſt facultas rationis, & voluntatis. Boves autẽ trahentes ſunt juſtitia, & miſericordia Dei. Proverb. 21. cap. *Cor Regis in manu Domini : quocunque voluerit, inclinabit illud*. De juſtitia dicit Pſalm. *Juſtitia ante eum ambulabit*. De miſericordia dicit quoq; Pſ. *Miſericordia eius præveniet me*. Ideo Chriſtus dixit Ioann. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*. His duabus virtutibus, tanquam bobus, traxit Chriſtus Andream ad ſe.

Secundò una res ſequitur aliam per ſapientiam, ſicut diſcipulus ſequitur magiſtrum ; unde quidam Philoſophus ivit 30. annis poſt unam apem, ut cognoſceret naturam eius. Cùm ergo Chriſtus fuerit ſummus Magiſter (Ioann. 1. cap. *Magiſter, ubi habitas ?*) non eſt mirandum, ſi Apoſtoli libenter ſequebantur eum. Vnde quidam dixit ei : *Magiſter, ſequar te, quocunque ieris*. Sic etiam traxit Andream ad ſe.

Tertiò una res ſequitur aliam per convenientiam, ſicut ſimile attrahit ſimile. Vnde Salomon dicit : *Omne animal diligit ſibi ſimile*. Nos autem efficimur Chriſto ſimiles per gratiam, quam nobis infundit. Pſal. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine*, &c. Chriſtus autem vocans ad ſe Andream, novam gratiam menti eius infudit, quâ factus ſimilis illi, ſecutus eſt eum. Ratione huius gratiæ infuſæ poteſt Andreas dici frater Chriſti : quia *qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, hic meus frater, & ſoror, & mater eſt*, ut dicit Chriſtus Matth. 12. cap. Ideo dicitur :

Vo-

Digitized by Google

Vocavit Andream fratrem eius

Primitate converſionis.
Primitate prædicationis.
Primitate perfectionis.
Primitate conſummationis.

PRIMO. *Ieſus vocavit Andream primitate converſionis*. Fuit enim primus converſus de diſcipulatu Ioannis ad Chriſtum inter omnes Apoſtolos. Vnde Ioann. 1. cap. dicitur: *Stabat Ioannes, & ex diſcipulis eius duo, & reſpiciens Ieſum ambulantem, dicit: Ecce Agnus Dei. Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Ieſum*. Super quo verbo dicit *Beda in homil.* Teſtimonium perhibente Ioanne, quia Ieſus eſſet Agnus Dei, ſecuti ſunt illum duo diſcipuli, magis deſiderantes ab ipſo Ieſu, quàm à præcurſore illius verba gratiæ percipere; per quod & ipſi mererentur in Agnorum Dei ſortem computari.) Vnus autem ex his duobus diſcipulis fuit Andreas, ſicut Ioann. 1. cap. dicitur: *Erat autem Andreas frater Simonis Petri, unus ex duobus, qui audierant à Ioanne, & ſecuti fuerant Ieſum*, &c. Auditio enim doctrinæ beati Ioannis diſpoſuit beatum Andream ad tria.

Primò. Ad pœnitentiam. Quia doctrina ſpiritualis inducit compunctionem in peccatoribus. Vnde prædicante Petro, audientes *compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos: Viri fratres, quid faciemus? Petrus autem ait ad illos: Pœnitentiam agite*, &c. ut dicitur Act. 2. cap. Et Nehemiæ 8. cap. dicitur ſic: *Flevit omnis populus, cùm audiret verba legis*. Nam, ut dicitur Ierem. 23. cap. *Verbum Dei eſt ſicut malleus conterens petram*; nimirum corda dura. Sic etiam Ioannes Baptiſta docebat, & prædicabat pœnitentiam juxta illud Matth. 3. cap. *Venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudææ, dicens: Pœnitentiam agite*, &c. Et quia beatus Andreas tanquam vetus diſcipulus Ioannis in jejunio, & auſteritate pœnitentiæ præpollebat; ideo idoneus erat ad diſcipulatū Chriſti.

Secundò. Auditio Ioannis diſpoſuit beatum Andream ad ſcientiam: quia Eccli. 6. dicitur: *Si dilexeris audire, ſapiens eris*. Secundùm autem *Philoſ. 1. Metaph.* Auditus deſervit diſciplinæ: multa enim ſunt, quæ ab aliis audiendo diſcimus, quæ per nos ipſos non invenimus. Et præcipuè ad ſcientiam fidei: cùm fides ſit ex auditu, *Rom. 10. cap.* Et ideo beatus Andreas eò ipsò, quòd fuit auditor Ioannis, factus eſt idoneus ad diſciplinam, & ſcientiam Chriſti, quæ eſt ſcientia ſalutis; & ad hanc diſponebat doctrina Ioannis. Lucæ 1. cap. *Tu puer Propheta*, &c. uſque: *peccatorum eorum*.

Tertiò. Auditio Ioannis diſpoſuit beatum Andream ad obedientiam. Quia Pſal. dicit: *In auditu auris obedivit mihi*. Animalia enim, quæ carent auditu, ſicut apes, & muſcæ, non obediunt voci hominis, nec ſunt diſciplinabilia, ut dicitur 1. *Metaph.* Sed doctrina Ioannis præcipuè diſponebat ad obedientiam, & reverentiam Chriſti, juxta illud Ioann. 1. cap. *Qui poſt me venit, ante me factus eſt, cuius non ſum dignus*, &c. Ideo beatus Andreas ex eo, quòd fuit auditor Ioannis, fuit idoneus ad obedientiam Chriſti. Et quia inter ceteros diſcipulos fuit magis diſpoſitus ad hæc tria; ideo fuit primus ad fidem Chriſti converſus. Cuius primitatis dignitas apparet in quatuor ordinibus veteris Teſtamenti, & in quatuor novi Teſtamenti.

In veteri Teſtamento fuerunt quatuor ordines. Primus fuit ordo Patriarcharum, in quo primus fuit *Abel*, ad cuius munera Deus reſpexit, ut dicitur *Gen. 4. cap.* Et hoc propter meritum fidei ſuæ, juxta illud Hebr. 11. cap. *Fide plurimam hoſtiam Abel obtulit Deo, per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe iuſtus*, &c. Beatus Andreas habuit conformitatem cum iſto ordine: quia fuit primus ad fidem Chriſti converſus inter Apoſtolos. Vnde Ioann. 1. cap. dicitur: *Invenit hic primum fratrem ſuum Simonem, & dicit ei: Invenimus Meſſiam, quod eſt interpretatum Chriſtus; & adduxit eum ad Ieſum*.

Secundus fuit ordo Prophetarum, in quo primus fuit *Enoch*. Vnde Iud. in epiſt. *Prophetavit autem de his ſeptimus ab Adam, Enoch*. Iſte enim propter meritum fidei ſuæ fuit vivens, juxta illud Hebr. 11. cap. *Fide Enoch translatus eſt, ne videret mortem*, &c. Beatus Andreas habuit conformitatem cum iſto ordine: quia merito fidei ſuæ, quam duobus diebus conſtanter prædicavit, pendens in cruce illis duobus diebus raptus eſt in paradiſum, ubi clarè vidit Dominum, ut habetur *in legenda*.

Tertius fuit ordo Sacerdotum, in quo primus fuit *Melchiſedech*, de quo dicitur Heb. 7. cap. *Hic enim Melchiſedech, Rex Salem, Sacerdos Dei ſummi*, &c. Beatus Andreas ha-

habuit conformitatem cum iſto ordine: quia, ſicut Melchiſedech offerebat panem, & vinum (juxta illud Gen. 14. cap. *At verò Melchiſedech, Rex Salem, proferens panem & vinum*, &c.) ſic beatus Andreas ſacrificabat Agnum immaculatum ſub ſpeciebus panis, & vini ſub Euchariſtiæ Sacramento, ut habetur *in legenda*.

Quartus fuit ordo Pontificum, in quo primus fuit *Aaron*, ut patet *Levit. 9. cap.* Beatus Andreas habuit conformitatem cum iſto ordine: quia ſicut Aaron conſecravit Sacerdotes, qui poſtea Synagogam inſtruerent; ſic beatus Andreas conſecravit Sacerdotes, qui poſtea docerent Eccleſiam, ita ut verè poſſit dicere illud 2. Reg. 19. cap. *Primò occurri in occurſum Domini mei Regis*. Quia de univerſo Iſrael primò venit in occurſum Chriſti poſt eius baptiſmum.

In novo Teſtamento fuerunt quatuor ordines. Primus fuit ordo Diſcipulorum, in quo primus fuit *Nathanael*, quem adduxit Philippus ad Ieſum, ut dicitur *Ioann. 1. cap.*

Secundus fuit ordo Evangeliſtarum, in quo primus fuit *Matthæus*, ut dicitur *Lucæ 5. cap.*

Tertius fuit ordo Martyrum, in quo primus fuit *Stephanus*, ut dicitur *Act. 7. cap.*

Quartus fuit ordo Apoſtolorum, qui fuit honorabilior omnibus ordinibus novi Teſtamenti, ut dicit Dionyſius lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia, in quo primus fuit *beatus Andreas*, de quo dicitur illud Gen. 44. cap. *Primus cum fratribus ingreſſus eſt ad Ioſeph*. Quia cum fratre ſuo Petro primus converſus eſt ad fidem Chriſti; ratione cujus primitatis reformavit quadruplicem primitatem inhoneſtam quatuor ordinum.

Primus fuit ordo agricolarum, quorum primus fuit *Adam*, de quo dicitur Zach. 13. cap. *Homo agricola ego ſum: quoniam Adam exemplum meum ab adoleſcentia mea*. Iſte dehoneſtavit primitatem ſuam per peccatum inobedientiæ, tranſgrediendo præceptum, quod habuit à Deo. Sed iſtam primitatem reformavit beatus Andreas, cui adhæſit nobilis quidam juvenis invitis parentibus, potiùs volens obedire fidei Chriſti, quam beatus Andreas prædicabat, quàm monitis parentum, juxta *hiſtoriam in legenda*.

Secundus fuit ordo primogenitorum, quorum primus fuit *Cain*, ut dicitur *Gen. 4. cap.* Iſte dehoneſtavit primitatem ſuam per peccatum invidiæ, occidendo fratrem ſuum Abel ex invidia, ut dicitur ibidem. Sed iſtam primitatem reformavit beatus Andreas, ad quem in ſpecie canum juſſu eius venerunt ſeptem dæmones, qui homines in via occidebant; quos cùm expuliſſet, ex invidia occidebant quendam juvenem, quem beatus Andreas ſuſcitavit, ut habetur *in legenda*.

Tertius fuit ordo bigamorum, quorum primus fuit *Lamech*, qui ex libidine duxit duas uxores, ut habetur *Gen. 4. cap.* Iſte dehoneſtavit primitatem ſuam per peccatum luxuriæ, ut patet ibidem. Sed beatus Andreas reformavit iſtam primitatem, ut conſtat in Nicolao ſene, & in matre requirente filium de luxuria, & in muliere conjuncta homicidæ, ut habetur *in legenda*.

Quartus fuit ordo Principum & tyrannorum, quorum primus fuit *Nemrod*, de quo dicitur *Gen. 10. cap.* Iſte enim cœpit potens eſſe in terra, & robuſtiſſimus venator, & omnium oppreſſor coram Domino, &c. Hic dehoneſtavit primitatem ſuam per peccatum injuſtitiæ: quia primò fregit libertates juris naturalis, vi redigens homines in ſervitutem. Sed beatus Andreas reformavit iſtam primitatem, quando civitatem Patras ingreſſus, occurrit Ægeæ, dicens: Oportebat, ut tu, qui judex hominum eſſe meruiſti, judicem tuum, qui eſt in cælis, cognoſceres, & agnitum coleres, & colendo animum à falſis diis penitus revocares, &c. Ecce quomodo Ieſus vocavit Andream primitate converſionis.

SECVNDO. *Ieſus Chriſtus vocavit Andreã primitate prædicationis*. Vnde *Remig. ſup. verbo propoſito* aſſerit: Per duos fratres duo populi deſignãtur, qui ab uno Deo Patre creati ſunt; quos vidit, quando eos miſericorditer reſpexit. Per Petrum enim, qui interpretatur agnoſcens, & dicitur Simon, id eſt obediens, deſignatur Iudaicus populus, qui per legem Dominum agnovit, & præceptis eius obedivit. Per Andream, qui interpretatur virilis ſive decorus, intelligitur Gentilis populus, qui poſt agnitionem Dei viriliter in fide permanſit. Hos Apoſtolos vocavit, quando prædicatores miſit in mundum, ſcilicet Petrum, & Andream fratrem eius.)

In officio enim prædicationis Andreas fuit primus: quia primò mediator fuit inter Chriſtum, & Gentiles. Vnde Ioann. 12. cap. dicitur: *Erant autem Gentiles quidam ex his, qui aſcenderant, ut adorarent in die feſto. Hi*

ergo

ergo acceſſerunt ad Philippum, & rogabant eum, dicentes: Domine, volumus Ieſum videre. Venit Philippus, & dixit Andreæ. Andreas rurſum & Philippus dixerunt Ieſu, &c. Fuit enim in hac mediatione velut portarius cum Philippo, de quibus dicitur 4. Reg. 7. cap. *Ingreſſi portarii, & nunciaverunt in palatio Regis intrinſecus*.

Secundò. Mediator fuit inter Chriſtum, & populum Iudaicum, ſcilicet quando Petrum, per quem deſignatur circuncisio, ad Ieſum vocavit, & ad eum adduxit, ut habetur *Ioann.* 1. *cap.* O quantùm Petrus debet Andream diligere, per quem Chriſtum meruit invenire! O quanti meriti eſt Andreas apud Deum, qui convertere meruit principem Apoſtolorum! Ecce quomodo in officio prædicationis fuit primus, tam quoad Iudæos, quàm etiam quoad Gentiles. Huius autem primitatis dignitas declaratur in ordine quadruplici.

Primò. In ordine Divinarum Perſonarum, ubi Perſona Patris eſt propria. Quia ſua alias Perſonas mittit, & ipſa à nulla mittitur. Sic beatus Andreas alios Diſcipulos adducit ad Chriſtum, & ipſe à nullo eorum adducitur.

Secundò. In ordine Angelorum, ubi primò creatus eſt Lucifer. Iob 40. *Ipſe eſt principium viarum Dei*. Cui collata eſt magna ſapientia, juxta illud Ezech. 28. cap. *Tu Cherub plenus ſapientiâ*. Sic beatus Andreas inter ceteros Diſcipulos fuit primus conſiliarius Chriſti, quando de turba ſatianda Chriſtus cum eo conſilium habuit, ut habetur *Ioann. 6. cap.* Nam Philippus non conſiderabat, Andreas verò Dei potentiam & miſericordiam provocabat, dicens: *Eſt puer unus hic*, &c. quaſi dicat: Quamvis hæc, Domine, modica ſint, tamen tu potes ſupplere quod deeſt. Eccli. 6. cap. *Amicus in domeſticis fiducialiter aget*.

Tertiò. In ordine viſibilium creaturarum, ubi prima creata eſt lux, *Gen.* 1. *cap.* Et cùm Chriſtus ſit vera lux, quæ *illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum*, ut dicitur Ioann. 1. cap. primus illuminatus ab hac luce inter Chriſti Diſcipulos fuit beatus Andreas, de quo Pſal. dicit: *Amictus lumine ſicut veſtimento*.

Quartò. In ordine dierum: quia prima dies creata fuit dies dominica, quã ſanctificavit Chriſtus ſua Nativitate, Reſurrectione, & Spiritus ſancti miſſione. Sic beatus Andreas primò inter ceteros Apoſtolos ſanctificatus eſt per gratiam & charitatem. Ideo, ut dicitur Eccli. 48. cap. *Verba illius quaſi facula ardebant*. Vnde fuit figuratus per *Iephte*, de quo dicitur *Iudic.* 11. *cap.* quòd cœpit primus cum hoſtibus dimicare, & ita obtinuit principatũ in populo Iudæorum. Sic beatus Andreas in ordine Apoſtolorum per fidei prædicationem dimicabat contra inimicos Crucis Chriſti, aſſumens gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, non ſolùm contra Iudæos, ſed etiam contra Gentiles, & Paganos. Vnde Chriſtus de beato Andrea dicit illud Iſaiæ 49. cap. *Parum eſt, ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas tribus Iſrael, & faces Iacob convertendas. Dedi te in lucem Gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ*. Et in Evangelio hodierno dicit: *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum*. Super quo *Remigius* dicit: De his namque piſcatoribus loquitur Dominus, prædicens per Ieremiam Prophetam: Mittam in vos piſcatores meos, qui piſcabuntur vos. Piſcatores, & venatores ſancti Apoſtoli dicti ſunt, qui bene piſcatores dicũtur: quia retibus ſanctæ prædicationis piſces, id eſt homines, de profundo pelagi, id eſt infidelitatis, ad lucem fidei traxerunt. Et bene venatores dicuntur: quia latratu ſanctæ prædicationis, & ſagittis invectionis perſecuti ſunt beſtialiter in ſylva generis humani viventes, & ceperunt eos, & ad fidem Chriſti perduxerunt. De iis etiam Pſalm. ait: *Qui deſcendunt mare in navibus, facientes operationes in aquis multis*. Iſti ſancti Apoſtoli in navibus, id eſt, in Eccleſiis, deſcendunt mare, id eſt latitudinem gentilitatis; facientes operationes, id eſt, ſigna & miracula, in aquis multis, id eſt, in populis. Et Iſaias 11. cap. dicit: *Volabunt in humeros Philiſthiim per mare, ſimul deprædabuntur filios Orientis*. Id eſt, ipſi volabunt in Eccleſiis Gentium; & toties mare deprædati ſunt, quoties ſuâ doctrinâ aliquem ab amore mundi, id eſt, maris abſtraxerunt. Et 7. cap. idem Propheta dicit: *Cum ſagittis, & arcu ingredientur illuc*. Id eſt, cum poteſtate, & prædicatione ingredientur ad Gentes. Admirandi ſunt iſti prædicatores, & admiranda eſt iſtorum piſcatio. Piſces, cùm capiuntur, mox moriuntur: homines, cùm capti ſunt verbo prædicationis, non mortui ſunt, ſed potiùs vivificati. *Hæc ille*. Beatus ergo Andreas, tanquam bonus piſcator, & fidelis prædicator in Achaia conſiſtens, totam illam Eccleſiis implevit, ac populos ad fidem Chriſti convertit, uxorem quoque

Æ-

Digitized by Google

Ægeæ, ſcilicet Maximillam ad fidem Chriſti convertit, & ſacro baptiſmi fonte regeneravit. Ecce quomodo Ieſus Chriſtus vocavit Andream primitate prædicationis.

TERTIO. *Ieſus Chriſtus vocavit Andreã primitate perfectionis.* Vnde *Remigius* dicit: Andreas interpretatur virilis. Sicut enim apud Latinos à viro derivatur virilis; ita & apud Græcos ab Aner derivatur Andreas. Et benè hoc nomine decoratus eſt Apoſtolus: qui ad prædicationem Ioannis Agnum ſequi, & audire, & videre curavit. Etiam benè virilis dicitur: quia ad unius juſſionis vocẽ relictis omnibus ſecutus eſt Chriſtum, & viriliter in mandatis eius perſeveravit.) Eius autem perfectio patet ex eo, quòd de numero duodenario Apoſtolorum fuit: iſte quippe numerus deſignat perfectionem.

Primò. Quia conſtat ex duobus ſenariis; & numerus ſenarius eſt numerus perfectus, ut dicunt Arithmetici.

Secundò. Quia implet figuras veteris Teſtamenti; unde *Rabanus* dicit: Duodenarius numerus per multas figuras in veteri Teſtamẽto præſignatus eſt: Per duodecim filios Iacob, per duodecim Principes filiorum Iſrael, per duodecim fontes viventes in Elim, per duodecim lapides in rationali Aaron, per duodecim panes ſimilæ, per duodecim exploratores à Moyſe miſſos, per duodecim lapides, unde factum eſt altare; per duodecim lapides ſublatos de Iordane, per duodecim boves, qui ſuſtinebant mare fuſile. In novo etiam Teſtamento, per duodecim ſtellas in corona ſponſæ, per duodecim fundamenta Ieruſalem, quæ vidit Ioannes, & per duodecim portas.)

Tertiò. Quia implet numerum electorum, juxta illud Apoc. 7. cap. *Ex omni tribu filiorum Iſrael duodecim millia ſignati*; ubi ſingulas tribus enumerat. Qui numerus duodenarius in ſeipſum ductus, puta duodecies duodecim, facit centum quadraginta quatuor. Et quia mille deſignat ſtatum beatitudinis; ideo dicit Ioann. ibidem: *Audivi numerum ſignatorum centum quadraginta quatuor millia ſignati.*

Quartò. Quia implet numerum judicantium cum Chriſto in judicio univerſali, juxta illud Matth. 19. *Sedebitis ſupes ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Sed beatus Andreas in hoc numero fuit primus; nec tamen ſolus, ſed cum Petro, ad deſignandam perfectam conſolationem. Vnde *Chryſoſtomus ſuper verbo propoſito* dicit: Erant enim habitatione cives, dilectione concordes, artificio pares, fraternitatis pietati conjuncti. Ideoque ſimul eos vocavit, ne tot homines conjunctos diſſimilis vocatio ſepararet.)

Sciendum, quòd cognatio fraternitatis aliquando habet diſparitatem, ſicut in Cain, & Abel, quorum unus Deo placuit, & alter non, ut patet *Gen. 4. cap.* Sicut in Iſaac & Iſmael, quorum unus hæreditatem obtinuit, alter amiſit, *Gen. 21. cap.* Sicut in Eſau & Iacob, quorum unus fuit Deo amabilis, alter odibilis, *Malachiæ 1. cap.* Talis non fuit cognatio Andreæ & Petri: quia licèt ambo peccaverint abnegantes fidem Chriſti in Paſſione (quoniam omnes relicto eo fugerunt, ut dicitur *Matth. 26.*) tamen Chriſtus in Paſſione pro eis oravit, dicens: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum, id eſt, omnes, qui mihi per charitatem & fidem ſunt adhæſuri; & hi ſunt unus ſpiritus Dei. *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt*, 1. Cor. 6. Et ſic nulla imperfectio infidelitatis & malitiæ remanſit in eis. Aliquando autem cognatio fraternitatis habet quandam paritatem, ſicut *Valerius Maximus lib. 1. c.* 8. mentionem facit de duobus Philoſophis Polyſtrato, & Hippoclide, qui fuerant eodem die nati, ejuſdem præceptoris Epicuri ſectam ſecuti, patrimonii etiam poſſidendi, adeundæque ſcholæ communione conjuncti, eodemque momẽto temporis ultima ſenectute extincti.

Talis fuit cognatio Andreæ & Petri. Nam fuerunt ab eodem artificio vocati, ſcilicet à piſcatione, ut patet in Evangelio hodierno. Item fuerunt eidem officio deputati, ſcilicet Apoſtolatui Chriſti. Vnde *Matth. 10. cap.* Elegit duodecim, quos Apoſtolos nominavit, ſcilicet Simonem, qui cognominatur Petrus, & Andream fratrem eius. Fuerunt eodem privilegio dotati, ſcilicet miraculorum operatione. Vnde dicitur ibidem: *Convocatis duodecim Apoſtolis, dedit eis poteſtatem ſpirituum immundorum*, &c. Tandem fuerunt eodem genere martyrii mortificati, ſcilicet crucis. Iere. 46. cap. *Ambo pariter conciderunt.* Sic ergo perfectio beati Andreæ eſt in duobus: ſcilicet in perfectione numeri duodenarii, & in perfectione charitatis, deſignatæ per binarium; & hoc eſt Ieſum Chriſtum invenire. *Auguſtinus.* Hoc eſt verè Dominum invenire, verâ illius dilectione frui, fraternæ quo-

que

que ſalutis curam gerere. Ille etenim perfectè Conditoris ſui ducatum ſequitur, qui etiam proximi, quantùm valet, habere comitatū nititur.) Et ſic patet, qualiter Chriſtus vocavit Andream primitate perfectionis.

QVARTO. *Ieſus Chriſtus vocavit beatum Andream primitate conſummationis.* Vnde de iſta primitate dicitur Numeri 3. *Meum eſt omne primogenitum. Sanctificavi mihi, quicquid primum naſcitur in Iſrael.* Cuius ratio ponitur Exodi 23. cap. *Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui: ut benedicam eis, & auferam infirmitatem de medio tui.* Sed beatus Andreas fuit primogenitus in fide Chriſti; ideo debebat ſacrificari Deo, offerendo ſeipſum in domum Domini, ſicut fecit. Nam tres fuerunt Apoſtoli de terra Chriſti, ſcilicet: Andreas, Petrus, & Philippus, quos Chriſtus quaſi primitias ad ſe vocavit, & meritò: Chriſtus enim erat Agnus in ara Crucis immolandus; ſic iſti tres Apoſtoli tanquam agni erant in ara crucis immolandi. Ceteri Apoſtoli erant oves, luporum morſibus laniandi. Matthæi 10. cap. *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum.* Et quia Chriſtus erat Agnus; ideo prius collegit agnos, & poſtea oves. Iſaiæ 40. cap. *In brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo levabit, fœtas ipſe portabit.* Et quia beatus Andreas fuit primus agnus collectus à Chriſto; ideo quatuor circa eum fecit.

Primò. Fecit eum commilitonem ſuum: nam Chriſtus habuit Crucem tanquam equum, per quem contra dæmonem militavit. Sic voluit beatum Andream equitare ſuper equum crucis; ideo fecit eum commilitonem ſuum. Eſther 6. cap. *Homo, quem Rex honorare cupit, debet imponi ſuper equum, qui de ſella Regis eſt.*

Secundò. Fecit eum aſſeſſorem ſuum; nam Chriſtus habuit Crucem tanquam ſolium, in quo inter hominem & diabolum judicio diffinivit. Sic voluit beatum Andream in iſto ſolio ſedere; & ideo fecit eum aſſeſſorem ſuum. 2. Regum 23. cap. *David ſedet in cathedra ſapientiſſimus Princeps inter tres.* Id eſt, Chriſtus in Cruce inter Andream, Petrum, Philippum, quos in eadem conſedere fecit.

Tertiò. Fecit eum commenſalem ſuum: nam Chriſtus habuit Crucem tanquam menſam, in qua fideles reficit. Sic voluit beatum Andream in eadem menſa ſedere; ideo fecit eum commenſalem ſuum. Pſal. *Paraſti in conſpectu meo menſam.*

Quartò. Fecit eum ſacrificium ſuum: nam Chriſtus habuit Crucem tanquam altare, in quo ſe Patri obtulit ſacrificium in odorem ſuaviſſimum. Sic voluit beatum Andream in cruce immolari tanquam ſacrificium odoriferum, juxta illud, quod cantatur: *Dilexit Andream Dominus in odorem ſuavitatis*, ut patet *in legenda*. Quamvis autem beatus Andreas fuerit paſſus patibulum crucis ſicut Chriſtus, non tamen eo modo, quo Chriſtus. Nam Chriſtus fuit crucifixus rectus: quia tanquam Caput obtinebat ſuperiora, ut reſpiceret mundum infra ſe, quem redimebat. Petrus fuit crucifixus reverſus: quia tanquam alter Princeps obtinebat inferiora, & ut reſpiceret cælum, cuius claves tenebat. Andreas fuit crucifixus tranſverſus, ut manum dexteram porrigeret ad Chriſtum, petens auxilium aſcendendi in cælum; ſiniſtram ad Petrum, petens ſibi aperiri regnum cælorum. Ecce quomodo B. Andreas fuit vocatus à Chriſto primitate conſummationis, hìc per gratiam, tandem per gloriam. Amen.

SERMO LXII.

IN FESTO

S. NICOLAI EPISCOPI, ET CONFESS.

Non eſt inventus ſimilis illi, qui conſervaret legem Excelſi. Eccli. 44. cap.

CHryſoſtomus *de Sacerdotio libro* 3. dicit: Sacerdotium in terra quidem peragitur, ſed in rerum cæleſtium claſſem, ordinemque referendum eſt. Atque id perquàm meritò: quippe non mortalis quiſquam, non Angelus, non Archangelus, non alia quævis creata potentia, ſed ipſe Paracletus ordinem hujuſmodi *diſpoſuit*; qui mortalibus hominibus etiamnum in carne manentibus author fuit, ut Angelorum miniſterium animo conciperent. Idcirco neceſſe eſt, Sacerdotem ſic eſſe purum, ac ſi in ipſis cælis collocatus, inter cæleſtes illas Virtutes medius ſtaret.) Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtrum beatus Nicolaus tantò in amicitia Dei fuerit ſublimior, quantò in lege Excelſi obſervanda erat fidelior?

AD iſtam quæſtionem reſpondent duo Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt *beatus Ambroſius de dignitate Sacerdotali cap.* 3. dicens: Magna ſublimitas magnam debet habere cautelam, & honor grandis grandiori debet ſolicitudine circumvallari. Cui plus creditur, plus ab eo exigitur, ſicut ſcriptum eſt: Scienti legem, & non facienti, peccatum eſt grande. Et ſervus ſciens voluntatem Domini ſui, ſi non fecerit, vapulabit multum. Sed ſicut Senatorem chlámys ornat, ſicut agricultura ruſticum, ſicut barbarum arma, nautam navigationis peritia, & ſingulos quoſque opifices operis ſui qualitas ipſos demonſtrat authores; ſic Epiſcopum non aliud, quàm epiſcopalis operatio deſignat, ut ex bono opere magis quàm ex profeſſione noſcatur, & plus meritis eſſe Epiſcopus, quàm nomine vocetur. *Hæc ille.* Sic feciſſe beatum Nicolaum, declarabit & hiſtoria & nomen: quia Nicolaus interpretatur victoria populi, quem vitâ & doctrinâ docuit vitia & peccata vincere.

Secundus eſt *Sanctus Thomas* 4. *ſententiarum diſ.* 24. qui ponit, quòd Epiſcopus debet habere quatuor, quæ maximè fuerunt in beato Nicolao. Primò. Ordinis perfectionem. Deus enim ſua opera in ſui ſimilitudinem producere voluit, quantùm poſſibile fuit, ut perfecta eſſent, & per ea cognoſci poſſet. Ideo, ut in ſuis operibus repræſentaretur non ſolùm in ſe, ſcilicet ſecundùm quod in ſe eſt, ſed etiam ſecundùm quod aliis influit, hanc legem naturalem poſuit omnibus, ut ultima per media perficerentur, & media per prima, ut *Dionyſius* dicit. Et ne iſta pulchritudo Eccleſiæ deeſſet, poſuit ordinem in ea, ut quidam aliis ſacra traderent, ſuo modo Deo in hoc aſſimilati, quaſi Deo cooperantes, ſicut etiam in corpore naturali quædam membra aliis influunt. Et ſicut omnium naturalium perfectiones præexiſtũt exemplariter in Deo; ita Chriſtus fuit exemplar omnium officiorum Eccleſiaſticorum. Vnde unuſquiſque miniſter Eccleſiæ, quantùm ad aliquid, gerit typum Chriſti, ut dicit *Magiſter ſententiarum lib.* 4. *diſ.* 24. Et tamen ille eſt ſuperior, qui ſecundùm majorem perfectionem Chriſtum repræſentat. Sacerdos autem repræſentat Chriſtum in hoc, quod per ſeipſum aliquod miniſterium implevit. Sed Epiſcopus in hoc, quod alios miniſtros inſtituit, & Eccleſiam fundavit. Vnde ad Epiſcopum pertinet mancipare aliquid Divinis obſequiis, quaſi cultum Divinum ad ſimilitudinem Chriſti ſtatuens. Et propter hoc etiam Epiſcopus ſpecialiter Eccleſiæ ſponſus dicitur, ſicut Chriſtus. Sed beatus Nicolaus hanc ordinis perfectionem habuit, ut patet.

Secundò. Diſpenſationis gratificationem. *Dei* (enim) *perfecta ſunt opera*, ut habetur Deut. 32. Et ideo cuicunque datur potentia aliqua divinitùs, dantur & ea, per quæ executio illius potentiæ poteſt congruè fieri. Et

hoc

hoc etiam in naturalibus patet: quia animalibus dantur membra, quibus potentiæ animæ poſſunt exire in actus ſuos, niſi ſit defectus ex parte materiæ. Sicut autem gratia gratum faciens exigitur ad hoc, quòd homo dignè Sacramenta recipiat, ita etiam ad hoc, quòd homo dignè Sacramenta diſpenſet. Ideo ſicut in Baptiſmo, per quem homo ſit ſuſceptivus aliorum Sacramentorum, datur gratia gratum faciens, ita in Sacramento Ordinis, per quod homo ordinatur ad aliorum Sacramentorum diſpenſationem. Sed quia beatus Nicolaus ſuper plebem Chriſti conſtitutus, erat in gradu Ordinis, ita ſuperiorem ſe reddebat merito ſanctitatis, & gratiæ gratum facientis.

Tertiò. Vitæ ſanctificationem. Etenim *Dionyſius* 3. *cap. Eccleſiaſtica Hierarchia* aſſerit: Quemadmodum in coruſcationibus ſolaribus tenujores iſtæ limpidioreſque ſubſtantiæ, dum influente in ipſas radio primæ repletæ ſunt, omne lumen ſibi ſuperfuſum in ſubſequentes ſolis vice transfundunt; pari ratione, nequaquam debet temerè ducem ſeſe aliis Divini luminis offerre, qui non ſecundùm omnem ſtatum ſuum deiformis maximè evaſerit, Divinaque aſpiratione atque ſententia ad id idoneus ſit comprobatus.) Vnde cùm in quolibet ordine aliquis conſtituatur dux aliorũ, in rebus Divinis tanquã præſumptuoſus mortaliter peccat, qui cum conſcientia peccati mortalis accedit. Et ideo ſanctitas vitæ requiritur ad Ordinem. Vnde Levitici 21. *Homo de ſemine tuo per familiam* (nempe Aaron) *qui habuerit maculam, non offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium eius*; *Gloſſa* dicit: Per maculam omne peccatum intelligitur. Et *Hieronymus*. Non ſolùm Epiſcopi & Preſbyteri & Diaconi debent magnoperè providere, ut cunctum populum, cui præſident, ſermone & converſatione præcedant, verùm etiam inferiores gradus, & omnes, qui Domini oraculo deſerviunt: quia vehementer Eccleſiam Dei deſtruit, meliores eſſe laicos, quàm Clericos) Sed beatus Nicolaus per totam vitam ſuam ſanctitatem ſtuduit conſervare, ut patet.

Quartò. Scientiæ inſtructionem. In quolibet enim actu hominis, ſi debet eſſe ordinatus, oportet, quòd adſit directio rationis; unde ad hoc, quòd homo Ordinis officium exequatur, oportet, quòd habeat tantum de ſcientia, quantum ſufficit ad hoc, quòd dirigatur in actu illius Ordinis. Ideo talis ſcientia requiritur in eo, qui ad Ordines promovetur, non quòd univerſaliter in tota Scriptura ſit inſtructus, ſed plus & minus, ſecundùm quod ad plura vel pauciora eius officium ſe extendit. Et ſic ad Epiſcopum pertinet, ut ea, quæ difficultatem in lege facere poſſunt, ſciat. Ideo Malachiæ 2. cap. dicitur: *Legem requirent ex ore Sacerdotis*. Et 1. Petri 3. cap. *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, fide, & ſpe*.

Sed beatus Nicolaus ſupra corpus myſticum, id eſt, ſupra Eccleſiam conſtituendus erat; ideo ſcientia legis in eo fuit, ſciens perfectiſſimè, quæ populus debebat credere, & obſervare de lege. Verùm quilibet Sanctus in aliqua virtute emicuit, in qua nullus ſibi ſimilis fuit, ut appareret ſapientia Dei, quæ in tanta varietate Sanctorum tantam poſuit varietatem veritatum, quæ licèt nobis non ſit cognita, Deo tamen eſt nota. Si enim tanta eſt varietas in faciebus hominum, non mirum, ſi tanta poteſt eſſe in animabus. Et quia beatus Nicolaus maximè exceſſit in operibus miſericordiæ, juxta illud Lucæ 6. cap. *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt*; ideo dicitur:

Non eſt inventus ſimilis illi

In Sanctificatione.	In electione.
	In converſione.
In generatione.	In emigratione.
In nobilitatione.	In tumulatione.
In educatione.	In aſsumptione.
In perfectione.	In miraculorum operatione.
In juſtificatione.	

PRIMO. *Non eſt inventus ſimilis beato Nicolao in ſanctificatione*. Licèt enim in utero matris ſanctificatus non fuerit, tamen mox natus ſanctus fuit, juxta illud Pſalm. *Domine, prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis*.

Intelligendum, quòd quatuor modis aliqui ſanctificantur. 1. In utero matris, ſicut Ioannes Baptiſta. Lucæ 1. cap. *Spiritu ſancto replebitur adhuc ex utero matris*. Et Pſal. *In te confirmatus ſum ex utero de ventre matris meæ*.

2. Natus ex utero, ſicut Nicolaus, qui Spiritus ſancti gratiâ ab uberibus matris abſtinebat. Pſal. *Spes mea ab uberibus matris meæ*.

3. In juventute, ſicut Martinus, qui in ſua juventute Deo ſervire cœpit. Pſalm. *Spes mea, Domine, à juventute mea.*

4. In ſenectute, ſicut latro in cruce, dicens: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.* Et Chriſtus ſanctificans eum dixit: *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo*, ut dicitur Lucæ 23. cap. Talis autem, cũ non poſſit de ſuis meritis cõfidere, ne projiciatur à Dei miſericordia, debet orare. Pſalm. *Ne projicias me in tempore ſenectutis, cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.*

SECVNDO. *Non eſt inventus ſimilis beato Nicolao in generatione*, Fuit enim gratiosè generatus propter quatuor. Primò. Ex parte utriuſque generantis. Licèt enim eſſent juvenes, tamen mox, ut Nicolaus natus èſt, continenter vixerunt; unde erant matrimonio junĉti, non ut libidini deſervirent, ſed ut prolem educandam ad Dei ſervitium generarent. Si enim miraculum fuit in nativitate Ioannis Baptiſtæ, quòd patri muto loquelam reddidit, *Luca* 1. *cap.* ſic miraculum fuit in nativitate beati Nicolai, quòd utrique parenti continentiam deinceps impetraverit.

Secundò. Ex parte geniti quoad corpus: quia ad ubera pendens quartâ & ſextâ feriâ jejunabat. Hoc autem non fuit à natura: quia tunc in omnibus parvulis idem contingeret ſemper, vel frequenter, ut dicitur 2. *Phyſicorum*. Nec à caſu; quia tunc feria à feria non diſtingueretur. Nec à propoſito: quia tunc uſum liberi arbitrii non habebat. Reſtat ergo, quòd fuerit ex ſingulari Dei dono. Iob 8. c. *Pacatum reddet habitaculum juſtitiæ tuæ.*

Tertiò. Ex parte geniti quoad animam, quæ mox, ut natus eſt beatus Nicolaus, fuit habitaculum Spiritus ſancti. Eph. 2. cap. *In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu ſancto.* Et ſtatim cœpit ſervire Deo. Eccli. 24. cap. *In habitatione ſanctâ coram ipſo miniſtravi.* Magnum miraculum fuit, quòd Ioannes Baptiſta quinquennis deſertum petierit, & jejunare cœperit; ſed majus miraculum eſt, quòd Nicolaus mox natus carnem ſuam mortificaverit. Ideo 4. Reg. 2. cap. dicitur: *Afferte vas novum, & mittite in illud ſal.*

Quartò. Ex parte modi generandi: quia generatus eſt per orationem. Sicut enim Iſaac per orationem Abrahæ genitus eſt, ut dicitur *Gen.* 15. *cap.* & ſicut Samuel per orationem Annæ, ut patet 1. *Reg.* 1. *cap.* ſic parentes beati Nicolai Deum exoraverunt, ut filium eis concederet, quem non tantùm divitiarum, ſed etiam morum haberent hæredem. *Pro puero iſto oravi: & dedit mihi Dominus petitionem meam*, &c. Regum loco citato.

TERTIO. *Non eſt inventus ſimilis beato Nicolao in nobilitatione.* Secundùm enim *Gregorium Nazianzenum* nobilitas eſt quadruplex.

Prima cauſatur ex carnis propagatione, nimirũ, cùm quis ex nobilibus parentibus naſcitur. Vnde *Bernardus in epiſt.* 104. *ad Magiſtrum Gualterum de Calvo monte* dicit: Genus clarum, corpus aptum, forma elegans, ingenium velox, eruditionis utilitas, & morum honeſtas, glorioſa quidem ſunt, ſed ei, à quo ſunt.) Hanc nobilitatem habuit beatus Nicolaus; unde dicitur de eo: Nobiliſſimis ortus natalibus, velut Lucifer Nicolaus emicuit.

Secunda cauſatur ex animi formatione, nempe cùm quis virtutibus intendit. Vnde *Hieronymus in epiſtola* dicit: Ille apud Deum potior eſt, non quem nobilitas carnis, nec dignitas ſeculi, ſed quem devotio fidei, & vita ſancta Deo commendat.) Hanc nobilitatem habuit beatus Nicolaus, de quo dicitur: Nobilis genere, ſed nobilior fide.

Tertia cauſatur ex legali adoptione, ſicut patet *Exod.* 2. *cap.* ubi dicitur, quòd filia Pharaonis Moyſen in filium adoptavit. Hanc nobilitatem habuit beatus Nicolaus, in Dei filium per Spiritum ſanctum adoptatus. Rom. 8. cap. *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei.* In cuius ſignum beatus Nicolaus prima die ſuæ nativitatis, dum balnearetur, ſtetit erectus in pelvi, non quidem virtute humana, ſed potiùs Divina.

Quarta cauſatur ex Divinæ imaginis impreſſione, ſecundùm quam omnes homines ſunt æqualiter nobiles, de qua dicitur Act. 17. cap. *Ipſius enim genus ſumus.* Si ergo honoramus imaginem depictam, multò fortiùs honorare debemus imaginem Dei nobis impreſſam. Eccli. 10. *In manſuetudine ſerva animam tuam: & da illi honorem ſecundùm meritum ſuum.* Iſta imago in peccatoribus in tantum offuſcatur, quòd vix à Deo cognoſcitur. Matth. 25. *Amen dico vobis: Neſcio vos.* Hanc nobilitatem habuit beatus Nicolaus per munditiam cordis, quam ſemper conſervavit. Proverb. 22. cap. *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum ſuorum* ha-

Digitized by Google

habebit amicum Regem, &c.

QVARTO. *Non eſt inventus ſimilis beato Nicolao in educatione*. Fuit enim gratiosè educatus quantùm ad quatuor.

Primò. Vt juvenum laſcivias evitaret; unde *in legenda* dicitur: Factus autem juvenis, aliorum juvenum devitans laſcivias. Eccli. 13. cap. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea*.

Secundò. Vt Eccleſiam frequentaret; unde dicitur: Eccleſiæ ſanctæ frequentans limina. Et in *Gloſſa ſuper Matth.* dicitur: Ingreſſus urbem Ieſus, templum adiit, dans formam religionis, ut, quocunque imus, primò domum orationis adeamus. Sic beatus Nicolaus faciebat, tanquam verus diſcipulus Ieſu Chriſti, &c.

Tertiò. Vt verba Dei libenter audiret, & ſervaret; unde dicitur: Quicquid de Scripturis ſanctis audire poterat, armariolo condebat pectoris. Proverb. 8. cap. *Beatus, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie*. Sic beatus Nicolaus faciebat, ut haberet ſcientiam Sanctorum.

Quartò. Vt corpus jejunio maceraret; unde dicitur de eo: Beatus Nicolaus adhuc puerulus multo jejunio macerabat corpus. Threnorum 3. cap. *Bonum eſt viro, cùm portaverit jugum Domini ab adoleſcentia ſua*. Iſte autem portavit ab infantia ſua, & nunquam illud dereliquit.

QVINTO. *Non eſt inventus ſimilis beato Nicolao in perfectione*. Vnde *Hieronymus in epiſtola ad Heliodorum* ſcribit: Si vis perfectus eſſe, qui te perfectùm fore pollicitus es (nam cùm derelictâ militiâ te caſtraſti propter regnum cælorum) quid aliud, quàm perfectam ſecutus es vitam? Perfectus autem ſervus Chriſti, nihil præter Chriſtum habet; aut ſi quid præter Chriſtum habet, perfectus non eſt. Et ſi perfectus non eſt, cùm ſe perfectum fore Deo pollicitus ſit, ante Deum mentitus eſt.) Hanc perfectionem habuit beatus Nicolaus, qui Chriſtum imitari cupiebat, juxta illud Lucæ 6. cap. *Perfectus autem omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter eius*.

Iſtam perfectionem habuit beatus Nicolaus in quatuor. Primò. In mulierum vitatione, quas velut peſtem fugiebat. Vnde dicitur Eccli. 42. cap. *De veſtimentis procedit tinea, & à muliere iniquitas viri*.

Secundò. In mundi deſpectione; unde dicitur de eo: Gloriam mundi ſprevit cum oblectaminibus ſuis. Iac. 4. cap. *Qui voluerit eſſe amicus ſeculi huius, inimicus Dei conſtituetur*. Ex quo ſequitur, quòd beatus Nicolaus ſpernendo mundum, factus eſt amicus Dei.

Tertiò. In devota oratione; unde non ſolùm in die, ſed etiam in nocte ſemper orabat, & ad matutinas, etiam dum eſſet laicus, ibat. Pſal. *Quærite Dominum*, ſcilicet in oratione, *& confirmamini: quærite faciem eius ſemper*.

Quartò. In modeſta converſatione. Dicit enim *Ambroſius lib. de officiis*: In ſenibus gravitas, in juvenibus alacritas, in adoleſcentibus verecundia commendatur.) Non eſt ergo mirum, ſi beatus Nicolaus amabilem ſe exhibuit: quia habuit verecundiam cum adoleſcentibus; unde dicitur: Pudore bono repletus, &c. Alacritatem cum juvenibus; unde dicitur, quòd erat alacer in exhortando. Gravitatem cum ſenibus; unde dicitur, quòd gravitatem in omnibus ſectabatur.

SEXTO. *Non eſt inventus ſimilis beato Nicolao in iuſtificatione*, id eſt, in ſanctitate vitæ. Vnde *Auguſtinus lib. de vita Chriſtiana cap.* 14. dicit: Ille verè Chriſtianus eſt, qui omnibus miſericordiam facit, qui nullâ omnino movetur injuriâ, qui alienum tanquam proprium ſentit dolorem, cuius menſam nullus pauper ignorat, qui coram hominibus inglorius habetur, ut coram Deo, & Angelis glorietur: qui contemnit terrena, ut poſſit habere cæleſtia: qui opprimi pauperem ſe præſente non patitur, qui miſeris ſubvenit, qui ad fletum fletibus provocatur alienis.) Quod bene faciebat Apoſtolus Paulus dicens: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* &c. Hæc autem ſanctitas vitæ fuit in beato Nicolao in quatuor.

Primò. In virginitâte: quia fuit virgo. Matthæi 13. cap. *Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro*, qui eſt virginitas in corpore terreno. 2. Cor. 4. cap. *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus*. Et dicitur virginitas theſaurus propter ſuam pretioſitatem. Eccli. 26. *Omnis ponderatio non eſt digna continentis animæ*.

Secundò. In liberalitate: quia fuit maximè liberalis ad proximum egentem; unde dicitur: Erat enim valde compatiens, & ſuper afflictos pia geſtans viſcera. Nam omnes ſuas divitias liberaliter diſtribuit: dedit quippe pauperi, & non diviti, videlicet illi homini, qui propter paupertatem filias ſuas proſtituere voluit. Pſal. *Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi*. Dedit de

me-

meliori non deteriori, quia aurum. Dedit de proprio patrimonio, non de alieno. Dedit propter honorem Dei, non propter favorem mundi. Dedit in vita, non poſt mortem. Iob 31. cap. *Ab infantia crevit mecum miſeratio.* Sciebat enim, quòd miſericordia eſt ſacrificium Deo placitum, & acceptum.

Tertiò. In charitate: quia fuit maximæ charitatis. Vnde dicitur: Copioſæ charitatis Nicolae Pontifex, &c. 1. Cor. 13. c. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam*, &c.

Quartò. In ſapientiæ profunditate: quia magnam ſapientiam habuit; unde dicitur, quòd beatus Nicolaus interfuit Concilio Nicæno, ubi plurimum de fide contra Hæreticos diſputavit, & vicit. Sapientiæ 7. cap. *Infinitus enim theſaurus eſt hominibus: quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei*, &c.

SEPTIMO. *Non eſt inventus ſimilis beato Nicolao in electione.* Fuit enim gratioſè electus. Eccli. 45. cap. *Elegit eum ex omni carne.* Cuius electio fuit commendabilis quantùm ad quatuor.

Primò. Quia fuit electus præmiſsâ oratione. Nam electores tota nocte orationi vacaverunt, exemplo Chriſti, qui electurus Apoſtolos, ivit in montem orare, *Luc. 6. cap.* Et Apoſtoli in electione Matthiæ orantes, dixerunt: *Tu Domine, qui corda*, &c. Act. 1. c.

Secundò. Quia fuit electus Divinâ revelatione: quia vox de cælo lapſa fuit, ut eligerent Nicolaum. Hebr. 5. cap. *Ne quiſquam ſibi ſumat honorem.*

Tertiò. Quia fuit electus omnium conſenſu, & approbatione; unde dicitur, quòd eo viſo omnes laudaverunt Dei magnalia. Prov. 28. c. *In exultatione iuſtorum multa gloria eſt.*

Quartò. Quia fuit electus invitus, & cum quadam coarctatione; unde poterat dicere illud Pſal. *Exaltatus autem humiliatus ſum, & conturbatus.* Ideo 4. Reg. 10. cap. dicitur: *Eligite meliorem de filiis domini veſtri.* Talis autem fuit B. Nicolaus, ut patet *in legenda.*

OCTAVO. *Non eſt inventus ſimilis B. Nicolao in converſatione.* Quia in epiſcopatu ſuo fuit gratioſè converſatus cum populo ſibi credito, quantùm ad quatuor.

Primò. Quia pavit populum ſuum verbo; unde dicitur, quòd erat efficax in loquendo. Ierem. 3. cap. *Dabo vobis paſtores iuxta cor meum, qui paſcent vos ſcientiâ, & doctrinâ.*

Secundò. Pavit populum ſuum orationis ſuffragio: quia in orationibus pro populo ſuo vigilabat. De hoc dicitur Act. 6. cap. *Nos verò orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus.*

Tertiò. Pavit populum ſuum exemplo; unde dicitur, quòd eandem quam prius gravitatem ſervabat. 1. Tim. 4. cap. *Exemplum eſto fidelium in verbo, in converſatione*, &c.

Quartò. Quia pavit populum ſuum temporali ſubſidio: nam populo fame laboranti impetravit frumentum, ut habetur *in legenda ſua* &c.

NONO. *Non eſt inventus ſimilis B. Nicolao in emigratione.* Fuit enim gratioſè mortuus quantùm ad quatuor. Primò. Cum gratia Dei; unde dicitur, quòd omnium virtutum chariſmate replebatur. Apoc. 14. cap. *Beati, qui in Domino moriuntur.*

Secundò. Cum conſcientia bona: quia nullius peccati conſcientiam habuit propter puritatem vitæ. Col. 3. cap. *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.*

Tertiò. Cum ſenectute bona, quam voluit eſſe mundam, & puram. Heb. 8. cap. *Quod antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt.*

Quartò. Cum bona fama populi, quia omnes illum commendabant: dolebant enim mortem tanti viri, non ſperantes, ſe habiturum conſimilem.

DECIMO. *Non eſt inventus ſimilis beato Nicolao in tumulatione.* Fuit enim gratioſè ſepultus quantùm ad quatuor.

1. Quia in ſepulcro ſuo fuit poſitum corpus eius ſanctiſſimum.

2. Quia in tumba marmorea ſicut corpus Chriſti.

3. Quia ex eius membris ſacrum reſudat oleum, valens in ſalutem multorum. Iob 29. *Petra fundebat mihi rivos olei.*

4. Quia à pedibus fons aquæ profluxit. Pſal. *Scitote, quoniam Dominus Sanctum ſuum mirificavit.*

VNDECIMO. *Non eſt inventus ſimilis beato Nicolao in aſſumptione.* Fuit enim gratioſè aſſumptus quantùm ad quatuor.

Primò. Cum cuſtodia Angelica; unde cùm moreretur, rogavit Deum, ut Angelos ſuos ſibi mitteret, & inclinato capite vidit Angelos ad ſe venientes, qui revelaverunt ſibi gloriam eius. Pſal. *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.*

Secundò. Cum protectione Divina: quia devotè ſe commendavit Deo, dicens: *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum.* Et iſtud fuit ultimum verbum Chriſti

ſti in Cruce. Sap. 3. cap. *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt*.

Tertiò. Cum ſuſcepta Euchariſtia: quia Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti ſuſcepit, ut eſſet conformis Chriſto, qui, antequam pateretur, communicavit cum Apoſtolis.

Quartò. Cum cæleſti melodia: quia Angeli eius animam in cælum cum laudibus deduxerunt, ubi cæleſtium melodia audita eſt. Iſa. 24. c. *A finibus terræ laudes audivimus, gloriam juſti*, &c.

DVODECIMO. *Non eſt inventus ſimilis beato Nicolao in miraculorum operatione.* Siquidem operatus eſt miracula in majori mundo quantùm ad quatuor elementa.

1. In elemento ignis, quando ignem Dianæ extinxit.

2. In elemento aeris, quando ab aere tempeſtatem fugavit.

3. In elemento aquæ, quando nautis mare tranquillavit.

4. In elemento terræ, quando terram ſterilem fœcundavit.

Etiam in minori mundo multa miracula operatus eſt quantùm ad quatuor.

1. Quoad Deum, ſubveniendo in tribulatione, quam nonnulli juſtè patiebãtur à Deo; ſicut quando reſuſcitavit patri filium, cum ſcaphio in mari ſubmerſum.

2. Quoad diabolum, ſubveniendo in tribulatione, quam patiebantur à diabolo, ſicut quando reſuſcitavit patri filium, à diabolo ſtrangulatum.

3. Quoad tyrannos, ſubveniendo in tribulatione, quam patiebantur à tyrannis, ſicut tribus juvenibus falsè Principi ab invidis accuſatis; & quando patri reddidit filium ab Agarenis detentum.

4. Quoad temporalia, ſubveniendo in tribulatione, quam patiebantur in rebus, ſicut quando ſubvenit Iudæo, qui imaginem ſancti Nicolai in domo fecerat, &c. Ideo Iſa. 55. dicitur: *In lætitia egrediemini, & in pace deducemini: montes & colles cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent.* Et ſic patet quomodo beatus Nicolaus eſt in amicitia Dei ſublimior; unde dicitur: In quo vivit Nicolaus, honor Sacerdotum, hìc per gratiam, tandem per gloriam. Amen.

SERMO LXIII.

IN FESTO

S. LVCIAE VIRGINIS, ET MARTYRIS.

Profert de theſauro ſuo nova. Matth. 13. cap.

DIvus Bernardus *ſuper Miſſus eſt hom.* 3. aſſerit: Solent virgines, quæ verè virgines ſunt, ſemper pavidæ, & nunquam eſſe ſecuræ, & ut caveant timenda, etiam tuta pertimeſcere, ſcientes ſe in vaſis fictilibus theſaurum portare pretioſum, & nimis arduum eſſe vivere Angelicè inter homines, & in terris more Cæleſtium converſari, & in carne cælibem agere vitam. Ac proinde quicquid novum, quicquid ſubitum fuerit ortum, ſuſpectas habent inſidias, totum contra ſe æſtimant machinatum.) Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtrum beata Lucia magis meruerit, virginitatem obſervando, quàm cum ſponſo ſuo matrimonialiter habitando?

AD iſtam quæſtionem reſpondent duo Doctores novi Teſtamenti, dicentes, quòd magis meruit ex virginitate, quàm meruiſſet ex matrimonio: quia excellentior eſt virginitas, quàm matrimonium.

Primus eſt *beatus Auguſtinus de bono coniugali cap.* 8. dicens: Sicut bonum erat, quod Martha faciebat, occupata circa miniſterium Sanctorum, ſed melius quod Maria ſoror eius audiens verbum Dei; ita etiam bonum Suſannæ in caſtitate conjugali laudamus, ſed bo-

bonùm viduæ Annæ magis, & Mariæ Virginis anteponimus.) Et *lib. de bono viduitatis* ait: Continentiam conjugio præponimus: ſanctam verò virginitatem etiam continentiæ viduali. Et *lib. de ſancta virginitate cap.* 21. Secundùm Scripturarum ſanctarum fidem, ſanamque doctrinam nec peccatum eſſe dicimus nuptias; earum tamen bonum non ſolùm infra virginalem, verùm etiam infra vidualem continentiam conſtituimus.)

Secundus eſt *Sanctus Thomas ſecunda ſecundæ quæſt.* 152. *artic.* 4. *in reſp. ad arg.* dicens: Quòd autem virginitas ſit excellentior matrimonio, manifeſtè prob. 1. exemplo Chriſti, qui matrem Virginem elegit.) Cui concordat *Ambroſ. lib.* 1. *de virginibus* aſſerens: Videte, quanta virginitatis merita ſint. Chriſtus ante Virginem, Chriſtus ex Virgine, à Patre quidem natus ante ſecula, ſed ex Virgine natus ob ſecula. Illud naturæ, hoc noſtræ utilitatis eſt. Illud erat ſemper, hoc voluit. Chriſtus Virginis ſponſus, & ſi dici poteſt, Chriſtus virgineæ caſtitatis. Virginitas enim Chriſti, non virginitatis eſt Chriſtus.) 2. Quia Chriſtus virginitatem ſervavit. 3. Ex doctrina Apoſtoli, qui 1. *Cor.* 7. *cap.* virginitatem conſuluit, tanquam melius bonum. 4. Quia caſtitati attribuitur decor; ideo virginitati attribuitur excellentiſſima pulchritudo. Vnde *Cyprianus lib. de virginitate* dicit: Ad virgines ſermo eſt, quarum, quò ſublimior eſt gloria, maior eſt cura. Flos enim eſt ille Eccleſiaſtici germinis, decus atque ornamentum gratiæ ſpiritualis, & illuſtrior portio gregis Chriſti.) 5. Quia centeſimus fructus attribuitur virginitati ſecundùm *Hieronymum* propter excellentiam, quam habet ad viduitatem, cui attribuitur ſexageſimus; & ad matrimonium, cui attribuitur triceſimus. 6. Quia virgines, ut dicitur Apoc. 14. c. *ſequuntur Agnum quocunque ierit*: quia imitantur Chriſtum, non ſolùm integritate mentis, ſed etiam carnis, ut *Auguſtinus* dicit *lib. de virginitate*; & ideo in pluribus ſequuntur Agnum. 7. Quia virgines cantant canticum novum, quod eſt gaudium de integritate ſervata. Sed quia medium virtutis accipitur ſecundùm proportionem circunſtantiarum ad rationem rectã, tempus autem eſt una de circunſtantiis; ideo non eſt inconveniens aliquid eſſe illicitum uno tempore, quod eſt licitum, & virtuoſum, ſi alio tempore fiat. Propterea ſi in tempore, quo Deus ad multiplicationem generis humani, vel cultus Divini volebat homines inſiſtere operi conjugali, aliquis proprio motu incorruptionem ſervaſſet, fuiſſet in extremo diminutionis: quia abſtinuiſſet ab omni delectabili, quando non debuiſſet. Sed poſtea facta multiplicatione humani generis, vel colentium Deum ſufficienti, non peccaſſet virginitatem ſervans, etiam in lege Moyſis, vel in ſtatu naturæ integræ, ſi homo non peccaſſet. Nec feciſſet contra illud præceptum, in principio adductum (quia multiplicatio poterat per alios fieri) ſed ſupra præceptũ. *Ita S. Th. 4. ſent. d.* 33. *q.* 3. *a.* 2. *ad* 2.

Ad propoſitum. Beata Lucia, ut generaret Chriſto filios ſpirituales potiùs, quàm carnales, & cælum magis quàm terram repleret, videns ſponſum ſuum nolle acquieſcere veritati fidei Ieſu Chriſti, ipſum reliquit, & rationabiliter fecit, ut habetur *Extra de divortiis, cap. Quanto, & cap. Gaudemus*; & adhæſit Chriſto, tanquam cæleſti & ſpirituali eius Sponſo. Hæc autem deſponſatio, quæ fit cum Chriſto per virginitatem, eſt quid novum, quia in nova lege inductum. Ideo *Gregorius*. Gaudeat magis puella nobilis genere, ſed nobilior ſanctitate, quòd ſit per Divinum conſortium præcipuam in cælis conſecutura ſublimitatem, quàm ſi eſſet per humanum connubium proſem in terra propagatura ſublimem.) Et propter hoc beata Lucia

Profert de theſauro ſuo nova

Fidelitatis.	Humilitatis.
Virginitatis.	Firmitatis.
Pietatis.	Invincibilitatis.
Liberalitatis.	

PRIMO. *Lucia profert de theſauro cordis ſui nova fidelitatis. Auguſtinus.* Sicut in radice arboris nulla apparet ſpecies pulchritudinis, & tamen quicquid in arbore pulchritudinis eſt, ex illa procedit, & quicquid decoris; ſic ex fidei humilitate, quicquid meriti, quicquid beatitudinis anima ſuſceptura eſt, ex fidei fundamento procedit.) Fides eſt ſicut lux animæ illuminans mentem, de qua dicitur Gen. 1. cap. *Dixit Deus: Fiat lux, & facta eſt lux.* Sicut enim lux facta eſt propter quatuor, ſic etiam fides.

Primò. Vt tenebras effugaret. Ideo dicitur Gen. 1. cap. *Deus diviſit lucem à tenebris.*

Sic

Sic mens hominis in principio eſt obſcura per ignorantiam, & illuminatur per fidem. Ioann. 1. cap. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Secundò. Vt totum univerſum decoraret, tanquam pretioſum ornamentum: quia dat omnibus decorem, & formalem pulchritudinem colorum ſecundùm *Ambroſium*. Sic mens hominis in principio eſt turpis propter carentiam juſtitiæ originalis, & decoratur per fidem. Actor. 15. cap. *Fide purificans corda eorum.*

Tertiò. Vt Divina opera, & occulta myſteria demonſtraret. Si enim lux non fuiſſet creata, nullam de ſupercæleſtibus notitiam haberemus, ut dicit *Philoſophus* 1. *Metaph.* Sic mens hominis in principio eſt ſicut tabula raſa, in qua nihil eſt ſcriptum, ut patet 3. *de anima*. Et ſic perficitur per fidem. Iſaiæ 7. cap. *Si non credideritis, non permanebitis.* Propterea dicit Pſal. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam*, &c.

Quartò. Vt influentias ſolis ad terram deferret. Quia ſecundùm Philoſophos mediante luce deferuntur influentiæ ſolis ad terras, ut generent. Sic anima in principio eſt infirma & impotens, & per fidem recipit virtutem & fortitudinem. Vnde *Bernardus ſuper Cantica* dicit: Quid non inveniet fides? Attingit inacceſſa, deprehendit ignota, comprehendit immenſa, apprehendit noviſſima, ipſam denique æternitatem ſuo illo ſinu vivaciſſimo quodammodo circuncludit.)

Beata Lucia ratione huius magnitudinis fidei dicta eſt Lucia à luce, ſcilicet fidei, quæ maximè in ea viguit, ſicut dixit ei ſancta Agatha: Fides tua matri tuæ ſubvenit, & ecce ſana eſt: juxta illud Matthæi 15. cap. *O mulier, magna eſt fides tua!* &c.

SECVNDO. *Beata Lucia profert de theſauro ſuo nova virginitatis.* Vnde *Auguſtinus in quodam ſermone* dicit: Inter omnia certamina Chriſtianorum ſunt prælia duriora caſtitatis. Nam ibi eſt continua pugna, & rarior victoria. Rara eſt enim concordia formæ, & pudicitiæ. Rara eſt avis in terris nigra, & cygno ſimillima.) Virginitas enim comparatur luci propter quatuor.

Primò. Quia lux eſt omnium creaturarum prima: quoniam primò fuit creata, ut habetur *Gen.* 1. *cap.* Sic virginitas eſt prima omnium creaturarum: quoniam omnes creaturæ in ſui maxima perfectione, & integritate creatæ ſunt. Ibid. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.*

Secundò. Quia lux eſt omnium creaturarum pulcherrima. Epheſ. 5. cap. *Omnia, quæ arguuntur, à lumine manifeſtantur.* Sic virginitas eſt pulcherrima omnium creaturarum. Cant. 4. cap. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.*

Tertiò. Quia lux eſt omnium creaturarum nobiliſſima, cùm ſit objectum nobiliſſimæ potentiæ ſenſitivæ, ut dicitur 2. *de anima.* Etiam intellectus, qui eſt nobiliſſima potentia, eſt quædam lux, ut patet 3. *de anima.* Sic virginitas eſt nobiliſſima. Vnde *Cyprianus in ſermone de virginitate* dicit: Virginitas eſt ſoror Angelorum, victoria libidinum, regina virtutum, poſſeſſio omnium bonorum.

Quartò. Quia lux eſt omnium creaturarum maxima: quoniam cælo empyreo eſt coextenſa, ut dicitur 2. *ſententiarum*. Sic virginitas eſt maxima, cui debetur maximum præmium, ſcilicet fructus centeſimus, & aureola.

Intelligendum, quòd virginitas eſt quadruplex, ut declarat *ſanctus Thomas* 4. *ſententiarum diſ.* 33. *quæſt.* 3. *artic.* 2. *ad quartum dicendum*, &c. Prima eſt virginitas naturalis, ſicut in pueris ante baptiſmum, in quibus nullus eſt habitus virtutis. Secunda eſt ſacramentalis, ſicut in illis, qui ad tempus incorruptionem carnis ſervant poſt baptiſmum, tamen cum propoſito nubendi ſuo tempore. Tertia eſt ſpiritualis, ſicut in illis, qui habent electionem conſervandi integritatem carnis hactenus cuſtoditam, tamen ſine voto. Quarta eſt Divinalis, ſicut in illis, qui ex voto virginitatem conſervant, ſicut fuit in beata Virgine, ut habetur 27. *quæſt.* 2. *cap. B. Maria.*

Beata Lucia ratione virginitatis dicta eſt Lucia à luce, ſcilicet virginitatis, quæ maximè in ea viguit, ſicut dixit ei Agatha: Iucundum Deo in tua virginitate habitaculum præparaſti. Pſalm. *Domum tuam, Domine, decet ſanctitudo.*

TERTIO. *Beata Lucia profert de theſauro ſuo nova pietatis.* Vnde *Ambr. ſuper Beati immaculati ſerm.* 18. dicit: Pietas amica Deo, parentibus grata, Dominum conciliat, neceſſitudines fovet, Dei eſt cultura, merces parentum, filiorum ſtipendium. Pietas, inquam, juſtorum tribunal, egenorum portus, miſerorum ſuffugium, indulgentia peccatorum.)

Beata Lucia habuit ad parentes magnam pietatem, quia matri ſanitatem obtinuit.

Digitized by Google

Voluit enim habere curam de matre propter quatuor.

1. Propter Dei præceptum. Exo. 20. c. *Honora patrem tuum, & matrem tuam.*

2. Propter Chriſti exemplum, qui de matre in Cruce pendens curam habuit.

3. Propter Dei promiſſum, cùm dicitur: *Vt ſit longævus ſuper terram.*

4. Propter Dei judicium, cùm dicitur: *Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.* Et intelligitur de utraque vita & morte, ſcilicet corporali & ſpirituali. Qui enim honorat parentes, à quibus habet vitam corporalem, Deus etiam ſibi conſervat vitam corporalem; & qui eos inhonorat, moritur.

QVARTO. *Beata Lucia profert de theſauro ſuo nova liberalitatis.* Vnde *Ambroſius lib. 1. de officiis cap. 30.* dicit ſic: Perfecta eſt liberalitas, *ubi* ſilentio quis tegit opus ſuum, & occultè ſubvenit neceſſitatibus ſingulorũ: quem laudat os pauperis, & non labia ſua vel adulatoris. Deinde perfecta liberalitas fide, causâ, loco, tempore commendatur, ut primum opereris circa domeſticos fidei.)

Beata Lucia habuit ad pauperes magnam liberalitatem; unde poteſt ſibi convenire illud Proverb. ult. cap. *Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem.* Fruſtra autem mulier fortis manum aperiret, ſi in manu nihil haberet. Hæc autem Virgo habuit manum apertam: quia ſemper dabat. Et extenſam: quia omnibus dabat. Et plenam: quia abundanter dabat. Et hilarem: quia lætanter dabat.

Circa ſuum patrimonium ſe habuit quadrupliciter. 1. Quia dedit pauperibus. Pſal. *Diſperſit, dedit pauperibus*, &c. Ideo meruit cæleſtem theſaurum. Matth. 19. cap. *Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & habebis theſaurum in cælo.*

2. Quia dedit in vita. Iſa. 58. cap. *Anteibit faciem tuam juſtitia tua.* Ideo meruit locum ſecurum. Matth. 6. cap. *Theſaurizate vobis theſauros in cælo*, &c.

3. Quia dedit omnia, nihil ſibi reſervando; ideo meruit fructum centuplum. Matth. 19. cap. *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum; centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.*

4. Quia dedit ſeipſam, id eſt, corpus proprium, morti & paſſioni ſe exponendo; ideo meruit habere corpus glorificatum. Philip. 3. *Salvatorem expectamus Dominum Jeſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ*, &c.

QVINTO. *Beata Lucia profert de theſauro ſuo nova humilitatis.* Vnde *Auguſtinus in epiſt. ad Dioſcorum.* Non aliam tibi ad capeſſendam & obtinendam veritatem viam munias, quàm quæ munita eſt ab illo, qui greſſuum noſtrorum, tanquam Deus, videt infirmitatem. Ea eſt autem prima humilitas, ſecunda humilitas, tertia humilitas. Et quoties interrogares, hoc dicerem. Sicut Rhetor ille nobiliſſimus Demoſthenes, cùm interrogatus eſſet, quid ei primum videretur in eloquentiæ præceptis, pronunciationem dicitur reſpondiſſe: cùm quæreretur, quid ſecundò, eandem pronunciationem: quid tertiò, nihil allud quàm pronunciationem dixiſſe.)

Sic beata Lucia in via Chriſti ambulans, de ſe non ſapiebat quæ ſunt ſublimitatis, aut æqualitatis, ſed magis ſubjectionis, & humilitatis. Non enim ſe filiam, vel ſponſam Chriſti nominavit, imo ancillam, dicens: Ancilla Chriſti ſum. Filia enim dicit nobilitatem, ſponſa æqualitatem, ancilla verò humilitatem.

Sed ancilla eſt quadruplex. Prima eſt ancilla peccati. Ioan. 8. cap. *Omnis, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.*

Secunda eſt ancilla numi. Luc. 16. cap. *Non poteſtis Deo ſervire, & mammonæ.*

Tertia eſt ancilla diaboli. 2. Petri 2. cap. *A quo quis ſuperatus eſt, huius & ſervus eſt.*

Quarta eſt ancilla corporis proprii. Rom. 16. cap. *Chriſto Domino non ſerviunt, ſed ſuo ventri.* Sed beata Lucia non fuit ancilla peccati: quia hoc eſſet damnabile, nec numi: quia hoc eſſet vituperabile, nec diaboli: quia hoc eſſet periculoſum, nec corporis ſui: quia hoc eſſet ignominioſum; ſed tantùm Chriſti: quia hoc eſt glorioſum, juxta illud Pauli: *Servire Deo regnare eſt.*

SEXTO. *B. Lucia profert de theſauro ſuo nova firmitatis.* Vnde Eccli. 26. cap. dicitur: *Lucerna ſplendens ſuper candelabrum ſanctum: & ſpecies faciei ſuper ætatem ſtabilem.* Eſt enim ætas quadruplex.

Prima eſt juventus, & hæc non eſt ſtabilis: quia continuè tendit ad perfectionem.

Secunda eſt ſenectus, & hæc non eſt ſtabilis: quia incipit deficere occultè.

Ter-

Digitized by Google

Tertia eſt ſeninm ; id eſt decrepitudo , & hæc non eſt ſtabilis : quia deficit manifeſtè.

Quarta eſt ætas virilis , & hæc eſt ſtabilis : quia tunc natura ſtat .

Beata Lucia,licèt habuerit ætatem juvenilem , tamen habuit ætatem virilem in mente: quia non potuit vinci à quatuor .

1. Non à matre , attendens illud Matth. 10. cap. *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me , non eſt me dignus* .

2. Non à ſponſo. Eſther 1. *Parvipendent uxores imperia maritorum* .

3. Non à tyranno per opprobria , & minas , quando dixit : Patrimonium tuum cum corruptoribus expendiſti : ego te faciam duci ad lupanar .

4. Non à Iudice per ſupplicia, & violentias . Ideo ait : Nunquam voluntatem meam ad conſenſum tuum poteris revocare : non coinquinatur corpus,niſi de conſenſu mentis . Nam ſi me invitam feceris violari , caſtitas mihi duplicabitur ad coronam . Super quo *S. Thom. 4. ſent. diſ. 49. q. 5. art. 3. dub. 1. ad quartum dicendum* dicit:Si aliqua virgo per violentiã oppreſſa fuerit,non amittit propter hoc aureolã virginitatis,dummodo propoſitũ perpetuò virginitatem ſervandi inviolabiliter ſervet,& ſi illi actui nullo modo cõſentiat, nõ tamen per hoc perdit virginitatẽ ; & hoc ſive pro fide,ſive pro quacunq; alia cauſa violenter corrũpatur: ſed ſi hoc pro fide ſuſtineat,erit ei meritoriũ , & ad genus martyrii pertinebit . Vnde Lucia dixit: Si me invitam feceris violari,caſtitas mihi duplicabitur ad coronã.Non quòd habeat duas virginitatis aureolas , ſed quòd duplex præmiũ reportabit:unũ pro virginitate coſtodita,aliud pro injuria,quã paſsa eſt. Dato etiã , quòd talis violenter oppreſsa concipiat,nec ex hoc meritũ virginitatis perdit;nec tamẽ Matri Chriſti æquabitur,in qua fuit cum integritate mentis etiam integritas carnis . *Hæc Sanctus Thomas* . Ideo dicitur columna immobilis , &c.

SEPTIMO . *Beata Lucia profert de theſauro ſuo nova invincibilitatis.* Vnde *Gregorius in homil.* dicit: Fortes facti ſunt Sancti . Terrorem domant , ſpiritum roborant , virtutibus coruſcant , terrena deſpiciunt, cæleſtia appetunt , occidi poſsunt , flecti autem nequeunt: nec ſuſtinere flagella per infirmitatẽ metuũt,nec læſi unquã à veritate cõticeſcunt.

B.Lucia contra quatuor fortiſſimè pugnavit, & vicit. Primò. Vicit peccata,ſcil. luxuriam; ideo fuit templũ Dei. Vnde ait: Qui caſtè vivunt,templum ſunt Spiritus ſancti.Vicit avaritiam.Vnde ait:Sacrificium placens Deo eſt viſitare pauperes, & in neceſſitatibus eorum ſubvenire. Vicit ſuperbiã. Vnde ait:Tu Principum tuorũ decreta cuſtodis,& egoDei mei legẽ cuſtodio.Tu Principes times,& ego Deũ timeo.Tu illos offẽdere nõ vis,& ego Deũ offendere caveo. Tu illis placere deſideras,ego, ut Chriſto placeã, concupiſco . Ideo accepit coronã regni; & cantatur de ea: Omnis plebs te expectat,ut accipias coronã regni.Apoc.3. c.*Qui vicerit , faciam illum columnam in templo Dei mei* , &c.

Secundò. Vicit mundũ quoad tyrannos,qui eius mentẽ à vera fide ſubvertere conabantur. Vnde ipſa dixit Paſchaſio:Tu fac,quod tibi utile eſse cognoſces; ego faciã,quod mihi utile eſse perſpexero. Mirabile enim fuit , quòd fragilis fœmina vicit hoſtem tam robuſtum , juvencula hoſtem tam antiquum , puella delicata hoſtẽ tam aſtutũ . Vnde cantatur de ea: In tua patientia poſsediſti animã tuã, Lucia ſponſa Chriſti: odiſti, quæ in mundo sũt, & coruſcas cũ Angelis, ſanguine proprio inimicũ viciſti. Ideo meruit illud, quod ponitur Apoc.3.c.*Qui vicerit,dabo ei ſedẽ mecũ in throno meo : ſicut & ego vici,& ſedi cum Patre meo in throno eius* .

Tertiò. Vicit tormenta. Nam boves perdiderunt vim trahendi : quia nec mille homines,nec plura paria boũ ad lupanar eã trahere potuerũt.Nec mirũ:quia ipſa erat membrũ Chriſti.Ideo 1.Cor.6.c.dicitur: *Tollens membra Chriſti,faciã membra meretricis? Abſit.* Inſuper ignis perdidit vim cõburendi : quia Paſchaſius anguſtiatus nimis,juſſit copioſũ ignẽ circa eã accendi,picemq; , reſinã,& oleũ fervens ſuper eam fundi,& nihil ei nocuit . Eccli.51.c. *In medio ignis non ſum æſtuata* .

Quartò . Vicit mortem . Nam percuſsa in gutture gladio,necari non potuit, ſed, quamdiu voluit , ſupervixit . Impetravit enim à Domino inducias martyrii , ut credentibus auferret terrorem paſſionis , & non credentibus auferret vocem inſultationis , ut pacem Eccleſiæ redditam nunciaret tanquam Prophetiſsa Domini , ut Corpus Domini reciperet , & ſe Deo commendaret , ut advocatam Syracuſanis ſe promitteret . Sic ergo patet , quòd beata Lucia magis meruit virginitatem obſervando , quàm cum ſponſo ſuo pagano matrimonialiter cohabitando. Matth. 5. cap. *Beati mundo corde:quoniam ipſi Deum videbunt* . Hic per gratiam,tandem per gloriam.Amen.

SERMO LXIV.

IN FESTO SANCTI THOMAE APOSTOLI.

Quia vidisti me, &c. Ioann. 20. cap.

BEda *super Marc.* dicit: Hic est Thomas, qui interpretatur abyssus, vel geminus; quod Græcè dicitur didymus, quæ utraque interpretatio benè congruit eius statui. Didymus enim rectè vocatur propter dubium cor in fide Resurrectionis dominicæ. Abyssus quoque dici potuit, cùm altitudinem dominicæ virtutis Resurrectione celebratâ, fide certa penetravit.) Super quo moveo talem quæstionem.

Vtrum beati Thomæ tarditas magis nobis profuerit ad veritatem fidei confirmandam, quàm aliorum Apostolorum credulitas ad dubietatem extirpandam?

AD istam quæstionem respondent duo Doctores Ecclesiæ.

Primus est *beatus Gregorius homil. 26. in Evang.* dicens: Egit nanque miro modo Divina clementia, ut Discipulus ille dubitans, dum in Magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis. Plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides credentiũ Discipulorum profuit: quia, dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens, omni dubitatione postposita, in fide solidatur. Sic quippe Discipulum post Resurrectionem suam dubitare permisit Dominus, nec tamẽ in dubitatione deseruit; sicut ante Nativitatem suam habere Mariam spõsum voluit, qui tamen ad eius nuptias non pervenit. Nam ita factus est Discipulus dubitans, & palpans testis veræ Resurrectionis, sicut sponsus Matris fuerat custos integerrimæ virginitatis. *Hæc ille.*

Secundus est *Petrus Rivennas sermone 79.* dicens: Quod Apostoli resurrexisse Dominum mulieribus nunciantibus, aut non credidisse, aut deliramentum judicasse referuntur, graviter nemo arguat. Altè dubitat, qui altiùs credit. Decipi non potest, qui non est facilis auditui. Ignavus nimis est, qui post exemplum invenitur incautus. Rudis miles ad aciem concurrit, qui causam belli nescit; vim bellatoris ignorat. Peritia est, non segnities, cùm sensim miles veteranus incedit.) Christus enim volens ostendere singularem dilectionem ad sanctum Thomã super ceteros Apostolos, ostendit ei quatuor singularia signa familiaritatis & amicitiæ.

Primum, quia exhibuit se ei ad tangendum. Nam quidam cognoverunt Christum resurrexisse ex visu, sicut tristes illi Discipuli euntes in Emmaus, *Luca ultimo cap.* Quidam ex auditu, ut Petrus Mar. 16. cap. *Ite, dicite Discipulis eius, & Petro: quia præcedit vos in Galilæam.* Quidam ex gustu, ut Discipuli, qui iverunt ad piscationem, ut patet *Ioan. ult. cap.* Quidam ex tactu, ut Thomas. Et hoc modo nulli se exhibuit, nisi Thomæ, imo nec Mariæ Magdalenæ, cui dixit: *Noli me tangere*, Ioann. 20. cap. Ideo cantatur in eius laudem: O Thoma Didyme, qui meruisti Christum tangere.

Secundum fuit, quia exhibuit se ei ad confitendum. Statim enim viso & palpato Christo, effectus est Theologus, veram & integram fidem eius confitendo, quantùm ad humanitatem, & Divinitatem, dicẽs: *Dominus meus, & Deus meus.* Videndo ergo credidit, qui considerando verum hominem hunc Deum, quem videre non poterat, exclamavit. Sicut enim ante Passionem nullus Apostolorum confessus est eum esse verum Deum, nisi Petrus, qui dixit: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, Matth. 16. cap. sic etiam post Resurrectionẽ nullus confessus est Christum esse verum Deum, nisi Thomas.

Tertium fuit, quia exhibuit se ei ad certificandum. Licèt enim aliis Apostolis Christus

Digitized by Google

ſtus apparuerit poſt Reſurrectionem, tamen ſingulari modo Thomam certificavit in eo, quod voluit, quòd homo mortalis tangeret Corpus glorioſum. Hoc autem eſt ſingulare miraculum. Vnde *Gaufredus Carnotenſis Epiſcopus* dicit: Non credendus eſt iſte minoris meriti præ ceteris fuiſſe, ut ipſe ſolus judicaretur indignus Domini viſione. Poſt dies octo iterum venit Ieſus, & Thomas erat cum eis; cui cuncta replicantur à Domino, quæ primo die locutus fuerat, velut de abſente.)

Quartum fuit, quia exhibuit ſe ei ad inflammandum. Quamvis enim ante Paſſionem multa ſecreta revelaverit Ioāni, uti dicitur *Io.* 13. tamen ſecreta cæleſtia poſt Reſurrectionē non revelavit alicui familiariùs, quā Thomæ. Vnde *Gaufredus* denuò ait: Quid autē mirū, ſi mira devotione mox exclamavit: *Dominus meus, & Deus meus!* Non erat jam, quod de eius Divinitate, quod de veritate Reſurrectionis aliquatenus hæſitaret, quē nec arcerent clauſtra, nec laterent ſecreta.) Ratione hujus revelationis accendebatur Thomas in amore Chriſti, & inflammabatur. Si enim ex verbis Chriſti accēdebātur illi duo Diſcipuli euntes in Emmaus, dicentes: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas?* quanto magis inflammabatur Thomas ex contactu Vulnerum Chriſti? Et propter iſtam certitudinem, & inflammationem dicit Chriſtus:

Thoma vidiſti me

Per fidelitatem.
Per obedientiæ velocitatem.
Per charitatem.
Per puritatem.
Per poteſtatem.
Per firmitatem.

PRIMO. *Beatus Thomas vidit Chriſtum per fidelitatem.* Vnde *Auguſtinus lib. 1. de Trinitate* dicit: Mentis humanæ acies invalida in tam excellenti luce non figitur, niſi per juſtitiam fidei emundetur.) Sciendum, quòd non quælibet fides illuminat mentē ad videndum Deum, ſed fides recta, & juſta: eſt enim quadruplex fides.

Prima eſt Hæreticorum. 1. Timot. 4. cap. *Diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis damoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentium nubere, abſtinere à cibis, quos Deus creavit*, &c.

Secunda eſt falſorum Chriſtianorū. Iacobi 2. cap. *Fides ſine operibus mortua eſt.* Et *Auguſtinus ſermone 2. dom. 19. poſt Trin.* Fides appellata eſt ab eo, quia fit quod dicitur. Duæ ſyllabæ ſonant, cùm dicitur fides: Prima ſyllaba eſt à facto, ſecunda à dicto. Interrogo ergo te, utrum credas? Dicis, Credo. Fac quod dicis, & fides eſt.)

Tertia eſt curioſorum, qui non innituntur veritati. 1. Cor. 1. cap. *Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt.* Sic enim dicitur Matth. 12. cap. *Magiſter, volumus à te ſignum videre*, &c.

Quarta eſt inquietorum, qui non ſunt ſtabiles & firmi. Luc. 8. cap. *Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.*

Beatus Thomas ante Paſſionem Chriſti habuit fidem imperfectam, ſicut & ceteri Apoſtoli: *Quoniam omnes relicto eo fugierunt*, Matthæi 26. Poſt Reſurrectionem etiam fuit incredulus, cùm dixit: *Niſi videro in manibus eius fixuram clavorum*, &c. Quia enim ab aliorum congregatione receſſit; ideo incredulitatem incurrit, & Chriſtum videre non meruit. Cùm autem ad congregationem Apoſtolorum rediit, fidem Chriſti confeſſus eſt, dicens: *Dominus meus, & Deus meus.* Rom. 10. cap. *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.*

Eius autem fides patet ex quatuor. 1. Quia Chriſtus eius fidem approbavit, dicens: *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti*, Ioann. 20. cap. Aliud quidem vidit, & aliud credidit: hominem vidit, & Deum credidit.

2. Quia Magos baptizavit ſecundùm *Chryſoſtomum*. Ex quo patet, quantam in fide excellentiam habuit, qui primitias Gentium ad fidem baptizare promeruit.

3. Quia in civitate Edeſsa, ubi corpus ſuum requieſcit, nullum Hæreticum aut infidelem, ſive Iudæum ſive Paganum habitare permittit. Ex quo datur intelligi, quantus ſit defenſor fidei, qui nullum juxta ſe infidelem vivere permittit.

4. Quia Eccleſia, quæ non poteſt errare, ſuam fidem imitari petit, ut continetur in *oratione* eius. Et ſic patet fidelitas eius.

SECVNDO. *Beatus Thomas vidit Chriſtum per obedientiæ velocitatem.* Vnde *Bernardus ſermone 3. de reſur. Domini.* Ceſſet voluntas propria, & infernus non erit. In

quem

Digitized by Google

quem enim deſæviet ignis ille, niſi in propriam voluntatem? Nam propria voluntas Deum impugnat, & adversùs eum extollitur. Ipſa eſt, quæ paradiſum ſpoliat, infernum ditat, Sanguinem Chriſti evacuat, & ditioni diaboli mundum ſubjugat.) Voluntas autem noſtra debet perficere voluntatem Dei quadrupliciter.

Primò. Sicut peregrinus obſervans viam, quando pergit ad patriam ſuam. Sumus enim oriundi à patria cæleſti ſecundùm animã quemadmodum Angeli: quia à Deo, qui nos creavit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam. Quandiu autem ſumus in hac vita, via noſtra eſt voluntas Divina, de cuius præceptis dicit Pſalm. *Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum: quia ipſam volui*, &c. Ab iſta via deviant aliqui ad dexteram, putantes ſe facere bonũ, cùm faciant malũ. Aliqui ad ſiniſtrã, facientes quod malũ eſt, & ſcientes illud eſſe malum, ſicut *Greg.* dicit. Ideo dicitur Deut. 5. cap. *Hæc eſt via, ambulate in ea. Non declinabitis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.*

Secundò. Sicut infirmus ſuam diætam. Quandiu enim voluntas noſtra eſt in via, infirmatur, ut ait *Apoſtolus*. Sed Divina voluntas eſt ſua medicina: quoniam Chriſtus, tanquam medicus, venit ad ſanandas noſtras voluntates per ſuam voluntatem, ut dicitur *Matth.* 21. cap. Ideo, ſicut æger non obſervans diætam interimit ſe, ita non obſervans voluntatem Divinam, occidit ſe.

Tertiò. Sicut religioſus ſuam religionem. Nam anima noſtra, & Angeli ſunt ejuſdem religionis: quia in iiſdem ordinibus collocabuntur, ut dicit *Magiſter ſententiarum lib.* 2. *diſ.* 9. *cap.* 7. Regula autem religionis Angelicæ eſt, ut conforment voluntatem ſuam voluntati Divinæ. Pſalm. *Benedicite Domino omnes Angeli eius, miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius.* Ideo & nos debemus facere voluntatem Dei.

Quartò. Sicut civis legem propriæ civitatis. Nam Divina voluntas eſt lex noſtræ civitatis, quam inquirimus, ut dicitur *Heb.* 13. *cap.* Vnde Iſaias loquens de iſta civitate, quæ eſt à ſua lege denominata, dicit 62. cap. *Non vocaberis ultra derelicta, ſed voluntas mea in ea.* Ideo, ſicut boni cives pro legibus ſuarum civitatum mortem ſubeunt; ita & nos debemus facere pro obſervanda Divina voluntate. Vnde dicitur Matth. 12. *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, hic meus frater, ſoror, & mater eſt.*

Beatus Thomas obedivit voluntati Dei perfectè quoad quatuor. Primò, integraliter: quia de ſuo nihil ſibi retinuit. Licèt enim priùs dixerit: Domine, mitte me quò vis, præterquàm ad Indos, tamen poſtea correxit, dicens: Dominus meus es tu, & ego ſervus tuus, fiat voluntas tua. In hoc imitatus eſt Magiſtrum ſuum, qui ait Matth. 26. cap. *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.*

Secundò, lætanter: quia ſimplici corde, & ex charitate obedivit. Vnde *Bern.* In ipſa obedientiæ via tibi fortaſſe aliqua dura & aſpera poſſent occurrere, ut accipias interdum præcepta nonnulla, quæ, licèt ſalubria ſint, minus tamen ſuavia videantur. Hæc, ſi moleſtè cœperis ſuſtinere, & ſic dijudicare Prælatum, & murmurare in corde, etſi exterius impleas, quod jubetur, non eſt virtus patientiæ, ſed velamen malitiæ.) Sed beatus Thomas lætiſſimè ex charitate implevit Divinum mandatum. Pſalm. *In auditu auris obedivit mihi.*

Tertiò, velociter: quia mox in Indiam eſt profectus. Vnde *Bernardus* denuò. Verus obediens mandatum non procraſtinat, ſed ſtatim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, & ſe totum intus colligit, ut mandatum peragat imperantis.)

Quartò, perſeveranter: quia uſque ad mortem exemplo Chriſti, de quo dicitur Phil. 2. cap. *Factus obediens uſque ad mortem.* Sic beatus Thomas uſque ad mortem perſeveravit in obedientia Chriſti.

TERTIO. *Beatus Thomas vidit Chriſtum per charitatem.* Vnde *Auguſtinus.* Charitas eſt actio rectitudinis, oculos sẽper habens ad Deum: glutinum animarum, ſocietas fidelium, actio non frigida, actio non fracta, non fugax, non audax, non præceps.)

Hanc charitatem habuit beatus Thomas, ut patet per quatuor ſigna. 1. Quia fuit Chriſti imitator, quando dixit: *Domine, neſcimus quo vadis, & quomodo poſſumus viam ſcire?* Ioann. 14. cap. Hoc enim ſecundùm *Chryſoſtomum* ex multa dilectione dixit, quia ipſum ſemper cupiebat. Cui Chriſtus reſpondit: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Super quo *Auguſt.* dicit: Ambulare vis; ego ſum via. Falli non vis; ego ſum veritas. Mori non vis; ego ſum vita.)

2. Quia fuit cæleſtium contemplator. Vnde in nuptiis non manducabat, ſed oculos

in

in cælum erectos habebat. Matth. 6. cap. *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Vbi eſt enim amor cordis, ibi eſt & oculus corporis.

3. Quia fuit Divinorum avidus auditor, ut patet Io. 8. c. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* Super quo *Gregorius hom.* 18. *in Evang.* Interroget ſe unuſquiſque, ſi verba Dei in aure cordis percipit, & intelliget, unde ſit.) Quem quis verè diligit, de illo crebrò mentionem fieri delectatur.

4. Quia fuit terrenorum contemptor. Omnia enim, quæ ſibi Rex Indiæ dedit, pauperibus diſtribuit, nec aliquid terrenum ab eo accipiens ſibi reſervavit. *Chryſoſtomus.* Verè non habet ſuper terram quod amet, qui donum cæleſte in veritate guſtaverit.) Et ſic patet de fervente eius charitate.

QVARTO. *Beatus Thomas vidit Chriſtum per puritatem.* Vnde *Hieronymus in epiſtola* dicit: Quacunque virtute polleas, quibuſcunque operibus niteas, ſi cingulo caſtitatis careas, omnia per terram trahis.)

Sciendum, quòd virtus caſtitatis, & puritatis militat contra paſſiones concupiſcentiæ carnalis quatuor modis.

Primò. Aliqui militant contra iſtas paſſiones ſic, quòd nec eas ſuperant, nec etiam ab eis ſuperantur, ſed manent in continua lucta, donec paſſio ſpontè diſcedat. Et tales dicuntur perſeverantes: quia nec cadunt, nec vincunt.

Secundò. Aliqui militant ſic, quòd diu pugnant, & tandem vincunt, ſed cum difficultate. Et iſti dicuntur continentes.

Tertiò. Aliqui ſic militant, quòd iſtas paſſiones faciliter vincunt, confeſtim & inſurgunt ad modum bellatorum fortium. Et iſti dicuntur temperati.

Quartò. Aliqui ſic militant, quòd habent iſtas paſſiones adeo domitas, ut nequaquam inſurgere præſumant contra judicium rationis, ſicut populus infirmus, qui eſt ſubjugatus à fortiſſimo Principe. Et quia tales ſunt impaſſibiles ad modum Angelorum; ideo dicuntur virtutem habere heroicam, id eſt, Divinam: quia potiùs dicuntur filii Dei, quàm filii hominum.

Hoc modo beatus Thomas militavit contra paſſiones concupiſcentiæ, ut omnino impaſſibilis foret. In tantum enim dilexit puritatem, quòd vocavit eam turrim, fontem, & Dei miniſtram. Turrim propter ſui excellentiam: quia ſicut turris tranſcendit domum, ſic virginitas matrimonium. *Hieronymus.* Sicut poma ex arbore, frumentum ex ſtipula, aurum ex terra; ita virginitas de nuptiis naſcitur.) Vocat eam fontem propter eius fœcunditatem. *Idem.* Nuptiæ replent terram, virginitas paradiſum.) Vocat eam Dei miniſtram: quia virgines Deo aſſiſtunt. Apoc. 14. capite. *Hi ſequuntur Agnum, quocunque ierit.* Et ſic patet eius puritas, quam valde dilexit.

QVINTO. *Beatus Thomas vidit Chriſtum per poteſtatem*, quam habuit in miraculis faciendis. Vnde *Chryſoſtomus ſuper Matthæum hom.* 33. inquirens, quomodo Apoſtoli ſpiritus malignos ejiciebant, & infirmos ſanabant? Reſpondit: Ipſius Chriſti imperio, & poteſtate, juxta illud Matthæi 10. cap. *Convocatis duodecim Diſcipulis ſuis, dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut eiicerent eos, & curarent omnem langorem, & omnem infirmitatem.*

Beatus Thomas multos ſanavit quadrupliter. 1. Dando quibuſdam medicinam purgativam, ſicut Regi Indiæ, & pluribus aliis, quos à peccato purgavit.

2. Dando quibuſdam medicinam meliorativam, ſicut illis, quos ad virginitatem induxit, ut patet de ſponſo, & ſponſa, quos benedixit, & in virginitate conſervavit.

3. Dando quibuſdam medicinam conſervativam, ſicut illis, quos ad dandum eleemoſynas provocavit. Eleemoſyna enim gratiam Dei conſervat, juxta illud Eccli. 29. *Eleemoſyna viri quaſi ſacculus cum ipſo: & gratiam hominis quaſi pupillam conſervabit.*

4. Dando quibuſdam medicinam præſervativam, ſicut illis, quos ad audiendum verbum Dei induxit, quibus duodecim gradus diſtinxit, ut patet *in legenda.* Pſalm. *In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi*, &c. Aſſimilabat enim verbum Dei collyrio, emplaſtro, potioni, & cibo: quia convertit quatuor genera hominum.

1. Quoſdam illuminabat ad fidem, ſicut illos de India inferiori, & iſtis appoſuit collyrium. Nam poſt prædicationem eius baptizati ſunt novem millia virorum exceptis mulieribus, & parvulis; & in India ſuperiori illuminavit Syntychen, & cõvertit Migdoniam uxorem Cariſii cognati Regis, &c. Pſalm. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.*

2. Quoſdam docebat humilitatem, & iſtis

à tumore ſuperbiæ frangebat emplaſtrum, ſicut Regi Indiæ minoris, & Regnis Indiæ ſuperioris.

3. Quoſdam inducebat ad confeſſionem, & iſtis dabat potionem. Nam, cùm Apoſtolus eſſet poſitus in carcerem, veniens Migdonia confitebatur ei, rogans eum, ut ſibi indulgeret, quòd propter eam in carcerem miſſus eſſet. Quam ille benignè conſolans, hæc omnia ſe libenter perpeti aſſeruit.

4. Quoſdam timidos confortabat, & iſtis dabat cibum, ſicut Regi Indiæ inferioris poſtulanti veniam ab Apoſtolo, pro eo, quòd tradiderat eum in carcerem, ob fabricam palatii. Cui Apoſtolus ait: Multum vobis præſtitit Deus, ut ſecreta ſua vobis oſtenderet, &c. & ſic patet eius poteſtas.

SEXTO. *Beatus Thomas vidit Chriſtum per firmitatem.* Nam ante Chriſti Paſſionem hanc firmitatem ſe habere docuit, cùm dixit: *Eamus & nos, ut moriamur cum illo*, Ioann. 11. cap. Non enim dixit: Fugiamus cum eo, quia Chriſtus mortem non renuit, ſed dixit: *Eamus cum eo*: quia Chriſtus ſponte ad mortem ibat, Iſa. 53. *Oblatus eſt, quia voluit.* Nec dixit: Eatis vos, ſed *Eamus nos*: quia voluit ſibi eſſe ſocius in adverſis, qui fuerat in proſperis. Legitur de Cæſare, quòd nunquam dixit militibus ſuis: Ite, ſed, Venite. Sciebat enim, quòd labor cum duce præſtitus minor videtur eſſe militibus. Nec dixit Apoſtolus: Moriamur ante eum: quia hoc nullius fuiſſet utilitatis, cùm janua cæleſtis non eſſet aperta. Nec poſt eum: quia vivere poſt Chriſtum non reputabat vitam, ſed mortem. Sed dixit: Cum eo. Sciebat enim, quòd beatus erat ille, qui moriebatur cum eo, ſicut patet in latrone.

Etiam poſt Chriſti Paſſionem docuit ſe habere firmitatem in hoc, quòd graviſſima ſuſtinuit tormenta, quæ omnia Chriſtus in gloriam commutavit. Nam de pereutiente maxillam, vidit juſtam ultionem. Incarceratus à Rege, vidit honorificam liberationem. Super laminas aduſtus, vidit fontis emanationem. In fornacem projectus, vidit roris refrigerationem. Lanceis perforatus, vidit felicem coronationem. Et in his omnibus vidit Chriſtum hìc per gratiam, &c. Amen.

SERMO LXV.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

Hodie ſalus huic Domui à Deo facta eſt. Lucæ 19. cap.

BEatus Auguſtinus 10. *de civitate Dei cap. 6.* dicit: Verum ſacrificium eſt omne opus, quod agitur: ut ſancta ſocietate inhæreamus Deo. Super quo talem moveo quæſtionem.

Vtrum ſanctitas Chriſtianæ religionis ſit in cæremoniis dedicationis?

AD iſtam quæſtionem reſpondent duo Doctores novi Teſtamenti.

Primus eſt *Richardus de ſancto Victore in exceptionibus parte ſecunda*, dicens: Multi autem æſtimantur in hoc ædificio ſpirituali per ſanctitatem contineri, qui tamen ab ipſo longè per pravitatem ſunt remoti. Extra ipſum quippe ſunt immundi, fornicarii, ebrioſi, fœneratores, avari, rapaces, odioſi, mendaces, & qui fratri ſuo, fatue, dicunt, & qui mulierem ad concupiſcendum aſpiciunt. Non enim ſunt illius ædificii lapides, qui charitatis non ſunt participes. Talem ergo vitam fratres agamus, ut domus Dei lapides eſſe poſſimus. *Hæc ille.*

Secundus eſt *Sanctus Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 81. artic. 8.* dicens: Nomen ſanctitatis duo videtur importare, ſcilicet: munditiam, & huic ſignificationi competit nomen Græcum: dicitur enim Agyos, quaſi ſine terra. Alio modo videtur importare firmitatem. Vnde apud antiquos ſancta dicce-

cebantur, quæ legibus erant munita, ut violari non deberent. Vnde & dicitur aliquid ſanctum: quia eſt in lege firmatum. Poteſt etiam ſecundùm Latinos hoc nomen, ſanctus, ad munditiam pertinere, ut intelligatur ſanctus, quaſi ſanguine tinctus: eò quod antiquitus illi, qui purificari volebant, ſanguine hoſtiæ tingebantur, ut *Iſidorus* dicit *lib.* 10. *Etymologiarum c.* 18. Et utraque ſignificatio competit, ut attribuatur his, quæ Divino cultui applicantur: ita quòd non ſolùm homines, ſed etiam templa, & vaſa, & alia hujuſmodi ſanctificari dicantur ex hoc, quòd cultui Divino applicantur. *Hæc Sanctus Thomas.*

Sciendum, quòd cultus Dei duo reſpicit: ſcil. Deum, qui colitur, & homines colentes. Ipſe ergo Deus, qui colitur, nullo corporali loco clauditur; unde propter ipſũ non oportuit fieri Tabernaculũ, aut Tẽplũ, ſeu Eccleſiã. Sed homines ipſum colentes corporales ſunt, & propter eos oportuit ſpeciale Tabernaculum, vel Templum, ſeu Eccleſiam inſtitui ad cultum Dei propter duo. Primò. Vt ad hujuſmodi locum convenientes cum hac cogitatione, quòd deputetur ad colendũ Deũ, cum maiori reverentia accederent. Secundò. Vt per diſpoſitionem huius loci ſignificarentur aliqua pertinentia ad excellentiam Divinitatis, vel humanitatis Chriſti. Et hoc eſt, quod Salomon dicit 3. Reg. 8. cap. *Si cælum, & cæli cælorum te capere non poſſunt, quantò magis domus hæc, quam ædificavi?* Et poſtea ſubdit: *Sint oculi tui aperti ſuper domum hanc nocte ac die: ſuper domum, de qua dixiſti: Erit Nomen meum ibi: ut exaudias orationem, quam orat in loco iſto ad te ſervus tuus*, &c. Ex quo patet, quòd domus Sanctuarii non eſt inſtituta ad hoc, quòd Deum capiat quaſi localiter habitantem, ſed ad hoc, quòd Nomen Dei inhabitet ibi, id eſt, ut notitia Dei manifeſtetur ibi per ea, quæ fiunt, & dicuntur ibi; & quòd propter reverentiam loci orationes fierent ibi magis exaudibiles ex devotione orantium. Sanctificatio autem Tabernaculi, vel Templi, ſeu Eccleſiæ, & vaſorum eius habet duplicem cauſam. Primò literalem, ut in majori reverentia haberentur, quaſi per hujuſmodi conſecrationem Divino cultui deputata. Secundò figuralem, ut per hujuſmodi ſanctificationem ſignificaretur ſpiritualis ſanctificatio viventis tabernaculi, ſcilicet fidelium, ex quibus conſtruitur Chriſti Eccleſia; ideo dicitur.

Hodie ſalus huic Domui à Deo facta eſt

Per inchoationem.
Per inſtitutionem.
Per diſpoſitionem.
Per emundationem.

PRIMO. *Hodie ſalus huic Domui à Deo facta eſt per inchoationem* conſecrationis Eccleſiæ, vel Altaris. Nam in qualibet ætate, & apud quaslibet hominum nationes ſemper fuit aliqua ſacrificiorum oblatio in ſignum debitæ ſubjectionis, & honoris Dei, ut poteſt patere.

1. Adam, ſicut & alii juſti, ſacrificium obtulerunt ſecundùm ſui temporis congruentiam, ut patet per *Greg. 4. moral. c.* 2. qui dicit, quòd apud antiquos per ſacrificiorum oblationes remittebatur pueris originale peccatum. Non tamen de omnibus juſtorum ſacrificiis fit mentio in Scriptura, ſed ſolùm de illis, circa quæ aliquid ſpeciale accidit. Poteſt tamen eſſe ratio, quare Adam non legitur ſacrificium obtuliſſe: ne, quia in ipſo nominatur origo peccati, ſimul etiam in ipſo ſignaretur ſanctificationis principium, de quo dicitur Sap. 10. cap. *Sapientia eduxit illum à delicto ſuo*, &c.

2. Abel. Dicitur enim Gen. 4. cap. quòd Cain obtulit de fructibus terræ munera Domino, Abel autem de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum, &c.

3. Noe. Dicitur enim Gen. 8. cap. *Ædificavit Noe Altare Domino, & obtulit ſuper illud holocauſta.*

4. Abraham. Gen. 12. cap. *Ædificavit Abraham Altare Domino, & invocavit Nomen eius.*

5. Iacob. Dicitur enim Gen. 28. cap. *Tulit lapidem, & erexit in titulum, fundens oleum deſuper.* Nam hujuſmodi oblationes, ſacrificia, & holocauſta offerebant antiqui ante legem ex quadam devotione propriæ voluntatis, ſecundùm quòd eis videbatur conveniens: ut in rebus, quas à Deo acceperant, quas in reverentiam Divinam offerent, proteſtarentur ſe colere Deum, qui eſt omnium principium, & finis.

6. Moyſes conſecravit Tabernaculum Domini cum magna ſolemnitate, *Exo.* 30. *cap.*

7. Aaron obtulit ſacrificium Deo in odorem ſuavitatis in Tabernaculo, *Eccli.* 45. *c.* Hi enim ſacra quædam inſtituerunt: quia vi-

debatur eis conveniens, ut in reverentiam Divinam eſſent aliqua loca ab aliis diſcreta, Divino cultui mancipata.

8. David. Dicitur enim Eccli. 47. *David ſtare fecit cantores contra Altare, & in ſono eorum dulces fecit modos. Dedit in celebrationibus decus, & ornavit tempora uſque ad conſummationem vitæ: ut laudarent Nomen Domini ſanctum, & amplificarent mane Dei ſanctitatem.*

9. Salomon. Dicitur enim 3. Reg. 9. c. *Sanctificavi Domum hanc, quam adificaſti: ut ponerem Nomen meum ibi in ſempiternum.*

10. Zorobabel. Dicitur enim Eccli. 49. cap. *Zorobabel, & Ieſus Ioſedec in diebus ſuis adificaverunt Domum, & exaltaverunt Templum ſanctum Domino paratum in gloriam ſempiternam*, &c.

11. Iudas Machabæus Templum prophanatum à Gentibus mundavit, 2. *Machab.* 10. *cap.*

12. Ioannes, Apocalyp. 21. cap. *Vidi civitatem ſanctam Ieruſalem novam deſcendentem de cælo à Deo, paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.*

SECVNDO. *Hodie ſalus huic Domui à Deo facta eſt per inſtitutionem* conſecrationis Eccleſiæ, vel Altaris. Nam apud Syriam in civitate Beryto anno Domini ſeptingenteſimo octuageſimo ſeptimo, poſt miraculũ de Sanguine effuſo miraculosè ab imagine ſancti Salvatoris, Iudæi Synagogas in Eccleſias conſecrarunt; & ex tunc hic mos inolevit, ut Eccleſiæ conſecrarentur: quia ante tantùm Altaria conſecrabantur, ut dicitur *in legenda exaltationis ſanctæ Crucis*. Eccleſia enim conſecratur propter quatuor.

1. Propter diabolicæ poteſtatis expulſionem. Patet per miraculum, quod refert beatus *Greg. in dialogo*, ut ponitur *in legenda dedicationis*.

2. Propter orationum exauditionem. 3. Reg. 8. cap. *Quicunque rogaverit in loco iſto, exaudies in loco habitaculi tui in cælo: & cùm exaudieris, propitius eris*, &c. *in legenda dedicationis*.

3. Propter laudum perſolutionem, quæ fit in ſeptem horis Canonicis, ut dicitur *ibidem*.

4. Propter Sacramentorũ miniſtrationem: quia in Eccleſia Sacramenta miniſtrantur, & continentur, ut dicitur *ibidem*. Ex quo fit, ut confugientes ad Eccleſiam ſalventur.

TERTIO. *Hodie huic Domui ſalus à Deo facta eſt per diſpoſitionem*, quantùm ad ea, quæ exiguntur ad conſecrationem. Nota *in legenda dedicationis*. §. Secundò videndum eſt de Eccleſia qualiter conſecratur, &c.

QVARTO. *Hodie ſalus huic Domui à Deo facta eſt per emundationem*, præcipuè poſtquàm prophanatur. Nota *in legenda dedicationis*. §. 3. Per quos prophanatur, &c. uſque: Altaria fulgent, &c. Amen.

Expliciunt ſermones de Sanctis per annũ, quos compilavit *Magiſter Leonardus de Vtino* ſacræ Theologiæ Doctor Ordinis fratrum Prædicatorum. Ad inſtantiam, & complacentiam magnificæ communitatis Vtinenſis, ac nobiliũ Virorum ejuſdem, anno M.CCCC. XLVI. in vigilia beatiſſimi Patris noſtri Dominici Confeſſoris. Ad laudem, & gloriam Dei omnipotentis, & totius Curiæ triumphantis.

Ieſu Flos Matris Virginis,
Amor noſtræ dulcedinis:
Tibi laus, Honor Numinis,
Regnum beatitudinis.

Digitized by Google

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

Numero præcedenti paginam, ſequenti columnam indicans.

A

ABel inter Patres teſtamenti veteris Martyr primus. *pagina* 80. *col.* 1. Cur à Deo priùs muneribus reſpectus. 191. 2.

Abraham literarum Syriacarum, & Chaldaicarum inventor. 34. 1. Eius connubium, Ioanniſque continentia meriti ejuſdem. 254. 1.

Abſalom capillis ſuſpenſus, figura Chriſti Cruci affixi. 215. 2.

Abſcondi nequeunt quatuor: ignis, ſcabies, tuſſis, amor. 263. 1.

Abſentare ſe ab amicis corporaliter, ut adjuventur ſpiritualiter, charitas. 126. 1.

Abſtinentia militat virginitati. 256. 1.

Achimelech inter Sacerdotes Martyr primus. 80. 1.

Activi ſuccedunt in locum mammonæ, qui eſt ordo Angelorum. 438. 2.

Actus virtutum poſt triſtitiam delectant, vitiorum poſt delectationem confundunt. 269. 1.

Adam inventor vocabulorum. 34. 1. In ſtatu innocentiæ habuit ſcientiam omnium, ad generis humani inſtitutionem, & gubernationem. 42. 2. De terra terrenus, in dicto ſtatu vidit Deum, ut viator, in ænigmate, utpote beatus non beatitudine viſionis Divinæ, ſed perfectione vitæ, ſecundùm quandam perfectionem naturalem. 216. 2. Cognitionem rerum naturalium habuit, pro gubernatione vitæ neceſſariam, aliarum minimè. 217. 1. Decipi non poterat, niſi peccato præventus, experimento Evæ, præventæ peccato internæ elationis. *Ibidem.* Habuit dominium ſuper omnia naturalia, quantùm ad effectus naturales. *Ibid.* 2. Caruit poteſtate mutandi ſe in aliam formam, non verò conſervandi à nocivo. *Ibid.* Erat incorruptibilis ex parte cauſæ efficientis per donum gratiæ. *Ibid.* Habuit perfectionem omnium virtutum, ſecundùm ſtatus illius condecentiam. 218. 1. Eſt gubernator omnium naſcentium naturaliter. *Ibid.* Fuit Deo ſimilis ſecundùm imaginem creationis, & recreationis. *Ibid.* 2. Non periclitans ab interiori ſed ab exteriori, indigebat Angelorum cuſtodiâ. 222. 1. Cur de eius ſacrificiis Biblia nil contineant. 497. 2.

Adjuvari aliquem, contingit uno modo: præſtando infirmo virtutem, quod Deo immediatè non convenit. Alio modo: per miniſterium, quo Deus quodammodò adjuvatur per nos, ad obſervandam in rebus pulchritudinem. 136. 2.

Adoptio filiationis ſimilitudinem gerit cum filiatione naturali. 384. 2. Intimabatur circa adoptivos Dei filios, Spiritu ſancto ſuper Chriſtum baptizatum deſcendente, reſonante voce Patris, obtingens defactò mediante baptiſmo. 386. 1. Inter Dei Filium naturalem & adoptivos differentia. *Ibid.*

Adverſitates æquo animo tolerandæ, ratione quadrifariâ. 107. 1. 2. Iuſtorum ſunt proſperitates. 436. 2. toleratæ æquivalent martyrio. 458. 1. *Plura in ſimili vide*: Patientia.

Adulterium peccatum utrinque graviſſimum. 264. 1.

Ædificium ſpirituale pro fundamento prærequirit humilitatem, pro materia Chriſtum. 147. 2. Fundamentum præterea quadrifarium: veritas prima, 227. 1. humilitas, fortitudo. *Ibid.* 1. 2. charitas. 228. 1. Peccatis immerſi ædificii huius lapides non ſunt. 496. 1. 2.

Ægyptii ante chartæ ſeu papyri uſum junci cortices adhibebant. 35. 2.

Ætas quadrifaria. 490. 2. *& ſeq.* juvenilis plerumque laſciva. 127. 1. *De hac plura vide*: Iuventus.

Afflictio corporis animique ſufferenda, ne proximus pereat. 125. 2.

S. Agatha Virgo & Martyr. *De ea ſermo integer.* Ibid.

Agens omne operatur propter finem ſive convenientem, ſive inconvenientem. 377. 2.

S. Agnes Virgo & Martyr. *De ea ſermo integ.* 97.

Agnus paſchalis Euchariſtiæ ſymbolum. 50. 2. Eius eſus annuus fiebat in memoriâ eductionis Iſraelitarum de Ægypto. *ibid.* Eius autem immolatio ſignificabat Paſſionem Chriſti. 51. 1.

Agricolæ ſtudioſi teſtimonium, meſſis fœcunda. 244. 1.

Agriculturæ inventores quinam. 36. 1.

Alcinous fabularum inventor. 34. 1.

Alleluia cur in Miſſa Innocentum omittatur. 238. 2.

Ambitio honorum ſemper periculoſa. 273. 1. Filiorum Zebedæi. 274. 1. 2. Cur non mater, ſed hi eius filii à Chriſto reprehenſi. *Ibid.* 2.

S. Ambroſius Doctor Eccleſiæ. *De eo ſermo int.* 165. Convertit S. Auguſtinum. 167. 2.

Amicitiæ proprium amico ſecreta revelare, omnia communicare, offenſam remittere. 32. 1. 2. Converſari cum amico, eius gaudere præſentiâ. 33. 1.

Amor Dei fecit civitatem Dei uſque ad contemptum ſui. 27. 1. Dei amor ſuam bonitatem amantis, cauſa eſt creationis rerum. *Ibid.* Otioſus non eſt. 54. 1.

Amor Divinus extinguit quadrifarium amorem inordinatum. 301. 2. *& ſeq.* In tribulatione quacunque quatuor operatur effectus mirandos. 303. 2. *& ſeq.* Patriæ cæleſtis in quonam conſiſtat. 225. 2.

Amor boni communis efficit bonum politicum. *ibid.* 1. 2. In quonam conſiſtat. *Ibid.* Amatum omne in amante. 32. 1.

Amores duo efficiunt civitates totidem: Ieruſalem, & Babyloniam; ſive cælum, & infernum. 225. 1.

Amor, *vide*: Dilectio.

Anaxagoras florebat ſtudiorum induſtriâ. 170. 1.

S. Andreas Apoſtolus. *De eo ſerm. integ.* 475.

Angelus convenienter à Deo præmittitur ad Mariam Incarnationis prodromus: quia ſerpens à diabolo miſſus ad Evam in ruinam generis humani. 71. 2. Poteſt immutare exteriores ſenſus hominis, non cogendo eius libertatem: etiam phantaſiam & imaginationem eius, non cogendo voluntatem, & hoc trifariè. 411. 1. 2. Apparens homini corporaliter, illuminat intellectum eius ſpiritualiter: indirectè agens in voluntatem eius, libertatem non tollit. *Ibid.*

Ibid. 2. Tutelaris nunquam totaliter dimittit hominem custodiendum. 368. 2.
Angeli. De eorum erga nos cura & custodia *sermo integer*. 367.
Angeli, utpote creaturæ intellectuales & spirituales, ad perfectionem universi requiruntur. 26. 2. In principio creationis cognoverunt mysteria gratiæ, præcipuè Incarnationis Christi. *Ibid.* Priusquàm beati, gratiam & charitatem habuerunt, quibus meruere beatitudinem. *Ibid. & seq.* Mysterium Incarnationis primitùs edocti, juxta Divinam ordinationem hominibus revelarunt. 71. 2. Charitate, & dilectione Dei semper exarsere, speciatim præliantes contra Luciferum. 27. 1. Eis inest perfecta Dei imago. 41. 1. Distinguuntur in tres Hierarchias: rationes rerum, de quibus illuminantur, possunt considerari trifariè: inter eos reperitur ordinum, quin in eodem ordine, insuper & actuum distinctio. *Ibid.* 1. 2. Eorum cibus Corpus Christi quadrifariè. 50. 1. Ante confirmationem habuerunt fidem de futura beatitudine, & Christi Incarnatione. 70. 2. Eorum ruina ex hominibus restauranda. 71. 2. Eis inest virginalis munditia, charitas ignita, velox obedientia, solicita custodia. 109. 1. Eorum officium quadrifarium. 130. 2. 151. 1. Eorum actiones à Deo procedunt velut instrumenta, à quo moventur. 221. 1. Cur dicantur divinitùs mitti in ministerium. *Ibid.* Deputantur in hominum custodiam. 222. 1. 367. 1. 2. *& seq.* Removent impedimenta ad benè operandum. *Ibid.* Per eos fiunt revelationes propheticæ, & illuminationes supernaturales. 222. 2. *& seq.* Qualiter dicantur invicem resistere. 223. 1. Eorum custodia conceditur etiam infidelibus. 224. 1. Quinam illi, ob quos mulieri velato capite orare præcipitur. 266. 1. Orantibus astare soliti. 308 2. Eorum custodia nobis necessaria ob rationes varias. 367. 2. Eâ fruebantur Protoparentes etiam ante lapsum: fruuntur peccatores maximi, infantes in utero, infideles, præsciti, fruetur & Antichristus. 368. 1. Solus Christus eâ non egebat. *Ibid.* 2. Naturaliter eorum secreta non rescimus, sed Deo revelante. 369. 1. Tres Hierarchiæ continent eorũ Ordines novem. 369. 1. 431. 1. 2. *& seq.* Nominũ interpretatio, eorumque officia. 369 2. *& seq.* 431. 2. *& seq.* Inde ceciderunt innumeri, quibus succedunt electi per donum gratiæ. 371. 1. 2. 431. 1. 2. *& seq.* Nec tamen propter hos formandus ordo, qui inter Angelicos choros dicatur decimus. 430. 2. Eorum custodia magnum Dei amoris erga nos argumentum. 371. 2. Erga eos nobis semper præsentes magna habenda reverentia. 372. 1. Effectus Angelicæ custodiæ quadrifarius. *Ibid.* Ex quovis choro destinantur in salutem nostram. *Ibid.* 2. Administrant quadrifariam gratiam, confortantem contra totidem animæ passiones. 373. 1. 2. *& seq.* Bonus & malus Angelus cuivis homini datur. *Ibid.* 1. Modus, quo perversus tentat, & tutelaris defendit, fusè describitur. *Ibid.* 1. 2. *& seq.* Sunt nostri, nostrorumque operum coram Deo præsentatores & defensores quadrifariè. 376. 1. 2. Demum animarum nostrarum in cælum delatores. *Ibid.* 2. Eorum proprietates: obedientiæ velocitas, essentiæ puritas. 386. 2. magna humilitas, fervens charitas. 387. 2. Lætantur homines sibi sociari. 430. 2. Angeli apostatæ cur non in mundo, nec in superiori parte aeris, sed in medio habitare permittantur. 221. 2.
Anima. Hujus glorificatæ ad nutum parebit corpus. 21. 2. Fit beata Deum participando. 22. 1. Eius beatitudo in patria redundabit in corpus. 204. 2. 419. 1.
Anima peccatis obnoxia, obscurata, catenis vitiorum ligata, Spiritus sancti gratiâ illuminatur, libertati donatur. 37. 1. Inbono stabilitur, arida humore gratiæ fœcundatur. *Ibid.* Acquirit mentis vigorem, mandatorum Dei promptitudinem. *Ibid.* 2. A Deo invitatur per inspirationem. 100. 2. Debet mox consensum præbere, invitantem patienter sequi per infamiam & bonam famam. *Ibid.* Pro amore invitantis amoris vices reddere. 101. 1. Virtutibus florere. *Ibid.* Amore Sponsi à parentibus separari, &c. 102. 1. Ut Deus eam inhabitet, debet ei assimilari per aliquod Spiritus S. donũ, quod est charitas. 233. 1. Visitationis præfatæ indicia multifaria. 100. 2. Nec se abscondat quovis modo, dum visitatur. 101. 1.
Animæ humanæ dignitas colligitur ex Angelorum custodia. 367. 1. 2. *& seq.* Immortalitas probatur authoritatibus Poetarum, Historicorum, Philosophorum gentilium. 441. 1. 2. *& seq.* Testamenti veteris 443. 2. novi. 444. 2. *& seq.*
Anima Deicola 5. modis Deo similis. 467. 1. 2. Diversæ qualitates nobiles de ea allegantur. *Ibid.* ob quas carnalibus non coinquinanda vitiis. *Ibid.* 2.
Anima Gentilis, Pagani, Christiani perversi Deo dissimilis. *Ibid.* Qualiter immutetur Divina accedente inspiratione. *Ibid. & seq.*
Animæ desideranti Deus festinus occurrit. 468. 1. Est de progenie nobilissima, Deo propinqua, de qua nobilitate excluditur nulla; proinde Christi, aut diaboli sponsa. *Ibid.* 2. Ea & Angeli quasi ejusdem sunt religionis. 494. 1.
Animæ, quoad merita, differunt quadrifariè. 224. 2. Iustorum ante restitutionem corporum mox recipiuntur in cælum. 419. 1. 2. Conflat auth. Bibliorum. 420. 2. SS. Patrum. *Ibid. & seq.* Canonum. 421. 1. Ecclesiæ. *Ibid.* 2. Contrarium affirmant Cathari Hæretici. *Ibid.* Cur etiam iustorum glorificentur corpora in universali judicio. 419. 1. 2.
Animæ fidelium defunctorum. *Pro earum commemoratione anniv. fer. int.* 440.
Animalia irrationalia habent prudentiæ duntaxat participationem. 217. 2.
Anna uxor Ioachimi ter matrimonium contraxit. 84. 1.
Anna Prophetissa prænunciavit de Beata Virgine quatuor. 118. 2.
Antichristus proprium habebit Angelum custodem. 224. 1. Destruetur à sancto Michaele Archangelo. 223. 2.
S. Antonius Abbas. *De eo sermo integ.* 91.
Apostata vir inutilis, plenus defectibus & vitiis. 123. 2.
Apostolatus. Cur ad eum non divites, non nobiles, sed pauperes rudesque fuere piscatores vocati. 414. 1. Cur & Iudas traditor. *Ibid.*
Apostoli pro conversione mundi egebant dono prophetiæ. 30. 2. dono linguarum. 31. 1. gratiâ sermonum. *Ibid.* miraculorum operatione. *Ibid.* 2. Aliqui baptizabantur à Ioanne, aliqui à Christo. 205. 1. Lampades mundi. 206. 2. Composuerunt symbolum fidei. 275. 2. Lapides pretiosi, descripti à S. Ioanne. 330. 1. 2. Lapides vivi, & fundamenta domus Dei. 335. 1. A Christo prius vocabantur ad

ad ſtatum Diſcipulatus, quàm Apoſtolatus. 362. 2. *& ſeq.* Habebant ſcientiam multiplicem. 381. 1. Sortiebantur dignitatem quadrifariam: quidam nominis mutatione. 393. 2. cuncti legis Chriſti obſervatione, Eccleſiæ ſuſtentatione. 394. 1. Spiritus ſancti repletione. *Ibid.* 2. Eorum actus Lucas conſcripſit. 406. 2. Cur ad prædicandum miſſi ſine pera, baculo, &c. 416. 2. Succedunt in locum Belial, qui eſt ordo Thronorum. 433. 2. Eorum diverſæ prærogativæ. 457. 1. 2. Eorum vocationem Porphyrius reprobat trifariè, quæ tamen multis contrariis argumentis approbatur. 475 1. 2. *& ſeq.* Cur piſcatores & venatores dicti. 479. 2. Eorum numerus duodenarius præfigurabatur in teſtamento veteri. 480. 1. Conformis numero electorum, & cum Chriſto judicantium. *Ibid.* Cur quidam eorum ſimul vocati. *Ibid.* 2. Pro eis Chriſtus oravit in Cruce. *Ibid.*

Arbor decorticata martyrii ſymbolum. 337. 2.

Arbores verno tempore vireſcentes Chriſtum reſurgentem oſtentant. 20. 2. *& ſeq.*

Architecturæ authores primi. 36. 1.

Ariſtoteles florebat ingenii ſubtilitate. 169. 2. Duas partes orationis: Nomen & Verbum, tradidit primus. 34. 1.

Arithmetica quidnam docet. 43. 2. Eius inventor Pythagoras. 34. 2.

Ars piè vivendi ſciri debet à quovis: non ſic artes reliquæ. 256. 2.

Aſtrologiæ inventores nativitatiſque obſervatores primi, Chaldæi. 34. 2.

Aſtronomia quidnam docet. 9. 2. 44. 1. Eius inventores quinam. 34. 2.

Auditus deſervit diſciplinæ, cujus ſurdus eſt incapax. 477. 1. 2.

S. Auguſtinus Doctor Eccl. *De eo ſer. integ.* 338. Doctrinæ eius præſtantia variis celebratur encomiis. *Ibid.*

Aureola quid ſignificet. 460. 1.

B.

Baptiſmus. Cur in eo fiat trina immerſio. 46. 2. Eſt principium ſpiritualis vitæ, janua Sacramentorum. 47. 2. Recipi poteſt ab adultis in voto, non à pueris. 48. 1. Corporis & Sanguinis Chriſti eos efficit participes. *Ibid.* Sanguinis primitùs in S. Stephano efficaciam habuit. 80. 2. Ioannis gratiam non conferebat, ſed ad eam diſponebat quadrifariè. 236. 1. 2. In reſurrectione aufert à juſtis pœnalitates totaliter, quod conveniens eſt ratione trifariâ. 347. 2. *& ſeq.*

S. Barnabas Apoſtolus. *De eo ſermo integer.* 225.

S. Bartholomæus Apoſt. *De eo ſermo integ.* 330.

S. Baſilius unà cum civitate ſua periclitans ope divæ Virginis Mariæ ſecuritati redditur. 307. 2.

Beati in patria fruuntur omni bono deſiderabili. 33. 2. 42. 1. Fruuntur loci altitudine, latitudine, pulchritudine, habitaculorum multitudine. 59. 1. 2. Deguſtant 4. fercula, in quibus eorum conſiſtit beatitudo. *Ibid.* 2.

Beatitudo cæleſtis deſiderium ſatiat, omne malum excludendo. 33. 1. 2 Conſiſtit in clara Dei viſione per eſſentiam. 77. 1. Summa illic felicitas, quæ acquiritur modis octo. 91. 1. 2. Ad eam concurrit æternitatis participatio in clara viſione, quæ eſt perpetua ob ſex cauſas. 203. 1. 2. intellectus perfectio in cognoſcibilium cognitione, appetitus quietatio, corporis perfectio, clara viſio omnis rei creditæ, comprehenſio, delectatio ſeu fruitio. 204. 1. 2. Naturaliter deſideratur à quovis homine. 424. 2. Quoad eius ſubjectum errarunt Epicurei & Stoici. *ibid.* Eius proprium ſubjectum eſt totus homo, cuius felicitas deſcribitur quantùm ad corpus & animam, omneſque ſenſus. *ibid. & ſeq.* Dicitur talis quadrifariè. 460. 1. Eam ex naturali conamine nemo, ſed Deo auxiliante mereri poteſt. 461. 1. 2. Contraria opinio Pelagii refellitur. *ibid.* Tale auxilium petenti non denegatur. *ibid.* Plura de hac beatitudine *vide*: Cælum.

Bellum novum ſeu ſpirituale quadrifarium. 413. 1.

Benedictio trifaria: naturæ, gratiæ, & gloriæ. 150. 1. 2. *& ſeq.*

S. Benedictus Abbas. *De eo ſerm. int.* 150.

Beniamin. Eius proſperitas deſcribitur. 389. 1. 2.

Benignitas virum decet, non rabies fœminea. 185. 1.

S. Bernardus Abbas. *De eo ſerm. int.* 319.

S. Blaſius Epiſc. & Martyr. *De eo ſerm. int.* 119.

Bona communicare, amicitiæ proprium. 32. 1.

Bonus, etſi ſerviat, liber eſt: malus, etſi regnet, ſervus; tot quidem dominorum, quot vitiorum. 468. 2.

Boni periclitantur, malis cohabitando. 258. 1.

Bonum publicum ut conſervetur, requirit communitatem, quæ exigit tria fundamenta. 146. 2. Rectores ſapientes. 147. 1. Legem naturalem, humanam, Divinam, ſanctitatem, innocentiam. *ibid.* 1. 2.

Bonum uno modo verè bonum, ſimpliciter perfectum; alio modo ſecundùm quandam ſimilitudinem. 377. 2.

Bonum omne divinitùs collatum poſt peccatum Adæ cadit ſub meritis Chriſti. 459. 1.

Bos, cui aſſimilatur S. Lucas Evangeliſta, quatuor gerit qualitates myſticas. 405. 2. *& ſeq.*

Boves arabant, aſina paſcebantur, declaratur. 39. 2.

C.

Cadmus characteris Græci inventor. 34. 1.

Cælum diſtinguitur in plagas quatuor. 27. 2. Dicitur in Scripturis quatuor modis. 41. 2. *& ſeq.* Plures cæli differentiæ allegantur. *ibid.* Empyreum locus ampliſſimus, manſiones plurimas continens. 425. 1. 2.

Cælorum regnum acquiritur octo modis. 91. 2. *& ſeq.* Conceditur, promittitur, oſtenditur, percipitur. 97. 1. Venale. 125 1. 257. 1. Quodammodò evacuabatur quatuor vicibus. 319 2. Eſt pulchritudinis quadrifariæ. 413. 2. Pulchrum exterius, longè pulchrius interius. 125. 1. Quodammodò rapiendum. 426. 2. Gaudii ſocietas & ſatietas deſcribitur. 435. 1. 437. 1. Illic chorea & cantus Chriſto inchoante, & quovis choro Sanctorum proſequente. 427. 1. 2. Deus laudatur continuè. 428. 1. Illic creditur locutio fieri in lingua Hebræa, quæ erat Adæ. *ibid.* Illue tot pertingunt prædeſtinati, quot ceciderunt angeli apoſtatæ: nec tamen propter electos formandus ordo, qui inter Angelicos choros dicatur decimus. 430. 2. Plura de cæleſti gaudio, *vide:* Beatitudo.

Cæleſtia revelantur hominibus per Angelos. 22. 1. Hæc deguſtans terrena reſpuit. 495. 1.

Carminum ſeu metrorum Hæbraicorum inventor Moyſes. 34. 1.

Caſtigatio carnis militat virginitati. 256. 1.

Caſtitas ſtatum immortalis gloriæ repræſentat. 97. 1. Matrimonio præfertur, laudibuſque celebratur. 324. 1. 2. Eius contra laſciviam certamen duriſſimum. *ibid.* 2. *& ſeq.* 489. 1. Virtutum, operumque bonorum decor & valor. 495. 1. Militat contra paſſiones concupiſcentiæ quatuor modis. *ibid.* Turris, fons, Dei miniſtra. *ibid. Vide:* Virginitas.

Caſus Luciferi aliorumque quorundam lapſorum, & eorundem ſucceſſores recenſentur. 135 1. 2.

S. Catharina Virgo, & Martyr. *De ea ſermo integ.* 466.

Cato Uticenſis floruit rigiditate. 170. 2.

Cauſa quævis operatur primitùs in magis propinquum. 13. 2. Quantò ſuperior, tantò ad plura ſe extendit. 298. 1. Altiſſima ſumitur dupliciter: ſimpliciter, & in aliquo genere: utriuſque explicatio. 377. 1.

Character ſacerdotalis. Eius fulgor; proprietas quadrifaria. 134. 1. 2.

Charitas (cui contrariatur omne peccatũ mortale) eſt in ſubjecto amiſſibiliter ſeptem modis. 121. 1. 2. Requiritur in martyrio, cauſans incendium amoris, ſermonis, operationis, immutationis. 105. 2. Sine ea nulla virtus vera. 125. 2. Quærit otium ſanctum, neceſſitas ſuſcipit negotium juſtum. 212. 2. Eàdem diligitur Deus & proximus. 125. 2. In quo hæc conſiſtat. 225. 2. In ea diſtinguuntur tres gradus, quorum poſtremus perfectiſſimus. 226. 1. Sine ea fides non eſt virtutum fundamentum. 228. 1. Hæc aurum, prædicatio argentum, requirunt nexum virtutum Apoſtolicarum. 302. 1. 2. Non mox ut nata, ſed ut nutrita & roborata perficitur. 363. 1. Per eam gratia magis quàm per reliquas virtutes operatur. 403 1. Per eam reliquæ operantur, & meritoriæ efficiuntur. *ibid.* Eius laudes. 432. 1. Actio rectitudinis, oculis Deum reſpiciens. 494. 2. Eius opera, puta: dare eleemoſynas, recipere hoſpites &c. in religione laudabilia. 92. 2. Charitatis erga proximum 20. indicia. 125. 2. *& ſeq.* Ob proximi ſalutem conſolationem ſpiritualem negligere, charitas Apoſtolica. 126. 1.

Chriſtianus catholicus quivis, ad judicium univerſale, ſuâ fide ſecurus accedere poterit, confuſis infidelibus. 45. 2. Verus fidem Chriſti corde & ore proteſtatur. 104. 1. opera virtutum exercet, pro iis patitur. *ibid.* 2. peccatis moritur, pro reprehenſione vitiorum agonizat. *ibid.* Tunc maximè oppugnatur, quando perſecutionem nullam ſentit. 382. 1. in quibus pro auxilio ad Deum refugit. *ibid.* Plures præterea veri Chriſtiani conditiones. 485. 2.

Chriſtus.

Chriſti Incarnatio (præfigurata lapide de monte ſine manibus abſciſo) Mariæ Virgini convenienter per Angelum annunciatur. 10. 1. 2. 71. 2. Chriſtus utero virgineo recluſus ſecundùm Deitatem extra quoque fuit, cæli terræque adminiſtrationem non deſerens, quaſi à Patre recedens. 10. 2. Anima eius à principio conceptionis fuit glorioſa fruitione Divinitatis. 13. 2. Eo de cælo deſcendente Divina natura in cælo eſſe non deſiit, nec Corpus eius de cælo deſcendit, ſed virtute Spiritus ſancti formabatur. 216. 2. Eius Incarnatio Adamo revelabatur, dicenti: *Hoc nunc os ex oſſibus meis. ibid.* Chriſtus incarnatus Deum vidit, ut viator & comprehenſor. *ibid.* In utero virgineo uſu fruebatur liberi arbitrii. 114. 1. Myſterium hoc, fundamentum fidei. 70. 1. primitùs ab Angelis revelatum hominibus. 71. 2.

Chriſti Nativitas. *De ea ſermo integer.* 70. Fuit præcognita imo conſpecta ab Angelis. 71. 1. A Patriarchis prævisa in diverſis figuris. *ibid.* 2. *& ſeq.* A Prophetis præmonſtrata. 72 2. *& ſeq.* A doctoribus legis antiquæ cognita; à paſtoribus, à Simeone, ab Anna Prophetiſſa, à Zacharia & Eliſabeth, ab Apoſtolis & Paganis viſa. 74. 1. 2. imo à duodecim Sibyllis prænunciata. *ibid.* 2. *& ſeq.* Prævisa pariter fuit à nonnullis Gentilibus. 75. 2. Conſpecta pariter à Magis in Oriente exiſtentibus, & ab aliis certificatis per miracula, facta in corporibus cæleſtibus, in elementis, in diverſis creaturis. 76. 1. 2. Cur primitùs non omnibus ſed quibuſdam duntaxat hominibus fuerit manifeſtata. 7. 1. 2. Cur Iudæis per Angelos, Magis Gentilibus per ſtellam, Simeoni & Annæ interiori inſtinctu intimata. 8. 1. Cur obtigerit in Bethlehem. 11. 1. Nulla facta eſt tunc mutatio in Deo, ſed in homine aſsumpto. 10. 2. Animæ eius gloria cur non redundavit in Corpus, niſi poſt mortem & Paſſionem. 13. 2. Ploratus naſcentis congruit finĩ Incarnationis. 11. 1. Eo temporis nedum humilia & vilia, prout præſepe, ſtabulum, animalia &c. ſed & cæleſtia fuere conſpicienda. *ibid.* 2. Bovis & aſini ſignificatio myſtica. *ibid.* Herodes Rex turbabatur ratione trifaria. 12. 1. Similiter diabolus, omnis pariter Ieroſolyma. *ibid.* 2. Chriſti cunæ ſi terruerunt, quid efficiet tribunal judicantis. 12. 1.

Chriſti Circunciſio. *De ea ſer. integ.* 1. Cur circuncidi voluit. 1. 2 *& ſequ.* Effuſione Sanguinis redimens mundum, in Circunciſione ſolvit arrham, in Paraſceve pretium integrum. 2. 2. Nominis Chriſti diverſæ figuræ, & interpretatio. 6. 1. 2. Literarum eius Græcarum X, P, C, explicatio. *ibid.* Plura de Nomine Ieſu *vide*: Ieſus.

Chriſti Converſatio. Chriſtus in mundum venit, non ut legem ſolvat, ſed impleat. 1. 1. 2. in omnibus juxta legis præcepta converſatus. *ibid.* Duo teſtamenta unius doctrinæ corpus effecit'. *ibid.* 2. In templo offerri voluit, ut juſtificatio legis in membris ſpiritualiter impleretur. 116. 1. ob Templi ſanctificationem. *ibid.* 2. ob noſtram inſtructionem. 117. 1. ob myſticam ſignificationem. *ibid.* 2. Cur in eius baptiſmo cælum apertum, Spiritus ſanctus deſcendit, &c. 237. 1. Ei conferebatur maior gloria, quàm Adæ in ſtatu innocentiæ: liquet ex duodecim privilegiis. 216. 1. 2. *& ſeq.* Cur Diſcipulis gloriam ſuam manifeſtavit in tranſfiguratione, ante & non poſt Paſſionem & Reſurrectionem. 19. 2. Convenienter dicitur Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech. 52. 2. Se promptè ſequentes præ ceteris diligit. 84. 2. Omnium Sanctorum Sanctificator. 118. 2. Mediator Dei & hominum, Redemptor captivorum, Glorificator. *ibid.* Ei competit eſſe Caput Eccleſiæ, juxta ordinem, perfectionem, & virtutem capitis humani. 214. 1. Non ſecundùm actum prædeſtinationis, ſed ſecundùm terminum & effectum eius, eſt cauſa & exemplar prædeſtinationis noſtræ dupliciter. 214. 2. In ipſo omnes electi, velut capilli, ſunt per æternam prædeſtinationem radicati. *ibid.* Habet notitiam omnium ſalvandorum certo numero. 215. 1. Factus eſt Sanctus non ex peccato, quo ſemper carebat, ſed ſecundùm hominem: quia quando non erat homo, ſanctitatem humanam non ha-

Digitized by Google

habuit. *ibid.* 2. *& ſeq.* Eius ſanctificatio eſt perfectiſſima, ſanctificans homines per ſuam Paſſionem & baptiſmũ. 216. 1. Cognovit omnia ſecundùm ſtatum Divinum. 217. 1. Peccato prævenirì non potuit. *ibid.* Habuit dominium ſuper omnia, quantùm ad effectus ſupernaturales. *ibid.* 2. De ſtatu culpæ aſſumpſit neceſſitatem ſubjacendi pœnalitatibus huius vitæ. *ibid.* Habuit immortalitatem per gratiam & gloriam, Paſſionem & mortem valens impedire, ſi volebat. 218. 1. Perfectiones omnium virtutum ſecundùm gratiæ plenitudinem. *ibid.* Gubernator & Caput omnium naſcentium ſpiritualiter juxta diverſos gradus. *ibid.* 2. Deo ſimilis ſecundùm triplicem imaginem. *ibid.* In exemplum virginum exercuit abſtinentiam, carnis macerationem, labores, orationem. 256. 1. 2. In mundum veniens factus eſt negotiator animarum ſeptiformiter. 257. 1. 2. Eius hæredes, filiique Dei adoptivi efficimur octo modis. 333. 2. *& ſeq.* Eius vocationis efficacia. 362. 1. 2. *frequentius eod. ſerm.* Magneti comparata. 363. 2. Quovis modo domicilio receptus multimodè benedicit. 364. 1. 2. Ægros ſanando tria curationum genera exercuit. 44. 1. 2. Non venit vocare juſtos, ſed peccatores. 364. 2. Oſtendens nullum per maximum peccatorem deſperare debere de venia. *ibid. & ſeq.* 1. 2. Cur pro totius mundi converſione non elegerit Oratores, Senatores, Imperatores, ſed rudes piſcatores. 476. 1. Quinam eum verè ſequantur, & inveniant. 480 2. *& ſeq.* Fuit exemplar omnium officiorum Eccleſiaſticorum. 482. 2. Eſt via, veritas, & vita: declaratur. 494. 2.

Chriſti Paſſio. Chriſtus in ultima duntaxat cœna Diſcipulis commenſalis exiſtens, docuit conſanguineos rarò & ſobriè convivari. 60. 1 Humilitatem quoque docuit, pedes eorum abluendo. *ibid.* dilectionem proximi, ſeipſum in cibum & potum præbendo. *ibid.* 2. Ad varias virtutes ſermone ultimo excitabat. *ibid.* Docuit proximorum fragilitati compati, dum Iudæ ruinæ commiſerans, eum uti ceteros Diſcipulos communicavit pedeſq; abluit. 61. 1. ad mortem ſe debitè diſponere, dum in monte agonizans prolixiùs orabat. *ibid.* Eius Paſſio cauſa fuit univerſalis humanæ ſalutis, vivorum & mortuorum. 16. 2. Cur priùs eam ſuſtinere voluit à Iudæis, quàm à Gentilibus. 218. 2. *& ſeq.* Pro omnibus electis oravit in Cruce. 480. 2. Fructum ſuæ Paſſionis impediunt 4. obſtacula. 219. 1. In quem finem ex eius latere profluxerit aqua & Sanguis. 42. 2. Cur non ſub tecto, nec in templo, ſed in aere communi crucifigi voluit. *ibid.* 1. 2. Nedum pro peccato Adæ ſatisfecit, ſed & totum prædeſtinationis effectum in quovis homine emeruit. 459. 1. Electi per eum omnes prædeſtinationis effectus conſequuntur, qui ſunt ſeptem. *ibid.* 1. 2. Inter mortem & Reſurrectionem eius conveniebat eſſe moram, ut fides confirmaretur. 14. 2. Non tamen decebat eam differre uſque ad mundi finem. *ibid.* Deſcendens ad inferos ſanctos Patres liberabat juxta Prophetarum oracula. 16. 2. 17. 2. *& ſeq.* At non omnes, ſed præcisè illos eduxit, qui ſufficienter erant vel purgati, vel ob fidem ſalutem promeriti. 25. 1. 2.

Chriſti Reſurrectio. *De ea ſer. int.* 13. Corpus eius in Reſurrectione erat glorioſum. 13. 1. Eius Reſurrectio eſt cauſa & exemplar reſurrectionis noſtræ. *ibid.* ſpem ejuſdem in nobis nutriens. 15. 1. Eum ſic decebat exaltari per Reſurrectionem, qui ſe humiliabat per Paſſionem. 14. 2. Ei nos oportet ſecundùm animam conformari. *ibid.* 1. Eius Reſurrectio convenienter priùs Angelis, ac per hos hominibus revelatur. 15. 1. 2. Præfigurabatur in teſtam. veteri. 16. 1. Cur reſurgens à Magdalena tangi noluit. 18. 2. In quonam loco apparuit Simoni. *ibid.* Cur in Emmaus euntibus in ſpecie peregrini. *ibid. & ſeq.* quibuſdam in forma propria. 19. 1. Reſurrectionis eius indicia miraculoſa, & veriſſima. 18. 1. 2. 19. 1. 2. *& ſeq.* Reſurgentis vulnera redundant in majorem decorem Corporis glorioſi. 20. 1. Cæli luminaria tunc ſolito plus clareſcebant. *ibid.* 1. 2. Reſurrectionis ſymbola & figuræ diverſæ. 20. 2. *& ſeq.* Cuſtodes ſepulcri, quos arguit S. Auguſtinus, confunduntur. 18. 1.

Chriſti Aſcenſio. *De ea ſer. int.* 21. Extitit nobis utilior, quàm eius præſentia in terris. 21. 1. Meruit ſua humilitate in Paſſione exhibita, & deſcenſu ad inferos ſpeciali Aſcenſionis triumpho in cælo ſuper omnes exaltari. 22. 1. 25. 2. Aſcenſionem ſuã manifeſtavit Angelis ſuperioribus, ſuperiores manifeſtarunt mediis, medii inferioribus, inferiores hominibus. 22. 2. Præfigurabatur in teſtamento veteri. 23. 1. Prænunciabatur à Prophetis. *ibid.* Chriſti actiones cum Diſcipulis ante Aſcenſ. *ibid.* 2. Nubes apparuit in ſignum ſuæ Divinitatis. 24. 1. Abſcedentis præſentia ſemper adeſt fidelibus. *ibid.* Auxit in nobis fidem, ſpem, charitatem. *ibid.* Plura inſuper bona contulit. 24. 2. ſpecialiter dona Spiritus ſancti. *ibid.* Cur cælum aſcendens tranſivit per aerem. 42. 2. Poſt Aſcenſionem multis apparuit abſque præjudicio ſuæ dignitatis. 110. 2. Emeruit conſeſſum Paternæ dexteræ. 219. 1. Ubi adoratur unicâ adoratione ratione unionis hypoſtaticæ. *ibid.* Habet poteſtatẽ judiciariam ex merito de condigno. *ibid.* Gloriam eius decorant electi; cuius figura exaltatio Ioſeph in teſtamento veteri. 220. 1. 2.

Chronicon primus edidit Euſebius: divus Hieron. latinâ interpretatione annos adjecit. 35. 1.

Cibus corporalis non ſumendus cum ſcandali periculo. 126. 2.

Cibos parcè ſumendi regula. 344. 2.

Cinamomi & balſami virtus & efficacia. 310. 1.

Circunſpectio habenda in agendis. 94. 2. *& ſeq.*

Clerici ad ordines ſacros aſſumpti, quam vitæ normam obſervare teneantur. 301. 1. 2.

Codrus pro conſervatione Athenienſium ſponteneè interiit. 175. 2.

Cogitationes vanæ repellendæ. 99. 2.

Collum ſunt Chriſti lapidibus pretioſis ornatum, qui eius legem prædicant & operibus virtutum adimplent. 100. 1.

Communio ſacramentalis, *vide*: Euchariſtia.

Communitas exigit concordiæ unionem. 146. 2. juſtitiæ adæquationem. 147. 1. proprietatis oblivionem. *ibid.* Plura de ſimili, *vide*: Reſpublica.

Compatiens, *vide*: Charitas, Miſericordia.

Confeſſores ſuccedunt in locum Beelzebub, qui eſt ordo Principatuum. 435 1.

Conſanguinei non reſpiciendi, dum ſtatus religionis, vel quodcunque opus ſpirituale proponitur. 413. 1. Docentur rarò & ſobriè convivari exemplo Chriſti. 60. 1.

Conſcientiæ ſuæ confidens, & famam defendere negligens, in ſeipſum crudelis. 100. 2. Conditiones quatuor conſcientiæ vanæ. 122. 1. 2.

Conſolationem ſpiritualem in ſalutem proximi negli-

gligere, charitas Apoſtolica. 126. 1.
Conſtantia quid: neceſſaria ad quatuor. 106. 2. *vide*: Perſeverantia.
Conſuetudo mala difficulter tollitur. 454. 2. Prævenienda morigerâ juventutis educatione. *ibid.*
Contemplatio. Eius gratia amittitur trifariè, inſtar lucernæ, quæ extinguitur per negligentiam, per abundantiã, per penuriam. 153. 2. Divinæ majeſtatis aſcenſum requirit per gradus octo. 180. 2. Requiritur à Spiritu ſancto inhabitante. 35. 2. Per eam fit converſatio cum Deo. 33. 1. Plura de ſimili, *vide:* Vita contemplativa.
Contemplativi ſuccedunt in locum Beelſephon, qui eſt ordo Archangelorum. 438. 1.
Continentes minimè ſunt, qui in ſenectute ſola laſcivè non vivunt. 464. 1.
Converſio peccatorum & infidelium, gratia gratis data. 179. 1.
Converſio cujuſvis peccatoris, gaudium Cælitum. 112. 2. A peccatis obtingit ſeptem modis. 332. 2. *& ſeq.* Converſionis exemplaria efficacia S. Maria Magdalena, & S. Matthæus Apoſt. *perluſtra ambos ſer.* 260. 362. Fit multimodo impulſu, plerumque flagellorum. 364. 1.
Corona ſpinea Salvatoris. *De ea ſer. int.* 214.
Corona ſeu præmium cæleſte dicitur eſſe alicuius dupliciter. 134. 2.
Corona vitæ, *vide:* Prædeſtinati.
Corona eſt ornamentum coronati. 220. 1. 2.
Corpus humanum (ſi Adam non peccaſſet) fuiſſet ab omni læſione præſervatum. 150. 2.
Corpora glorificata decet locus cæleſtis. 21. 2. Iuſtorum cur cum animabus glorificentur in univerſali judicio. 419. 1. 2.
Corpora humana reguntur per rationalem ſpiritum vitæ, ſpiritus ab Angelis. 220. 2. *& ſeq.*
Corporalis auſteritas religioſo competit. 93. 1.
Corporalia ſpiritualium gerunt ſimilitudinem. 49. 1.
Correctio fraterna. Eius modus, & exemplum trifarium. 131. 2. Duplex: una actus charitatis, pertinens ad omnes charitativos; altera juſtitiæ, pertinens ad ſuperiores. 132. 2. Eius incapaces, ſeu incorrigibiles ab Eccleſia ſeparandi. *ibid.*
Crates Philoſophus amore ſcientiæ divitias contempſit. 92. 2. 383. 1.
Creatura quævis ſubſiſtit in ſuo eſſe, habet formam ad determinatam ſpeciem, & ordinem ad aliquid. 44. 2. Inſenſibili interdum honor debetur ratione naturæ rationalis, & hoc dupliciter. 209. 1. Rationalis excellentiori modo ſubjacet providentiæ Divinæ. 312. 1. Nova in Chriſto quomodo quis efficiatur. 383. 1. Aſſimilatur Verbo æterno quadrifariè. 384. 2.
Creaturarum multitudo & diverſitas cedit in majorem decorem totius univerſi. 138. 1. 2.
S. Crux. De eius inventione *ſerm. int.* 208. Crux Jeſu Chriſti noſtræ beatitudinis cauſa, eius encomia varia. 208. 1. 2. Adoratur cultu latriæ. 209. 1. In tertis ceſſit multis in ſcandalum. 209. 1. 2. Chriſto in gloriam, nobis in ſalutem. 210. 1. Eius ſcandalum evacuatum eſt Divinitatis oſtenſione, Angelorum diſtinctione. *ibid.* 2. Creaturarum productione, hominis formatione, figurarum verificatione teſtam. veteris, Chriſti Incarnatione. 211. 1. 2. Ejuſdem Mediatoris redemptione, virtutum moderatione, peccatorum reconciliatione. 212. 1. 2. Spirituali innovatione, animæ beatificatione, Chriſti Corporis glorificatione. 213. 1. 2. Quænam in eius inventione contigerint. *ibid.*
Crucifixus ſculptus Sanguinem miraculosè fudit. 498. 1.
Cùm eſſes ſub ficu, vidi te, explicatur moraliter. 343. 1.
Cupidorum pericula. 444. 1. 2.
Curtius florebat amore erga patriam. 175. 2.

D.

Dæmones homines ſpirituales reliquis magis tentant. 244. 1. Arcentur fide SS. Trinitatis. 46. 2. Eorum numerus ſoli Deo notus. 430. 1.
Damnati in inferno, tanquàm excommunicati, privantur omni ſolatio, & cum Sanctis correſpondentiâ. 242. 1. 2.
Decimas Eccleſiaſtici convenienter non exigunt in terris, ubi eas ſolvere conſuetum non eſt. 126. 2.
Decipi nolens facilè non credat. 492. 2.
Dedicatio templi. *De ea ſer. int.* 496.
Demoſthenes florebat cauſarum intelligibilitate, conſilio, prudentia. 169. 2.
Deſperandum nemini de venia peccatorum, eorum quacunque multitudine & gravitate non obſtante, juxta varia exempla. 226. 2.
Deſponſatio quadrifaria. 466. 2.
Detractiones evitandi exemplar. 344. 2.

Deus.

Deus illuminat priùs ſubſtantias ſibi propinquas, per has verò remotas. 14. 1. Eius dextera, ad quam reſidet Chriſtus, eſt poteſtas judiciaria, meritis ſuis debita. 25. 2. In rebus creatis præcipuè intendit bonum. 26. 2. Radios ſuos ſolis inſtar diffundit in rerum creationem & decorem. 27. 1. Eius fruitio prærequirit ſpirituales perfectiones, quibus homo Deo aſſimiletur, & ſecundùm eas operetur, tandem beatitudinem aſſequatur. 32. 2. Subinde utitur malis ad utilitatem bonorum. 33. 2. Deum cognoſcere poſſumus ratione naturali ſuggerente, perfectiùs Spiritu ſancto per gratiam influentem. 39. 1. Divinis Perſonis non ineſt triplicitas, ſed Trinitas. 43. 2. Unigenitum ſuum mundo præbens, ſummum largitus beneficium. 61. 2. Dei Majeſtatem qualiter in teſtamento veteri viderint quatuor genera hominum. 78. 2. *& ſeq.* totidem in teſtamento novo. 79. 1. Non eſt perſonarum acceptor, ſed remunerator æquiſſimus, opera perexigua coronans. 91. 1. 125. 2. Non viſitat animam, quin aliquod ei donum largiatur. 101. 1. Eius eſſentia qualiter à quibuſdam in hac vita fuerit conſpecta. 108. 1. 2. Quos eligit, ad electionem reddit diſpoſitos. 114. 1. Cur per revelationem quoſdam de ſua gratia certificet. 119. 2. Nonnunquàm ex malo bonum elicit. 133. 2. 210. 1. 299. 1. 2. Ei nemo diſplicet, etſi de ſtirpe prophana procedat, dummodò virtuosè degat. 134. 1. Non permittit aliquos cadere, quin alios erigat, & erectos in locum lapſorum ſubſtituat: patet modis tredecim. 135. 1. 2. Omni exiſtenti vult aliquod bonum diverſimodè: amor eius eſt cauſa bonitatis rerum, ad differentiam amoris ſeu voluntatis noſtræ. 136. 1. Ad ornamentum totius univerſi voluit creaturarum multitudinem, & diverſitatem. 138. 1. rerum inæqualitatem, & meliorationem. *ibid.* 2. In corpore myſtico Eccleſiæ ordinum, ſtatuum, officiorumque variationem. *ibid. & ſeq.* religionum diverſitatem. 139. 1. Nobis

bis benedixit, deſtinando ſuum Unigenitum. 150. 2. Eius eſſentiam nemo mortalium videre poteſt, niſi mole corporis ſolutus, vel à ſenſibus alienatus. *ibid.* 1. Suæ gratiæ dona diſpenſat diverſimodè, in perfectionem Eccleſiæ, totiuſque univerſi. 172. 2. Ex eius dilectione profluit aliquod bonum in creatura, & omnia conſervantur, ne annihilentur. 173. 1. Vult creaturæ bonum ſimpliciter, quod eſt ipſe, cuius gratia gratum faciens eſt nitor animæ. *Ibid.* Ab eo eſt omnis motio, omniſque formalis perfectio. 177. 1. Pro ſalute noſtra miſit Filiũ ſuum, immittit Spiritũ ſuũ, promittit vultũ ſuũ, & Angelos mittit in miniſterium, per quos regit Eccleſiã. 22. 1. 2. Cuſtodit hominẽ immediatè, infundendo ei gratiã & virtutes, & tanquã univerſalis inſtructor mediatè, ſcilicet per Angelos. 222. 1. Eius amor non deſerit hominem in peccatum lapſum, occurrens ſuâ potentiâ, dum eum à peccato liberat: ſuâ ſapientiâ, dum unum peccatum abſque alio non dimittit: ſuâ miſericordiâ, dum non eſt delictum adeo grave, quod non indulgeat. 226. 2. ſuâ providentiâ, præbens conſtantiam, & in bono perſeverantiam. 227. 1. Omnium etiam minimorum habet rationem gubernationis, tum ratione ſuæ dignitatis, tum ratione cauſalitatis. 231. 1. 2. Auget in rebus perfectionem cauſalem. *Ibid.* 2. Eius miſſio inviſibilis (in qua duo conſideranda) fit ad ſanctificandam creaturam: atque præter communem modum, quo eſt in illis, eſt ſicut cognitum in cognoſcente, & amatum in amante. 232. 2. habitans in ea, ut in templo. 233. 1. quæ miſſio obtingit ſecundùm profectum virtutis, aut gratiæ augmentum. *Ibid.* Animas attrahit quaſi quinque funiculis. 269. 2. Dona gratiarum indifferenter diſtribuit. 272. 2. Magna beneficia ſibi fideliter obſequentibus præſtat. 297. 2. Eius omnipotentia manifeſtatur per viam creationis, conſervationis, cooperationis, proviſionis. 298. 1. 2. *& ſeq.* Nullius ſuffragio eget, ad differentiam deorum Paganorum: patet fusè. 298. 1. 2. qui nec defendunt cultores ſuos. 299. 1. In tentatione dat proventum. *Ibid.* 2. Eius opera mirabilia, neceſſaria, terribilia, glorioſa. 332. 1. 2. Eius juſtitia & miſericordia quamvis in omnibus operibus reluceat, clariùs tamen miſericordia: conſtat in naturalibus. 339. 1. in operibus miraculoſis. *Ibid.* 2. *& ſeq.* in communicatione virtutum gratuitarum. 340. 1. in converſione peccatoris. *Ibid.* 2. De eius præterea juſtitia & miſericordia. 414. 1. 2. *& ſeq.* Eum minus amat, qui cum ipſo aliquid amat. 384. 1. Nequit ſuæ bonitati & ſapientiæ quicquam indecens facere. 414. 1. Laudandus à nobis in Sanctis ſuis, quod Hæretici & peccatores facere renuunt. 429. 1. 2. *& ſeq.* Eligit infirma mundi, ut confundat fortia. 475. 1. 2. *& ſeq.* Cuivis Sancto varias influit virtutes morales, ſicut cuivis mortalium faciem differentem, ad manifeſtandam ſuam ſapientiam. 483. 2.

Deorum genus trifarium, minimè colendum. 336. 2.

Diabolus turbatur naſcente Chriſto. 22. 1. 2. Multa potens virtute ſua naturali, impotens redditur virtute Divina. 115. 1. Machinabatur diverſa neſciens modum, quo redimendum erat genus humanum. 156. 1. Conabatur expugnare fidem Chriſti per potentiam tyrannorum, per falſam ſapientiam, per ſimulatam vitam, per falſa miracula, quibus Deus obſtitit remedio quadrifario. 190. 2. Eius tentationes fusè deſcribuntur. 373. 1. 2. *& ſeq.*

Dialecticæ inventores. 34. 2. quidnam doceat. 43. 2.

Dies dominica omnium dierum prima creata. 479. 1. Natalis antiquitùs à nemine celebrata, quàm à Pharaone & Herode. 351. 1. Cur quorundam natales in teſtamento veteri prænunciabantur. 230. 1. 2.

Dilectio plerumque viget inter cognatos & compatriotas. 137. 1. Dilectionis ſynceræ quatuor indicia. 85. 1. 2. Dilectionis proximi exemplum efficax Chriſtus, præbens Diſcipulis Corpus & Sanguinem ſuum in cibum & potum. 60. 2.

Dilectio inimicorum ſuadetur. 326. 2. Dilectio, *vide*: Amor.

Diogenes florebat defenſione veritatis. 169. 1.

Diſciplina reddit morigerum. 328. 1.

Diſcipulorum Chriſti ordo bifarius: Apoſtolorum duodecim, & aliorum ſeptuaginta duorum; quorum numerus poſterior conveniens ob linguas totidem, per orbem diffuſas. 407. 1.

Diſcretio omnium virtutum moderatrix. 435. 2. *& ſeq.* 94. 2. In agendis adhibenda quadrifariè. *Ibid. & ſeq.*

Diſtractio inter orandum difficulter evitanda. 330. 2.

Dives difficulter, divitiis affectus nullo modo intrabit regnum cælorum 2. 77. 1. 383. 2. *& ſeq.*

Divitiæ. Earum abdicatio comparatur ad elemoſynarum largitionem ſicut univerſale ad particulare, ſicut holocauſtum ad ſacrificium. 384. 1. Sunt contemnendæ 2. 33. 1. 2. Contemplativos impediunt, activos adjuvant. 383. 2. Earum abdicatio ad perfectionem requiritur. 384. 1. Subinde cauſant ruinam. 469. 2.

Docere & prædicare opera ſunt perfecti religioſi. 93. 1.

Doctoris aſſidui documentum Eccleſia plena. 244. 1.

Doctores decet docendi aſſiduitas. 327.

Doctorum differentia quadrifaria, è quibus ſolummodò verbo & exemplo docentes, legitimi. 382. 1. 2.

Doctrina & prædicatio ſimplici contemplationi præferuntur. 139. 1.

Doctrina ab inſipientibus deſpicitur. 327. 2. Doctorum juvenum minimè contemnenda. 471. 2. Spiritualis ſuggerit compunctionem, diſponit ad ſcientiam. 477. 1. ad obedientiam. *Ibid.* 2.

Dominari ſeu præeſſe difficile, ſubeſſe facile. 326. 1. Exemplum ſervorum David, quibus Ammonitæ raſere dimidium barbarum. *Ibid.*

S. Dominicus Confeſſor. *De eo ſerm. int.* 276. Eſt ſimilis Filio Dei quoad aliqua. 278. 1. 2. *& ſeq.* Prævidebatur à matre in forma catuli, utero ſolutus ſtellam fronte gerebat. *Ibid.* 2. *& ſeq.* Novam religionem inſtituit. 279. 1. Eius miracula, & vitæ ſanctitas. *ibid.* 1. 2. *& ſeq.* Spiritus propheticus. 287. 2. Zelus contra Hæreticos. 288. 2. *& ſeq.* Martyrii deſiderium. 289. 1. &c.

Dona Spiritus S. *vide*: Spiritus ſanctus.

Dona occulta manifeſtanda, ut proximus avertatur à peccato. 126. 1.

Dona gratiarum duodecim, ſeu portæ totidem, quibus ad cæleſtes pergitur nuptias, allegantur. 408. 2. *& ſeq.*

Dubitatio circa promiſſiones ſeu nuncia cæleſtia in Bibliis citata contigit rationabiliter. 232. 1. 2.

Digitized by Google

E.

Ecclesia in terris militans semper persecutiones passa. 124. 1. Iustè abstinet à decimis exigendis in terris, ubi eisdem solvere inconsuetum. 126. 2. Eius unitas manifestatur unitate originis ejusdem. 129. 1. Eius decor in diversitate statuum, officiorum, ordinum, ac religionum consistit. 138. 2. & seq. Omnibus errantibus utitur ad profectus suos. 144. 1. Eius facultates non propriæ sunt sed communes, pauperibus distribuendæ, expeditque iis, quàm proprio sustentari. 302. 2. Status eius constituitur trifarius: in umbra legis antiquæ, in luce gratiæ legis novæ, in splendore gloriæ futuræ. 332. 1. Eius quivis minister, quantùm ad aliquid, gerit typum Christi. 482. 2.

Ecclesia, seu templum, in urbibus præ ceteris ædibus ingredienda exemplo Christi. 485. 1.

Ecclesiæ non tam in Dei cultum, quàm in salutem Deum colentium ædificantur: quarum sanctificatio obtingit duplici de causa. 497. 1. Ædificabantur quoque in testamento veteri. *Ibid.* & seq. Earum unde cœperit consecratio, cùm antiquitùs sola consecrabantur altaria. 498. 1. Ratio hujusmodi consecrationis quadrifaria. *Ibid.* 2. Rei ad eas confugientes sunt immunes. *Ibid.* Prophanatæ denuò consecrandæ. *Ibid.*

Ecclesiasticus scientiis secularibus nimiùm incumbens, delinquit. 380. 1.

Educatio, *vide*: Iuventus. Gentiles.

Ego sum, Nomen Dei. 19. 2.

Electi simpliciter non sunt, qui habentes gratiam à gloria decidunt. 136. 1. Quidam, capillorum instar, in Christo Capite firmiter radicantur, quidam decidunt, quidam eius Sanguine lavantur. 215. 1. 2. Sunt Corona Eiusdem. 220. 1. 2. Electorum generatio commendabilis est quadrifariè. 299. & seq. Puniuntur temporaliter correptivè, ne pro delictis castigentur æternaliter: præmiantur quoque temporaliter. 347. 1. 2. Eorum conversationes dignitatibus congruunt ordinum Angelicorum. 430 1. 2. Per Christum consequuntur omnes prædestinationis effectus, qui sunt septem. 459. 1. 2. *vide*: Prædestinati.

Electio Divina non attendit stemmatis propinquitatem nec claritatem, nec etiam fragilitatem, & pusillanimitatem, reprobans vanitatem & cupiditatem. 273. 1. 2.

Electio canonica nescit personarum acceptionem, quæ contingit per respectum ad consanguineos, nobiles, divites, postpositis dignioribus. 146. 2. 272. 1. 2. Perfectissimè observabatur ab Apostolis eligentibus Matthiam. 136. 2. & seq. In ea respiciendum bonum cómune, quamvis eligendus minus sit sanctus minusque doctus, magis tamen profuturus alio sanctiore & doctiore. 272. 2.

Eleemosyna recommendatur. 476. 1. A peccatis morteque æterna liberat. 439. 2. Dei gratiam conservat. 495. 2. *vide*: Liberalitas.

Elephas. Eius in devincendo dracone dexteritas. 175. 1. 2.

Epiphania Domini. *De ea sermo integer.* 7.

Episcopus. Sanctitas eius significat sanctitatem Ecclesiæ militantis. 98. 2. Eius erga gregem sibi commissum obligatio. 122. 2. Quibus casibus ei se absentare licet à diœcesi. 123. 1. Eius sicut & Presbyteri officium laboriosum, & periculosum, coram Deo summe meritorium. 465. 1. Dignitas eius quanta. 482. 1. 2. Habere debet ordinis perfectionem, potestatem dispensativam. *Ibid.* 2. vitæ sanctitatem, & scientiam. 483. 1. *vide* Pastor, Prælatus, Superior.

Eremum inhabitare perfectio, non perfectè colere damnatio. 92. 2.

Errores quorundam Gentilium Iudæorum, Græcorum, Hæreticorum &c. 144. 1. 2. & seq.

Erubescentia correptio est peccatoris. 257. 1.

Ethicæ inventor Socrates. 34. 2.

Evangelistæ: Matthæus, speciale testimonium perhibens de Christi humanitate, Ioannes de Divinitate, Lucas de Passione, Marcus de Resurrectione, singuli diversis figuris præsignantur. 181. 1. Comparantur Angelis conscendentibus scalam Iacob. 403. 1. 2. Opus Evangelistæ quale. 405. 2.

Eucharistia.

De Venerab. Eucharistiæ Sacramento *sermo prolixus.* 47. Est omnium sacrificiorum efficacissimum. *ibid.* 1. 61. 2. Convenienter à Christo instituitur. 47. 1. Est spiritualis vitæ consummatio, omniumque Sacramentorum finis. *ibid.* 2. Eius sumptio non contrariatur legi veteri, prohibenti esu carnis cum sanguine. 48. 1. 2. Non est eodé modo de necessitate salutis, prout baptismus. *ibid.* 1. Institutum ad refectionem vitæ spiritualis, non corporalis. 49. 1. Habet omne delectamentum cibi cælestis. *ibid.* 2 Præfigurabatur præcipuè in manna. *ibid.* & seq. Hostias plures sumens plus non percipit, sumente unicam. *Ibid.* Illic est Corpus Christi per modum substantiæ, sensu & imaginatione imperceptibile, sed solo intellectu, & hoc diversimodè. 50. 1. Dum conficitur, cæli aperiuntur, Angeli occurrunt, &c. *Ibid.* 1. 2. Eius figura agnus paschalis quantum ad tria. *Ibid.* 2. Est cibus Angelorum quadrifariè. *Ibid.* 1. Salus obtinetur solo percipiendi voto. 51. 1. Est cibus electorum quadrifariè. *Ibid.* 2. & seq. Inter alimentum hoc spirituale, & aliud corporale differentia. 52. 1. Est rememorativum Passionis Christi. *Ibid.* Eam præfigurabat oblatio Melchisedech. 52. 2. Continet sanctitatem præcipuè quoad quatuor. *Ibid.* & seq. Causat decem effectus mirabiles. 53. 2. & seq. Comparatur carboni, ab Isaia conspecto. 54. 1. Non quidem mox ad gloriam introducit, sed tanquam viaticum virtutem illuc perveniendi tribuit. *Ibid.* 2. Est peccati mortalis remissiva secundùm se, etiam solo voto percepta, quem effectum impedit conscientia delicti lethalis, vel ad id affectus. 55. 1. Delet venialia, à peccatis præservat, ab eorum pœnis liberat. 55. 2. Est sacrificium, & Sacramentum. *Ibid.* & seq. Ut Sacramentum, binum causat effectum. 56. 1. Operatur juxta dispositionē sumentis: prodest vivis & defunctis, sumentibus & non sumentibus, præsentibus & absentibus. *ibid.* Necessaria homini tanquam triplex refectio. *ibid.* 2 Viatorum ad talem refectionem vocatorum differentia triplex, quorum aliqui admittendi, aliqui retrahendi. 56. 2. 57. 1. 2. & seq. Eucharistiam continere Iesum Christum miraculo demonstrabatur, cuius motivo institutum solemne festum Corporis Christi. 59. 1. Comprehensores in hac cœna variis ac miris fruuntur bonis. *ibid.* 1. 2. Indignè accedens multa mala incurrit. 62. 1. 2. Exigit præparationē quadrifariam. *ibid.* 2. & seq.

Sol-

Digitized by Google

Solvuntur varia dubia Paganorũ & Iudæorum, de hac veritate dubitantium, adductis rationibus & paritatibus efficacibus juxta doctrinam Doctoris Angelici. 63. 1. 2. *uſque ad finem ſerm.*
Exue te, Ieruſalem, ſtolâ luctus, &c. exponitur moraliter. 337. 2.

F.

FAbius Maximus floruit ſeveritate. 171. 1.
Fabri lignarii primi, Tyrii. 36. 2.
Fabularum inventor, Alcinous. 34 1.
Faciamus hominem ad imag. & ſimilit. noſtram: cur Deus locutus in plurali, non in ſingulari? 44. 2. *& ſeq.*
Famam propriam non defendens erga ſeipſum crudelis. 100. 2.
Fecit medium fornacis, quaſi ventum roris flantem, exponitur moraliter. 333. 1.
Felicitas duplex: perfecta in vita futura, imperfecta in præſenti. 383. 1. Hujus vitæ pariter duplex: ſecundùm vitam activam, ſecundùm contemplativam: illam adjuvant divitiæ inſtrumentaliter, hanc impediunt. *Ibid.* 2.
Ferrariæ artis authores quinam. 36. 1.
Feſtum ſacratiſs. Corporis Chriſti quo motivo inſtitutum. 19. 1.
Fiat lux, explicatur de lumine fidei circa myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis. 46. 2.
Ficum meam decorticavit, &c. exponitur moraliter. 337. 2.
Fides in intellectu credentis ſubinde confirmatur ſignis miraculorum. 39. 2. Utque ad mortem proteſtanda. 104. 1. Eâ pugnante, carnem nemo tyrannorum expugnat. 107. 2. Eſt vita animæ, quam conſpectis miraculis calumniari deſteſtabile. 113. 2. Ad eam concurrunt intellectus ad obediendum diſpoſitus, & propoſitiones credibiles. *Ibid.* 1. Ob ſuperbiam aliqui eam minus amplectuntur. *Ibid.* 1. 2. Sine operibus mortua. 325. 1. 2. 493. 1. 2. Fidei Apoſtolicæ exemplar S. Bernardus. 325. 2. Eſt primarius ad Deum acceſſus. 227. 1. 228. 1 Formatur per charitatem. *ibid.* Catholica eloquium caſtum, argentum igne examinatum, &c. 258. 2. In ea conſtans in Dei filium adoptari meretur. 333. 2. Eius veritas quando proteſtanda, quando ſubticenda. 458. 1. 2. Ea & opera ſimul pro ſalute neceſſaria. 461. 1. Eâ mediante ſalvabantur quàm plures ante Salvatoris adventum. 462. 2. Eſt lux mentem humanam illuminans. 489. 1. Fides Reſurrectionis Chriſti, S. Thomæ Apoſtolo incredulitate ſtabilita. 492. 1. 2. *& ſeq.* Non quævis, ſed vera mentem ad Deum videndum illuminat: quænam illa. 493. 1. 2. Fides unde ſic dicta. *ibid.* 2.
Filius prodigus in gratiam patris receptus, figura pœnitentis ad Dei gratiam recepti. 242. 1.
Filii Dei adoptivi efficimur modis octo. 333. 2. *& ſeq.*
Filii recenter nati in lege veteri duplex habuere præceptum: generale. 116. 1. ſpeciale. *ibid.* 2. Iis honorantibus parentes promittitur longævitas, deſpicientibus mors temporalis præmatura, & æterna. 490. 1. Adulterio geniti reddũtur inhonorabiles. 115. 2.
Finis. In quovis fine tria occurrunt conſideranda. 369. 2.
Flagella. Eorum vis minuitur ſpe præmii. 81. 1.
Fœcunditas inter Iudæos erat gloria, ſterilitas maledictio. 254 1.
Fœmina, quamvis primitùs mortis miniſtra, Reſurrectionis myſterium percepit prima. 18. 1. 2. Similiter quantùm ad ſtatum gloriæ nullum patietur detrimentum. *Ibid.* 2. Vitiata tamen catechumena non poteſt poſt baptiſma inter Dei virgines conſecrari. 98. 2.
Fœminæ Romanæ olim à vino abſtinebant, ne in dedecus laberentur. 256. 1. Caſtitatis latrones. 324. 2. *& ſeq.* Earum familiaritas fugienda exemplo S. Bernardi. *Ibid.* S. Auguſtini. 344. 2.
Fortitudo juſtorum in quonam conſiſtat. 103. 1. 2. Quædam eſt ſimilitudinaria quinque modis, quænam vera. *Ibid.* 2. Eſt donum Dei, firmans animum hominis in bono juſtitiæ, exercenda quadrifaria occaſione. 107. 2. *& ſeq.* removens pariter timorem inordinatum, impedientem fidem. 227. 2. Fortitudo Sanctorum deſcribitur. 491. 1.
Fragilitas propria aliis peccantibus miſereri docet. 133. 1.
S. Franciſcus Confeſſor. *De eo ſermo integer.* 383.
Fraternitatis cognatio ſubinde habet diſparitatem, ſubinde paritatem. 480. 2.

G.

GAllinæ, cùm gallos vicerunt, mores gallorum induunt. 385. 2.
Gaudium cæleſte deſcribitur. 420. 1. Plura, *vide*: Beatitudo, Cælum.
Generatio clara non prodeſt ei, quem ſordent mores: nec vilis obeſt ei, quem mores adornant. 469. 1.
Gentiles quàm morigerè educarint filios. 454. 1.
Geometriæ inventores Ægyptii. 34. 2. Quidnam doceat. 44. 1.
S. Georgius Martyr. *De eo ſerm. integer.* 172.
Gloria cum Chriſto prærequirit ſociatum in paſſione. 385. 1.
Gloria vana in omnibus operibus vitanda. 417. 1.
Græci & Tuſci primitùs ferro ſcripſere in cera. 35. 1.
Grammatica quidnam doceat. 43. 2.
Gratiarum actione Divina beneficia agnoſcenda. 99. 2.
Gratia Dei confirmans tria cauſat. 114. 2. Eam habere, nemini conſtat certitudinaliter, niſi per revelationem. 119. 1. 2. Eius & ſanctitatis, viginti ſunt conjecturæ. 120. 1. 2. n hilominus incertæ ob hominis mutabilitatem ſeptiformem. *ibid. & ſeq.* 1. 2. Eſt lux animæ. 173. 1. Gratia gratis data quid? Gratum facientis effectus quinque. *ibid.* 2. Præveniens eſt à Deo tanquàm ab efficiente, à gratia gratis data tanquam ab excitante, à libero arbitrio tanquàm ab acceptante. *ibid.* Item gratis data non eſt omne beneficium divinitùs conceſſum, ſed quod naturæ excedit facultatem. 179. 1. Gratia operatur magis per charitatem, quàm per reliquas virtutes. 403. 1. Gratiarum dona, quibus ad cæleſtes pergitur nuptias, recenſentur. 408. 2. *& ſeq.* Gratiæ Spiritus S. indicia in homine quatuor. 416. 1. 2.
Gratitudo recommendatur. 184. 2.
S. Gregorius Papa. *De eo ſer. integer.* 146.
Gulphila reperit litteras Geticas. 34. 1.
Guſtavit aquam vinum factam, exponitur moraliter 333. 1.

H.

HAbacuc Propheta paſcens Danielẽ in lacu, præfigurat Chriſtum, ad inferos deſcendentem. 215. 2.
Hæreſis, & Hæreticus, unde dicantur. 123. 1.
Hæreſis Helvidii. 115. 2. Manichæi. 116. 1. Valentini. *ibid.* Hebionitarum à S. Philippo Apoſt. extincta. 207. 1.
Hæretici Arriani miraculo SS. Trinitatis confunduntur. 45. 1. 2.
Hæretici ſignificantur per lunam, calcatam ab Eccleſia. 144. 1.
Hæreticorum Beguardorum & Beguinarum ſectæ octo referuntur. 402. 1. 2.
Herba vireſcens Chriſti reſurgentis ſymbolum. 21. 1.
Hermogenes magus à S. Iacobo minore convertitur. 275. 2.
Herodes cur non mox recedentibus Magis, ſed poſt biennium necavit Innocentes. 12. 2. Interpretatur, Vulpes. 89. 2.
Hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare, explicatur. 147. 2.
S. Hieron. Doctor Eccleſiæ *De eo ſermo integ.* 376.
Hiſtoriographi primi, quinam. 34. 1.
Holocauſtum, & ſacrificium: utriuſque differentia. 384. 1.
Homo naturaliter fruitur mente ſua, notitiâ, amore. 45. 1 Ante lapſum qualem habuerit de Chriſti Incarnatione fidem, qualem deinceps. 70. 2. *& ſeq.* Libens moratur cum quatuor hominum generibus. 89. 1. 2. Deo præſente illuminatur, abſente obſcuratur. 121. 1. Habitu virtutis variabilis. *ibid.* 1. 2. Immutabilitas ei competit ſecundùm quod attingit ultimum finem. *ibid.* 1. In quovis invenitur quid magnum, quod poſſidet ex dono Dei, & defectus ex parte naturæ. 184. 1. Habet univerſalem prudentiam, quæ eſt ratio agibilium, quâ differt à brutis. 217. 2. Efficitur deificus participatione Divinitatis quadrifariè. 232. 2. *& ſeq.* Bonus Dei ſervus efficitur angelicus quadrifariè. 234. 2. *& ſeq.* Eius conditio requirebat libertatem arbitrii. 373. 1. Eſt inſtar civitatis quadrangularis, habentis portas quatuor, cuſtoditas ab Angelo tutelari, impugnatas à perverſo genio, quorũ certamen fusè deſcribitur. *ibid.* 1. 2. *& ſeq.* Cooperans gratiæ Divinæ præmium laboris operiſque meretur. 401. 1. 2 Sine tali gratia ſalutem æternam mereri nequit. 402. 1. In gratia conſtitutus poteſt eam mereri de condigno. *ibid.* 2. magis per charitatem, quàm per virtutes reliquas. 403. 1. Cur ſtaturam rectam, & non, ut bruta, gerat curvam. 416. 1. Mens eius aliàs per ignorantiam obſcura, fide tanquam lucis radio illuminatur. 489. 1.
Homines non naſcuntur, ſed efficiuntur ſancti, ad differentiam Chriſti, qui naſcebatur Sanctus. 216. 1. In ſtatu innocentiæ vixiſſent ſocialiter, quibus aliquis præfuiſſet bono communi attendens. 218. 1. Terreſtres & Cælites, ſunt una Dei civitas. 225. 1.
Honores contemnere, quando virtus, quando vitium. 184. 1.
Horologiorum ſolarium author Achaz, ſonatilium Boethius Severinus. 36. 2. Carmen notabile horologio Uratislavienſi appenſum. *ibid.*
Hoſpitalitas antiquorum exemplaris. 269. 2.
Humilitas requiritur à Spiritu ſancto inhabitante. 35. 1. 2. Eius exemplar Chriſtus. 60. 1. In omni opere ſpirituali neceſſaria, cuius quatuor indicia. 94. 1. Meretur exaltationem. 218. 1. Omnium virtutum baſis. 227. 2. Recommendatur. 274. 1. 490. 2. Nardus odorifera. 452. 1. Viola. 456. 1.
Humiles exaltari merentur. 13. 2. 14 2. Quidſic volunt humiles videri, ſed non deſpici. 389. 2.
Hypocriſis, ſeu vana gloria vitanda. 417. 1.

I.

S. Iacobus Apoſtolus. *De eo ſerm. integer.* 272. Ieruſalem, & Babylon. Eorum dimicatio fusè deſcribitur. 320. 1. 2. *& ſeq.*

Ieſus.

Ieſus nomen eſt novum juxta variam explicationem. 3. 1. Præfigurabatur virtute Eliſei. *ibid. & ſeq.* A quo, cur, ad quid Chriſto impoſitum. *ibid.* 2. *& ſeq.* Literarum huius Nominis explicatio. 4. 1. 2. *& ſeq.* Cur vocatus Chriſtus. 6. 1. 2. Ieſu Nominis mira efficacia, omnibuſque ſolatium, & juvamen. 5. 1. 2. 6. 1. Pectori S. Ignatii Martyris inſertum. *ibi.* Hoc Nomẽ gerebant alii tres in teſtam. vet. 3. 2.
Ignis. Eius proprietates. 42. 1. 370. 1.
Incarnatio Chriſti, poſt lapſum protoparentum obtigerat convenientiſſimè. 154. 1. Hoc ſacroſancto myſterio monſtrabatur ſimul Dei bonitas, ſapientia, juſtitia, potentia. *ibid.* Nullius alterius hominis ſatisfactio fuiſſet efficax in generis humani redemptionem. *ibid.* 2. *& ſeq.* Congrua extitit Chriſti Incarnatio, ne homo veneraretur dæmonem, ut naturæ humanæ perpenderet dignitatem, de ſe non præſumeret, à peccati ſervitute liberaretur. 155. 1. ad augendas virtutes Theologicas, & ad operationem bonorum operum. *ibid.* 2. Pro Incarnationis gratiâ obtinendâ conſilium prolixum tenuere Patriarchæ & Prophetæ. 156. 1. 2. *& ſeq.* ſimiliter miſericordia, veritas, juſtitia coram tribunali pacis. 160. 2. *& ſeq.* Gratiam deſideratam obtinent mediante Dei Filio. 161. 1. 2. Angelorum, præcipuè Gabrielis miniſterio. *ibid.* 2. *& ſeq.* Virginis Mariæ conſenſu. 162. 2. *& ſeq.* Plura de ſimili, *vide*: Chriſtus.
Inconſtantia quorundam debilium deſcribitur. 471. 2.
Incredulitas ſubinde laudabilis. 492. 2.
In domo Patris mei manſiones multæ, explicatur. 33. 2.
Indulgentiæ. 242. 2. De iis quæſtiunculæ ſeptem, reſolutiones totidem. *ibid. & ſeq.*
Infantes ante baptiſmum nonnunquam periclitantur, evadentes ſurreptitii cooperante dæmone. 300. 1. 2.
Infidelitas peccatum graviſſimum, quo cuncta tenentur. 179. 1. 2. *& ſeq.*
Infideles omnes, habent Angelos tutelares. 224. 1.
SS. Innocentes Martyres. *De iis ſerm. int.* 87.
Innocentia quadrifaria: ætatis, ſimplicitatis, puritatis, originis. 88. 1. 2. Eius laudes. *ibid* Exiſtimata, ſubinde cæcitas animæ, impediens pœnitentiam. 267. 2. Innocentiæ ſecuritas. 455. 2. Perſecutio ei cedit in profectum. 12. 2. 346. 1. 2. 350. 2.
Inſipientes. Coram his prudenter loqui inconſultum: quia doctrinam deſpiciunt. 327. 2.
Intellectus creatus poteſt miraculosè elevari ad videndum Deum, quamvis inde non dicendus beatus ſimpliciter. 77. 1. Habet lumen ſufficiens ad cognoſcenda quædam intelligibilia, in quorum notitiam per ſenſibilia poteſt pertingere, non verò ad altiora, niſi lumine fidei, vel prophetiæ. 177. 1. Intel-

tellectus capacitas, donum Dei. 343. 2.
S. Ioannes Apoſt. & Evang. *De eo ſer. integer.* 82.
S. Ioannes Baptiſta. *De eo ſer. integer.* 230. Cur ejuſdem dies natalis celebretur. *ibid.* 2. In ejuſdem decollationem *ſerm. int.* 346.
Ionathas tunicâ ſe ſpolians, eamque Davidi præſentans, animæ amore æſtuantis ſymbolum. 337. 1. 2.
Ioſeph ab Arimathæa, quem Iudæi ex odio recluſeſerant occidendum, à reſurgente Salvatore liberatur. 20. 1.
Ioſephi Patriarchæ exaltatio, Chriſti glorificati ſymbolum. 220. 1. 2.
Iſis adinvenit literas Ægyptiacas. 34. 1.
Iſraelitæ in exitu de Ægypto obſervabant ſpecialia circa eſum agni, non abſque myſterio. 102. *& ſeq.*
Iudas Machabæus de Principibus militiæ Martyr primus. 80. 1.
Iudex vitæ alienæ debet vitam moderare propriam. 412. 2.
Iudicium univerſale quivis Catholicorum ſua fide ſecurus accedere poteſt, confuſis infidelibus. 45. 2. Eius conſideratio, peccatorum averſio. 332. 2. Præter generale obtingit particulare. 420. 1. 2.
Iuramentum non exigendum, dum talis ſcitur falsè juraturus. 126. 2.
Juſſit Rex expoliari Ionatham veſtibus ſuis, exponitur moraliter. 337. 2.
Iuſtitia & miſericordia Dei in omnibus relucet operibus. 414. 1. 2. *& ſeq.*
Iuſtitiam operans in Dei filium adoptari meretur. 334. 1. Quænam hæc juſtitiæ opera. *ibid.* 1. 2.
Iuſti à mundi origine inceſſanter perſecutiones paſſi. 124. 1. Præmiantur æternaliter. 347. 2.
Iuventus ſobriè educanda, exemplo cujuſdam matronæ, laudatæ à S. Auguſt. 434. 2. *& ſeq.* Iuventutis educatio morigera, quantum inter Gentiles floruerat. *ibid.* 1. 2. Quamvis in peccata labatur, tamen de reſipiſcentia nunquam deſperandum. 435. 1. Subinde cauſa laſciviæ. 469. 1.

L.

LAcrymæ aſſiduæ S. Petri Apoſt. 243. 2. Amoris, ſunt ſigna ſpiritualis lætitiæ. 333. 1. ſpecialiter pœnitentiæ. 343. 1. Earum efficacia. 397. 1.
Lapicidinarum inventor Cadmus. 36. 1.
Lapillus, quo ignis excutitur, Chriſti reſurgentis ſymbolum. 20. 2.
Lapis calore ſolutus in es vertitur, exponitur moraliter. 333. 1.
Latro Diſmas cum Chriſto ad limbum deſcendens, præmio in paradiſo ſimul ſpirituali fuit. 17. 1.
S. Laurentius Martyr. *De eo ſer. integer.* 297.
Laurus. Eius qualitas, & præſtantia. 300 2. *& ſeq.*
Lazarus ad vitam reſuſcitatus, figura peccatoris à delictis ſoluti. 242. 1.
S. Leonardus Confeſſor. *De eo ſerm. int.* 452.
Lex naturalis duo continet præcepta: negativum & affirmativum. 312. 2.
Lex vetus data eſt per Angelos in manu mediatoris. 405. 1. Legem ſcriptam primus Hebræis tradidit Moyſes. 35. 2. Leges reliquas diverſi legislatores diverſis dederunt. *ibid.* Legem incenſam reparavit Eſdras ſcriba. *ibid.* 2.
Lex nova eſt gratia Spiritus ſancti Chriſti fidelibus collata. 403. 2. Habet quædam diſpoſitiva ad gratiam Spiritus ſancti & ad uſum huius gratiæ pertinentia, de quibus Chriſti fideles inſtruendi. *ibid. & ſeq.* Neceſſaria erat ultra legem antiquam ob duodecim rationes. 331. 1. 2. *& ſeq.* Utriuſque differentia. *ibid.*
Lex iniqua ſubinde ſuſtinenda, ad evitandam ſeditionem. 126. 2.
Liber vitæ, prædeſtinationem ſignificans, cur ſic appelletur. 165. 1. 2. Illic inſcripti ſunt prædeſtinati. *ibid.* 2. Accipitur 6. modis. *ibid. & ſeq.* Inde quis deleri poteſt 6. modis oppoſitis. 166. 2. Quinam inde delebiles, quinam indelebiles. 167. 1. Petere inde deleri, ut proximus quicquam mereatur, charitas. 126. 2.
Liber præſentis Sanctuarii. *Eius præſtantia deſcribitur in præfat. ad Lectorem.*
Libri quantumvis præſtantes ſemper taxationibus ſubjecti. *ibid. ante fin.*
Librorum ſacrorum lectio, atque de lectis collatio recommendatur. 381. 2. 470. 2. prophanorum reprobatur. *ibid.*
Libros copioſos Romanis primus advexit Paulus Æmilius, deinde Lucullus. 35. 2.
Liberalitas decet nobilem, magis illa quæ ex opera, quàm altera quæ ex ære procedit. 185. 1. Eius in pauperes exemplar. 344. 2. Illa eſt perfecta, quæ ſilentio tecta vanâ laude non maculatur, ſervato ordine ad domeſticos fidei. 490. 1.
Libertas animi in quo conſiſtat. 184. 2. Vera eſt, non ſervire peccatis. 468. 2.
Libertas juventuti periculoſa. 469. 2.
Liberum arbitrium hominis non movetur in Deum, niſi ab eo attractum. 476. 2. Sequitur ut diſcipulus Magiſtrum, homine effecto ſimili Deo per gratiam. *ibid.*
Lilium. Eius ſalubritas, & efficacia. 291. 1.
Limbus. Ad eum deſcendentium differentia quadrifaria. 238. 2
Linguæ nationales. Earum per orbem diffuſus numerus: 72. quibus à Chriſto præficiebantur diſcipuli totidem. 407. 1. Earum miraculoſa locutio confertur ad utilitatem Eccleſiæ. 178. 1.
Litterarum ſcriptarum in linguis diverſis inventores. 34. 1.
Locus. Eius dignitas nec nobilem nec ſanctum efficit, ſed fidei morumque integritas. 122. 2.
Longanimitas bona, comparata magnanimitati, in quonam conſiſtat. 105. 2. Mala eſt quadrifaria. *ibid.*
Loquela oris, manifeſtatio cordis: ſpiritualis prodit ſpiritum bonum, laſciva perverſum. 167. 2.
S. Lucas Evangeliſta. *De eo ſermo integer.* 401.
S. Lucia Virgo & Martyr. *De ea ſer. integer.* 487.
Lucifer. Eius rabies & invidia circa redemptionem ſalutemque humani generis. 71. 1. Cadentis ruina, naturæ humanæ ſucceſſione reparata. 135. 1.
Luminaria cæleſtia creata ſunt, ut cedant in ſigna tempora, dies, & annos. 27. 2. Plus ſolitò coruſcabant Chriſto naſcente. 76. 1. 2. Chriſto reſurgente. 20. 1. 2.
Lux creata quadriſariâ ratione. 488. 2. *& ſeq.* Omnium creaturarum prima, pulcherrima, nobiliſſima, maxima. 489. 1. 2.
Luxurioſi. Eorum pericula. 444. 1. 2.

M.

MAgiſter delicatus, qui pleno ventre de jejunio diſputat. 382. 1.

Magnanimitas in quo consistat. 184. 1.
Magi Orientales iter ad Iesum incarnatum rationabiliter accelerant. 7. 2. Sunt primitiæ Gentium, credentium in Christum. 9. 2. Eorum munerum mystica significatio, nostra instructio. 10. 1. Eorum declarationes, quibus solvunt rationes, dissuadentes credere Christi, veri Messiæ, Incarnationem. *Ibid.* 1. 2. *& seq.* Eorundem ab Oriente adventus literalis & mystica explicatio. 12. 1. A S. Thoma Apostolo baptizati, secundùm fidem Christi vixerunt, sanctoque fine quieverunt. 13. 2. 493. 2.
Maledictio hominum gravis non est, quæ laude divina mutatur. 382. 1.
Malum pœnæ sufferendum, ne proximus impingat in malum culpæ. 125. 2.
Malum corporale subinde admittendum, ob majus bonum spirituale. 126. 2.
Malum nequit esse purum absque commistione boni. 445. 2.
Malus, etsi regnet, servus est, tot quidem dominorum, quot vitiorum. 468. 2.
Manna, Sacramenti Eucharistici figura. 49. 2. Eius in testamento veteri qualitates. *Ibid.* Formabatur in cælo ministerio Angelorum. 50. 1.
S. Marcus Evangelista. *De eo sermo integer.* 176.
S. Margarita Virgo & Martyr. *De ea serm integ.* 254.
S. Maria Ægyptiaca ope Beatæ V. Mariæ carnalem concupiscentiam devicit, pœnitens effecta. 308. 1.
S. Maria Magdalena. *De ea sermo int.* 260. Eadem est, quæ fuit soror Lazari, & quæ Dominum unxit unguento. *Ibid.* 2. *& seq.*

S. Maria Virgo.

Mariæ nativitas. *De ea ser. integer.* 353. Erat in utero sanctificata, quamvis hoc ipsum Biblia non contineant. *ibid.* 1. 2. In eam major descendit sanctificationis gratia, quàm in singulos Sanctos reliquos. *ibid.* 2. *& seq.* Comparatur lanæ mundissimæ. 354. 1. Fuit præostensa in lucis primordialis creatione. *ibid.* *& seq.* in stellæ matutinæ varia nominatione. *ibid.* 2. in lunæ diminutione. *ibid.* in cælorum distinctione. 355. 1. In eius vertice corona stellarum duodecim. *ibid.* Transcendit Angelorum perfectionem. *ibid.* 2. *& seq.* Ipsà nascente cessavit lucta inter Deum & homines. 356. 1. Dies eius natalis convenienter celebratur. *ibid.* Prænunciabatur ab Angelis. *ibid* 2. 359. 2. *& seq.* Salutem abundantiùs confert piscinâ probaticâ. 356. 1. Eius nativitas multis figuris & ænigmatibus præostensa. *ibid.* 1. 2. *& seq.* Est mons Dei clarissimus. 357. 2. Fuerat propheticè promissa. 358. 1. 2. Diversa eius epitheta symbolica. *ibid.* 2. *& sequentib.* Eius intentio & desiderium in Deum semper. 359. 1. Eius nomen divinitùs impositum. *ibid.* 2. Efficacia ejusdem nominis declaratur per singulas 3. literas trifariè. *ibid.* *& seq.* Est mediatrix inter Deum & homines. *ibid.* auxiliatrix, restauratrix, illuminatrix, advocata. 360. 1. Eius nomen præsignabant quinque matronæ testam. vet. *ibid* *& seq.* designant gemmæ totidem. *ibid.* 2. *& seq.* Virginalis eius puritas: est oculus Ecclesiæ, antidotum contra venenum serpentis antiqui. *ibid.* martyr fuit in compassione Filii. 361. 1. Erat omnigenis virtutum coloribus depicta. *Ibid.* 1. 2. Dæmonum fuga. *ibid.* 2. Eius conversatio cum parentibus, in templo, cum Angelis, qui ei escam ministrabant. *ibid.* cum sponso Ioseph, cum Elisabeth, &c. 362. 1. *& seq.*
Mariæ annunciatio. *De ea ser. int.* 154. Sub actuali annunciatione fulgebant in ea duodecim virtutes morales. 163. 1. 2. *& seq.* Christum concipiens, excipiebatur ab illo decreto: *In dolore paries filios.* 10. 2. *& seq.*
Mariæ visitatio. *De ea serm. int.* 245. Ascensiones, quas cordetenùs dispositi, seu virtutes, quas coluit, cognatam visitans. *Ibid.* 1. 2. *& seq.* Est diversarum virtutum exemplar. *ibid.* Tota SS. Trinitas suas proprietates in eam reposuit. 246. 2. *& seq.* Radicavit in supremo Angelo Christo. 247. 1. Est ostiaria, janua, fenestra paradisi. *ibid.* 2. Comprehendit dignitates & ministeria Angelorum. *ibid.* *& seq.* Est cæli instar ob sui amplitudinem, ad quam respiciunt qui sunt in cælis, in terris, in purgatorio. 248. 2. Comparatur soli, lunæ, stellis, in qua nec casus, nec error. *Ibid.* *& seq.* auroræ. 249. 1. Habuit excellentias Patriarcharum. *Ibid.* *& seq.* Præcellit omnes creaturas prout sol luminaria reliqua. 250. 2. Prænunciabatur à Prophetis quatuor. *ibid.* *& seq.* Virginitas eius cricundedit virum. 251. 1. Est Libanus trium portarum. *ibid.* Christo pauperi exhibuit 6. opera misericordiæ. *ibid.* Eam expresserunt tres eruditi 3. *Esdræ* 3. *cap.* requisiti: *quidnam in rebus fortius*, *ibid.* Complectitur omnes benedictiones matronarum testamenti veteris. 251. 2. *& seq.* Est cedrus, cypressus, palma, plantatio Rosæ. 253. 2. *Exultavit spiritus meus*, declaratur. 317. 2.
Mariæ Purificatio. *De ea ser. integ.* 113. Omni labe venialis delicti caruit. *ibid.* 1. 114. 1. Fruebatur gratiæ plenitudine. *ibid.* Post partum eam agnovit Ioseph specie faciei, in quantum per Filii Incarnationem reddebatur dignior, & speciosior, quàm ante. *ibid.* Eius puritas excessit puritatem omnium creaturarum. *ibid.* In utero tamen materno usu caruit liberi arbitrii. 114. 2. Purificationis observantiam coluit præcipuè humilitatis causâ, atque alias ob rationes. 115. 1. 2.
Mariæ assumptio. *De ea ser. integ.* 305. Post obitum animâ & corpore fuerat in cælos assumpta, illic perfruens omnium Sanctorum gratiis, collectivè sumptis. 306. 1. Nominis interpretatione est illuminatrix. *ibid.* In ea trifaria extitit gratiæ perfectio. *ibid.* Inter eam & Christum est propinquitas trifaria. *ibid.* 2. Habet dignitatem æquè trifariam. *ibid.* *& seq.* Tanquàm Imperatrix Angelos destinat in ministerium. 307. 1. 2. Inferorum pacta cassat. *ibid.* 2. In quovis gravamine ad eam recurrendum. *ibid.* *& seq.* Plena extitit igne divini amoris, quem emerita ob varias virtutes. 308. 1. 2. Plena divini splendoris, in se sperantes illuminans. 309. 1. Plena divinâ sapientiâ. *ibid.* Est aquæductus cælestium gratiarum. *ibid.* 1. 2. Candor omnis puritatis. *ibid.* 2. Est vitis fructificans, cinamomum, balsamum. 310. 1. 2. Copiosis. charitate omnibus misericordiæ sinum aperit. *ibid.* 2. De eius cum corpore & anima assumptione argumenta efficacia. *ibid.* 2. *& seq.* In cælis coronatur coronâ stellarum duodecim, quæ sunt totidem nobis præstita beneficia. 311. 2. *& seq.* Virtutes eius & mores inter mortales gesti. 312. 2. *& seq.* Totam Ecclesiam militantem illuminat, Patriarchas legis longè superans. 313. 1. 2. Animitùs martyrium passa. 314. 2. 361. 1. Assumptionem eius innuebat fons ascendens, terram irrigans; pariter arca Noe. *ibid.* Scala est peccatorum, tota ratio humanæ spei. 315. 1. Virtutes eius antequam

quam Dei Mater effecta, quibus emeruit ſpiritum propheticum. *ibid.* 1. 2. Symbola Prophetarum de eius aſſumptione. *ibid.* 2. *& ſeq.* Loca ſancta Nativitatis, Paſſionis, ſepulturæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis Filii ſui frequenter adibat. 317. 2. Poſt eius Aſcenſum vacabat ſcholæ virtutum cum Apoſtolis. 318. 1. Mira, quæ in eius obtingebant aſſumptione. *ibid.* 2.

Maria V. Chriſtum Filium ſuum reſurgentem conſpexit prima, deinde mulieres reliquæ. 18. 1. 2. Habuit filios tres: naturalem, Chriſtum: legalem, Ioannem Evangeliſtam: ſpiritualem, Ioannem Baptiſtam. 233. 2. Contulit Fratribus Ord. Prædicatorum habitum religionis. 282. 1. Eſt firmamentum virtutis fidei. 429. 1.

S. Martinus Confeſſor. *De eo ſermo integer.* 461. Contra luem peſtiferam Patronus efficax. 465. 2.

Martyres. Eorum fuere genera quatuor in teſtam. veteri, totidem in novo. 80. 1. Succedunt in locum Behemoth, qui eſt ordo Dominationum. 434. 2.

Martyrium. Eius genera ſunt varia. 85. 2. 90. 1. 2. 463. 1. Non conſtat merito, ſed Dei gratiâ. 87. 1. Suſtinere difficillùs, quàm aggredi. 103. 1. Colitur ab Eccleſia de quibuſdam fœminis, quæ in conſervationem pudicitiæ ſe præcipitarunt in flumina. 104. 2. Inter omnes actus virtutum magis viget charitate, ſine quâ martyrium redditur invalidum. 105. 1. imo pœnam non præmium meretur. 125. 1. Baptiſmi habet efficaciam. 111. 2. Virginitati præferendum, inter omnes actus virtutum perfectiſſimus. 190. 1. 2. Exempla conſtantiæ in martyrio, *perluſtra ſermones de Apoſtolis, Martyribus, & Virginibus.*

Matres doceant filias non ſaltum, ſed lamentſi. 351. 2.

Matrimonium eſſe nequit inter ſpecies differentes. 467. 1.

S. Matthæus Apoſt. *De eo ſer. integ.* 362.

S. Matthias Apoſt. *De eo ſer. integ.* 134.

Mecœnas author notarum, è quibus eliciebantur vocabula. 34. 1.

Medicina. Artis hujus inventor Æſculapius. 34. 2. Amiſſæ, in lucem revocator Hippocrates. 35. 1. Trifaria. 44. 1.

Membrani pro ſcriptione inventor Eumenes. 35. 2.

Menſis ſeptimus, dieſque ſeptimus Iudæis erant ſolemnes, ob rationes diverſas. 231. 2.

Mens. Eius tumor obſtaculum veritatis. 96. 2.

Mercatores. Eis præſcribitur lex miſericordiæ. 237. 1.

Meritum importat æqualitatem juſtitiæ: ſed voluntariè ſibi de mercede ſubtrahens, meretur ſibi ſuperaddi. 219. 1.

Metellus floruit religioſitate. 171. 2.

S. Michael Archang. *De eius victoria & apparit. ſerm. integ.* 220. Computatur in ordine Principatuum. 221. 1. Deiecit de cælo Luciferũ cum angelis apoſtatis. *ibid.* 2. Rexit Patriarchas, Prophetas, Synagogam, intulit plagas Ægyptiis, &c. abſcondit corpus Moyſis, ne Iudæi idololatriam committerent, Syros percuſſit cæcitate. 222. 1. 2. Venit in adjutorium illi, cui reſtiterat Rex Perſarum. *ibid.* Eſt princeps, inſtructor, & defenſor Eccleſiæ. 223. 1. 2. deſtructurus Antichriſtum, convocaturus ad univerſale judicium. *ibid.* 2. Infidelibus tempore Abrahæ, Moyſis, Iudicum, Regum oſtendit complura ſigna, quibus ſpretâ idololatriâ verum Deum agnoſcere potuiſſent. 224. 1. 2. Eſt Princeps ſuper omnes animas ſuſcipiendas. *ibid.* 2. Victoria eius & apparitio cur Romæ eodem die celebretur. 223. 2.

Miles Chriſti ſtrenuus debet habere munitionẽ convenientem. 173. 2. quæ ſpecificatur. 174. 1. Debet ſtrenuè certare pro eius honore, obſervando regulam quatuor capitulorum. *ibid.* Debet callere artis militaris ſcientiam, quæ acquiritur modis quatuor. *ibid.* 2.

Miles ad dimicandum animatur quadrifariè. 80. 2. *& ſeq.* Militem de formidine imprudenter arguit judex delicatus, unguentis delibutus. 382. 2.

Milites. Hiſce cur detur enſis. 184. 2. Præſcribitur lex clementiæ. 237. 1. Eis labor cum Duce præſtitus videtur facilior. 496. 2.

Militare ob prædam peccatum. 464. 2. *& ſeq.* Militandi regula. *Ibid.*

Miniſter quivis Eccleſiæ, quantùm ad aliquid, typum gerit Chriſti. 482. 2.

Miracula. Eorum operatio gratiæ gratum facientis indicium. 137. 2. Confertur ad utilitatem Eccleſiæ. 178. 1.

Miſericordia Dei in omnibus operibus magis quàm juſtitia relucet. 339. 1. 2. *& ſeq. Vide:* Iuſtitia & miſericordia Dei.

Miſericordia plenitudo virtutum. 237. 1.

Miſericordes in Dei filios adoptari merentur. 334. 1. 2.

Miſſa cur ſic vocetur, cur triplici linguâ legatur, cur hoſtia in tres partes dividatur. 148. 2. Eius inſtitutor Chriſtus, augmentatores Apoſtoli, Hilarius, Nicæna ſynodus, & alii. *ibid.*

Modeſtia, vanæ gloriæ contraria, ſuadetur. 417. 1.

Monachi Deum continuè laudantes habere debent puritatem Martyrum & Angelorum. 464. 2.

Mores quinam deceant ſenes, juvenes, adoleſcentes. 485. 2.

Mors. Ea imminente orandum exemplo Chriſti. 61. 1. Corporalis ſuſtinenda in proximorum ſalutem. 127. 1.

Mortui cum Chriſto reſurgentes. De eorum reſurrectione duplex opinio. 17. 1. 2.

Motus accipit ſpeciem non à termino à quo, ſed à termino ad quem. 422. 2.

Motus corporales & ſpirituales reducuntur ad primum movens, quod Deus eſt. 177. 1.

Movens primum in ordine corporalium eſt corpus cæleſte. 176. 2.

Moyſes literarum Hebraicarum, & carminum inventor. 34. 1. Multis gratiis dotabatur divinitùs, à filia Pharaonis in filium adoptatus. 239. 2. Eius corpus cur abſconditum lateat. 222. 2.

Mulier docere in Eccleſia non permittitur, ſecus in privata domo. 18. 1. Quædam peperit Æthiopem ob aſpectum figuræ conſimilis. 385. 2.

Mulier honeſta à marito colenda ratione trifaria. 264. 1. 2. Eius conditiones honeſtæ duodecim. *ibid.* 2. *& ſeq.*

Mulier vana. Status eius periculoſus. 264. 1. perſona deteſtanda. 265. 1. Eius peſſimæ duodecim conditiones. 266. 2.

Mulieres à procis ſeducuntur multifariè. 262. 2. *& ſeq.*

Mulierum ornatus quiſnam licitus, vel illicitus. 263. 1. 2. *& ſeq.* Earum cantilenæ & facetiæ viris periculoſæ. 264. 1. Tunica longa ad operiendos talos licita, excelſus, caudæ inſtar, illicitus ob duodecim rationes. 265. 1. 2. *& ſeq.*

Multiplicatio generis humani (ſi protoparentes non peccaſſent) obtigiſſet cum innocentia ſine mortalitate. 150. 2.

Mun-

Mundus corde in Dei filium adoptari meretur. 333. 2.
Munera. Eorum oblatio ſeductiva. 469. 2.
Murmurator æquiparatur rotæ plauſtri. 207. 2.
Muſicæ author Iubal: ornator Oriſis. 34. 2.
Myrrha, guta, caſſia virtutis mirificæ. 307. 1.

N.

NAtura humana in Adamo corrupta, reconciliationis remedia quatuor mox in principio à Deo fuit ſortita. 2. 1.
Naturæ humanæ à Chriſto in cælum aſſumptio pro nobis eſt quædam apud Deum interpellatio. 24. 2.
Naturalia ſubinde miraculosè acquirunt virtutem ad operandum aliquid ſupernaturale. 77. 1.
S. Nicolaus Conf. *De eo ſer. int. ger.* 482.
Nicoſtrata literarum Latinarum inventrix. 34. 1.
Nobilitas, varia. 182. 2. *& ſeq.* Vera requirit 6. virtutes. 184. 1. 2. *& ſeq.* Item Nobilitas duplex: parentelæ, & virtutum: hæc coram Deo prevalet. 468. 2. Rurſum quadrifaria: Originis, vitæ ſanctæ, adoptionis, impreſſionis divinæ imaginis. 484. 2.
Nobilitas amatorum puellis virginibus perniciosa. 469. 2.
Nomina ſingularium hominum imponuntur ab aliqua proprietate eius, cui nomen imponitur, vel aliis de cauſis. 3. 1. 2. Divinitùs impoſita indicant aliquod donum gratuitum. *ibid.* 2.
Noſtra converſatio in cœlis eſt, declaratur. 110. 1.
Notæ, è quibus vocabula eliciuntur, inventæ à Mecœnate. 34. 1.
Novitii Religionum ad profeſſionem anhelantes, quænam debeant deſerere. 329. 1.
Nox illuminatio in deliciis, quando hoc obtingat. 303. 2. *& ſeq.*
Nuditas corporis virginibus ſub martyrio pœnâ ipsâ gravior. 470. 1.
Numerus ternarius perfectus. 45. 2. Pariter ſenarius, & duodenarius. 480. 1.

O.

OBediens ſpontaneus auris eſt margaritis ornata. 100. 1. In Dei filium adoptari meretur. 335. 1.
Obedientia cur victimis præponatur. 193. 1. Perfecta qualis. 329. 1. 2. 417. 1. Eſt neceſſaria Principibus quoad Dei leges, virtutes reliquas menti inſerens. 435. 2. Ad perfectionem adipiſcendâ requiritur. 433. 2. Exterior cuacte procedens non virtus, ſed velamen malitiæ. 494. 2. Quænam vera *ibid.*
Oblatio de ſex generibus animalium in teſtam. veteri, demonſtrabat reatum peccati. 117. 1. Immolatio præſignabat mortem Chriſti pro peccatis mundi. *ibid.*
Occupatio aſſidua militat virginitati. 256. 1.
Offenſam remittere amicitiæ proprium. 32. 2.
Officiales Eccleſiaſtici, quoad miniſterium, typum gerunt Chriſti. 482. 2
Officium canonicum inſtitutum & auctum à diverſis. 148. 2. A S. Hieronymo in debitum ordinem redactum. 380. 2.
Oliva pinguis ac medicinalis, ſymbolum gratiæ Spiritus ſancti. 37. 1.
Opus ſpirituale ob reſpectum ad conſanguineos non deſerendum, ſed virili animo proſequendum. 413. 1.
Opera bona locò orationis ad Deum clamant. 96. 2. Spiritualia ſubinde occultanda, vel differenda ad evitandum ſcandalum paſſivum. 126. 1. Virtutum qui faciunt corruptâ intentione, ſunt manus ſiniſtra; qui ſimplici & rectâ, ſunt dextera. 100. 1. Interna majoris meriti, quàm externa. 383. 1. Miſericordiæ recommendantur. 463. 2. Occulta magis meritoria, quàm manifeſta. *ibid.* Habent tres partes, unam alterâ perfectiorem. 464. 1.
Opera ad fidem neceſſaria. *Vide*: Fides.
Orationis oratoriæ partes duas, Nomen & Verbum, Ariſtoteles primus tradidit. 34. 1.
Oratio ſeu precatio. Eius encomia. 96. 1. Vt ſit impetratoria, requirit quatuor conditiones. *ibid. & ſeq.* Cum jejunio propulſat laſciviam. 256. 1. Ei devotè inſiſtentes in Dei filios adoptandi. 334. 2 Difficulter in eâ diſtractiones vitandæ. 330. 2.
Ordines in teſtam. veteri fuere quatuor, totidem antiquiores in teſtam. novo. 477. 2. *& ſeq.*
Ordines Eccleſiaſticos Deus poſuit in Eccleſia, pro incremento decoris eius. 482. 2. Eos recipiens ſit conſtitutus in gratia. 483. 1.
Ordo regularis. *Vide*: Religio.
Ornatus mulierum. *Vide*: Mulier.
Otium fomentum laſciviæ. 256. 1.
Oves Iacob intuentes virgas diverſimodè coloratas, fœtus varios concipiebant. 386. 1.

P.

PApyri ſeu chartæ inventor Aſpaſius Biblus. 35. 2.
Parentes propter Deum relinquendi. 328. 2. *& ſeq.* Eorum pius zelus & ſolicitudo filiis conducit. 342. 2. *& ſeq.*
Paſſio Chriſti. Eius pia conſideratio ſpem ſuggerit in Dei miſericordiam. 333. 1. Contemplationis huiuſmodi clariſſimum exemplar S. Franciſcus. 385. 2. *crebro eod. ſerm.* Paſſionis Chriſti documenta & efficacia, *vide*: Chriſtus.
Paſtores Eccleſiaſtici tenentur pro grege ſibi commiſſo animas ponere, quietem propriam poſtponere. 131. 2. Plura peragere, ad quæ obligantur. 132. 1. 2. Convenit eos eſſe irreprehenſibiles. 146. 1. Conditiones requiſitæ ex parte eligentium, & electi. *ibid.* Remunerationem expectare debent in futuro. *ibid.*
Patientia vera donum Dei. 107. 2. Adverſitates devincit quatuor modis. *ibid.* 1. 2. Triſariè exercenda. 424. 1. Eius laudes. 434. 2. Meretur palmam martyrii. 463. 1.
Patientes in Dei filios adoptari merentur. 334. 2.
Patria cæleſtis deſcribitur. 332. 2. *Vide*: Beatitudo, Cælum, Gaudium.
Patria terreſtris. Pro eius conſervatione omne incommodum tolerandum. 187. 2.
Patriarchæ legis antiquæ laudibus celebrantur. 191. 1. 2. Succedunt in locum Luciferi, qui eſt ordo Seraphim. 432. 1.
Patrum ad limbum deſcendentium differentia quadrifaria. 238. 2.
Paulus Æmilius floruit magnanimitate. 170. 2.
S. Paulus Apoſtolus. *De eius converſione ſerm. int.* 108.
Paupertas medium efficax aſſequendi charitatem, ſalutemque æternam. 383. 2.
Pauperibus & Martyribus cur pariter regnum cælorum promittatur. 458. 1.
Pax requiritur à Spiritu ſancto inhabitante. 35. 1. 2. malorum non eſt pax. 147. 1.

Pacifici in Dei filios adoptari merentur. 335. 1. ſecus non pacifici: quia filii diaboli. 438. 2.
Peccator quivis nec in fine vitæ de divina miſericordia deſperet. 111. 2. quantumvis ſceleratus circa veniam non diffidat. 226. 2. 364. 2. 365. 1. 2. pœnitens damna præcedentia multimodè recompenſat. 261. 2. Eius juſtificatio opus majus, quàm cæli terræque creatio. 340. 2. Cum peccatoribus converſari imperfectis periculoſum, perfectis (in finem eos convertendi) fructuoſum & laudabile. 126. 1.
Peccatum. Originale protoparentum cauſavit maledictionem trifariam. 150. 2. Huic Deus variis occurrit remediis. 2. 1. Delictum quodvis variis aggravatur circunſtantiis. 112. 2. & ſeq. Semper ex quadam contingit ignorantia. 121. 2. Proximi ſubinde occultandum, ne eius impediatur converſio. 126. 1. Impii manifeſtandum, ne plures pervertat. ibid. 2. Omne formaliter conſiſtit in averſione à Deo. 179. 2. Inde nemo reſurgit, niſi gratiâ Dei præventus. 226. 2. Ob peccatum unius interdum periclitatur communitas. 228. 1. 2. Cauſat malum trifarium. 242. 1. 340. 2. A quibus, & qualiter remittatur. ibid. Privat duplici dignitate, quarum altera non recuperabilis. 261. 1. 262. 1. Procedit ex ſuperbia. 268. 2.
Pellis hoſtiæ detracta, igneque in lege vet. concremata martyrii ſymbolum. 337. 2.
Perfectio vitæ requirit nedum omnium terrenorum derelictionem, ſed & Chriſti ſequelam. 92. 2. 383. 1. 384. 1. Ad eam tendens indiget aliorum directione. 453. 2.
Perfectiſſimum in ſe eſt exemplar, quod imitantur minus perfecta ſecundùm ſuum modum. 14. 1.
Perſecutio innocentibus cedit in ſalutem. 12. 2. 346. 1. 2. 350. 2.
Perſeverantia, laborum virtutumque corona, conſiſtit in quatuor. 106. 1. Eiuſdem indicia totidem. 227. 1.
Peſtilentia fugatur fide SS. Trinitatis. 46. 2. Patronus contra eandem S. Martinus Epiſc. 465. 2. Conſtat exemplis. ibid.
S. Petrus Apoſt. *In eius feſtum principale ſer. int.* 239.
S. Petri Apoſt. cathedra. *Sermo int.* 129. Eſt Eccleſiæ militantis caput quoddam & fundamentum. ibid. 2. Primus in ordine Sacerdotali. 130. 1. Eius poteſtas, & erga Chriſtum amor. ibid. Miniſterio ſacerdotali prævalet Angelis. ibid 2. & ſeq. Eius in Eccleſia auctoritas. 131. 1. populi Chriſtiani regimen. 132. 2. Eius in delinquentes correctio. ibid. Eius poſt lapſum fletus & reſipiſcentia. 133. 1. Raditur ab infidelibus capitis eius vertex, capillis reſtantibus in forma coronæ. ibid. 2.
S. Petrus Martyr Ord. Prædicat. *De eo ſer. integ.* 190.
Phariſæus, circa converſionem S. Mariæ Magd. querulus, à Chriſto pacatur efficacibus rationibus. 270. 1. 2. & ſeq.
Phariſæis proponitur lex pœnitentiæ. 237. 1.
Philetus à S. Iacobo min. ad Chriſti fidem convertitur. 275. 1.
SS. Philipus & Iacobus Apoſt. *De iis ſer. integ.* 203.
Philoſophia quidnam doceat. 43. 2.
Phœnix reſuſcitata Chriſti reſurgentis ſymbolum. 21. 2.
Phœnices inventores literarum Atticarum. 34. 1.
Phyſicæ author primus Thales Mileſius. ibid. 2.
Picturæ inventor Sarug. 36. 2.
Pietas erga proximum recommendatur. 489. 2.
Plato florebat venuſtate ſermonis: infantiæ ſuæ labellis apes mel inſeruere. 169. 2.
Ploratus pœna peccati, per protoparentes in mundum introducti. 11. 1.
Pœnitentia eſt ſacramentum, gratiam Dei amiſſam reſtituens. 178. 2. Reparat virtutem amiſſam quantùm ad eius formale, non quantùm ad materiale. 261. 1. 262. 1. perfecta exigit quatuor conditiones. 267. 1. modica in hoc mundo prævalet duriſſimæ in purgatorio. ibid. Impeditur quadrifariè. ibid. 1. 2. Perfectam præcedunt quatuor, comitantur totidem. 268. 1. 2. Coram Deo potentiſſima. 329. 2.
Pœnitens vita prodigium 437. 1. 2. vita felix & beata. 438. 1.
Pœnitentes ſuccedunt in locum Leviathan, qui eſt ordo Virtutum. 437. 1.
Polyſtratus & Hypoclides Philoſophi, eodem die nati, &c. eodem tempore ultima ſenectute extincti. 480. 2.
Ponderum, & menſurarum inventores. 36. 1.
Pontificis ſummi eſt determinare quæ ſunt fidei, convocare concilia, exponere & interpretari Scripturas, &c. 131. 1. 2.
Populus, qui virtutem averſatur, omninò vitandus. 187. 2. & ſeq. Honoratum juvare, defendere, conſervare, majoris eſt meriti, quàm vivere ſolitariè. 184. 2.
Portæ duodecim, ſive dona gratiarum totidem, quibus ad cæleſtes pergitur nuptias, allegantur. 408. 2. & ſeq.
Poſſeſſiones proprio ſtudio & labore acquiſitas propter Deum relinquere, ſumma perfectio. 379. 1. 2.
Poteſtas particularis regitur à poteſtate univerſali. 221. 1.
Prædeſtinatio divina, quid. Ad eam concurrunt quatuor. 422. 1. Eſt certiſſima & infallibilis. 423. 1.
Prædeſtinati. Pro his orandum, ut prædeſtinatio ad impleatur. 126. 1. Eorum numerus determinatus. 134. 2. Qualiter divinitùs tales efficiuntur. 136. 1. 2. Cooperari debent, quatenus prædeſtinatio ſortiatur effectum. 215. 2. 422. 1. Caſus peccatorum eis cedunt in bonum. 261. 2. Eorum ordinum in cælis octo. 422. 2. & ſeq. Plura de his. 423. 1. 2. De eorum corona. 423. 2. & ſeq. Coronam vitæ promiſſam confirmavit Chriſtus in morte per teſtamentum octo generibus electorum. ibid. & ſeq. Plura de his, *vide*: Electi.
Prædicatio & doctrina, opera perfecti religioſi. 93. 1. Simplici contemplationi præferuntur. 139. 1.
Prædicatio verbi Dei cedit in utilitatem Eccleſiæ. 178. 2. Evangelica requirit authoritatem collatam, vel à Deo, vel à ſuperioribus. 228. 2. requirit veritatem, firmitatem, virtutem. 229. 1. conditiones præterea exigit apoſtolicas. 302. 1. 2. ad converſionem conducit. 342. 1. 2.
Prædicatores docere tenentur & delectare. 31. 1. 2. Eorum lingua inſtrumentum Spiritus ſancti. ibid. 2. 178. 2. Secundùm legem Chriſti prædicantes, & viventes, collum eius ſunt ornatum margaritis. 100. 1. Vox eorum eſſe debet alta, ſuavis, clara. 352. 1. Comparantur Angelis, conſcendentibus ſcalam Iacob. 403. 2.
Prædicabitur hoc Evang. &c. & tunc erit conſummatio,

qualiter intelligendum. 404. 2.
Prælati ſubditorum ſe matres non dominos reputent. 327. 1. *Vide:* Epiſcopus, Paſtor, Superior.
Prælum, ſeu typus librorum abſque defectu evadit nunquam. *In præfat. ad lect. poſt medium.*
Prætextati unde ſic dicebantur antiquitùs. 454. 1. 2.
Preces. *Vide:* Oratio.
Primitas inhoneſta in teſt. veteri quatuor ordinum: agricolarum, primogenitorum, bigamorum, principum tyrannorum. 478. 1. 2.
Proci mulieres ſeducunt multifarie. 262. 2. *& ſeq.*
Propheta, unde quis dicatur. 390. 1.
Prophetæ. Eorum genus varium. 96. 2. *& ſeq.* 380. 2. Succedunt in locum ſatanæ, qui eſt ordo Cherubim. 433. 1.
Prophetæ dæmonum ſubinde vera loquuntur ex diſpoſitione divina. 33. 2.
Prophetia requirit mentem ad Deum elevatam. 29. 2. Eius donum præſtantius linguarum ſcientiâ. 30. 2. Eſt de his, quæ à cognitione procul exiſtunt. 177. 2. Ad eam propriè pertinet *revelatio futurorum eventuum. ibid.* De ea plura. 390. 1. 462. 2.
Proviſor particularis excludit defectum ab eo, quod curæ ſuæ ſubditur: univerſalis, qui eſt Deus, admittit defectus particulares, ne impediatur bonum totius 210. 1.
Proximi damnatio pro viribus impedienda abſque detrimento ſalutis propriæ. 126. 1.
Proximorum fragilitati compatiendum exemplo Chriſti. 61. 1.
Pudicitia virtus eſt inſignis victoriæ, nedum libidinis impetum, ſed & ſigna cohibens. 436. 2.
Pudor animi recommendatur. 99. 2. Correptor eſt peccatoris. 257. 1.
Puellarum corruptarum pœna in lege veteri. 115. 2.
Pugnator ſapiens quis. 463. 1. Pugnam fruſtra ſuadet, qui ad eam renuit deſcendere. 382. 2.
Pulchritudo corporalis ſubinde cauſa ruinæ. 127. 1. ſpecialiter in juvenibus. 469. 1.
Purgatorium dari probatur. 445. 2. De eius loco, & gravi pœna, &c. 446. 1. 2. *& ſeq.* Variæ circa præſens quæſtiunculæ ſolvuntur. 447. 1. 2. *& ſeq.* Animæ illic recluſæ ſunt unitæ myſtico corpori Eccleſiæ militantis; ideo ſuffragia vivorum eis conducunt. 448. 2. His mediantibus à pœnis percipiunt ſublevamen. 449. 2. *Vide:* Animæ purgatorii, Suffragia.
Purus. *Vide:* Mundus corde.
Pythagoras florebat authoritate. 169. 2.
Qui convertit petram in ſtagna aquarum, & rupem &c. exponitur moraliter. 333. 1.

R.

RAtio naturalis. Eſt impreſſio divini luminis, docens legem naturalem. 312. 2.
Recollectio requiritur à Spiritu ſancto inhabitante. 35. 2.
Redemptionis humanæ myſterium inſcrutabile. 154. 1.
Regula S. Auguſtini à multis acceptatur Religionibus. 344. 2.
Regula militum. 464. 2.
Religio Chriſtiana apud quoſnam quærenda. 144. 1.
Religio clauſtralis. Eius gradus quadrifarius. 92. 2. *& ſeq.* Peccatoribus perutilis. 277. 1. Pro nullo peccato poteſt in pœnam imponi; attamen in commutationem ſatisfactionis eius ingreſſus conſulitur. *ibid.* Pro æterna ſalute ſtatu ſeculari longè ſecurior. 328. 1. Qualiter in ea relinquenda omnia. *ibid.* Impedientes ab eius ingreſſu, quibusnam aſſimilentur. 329. 1. Tanquàm cælum, ubi religioſi ſunt Angeli. 378. 1. Plura requirit in ſui conſervationem. *ibid. & ſeq.* Averſatur odium & tumultum, quibus deſtruitur. 379. 1. Per obſervantiam ſacri ſilentii necatur dæmon. *ibid.* Eius votum majus, voto peregrinationis ad terram ſanctam: per illud profitens conſequitur omnium delictorum remiſſionem. 396. 2. Eius ingreſſus conſanguineorum, reſpectu non deferendus 413. 1.
Religio Prædicatorum, ſeu Dominicanorum conſtituta eſt inter præcipuas: quia ordinatur ad docendum, prædicandum, & ad curam animarum. 139. 1. 277. 2. Eius profeſſionis formula eſt ſecuriſſima, non ad culpam, ſed ad pœnam obligans. *ibid. & ſeq.* Figuratur per montem, in quo Lot ſalvatus eſt. 278. 1. Eſt civitas ſuper montem poſita. *Ibid. & eod. ſer. frequentius.* In ea ſaluti animarum incumbentes, aſſimilantur canibus, lingentibus ulcera Lazari. *Ibid.* 2. Habitum Ordinis obtinuit à Beata Virgine Maria, cuius myſterium declaratur per ſingulas eius partes. 282. 1. 2. Propheticè prædictus, extat coloribus expreſſus in quodam monaſterio Ordinis Floriacenſis in Calabria, nec non Venetiis in Ducali templo ſancti Marci. *ibid.* 2. Angelos habet hæc rel. in ſui cuſtodiam. *ibid.* De ea Abbas Ioachim vaticinabatur plurima. *ibid. eodemque ſerm. frequentius.* Aſſimilatur ſoli, lunæ, ſtellis. 291. 2. *& ſeq.* Floret meritis Sanctorum Martyrum, Confeſſorum, Doctorum, Virginum &c. *ibid.* 2. *& ſeq.* In ea damnantur pauci, nemo qui regulam obſervat. 293. 1. Diverſæ circa eam ſimilitudines. *ibid.* uſque 296. 2. Prænunciabatur vaticinio Sibyllæ Erythrææ. *ibid.* Eius S. Fundator & ſocii præmonſtrabantur lumine ſtellarum. *ibid. & ſeq.* Aſſimilatur ſervo, fratri. 297. 1. fabro, figulo. *ibid.* 2.
Religio Franciſcana. Eius origo, progreſſus, præſtantia. *Perluſtra ſer. de S. Franc.* 383. Eius ſoliditas. 400. 1. Prædicebatur à Sibylla Erythræa. 296. 2.
Religiones. Earum diverſitas Eccleſiæ militantis decor. 139. 1. Earum ſtatus ordinantur ad perfectionem charitatis diverſimodè. *ibid.*
Religioſus. Ei vel maximè competit vitæ auſteritas. 93. 1. Curialis redditur vitioſus. 95. 2. Extra clauſtrum tepeſcit. 96. 1. Præcipuè docet habitu vili, ſimplici vultu, innocentiâ vitæ, ſanctitate converſationis *ibid.* Perfectus præter Chriſtum nil poſſidere debet. 485. 1. Non perfectus coram Deo (quando perfectionem pollicitus) mentitus eſt. *Ibid.*
Religioſorum, in forma coronæ, tonſura unde originem traxerit. 133. 2. Ejuſdem tonſuræ myſterium ſeu ratio quadrifaria. *ibid.*
Relinquere volens omnia pro Chriſto, ſemetipſum quoque relinquere debet. 328. 2.
Reprobi (quorum opera, quamvis ſubinde bona, in ſalutem æternam non cedunt) proſperantur ſolum-

ſummodò temporaliter. 347. 1. Puniuntur quoque interdum temporaliter. *Ibid.* 1. 2.

Res lucidæ frequenter nigrum producunt effectum. 258. 1.

Res naturales. In iis primò eſt perfectio diſpoſitionis, deinde perfectio formæ, tandem perfectio finis. 306. 1.

Res una ſequitur aliam trifariè: per violentiam, per ſapientiam, per convenientiam. 476. 2.

Reſpublica. Eius gubernatio recta quænam requirat. 412. 2. Eam gerere ad augendam rem familiarem, peccatum. 464. 1. Plura de ſimili *vide*: Communitas, Populus, Rex, Regimen.

Revelationes quibus modis obtingant juſtis, quibus modis rebus corporalibus deditis. 8. 1. Percipiuntur juxta ſubiecti diſpoſitionem. 19. 1. Quodam ordine perveniunt per ſuperiores ad inferiores, per Angelos ad homines. 39. 2. attamen divinæ gratiæ ſubiectos. 96. 2.

Rex. Eius dignitas præclara redditur ex ordine miniſtrorum. 231. 1.

Reges terræ confunduntur, dum celſitudo cæleſtis manifeſtatur. 12. 1.

Regendi ſpecies trifaria. Prima, regimen regni. 185. 1. 2. Altera Ariſtocratia. *ibid.* 2. Tertia Politica. 186. 1. Harum ſpecierum optima eſt prima, ob rationes quatuor niſi tyrannide corrumpatur. *ibid.* Regula virtuosè regendi à Deo tradita. *ibid.* A ſancto Auguſtino. *ibid.* 2. Conditiones tyrannici regiminis allegantur. *ibid.* 2. *& ſeq.* Altera ſpecies melior tertiâ: conſtat auth. & ratione. 187. 1. 2. Pervertitur, dum nobiles proſtituuntur vitiis. *ibid.* 1. Antiqui regiminis rectitudo. *ibid.* 2. Tertia ſpecies, licèt ad tempus ſubſiſtat, à perfectione tamen deficit. *ibid.* Adeoque regimen id perfectiſſimum, quod ex tribus allegatis integratur, prout eſt Venetorum. 188. 1. 2. Regendi inferiores regula ſalutaris. 327. 1. Item regendi ſpecies trifaria: Ethica, Oeconomica, Politica. 470. 2.

Rhetoricæ inventores. 34. 1. 2. Quidnam doceat. 43. 2.

Rigor corporalis religioſo maximè competit 93. 1.

S.

SAcerdos & Epiſcopus Chriſtum repræſentant diverſimodè. 482. 2.

Sacerdos Arrianus mutans formam baptiſmi, aquà diſparente, fidem orthodoxam amplectitur. 45. 1.

Sacerdos malus de ſuo ſacerdotio crimen, non dignitatem acquirit. 122. 2.

Sacerdotes. Eorum officium quadrifarium. 130. 2. *& ſeq.* In teſtam. veteri inſtituebantur à Moyſe, in novo à Chriſto. 239. 1. 2.

Sacerdotalis dignitas quanta. 482. 1. *Vide*: Character.

Sacramenta Eccleſiæ ordinantur ad ſubveniendum homini in vita ſpirituali. 49. 1.

Sacrificium & holocauſtum in quibus differant. 384. 1.

Sacrificium verum eſt bonis operibus Deo adhærere ſancta ſocietate. 496. 1.

Sacrificia. Eorum in lege vet. differentia quadrifaria. 61. 1. 2. Turturis, vituli, columbæ ſignificatio. *ibid.* 2. *& ſeq.* Fiebant in quavis mundi ætate, apud omnes nationes hominum. 497. 2. In lege per ea remittebatur pueris peccatum originale. *ibid.* Cur non de omnibus juſtorum ſacrificiis in Bibliis mentio fiat, nec quidem de ſacrificio Adami. *ibid.* Sacrificantes in teſtamento veteri carnem cum ſanguine comedere prohibebantur quadrifariâ authoritate, ſecus in teſtamento novo. 48. 1. 2.

Saltus ubi committitur, adeſt diabolus. 351. 2.

Salus. Eam conferens aliis, ſalvari quoque meretur. 13. 1. Pro ſalute proximi periclitandum corporaliter. 126. 2. Saluti proximorum incumbere, poſtpoſitâ contemplatione, eſt opus ſummæ perfectionis, utpote apoſtolicum, exemplo divi Pauli. 226. 1. Figuratur per Angelos in ſcala Iacob. *ibid.* 403. 1. 2. Eſt Chriſtum ſequi. 480. 2. *& ſeq.*

Salvandum nemo ſe præſumat præcisè ex eo, quòd ad teſtamentum novum pertineat. 122. 1.

Sanctitas. Nomen hoc duo importat: munditiam, & firmitatem. 496. 2.

Sanctificatio hominum eſt ex peccato. 215. 2. Duplex: adultorum, & puerorum, quarum prima perfectior alterâ. 216. 1. Fit quadruplicitèr. 483. 2. *& ſeq.*

Sancti. De omnibus Sanctis *ſermo primus*. 419. *Sermo ſecundus*. 430.

Sancti cupiunt diſſolvi, & eſſe cum Chriſto ob rationes quatuor. 78. 1. Sunt circunſpecti. 95. 1. Non naſcuntur tales uti Chriſtus, ſed efficiuntur. 118. 2. Inferiores æquè implorandi ac ſuperiores. 124. 2. Eorum merita noſtra ſunt ſuffragia. 129. 1. De iis natus non præſumat. 134. 1. Corpore infirmi mente evadunt potentes. 149. 2. Incedunt conſtantes, quaſi ferro & ære calceati. 153. 2. E vivis decedunt non proſtrati ſed erecti, utpote à delictis liberi, bonis operibus pleni. 154. 1. 2. Vincunt dæmonis fallaciam, prout elephas draconem. 175. 1. 2. Eorum in patria ſtatus perfectiſſimus. 203. 1. 2. Virtutibus fulgidi humilitate nigreſcunt. 258. 1. Eorum fides eloquium caſtum, argentum, &c. *ibid.* 2. Ut ab illicitis abſtineant, etiam licita prætermittunt. 277. 1. Statuis ſeu picturis expreſſi, juxta differentiam meritorum, manibus diverſa victoriæ ſigna geſtant. 290. 2. Eorum exempla ad converſionem provocant. 342. 1. 2. Puniuntur ſubinde temporaliter. 347. 2. Iure multiplici aſſequuntur cæleſtem gloriam. 425. 2. *& ſeq.* Invitantur omnes à Pſalmiſta regio ad laudandum Deum. 428. 1. 2. *& ſeq.* Eorum ſeu electorum numerus ſoli Deo notus. 430. 1. Iuxta merita per vias & portas diverſas cælorum regnum ſubintrant. 431. 1. Ex adverſitatibus vires aſſumunt. 436. 1. Filii ſubinde naſcuntur aut evadunt ſancti precibus parentum. 484. 1. 2. Sanctum dicitur aliquid, quod lege eſt munitum: etiam ſanctus dicitur, quaſi ſanguine tinctus. 497. 1. ſancta pariter pronunciantur, quæ Divino cultui applicantur. *ibid.*

Sancta Sanctorum in lege veteri ſolus Pontifex introibat. 231. 2. Quidnam figurabant. 232. 1.

Sanguinis propter Chriſtum effuſio vicem gerit baptiſmi. 12. 2.

Sapientia. Eius ſtudium præ ceteris perfectius, ſublimius, utilius, jucundius. 139. 2. Illa, quà

Digitized by Google

cognoſcitur cauſa altiſſima ſimpliciter, donum eſt Spiritus ſancti. 377. 1. 2. Sumitur quadrifariè. *ibid.* 2. *& ſeq.* Quædam vocitatur terrena, quædam animalis, quædam diabolica. 377. 2. Eius, quæ de ſurſum eſt, annumerantur conditiones. 378. 1. 395. 2. Veram inveniſſe, quiſnam gloriari poſſit. 415. 2. Eius ſalutares effectus quatuor. *ibid. & ſeq.*

Sapiens quis dicitur vel ſimpliciter, vel in aliquo genere: utriuſque modi differentia. 377. 1. Debet conſiderare cauſam altiſſimam, per quam de aliis certiſſimè judicatur, ſecundùm quam omnia ordinari oportet. *ibid.*

Scientia ſcripturarum. Amor huius carnalium vitiorum amorem fugat. 381. 2. Scientias ſine magiſtro addiſcere præſumptio. *ibid.*

Scipio Africanus floruit ſtrenuitate. 170. 2.

Scipio Naſica floruit conſilii ſalubritate. *ibid.*

Scriptura ſacra à S. Hieronymo Latinè verſa. 382. 2. Sive intellectæ, ſive non intellectæ acquieſcendum. 433. 2.

Scripturarum notitia vitiorum extirpationem prærequirit. 95. 2.

Secreta divinæ Sapientiæ non omnibus æqualiter revelare convenit. 7. 1.

Secreta confidere amicitiæ proprium. 32. 1.

Sedere meum ad dexteram vel ad ſiniſtram meam non eſt meum dare vobis, explicatur diverſimodè. 273. 1.

Sermo oris manifeſtatio cordis: ſpiritualis prodit mentem Dei amore flagrantem, laſciva libidine æſtuantem. 167. 2.

Sequela Chriſti perfectior in illis, qui venditis omnibus eum ſequuntur. 276. 2. *& ſeq.*

Sexus in univerſali reſurrectione erit, ſed eius non fungemur officio. 255. 1.

Sibyllæ duodecim vaticinantur Chriſti Incarnationem, eiuſque virgineæ Matris integritatem. 74. 2. *& ſeq.* Una de his, nempe Erythræa prædicit duas ſtellas, ſignificantes Ordinem Prædicatorum, & Minorum. 296. 2.

Silentium. Per eius obſervantiam in ſacris religionibus necatur dæmon. 379. 1. 96. 1.

S. Simeon Chriſtum natum in ulnas recipiens, cur mortem appetiit. 118. 1. Eum glorificat quadrifariè. *ibid.*

SS. Simon & Iudas Apoſt. *De iis ſermo integer.* 414.

Simoniacus quidam convertitur fide SS. Trinitatis. 46. 2.

Sobrietas juventuti inculcanda. 454. 2. *& ſeq.*

Societas ſancta ſanctitatem conſervat, ſecus mala, experimento Iudæ traditoris. 135. 2. Plura de ſocietate bona. 228. 2. 493. 2. de mala. 228. 1.

Socrates florebat ſcientiâ morali. 169. 1.

Sol convertetur in tenebras, luna in ſanguinem, exponitur moraliter. 332. 2.

Solis proprietates. 404. 1. Soles tres naſcente Chriſto, quidnam portenderint. 45. 1.

Solitudo competit perfectis, periculoſa, ſi abſque prævio virtutum exercitio aſſumatur: conditiones ad eam requiſitæ. 93. 1. Nonnulli eam inter ſeculi tumultus conſervant. 452. 1. 2. In ea perfectio, in contemplatione conſiſtens, attingitur dupliciter. *Ibid.* 2. *& ſeq.* Non conducit ſolitudo corporis, ſi deſit ſolitudo cordis. 453. 1. Quinam ad eam admittendi. *Ibid.* Solitariè degentes ob animi ſævitiam, reprehenduntur. *ibid.* Alii ex audacia ſic degentes, niſi Divina bonitas ſuppleat, periclitantur. *ibid.* Eam debitè colentes, multum utilitatis mundo conferunt. *ibid.* 2.

Speculum. Eius uſus ad notitiam hominis interioris deſerviat. 99. 2.

Spiritus ſanctus.

De eius miſſione in feſto Pentecoſtes *ſermo prolixus.* 25.

Spiritus S. dat pignus ſalutis, robur vitæ, lumen ſcientiæ. *Ibid.* 1. Cælum empyreum non meatu fluvii terreſtris, ſed Spiritu ſancto tanquàm fonte vitæ recreatur. *Ibid.* 2. Cæleſtibus ſpiritibus tanquâ fons vitæ redundantiùs affluit. 26. 1. Eius dona ſunt hominis perfectiones, quibus benè ſequitur inſtinctum divinum. *Ibid.* Eius ſummum donum eſt ſapientia, infimum timor, utrumque ad ſalutem neceſſarium. *ibid.* Eius dona reliqua hominem ab omni defectu tutum reddunt. *ibid.* Fuit principium creationis Angelorum. *ibid.* 2. Hiſce primitùs revelavit myſterium Incarnationis. *ibid.* In eis ſeminavit gratiam & charitatem. 27. 1. Docuit eos defendere Ieruſalem cæleſte. *ibid.* Reddidit cælos decoros, &c. *ibid.* 1. 2. Cur miſſus die quinquageſimo poſt Paſcha. *Ibid.* 2. Eſt legis perfectio. *ibid.* Cur miſſus horâ tertiâ. *ibid.* Cur deſcenderit ſuper Apoſtolos in formâ lucis, & ignis. *ibid. & ſeq.* Cur advenerit ſonum emittens. 28. 1. Cur in Chriſti tranſfiguratione comparuerit in forma nubis. *ibid.* Refrigerium præſtat contra incentiva vitiorum. *Ibid.* Vocitatur aqua, generans pluviam lacrymarum. *ibid.* Cur comparens *inſufflavit* &c. *ibid.* 1. 2. Præfigurabatur antiquitus multifariè. *ibid.* 2. Cur deſcenderit in forma linguarum ignitarum. *ibid.* Tribuit virtutem ſanativam ſerpenti æneo. 29. 1. Aperuit os aſinæ, cui inſederat Balaam. *ibid.* Apparens Chriſto baptizato præfigurabatur in columba Noe, ramum olivæ ore deferente in ſignum pacis. *ibid.* Eo illuminante Petrus Apoſtolus in eſtaſi conſpexit animalia ſibi in diſco miſſa. *ibid.* Docuit Patriarchas legis antiquæ. *ibid.* 1. 2. Effecit Prophetas. 30 1. 2. Apoſtolos. *ibid.* 2. *& ſeq* Eſt inſtructor linguarum. 31. 1. Utitur linguâ Prædicatoris velut inſtrumento. *ibid.* 2. In electis ſeminat charitatem. *ibid.* Hominem inhabitat. 32. 1. Ejuſdem gratiâ homo in Deo latitat, ſecreta revelat, omnia dona tribuit, hominem ſibi configurat, in filium adoptat, à culpa liberans renovat. *ibid.* 2. Linguam ad pronuncianda fidei myſteria movet. 33. 1. Amatores Dei & contemplativos conſtituit, in tribulatione ſolatur, deſiderium mentium quietat, juxta merita in cælis coronat. *ibid.* 2. Subinde dæmones facit vera loqui. *ibid.* Docuit authores omnium ſcientiarum, & artium. 34. 1. 2. *& ſeq.* Ut dignè recipiatur, exigit mentis diſpoſitionem ſeptiformem. 35. 1. 2. Eo adveniente, homo priùs peccator noviter creatur ſeptiformiter. 36. 2. *& ſeq.* Pœnitentes docet ſex, ad juſtificationem neceſſaria. 38. 1. 2. Eius plenitudo quadrifaria, declarata ad ſimilitudinem aquæ. 78. 2. Creaturas ſanctificans procedit inviſibiliter. 136. 2. Spiritu Divino deguſtato, deſipit omnis caro. 28. 1. 49. 2.

Sponſa Ieſu Chriſti debet in decorem ſuæ animæ incumbere ornamentis decem. 99. 2. Ut in eius gratia conſervetur, debet habere conditiones ſex. 100. 2.

Statuarum & picturarum inventor Sarug. 36. 2.

Status mundi quadrifarius: creationis, redemptionis, converſionis, innovationis. 278. 1. 2.
Statuum, officiorum, ordinumque diverſitas cedit in corporis myſtici Eccleſiæ decorem. 138. 2.
Stella Magorum Orientalium. Eius materia, forma, efficientia, finis qualis. 8. 2. & ſeq. A Balaam vaticinio prænunciata. *Ibid.* Extitit ſidus noviter creatum. 9. 1. Continuit formam parvuli, cruciſque ſimilitudinem. *Ibid.* Micuit radiis quatuor: ſapientiæ, juſtitiæ, ſanctificationis, redemptionis. 12. 1.
S. Stephanus Protomartyr. *De eo ſer. integ.* 76.
Studium ſapientiæ præ ceteris perfectius, ſublimius, utilius, jucundius. 139. 2.
Succeſſor in officio legem prædeceſſoris non ſolvit, ſed adimplet. 1. 1. 2.
Suffragia pro fidelibus defunctis diſſuadet dæmon. 440. 1. 2. Qualiter meritoria. 448. 2. & ſeq. Diſpoſitiones in vivis factæ, & legationes pro eis deputatæ mox exequendæ. 450. 2. & ſeq. Suadetur exemplo cujuſdam, ob ſimilem negligentiam damnati. 451. 2.
Summus repente fit aliquis ſecundùm comparationem ſtatus ad ſtatum, non ſecundùm comparationem graduum. 363. 1.
Superbi ſubinde proficuè in aliquod crimen publicum impingunt, quo cautiores evadant, ac alienæ fragilitati compatiantur. 133. 1. Superborum pericula. 444. 1. 2.
Superiores Eccleſiaſtici clarere debent exemplis virtutum, & doctrinâ. 483. 1. 2. *Vide*: Epiſcopi, Prælati.
Supplicii comminatio ſubinde pervertit animos conſtantes. 469. 2.

T.

TAciturnitas ſeu ſilentium clauſtralibus conveniens. 96. 1. 379. 1.
Tegularum pro domorum conſtructione inventor Cinyra. 36. 1.
Temperantia perutilis. 95. 2. Pro omnimoda ſui perfectione requirit quatuor alias virtutes comites. *Ibid.* & ſeq.
Tenebræ non obſcurabuntur à te, quando hoc verificatur. 303. 2. & ſeq.
Tentatio eſt quadrifaria, juxta bonum quadruplex, circa quod tentatio occurrit, Deo ſemper aſſiſtente. 93. 2. & ſeq. Ea occurrente, Deus pro auxilio implorandus. 382. 1. Victoria ſemper meritoria. *Ibid.* 330. 1. Nec gloriotus illic evadet, qui tentatione hic caruerit. *Ibid.* 2.
Tentationes dæmonum fusè deſcribuntur. 373. 1. 2. & ſeq.
Terræmotus inſurgunt ob quatuor cauſas. 259. 2.
Teſtamentum vetus & novum à Chriſto velut unius doctrinæ corpus effectum eſt. 1. 2.
Thales Mileſius temporum ambitus, ventorum flatus, ſtellarum motus, &c. obſervabat primus. 34. 2.
Theophilus in deſperationem lapſus ope divæ Virginis Mariæ reſipuit. 307. 2
S. Thomas Apoſtolus. *De eo ſerm. integer.* 492.
S. Thomas Aquinas. *De eo ſer. integer.* 138. Demonſtratur lux Eccleſiæ, totiuſque mundi. *ibid.* 1. 139. 2. & ſeq. Prænunciatur propheticè. *ibid.* Eius ſtudium ſapientiæ. *Ibid.* & ſeq. Crucifixus eum alloquitur. 141. 1. Eſt ſol circundans Eccleſiam radiis ſcientiæ. 142. 1. Eius vita comparatur quibuſdam virtutibus Apoſtolorum, inſtar coronæ ſtellarum duodecim in vertice Eccleſiæ. *Ibid.* 1. 2. & ſeq. Infringit errores Gentilium, Hæreticorum, aliorumque errantium. 144. 1. 2. & ſeq. Coronatur laureâ quadrifariâ. 145. 2.
Tonſura clauſtralium in forma coronæ unde originem nacta, & cur fiat. 133. 2.
Transformatio hominis obtingit per claram Dei viſionem. 33. 1.
Translatio quadrifaria: trium in teſtam. veteri, & Chriſti, cælos aſcendentis. 86. 2.
Tribulatio. Eam ſuſtinere, ut proximo obtingat temporis dilatio, charitas. 125. 2. Eà amoris dulcedine ſuperatâ, noctis obſcuritas vergit in delicium. 303. 2. & ſeq. *Vide*: Adverſitas, Afflictio, Tentatio.

SS. Trinitas.

In eius feſtivitatem *ſer. integ.* 38. SS. Trinitatis Myſterium ſcrutari temeritas, credere pietas, noſſe & invenire vita æterna. 38. 1. 2. Sine eius fide explicitè credi nequit myſterium Incarnationis Chriſti. *ibid.* 2. Illud credere omnes tenentur. 39. 1. Ante Chriſti adventum occulta erat in fide majorum, voluntate rationi præcipiente. *ibid.* 2. Poſtmodum manifeſtabatur mundo per Apoſtolos. *ibid.* Eius fides declaratur per appropriationem, quæ fit Divinis Perſonis ex quatuor, in creaturis conſideratis, ſcilicet re, unitate, virtute, & habitudine. 40. 1. 2. Figuratur in Angelis, quantùm ad diſtinctionem Hierarchiarum, ordinum, quantùm ad diſtinctionem in eodem ordine, & quantùm ad diſtinctionem actuum. 41. 1. 2. Figuratur in diſpoſitione cælorum. *ibid.* 2. In proprietatibus quatuor elementorum. 42. 1. 2. Relucebat ex operibus Patriarcharum. *ibid.* 2. & ſeq. Reſonabat ex oraculis Prophetarum. 43. 1. 47. 1. Refulget in nonnullis ſcientiis naturalibus. 43. 2. & ſeq. Trinitati ineſt unitas non triplicitas. *ibid.* Eius veſtigium apparet in creaturis trifariè. 44. 2. Manifeſtabatur in creatione protoparentis. *ibid.* & ſeq. Eius fides prædicabatur ab Apoſtolis. 45. 1. Veritas confirmabatur miraculis. *Ibid.* 1. 2. 46. 2. Aliquid de hoc myſterio cognoverunt Philoſophi Gentiles, præcipuè quatuor. 45. 2. & ſeq. Eſt imperſcrutabile. 46. 1. Perſonarum Trinitatem manifeſtant virtutes theologicæ. *Ibid.* 1. 2. Trinitatis fides neceſſaria ad rectè ſentiendum de rerum creatione. *ibid.* 1. de ſalute generis humani: ad conſecrationem baptiſmi. *ibid.* 2. Trinitatis ſpes neceſſaria ad tres partes pœnitentiæ. Trinitatis charitas pro dæmonum expulſione, tribulationum propulſione, perverſorum converſione. *ibid.*
Triticum ſeminatum, renaſcens fœcundum, Chriſti reſurgentis ſymbolum. 22. 1.
Typographiæ inventores primi in Europa, quinam. 35. 2.
Tyrannis boni regiminis corruptio. 186. 1. Tyrannici rectoris conditiones. *Ibid.* 2.

V.

VAlerius Poplicola floruit virtute paupertatis. 170. 1.
Veneti. Eorum regimen perfectiſſimum. 188. 1. 2.

Mo-

Mores laudabiles. *ibid.* 2. *& ſeq.*
Verbum Dei aure cordis percipiens, ex Deo eſt. 495. 1.
Verba correſpondere debent actionibus. 412. 2. Nedum verba, ſed & indicia laſciva reprehenſibilia. 167. 2.
Verecundia in moribus recommendatur. 255. 2.
Veritas etiam à dæmonibus ſubinde prolata, ex Spiritu ſancto eſt. 33. 2. Eius cognitio nonnullis exoſa ratione conſcientiæ, correptionem abjicientis: quia contingit verum particulare contrariari bono amato trifariè. 122. 1. Lucens amatur, redarguens odium parit. *Ibid.* 2. Eam cognoſcere eſt quidam uſus, ſeu actus luminis intellectualis. 176. 2.
Veſtis pretioſa religioſum dedecet. 344. 2.
Vigiliæ Sanctorum cur in jejunium mutatæ. 305. 2.
S. Vincentius Martyr. *De eo ſerm. int.* 103.
Vincula. Hiſce in ergaſtulis detentorum Patronus & liberator S. Leonardus Confeſ. 456. 2.
Vinum lætificat cor hominis, exponitur moraliter. 333. 1.
Vir mulieri permittens imperium & regimen, ſervus nequiſſimus. 184. 1.
Virgo, ut Chriſtum debito modo ſequatur, debet incumbere humilitati. 255. 1 de ſe ipſa nullatenùs confidere, Agnum Sponſum ſolum magnificare. *ibid.* 2. Eam decet verecundia. *Ibid.* Ut admittatur cum prudentibus, quaſnam ſodales aſſumere debeat. 410. 2. *& ſeq.* Recolat præcepta, quibus inſiſtendum, ſi in ſeculo poſita, cum Deo manere cupiat. 469. 1. Per violentiam oppreſſa virginitatis aureolam non amittit, duplex inſuper præmium reportatura. 491. 1.
Virgines. Earum victoria major quàm Angelorum. 127. 1. Meritum ſanctitatis. *ibid.* Periclitantur quadrifariè. *ibid.* Earum fortitudo virorum confuſio. *ibid.* Multi non virgines in cælis eminentiores illis ſunt. 260. 2. Sunt ſpiritus illi magni, quibus occurrit Sponſus Chriſtus, introducens eas in ſua tabernacula. 408. 1. Eis debetur corona aureola. *ibid. & ſeq.* Quinque ad beatitudinem non intromiſſæ, cur fatuæ dicantur. 410. 1. 2. Succedunt veræ Virg. in locum Beelphegor, qui eſt ordo Poteſtatum. 436. 2. Plerumque pavidæ, etiam tuta pertimeſcunt, & cur. 487. 1.
Virginitas. Fuit conſecrata in quatuor perſonis. 85. 1. Reddit hominem conformem Chriſto. 97. 2. Sumitur pro incorruptione fidei, pro integritate carnis, &c. *Ibid. & ſeq.* Eius cultores decet deferre annulum aureum. 98. 1. Virginitatis amator Chriſtus. *ibid.* Figuratur per pelles hyacinthinas. 98. 2. Homines alii inlat Angelis: Deus eos ſpiritualiter inhabitat: gerit figuram Eccleſiæ triumphantis. *ibid.* Eam impediunt quinque obſtacula. 99. 1. Requirit ornamenta decem. *ibid* 2. Eſt ſoror Angelorum. 127. 2. Florebat inter Hebræos, & Paganos, in paradiſo quoque terreſtri. 254. 1. 2. Floret in cæleſti. 255. 1. Ea, quibus conſervatur, Chriſtus exercuit in exemplum. 256. 1. 2. Eius varii cultores exemplares. *ibid.* 1. 2. Repellit tentationum incendia, ſtudet honeſtati & pietati, deformat faciem, ne labatur in laſciviam, ſubit martyrium. *ibid.* 2. Honoratur donatione munerum. 257. 2. Eſt theſaurus reperiendus quatuor modis. 259. 1. 2. Amiſſa recuperabilis quantùm ad quid? 261. 1. 2. *& ſeq.* Quænam vera. 382. 2. Pro conſervatione circundanda quatuor muris. 412. 1. Eius encomia. 458. 2. Plurimum periclitatur, vel maximè inter tyrannos. 469. 1. 2. *& ſeq.* Viduitate, & matrimonio præſtantior. 487. 2. *& ſeq.* Tempore, quo genus humanum erat multiplicandum, non fuiſſet ullius meriti, ſed demeriti. 488. 1. 2. Eſt omnium creaturarum prima, pulcherrima, &c. digna præmio, ſeu fructu centeſimo. 489. 1. 2. Eſt quadrifaria: naturalis, ſacramentalis, ſpiritualis, divinalis. *ibid.* 2.
Virtus. Eius habitus duplicem habere poteſt magnitudinem: unam ex parte objecti, ex parte ſubjecti alteram. 172. 2. Amiſſa recuperatur, quantùm ad eius formale, non quantùm ad materiale. 261. 1. 262. 1. Ob rerum temporumque circunſtantias ſubinde evadit Dei offenſa. 488. 1. 2. Quævis procedit ex fidei fundamento. *ibid.* 2.
Virtutes. Earum mater & auriga diſcretio. 94. 2. Cum moderamine exercendæ. 95. 1. Lucidæ in Sanctis, nigreſcunt eorundem humilitate. 258. 1. Per charitatem efficiuntur meritoriæ. 403. 1. Quibus cæleſtis gloria acquiritur, allegantur. 408 2. *& ſeq.* In ſocietate bona conſervantur, in perverſa amittuntur. 493. 2. Iis ornati quidam eſſe cupiunt, quibus minimè incumbunt. 389. 2. Plura *vide*: Ædificium ſpirituale, Iuſtitia.
Viſiones cum arcanorum revelatione conferuntur ad utilitatem Eccleſiæ. 178. 1. *Vide*: Revelationes.
Vita æterna. Eius dulcedinem prænoſcens, libens terrena deſerit, & ad cæleſtia aſpirat. 92. 1. *Vide*: Beatitudo, Cælum, Gaudium.
Vitæ æternæ corona. *Vide*: Prædeſtinati.
Vita propria & aliorum ut bene gubernetur, quales ſcientiæ requirantur. 140. 1. Monaſticæ quibus virtutibus nobilitetur. 95. 2. Inter contemplativam & activam differentia. 271. 1. 2. In quo conſiſtant. 438. 1. 439. 1. Vivere bene conſiſtit in bene operari. 147. 1.
Vitis plantator primus Noe. 36. 1.
Unitas cordium requiritur à Spiritu ſancto inhabitante. 35. 1.
Vocatio pertinet ad miſericordiam, conſentire ad juſtitiam, diſſentire ad ſupplicium. 414. 1. Vocatio. *Vide*: Apoſtoli.
Voluntas divina voluntatis noſtræ via, medicina, lex civitatis noſtræ, quàm inquirimus. 494. 1.
Voluntas humana facit uſum, uſus exercitium, &c. 412. 1. Debet perficere voluntatem divinam, nec declinare ad dexteram, nec ad ſiniſtram. 494. 1.
Voluntas propria paradiſum ſpoliat, infernum ditat. 493 2.
Votum eiuſque executio coram Deo meritoria. 329. 1. *Vide*: Religio.
Vox Chriſti vox virtutis. 476. 1. 2.
Sancta Urſula Virgo & Martyr. *De ea ſer. integ.* 408.

X.

X Hæc litera fuit inventa Romæ Octaviano Auguſto Imperatore, ſub cuius imperio natus Salvator mundi. 6. 2.

BIBLIOTECA RAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

Z.

ZAcharias filius Ioiade inter Prophetas martyr primus. 80. 1.

Zacharias Sacerdos non credens verbis Angeli, mutus efficitur. 232. 1. *crebrò eod. ſer.*

S. Zeno vidit prolixæ tunicæ vanæ cujuſdam mulieris inſidere dæmones. 265. 2.

StroMata, qVæ VoVeo, sInt serta nItentIa DIVIs;
Ast IesV & sponsæ LaVrea præCIpVa.

Pag.	*Col.*	*Lin.*	ERRATA	SIC CORRIGE.
72.	1.	24.	corda	chorda
101.	2.	4.	ipſa	ipſam
109.	1.	28.	regentem	gerentem
165.	2.	10.	David	Daniel
218.	1.	51.	ntiæ virum	multorum
277.	2.	31.	ordinatur	ordinantur
296.	1.	42.	candidiorem	candorem
310.	2.	41.	illaba	illibata
313.	2.	37.	quæ	qui
322.	2.	42.	certuſque	certaque
333.	1.	6.	*aquam vinum factum.*	*factam*
340.	1.	3.	*num.* 32.	31.
352.	1.	13.	fervorem cæli.	zeli
404.	1.	22.	Lucas fuit de 72. diſcipulis, &c. *uſque:* Eccleſia approbat,	*non verificatur.*
464.	2.	41.	pſallant	pſallunt
470.	1.	26.	*erit*	*erat*

LaVs sVperIs, Deo qVoqVe; qVI prInCIpIVM, atqVe FInIs.

VENETIIS, M. DC. XCII.
Ex Typographia Petri Antonii Brigonci.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google